Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

In primum Mosis libru? qui Genesis vulgo dicitur, commentarius


https://hdl.handle.net/1874/406836

IN PRIMVM MOSIS LIbrũ, qui Geneſis vulgo dicitur, Commentarius Iohannis Caluini.



Oliua Roberti Stephani.
M. D. LIIII.

IN PRIMVM MOSIS LI-
brũ, qui Geneſis vulgo dicitur, Com-
mentarius Iohannis Caluini.



Oliua Roberti Stephani
M. D. LIII

Illustrissimis principibus Iohanni Friderico, Iohanni VVilhelmo, Iohanni Friderico, præstantiss. & æterna memoria digni Principis Iohannis Friderici Saxoniæ Ducis & nati electoris filiis, Ducibus Saxoniæ, &c. Iohannes Caluinus.

SI meritò prauam hominum socordiam damnat Paulus, quia illustre gloriæ Dei speculum, quod illis in mundi opificio assiduè offertur, clausis oculis prætereũt, atque ita iniustè supprimunt veritatis lucem: non minus turpis ac pudenda fuit, quæ seculis ferè omnibus grassata est, originis & creationis humani generis ignorantia. Et certè paulo post conditam Babylonem credibile est earum rerum memoriã obsoleuisse, quas assiduo sermone agitari celebrarique decuerat. Nam quum profanis hominibus sua dispersio quædam à puro Dei cultu emancipatio esset: curæ illis non fuit, ad quascunque appellerent terræ plagas, quod de creato & instaurato mundo à patribus audierãt, secum deferre. Ita factũ est vt nulla gens, exceptis tãtum Abrahæ posteris, vel ex quo fonte orta esset ipsa, vel quando cœpisset esse vniuersum hominum genus, duobus continuis annorum millibus sciuerit. Nam quòd libros Mosis Ptolemæus tandem in Græcã linguã vertendos curauit, laudabile magis quàm fructuosum (tunc quidem temporis) fuit eius studiũ: quando lumen, quod è tenebris eruere conatus erat, nihilominus hominum incuria suffocatum delituit. Vnde colligere promptum est, qui ad cognoscendum mundi opificem totos ingenii neruos intendere debuerant, maligna potius impietate hoc captasse, vt sponte cæcutirent. Floruerunt interea liberales doctrinæ, viguerunt præclara ingenia, lucubrationes omnegenus fuerunt editæ: atqui de mundi conditi historia altum silentium. Quin summus Philosophus, qui & acumine & eruditione reliquos omnes antecelluit, mundum æternum esse disputans, quicquid habebat solertiæ huc applicuit, vt Deum sua gloria fraudaret. Quanquam paulo religiosior fuit eius magister Plato, séque aliquo verioris notitiæ gustu imbutum ostẽdit: exigua tamen quæ delibat veritatis principia tot figmentis corrumpit ac miscet, vt magis noceat quàm prosit fictitium illud docẽdi genus. Qui verò ad scribẽdas historias studium suum contulerunt, homines ingenioſi & literis expoliti, quũ pleno ore iactent se vltimæ vetustatis fore testes, antequam ad Dauidis ætatem appellant, multa & turbida fæce perfundunt suas lucubrationes: suprà verò dum conscendunt, immensam trahũt mendaciorum colluuiem: tantum abest vt ad prima mundi exordia syncero liquidóque narrationis cõtextu perueniãt. Volentes autem nescisse quod non procul quærendum erat, si modò ad verum discendum animos adiicere placuisset, claro documẽto sunt AEgyptii: quorum præ foribus quum accensa esset verbi Dei lampas, rerum à se gestarum (quindecim scilicet ante conditum mundum annorum millibus) putidas fabulas nullo pudore iactarunt. Nec minus puerile insulsúmque Athenienſium commentum, qui se αὐτόχθονας gloriati, quum sibi disiunctam à re-

liquo genere humano originẽ assererent, barbaris quoque ipsis se fecerunt ridiculos. Quanquam autem omnes plus minus eodem ingratitudinis crimine fuerunt impliciti, eos deligere operæpretium putaui quorum eo minus excusabilis est error, quo sibi inter alios omnes mægis sapere visi sunt. Siue autem vniuersæ quæ olim fuerunt gentes velum sibi data opera obduxerint, siue illis sua tantum ignauia obstiterit: incõparabilis thesauri loco haberi meretur Mosis liber, qui saltem creationis mundi indubiam nobis fidem facit: qua sublata, indigni sumus quos terra sustineat. Historiam diluuii, quæ non minus formidabile in humano genere deleto Diuinæ vltionis, quàm suaue gratiæ in eodem instaurato speculum continet, in præsentia omittam. Vna hæc vtilitas inæstimabile libro pretiũ statuit, quòd res apprimè cognitu necessarias solus ostendit: quomodo post exitialem hominis lapsum Ecclesiam sibi Deus adoptauerit: quisnam fuerit verus eius cultus, & quibus pietatis officiis se exercuerint sancti patres: quomodo pura religio hominum ignauia ad tempus collapsa, quasi postliminio in statum integrum redierit: quando apud certum populum deposuerit Deus gratuitũ æternæ salutis fœdus: quomodo ex vno homine & sterili & caduco, propéque semimortuo, & (quemadmodũ Iesaias vocat) solitario paulatim fluxerit exigua soboles, quæ repente in multitudinem ingentem excreuit: quàm inopinatis modis & extulerit, & tutatus sit electam à se domũ, licet inopem, omnibus præsidiis nudatam, & ad quosuis æstus expositam multiplices hostium copiæ vndique cingerent. Porrò quàm necessaria sit harum rerum cognitio, ex suo quisque vsu & experientia iudicium faciat. Videmus quàm tumultosè Papistæ fallaci Ecclesiæ titulo simplices territẽt. A Mose depingitur genuina Ecclesiæ facies, quæ dissussis illis præstigiis, inanem metum eximat: fucati etiam splendoris pomparúmque ostentatione in stultam sui admirationem rapiunt minus perspicaces, imò hebetant ac dementant. At si ad eas notas, quibus Ecclesiam designat Moses, oculos conuertimus, nihil amplius inanes laruæ ad fallendum habebunt momenti. Sæpe nos conturbat, feréque exanimat eorum paucitas qui puram Dei doctrinã sequuntur: ac præsertim dum cernimus quàm longè latéque regnum obtineant superstitiones. At quemadmodũ olim Dei Spiritus per os Iesaiæ Prophetæ Iudæos ad rupẽ, vnde erant excisi, respicere iubebat: ita eôdem nunc quoque per Mosen nos reuocãs, quàm peruersum sit multitudine Ecclesiã metiri, acsi in turba consisteret eius dignitas, admonet. Siquando minus floreat passim religio, quàm optandum sit, dissipetur piorum corpus, statúsque Ecclesiæ bene compositus pessum eat, non modò labascunt nobis, sed penitus diffluunt animi. Atqui dum in hac Mosis historia Ecclesiæ structura ex ruinis, collectio ex laceris frustis ac vastitate ostenditur, meritò tale gratiæ Dei specimen in bonã fiduciã erigere nos debet. Quando autem tanta est humani ingenii ad fingendos alienos cultus propensio, ne dicam lasciuia: nihil nobis vtilius quàm regulã purè ritéq; colendi Dei à sanctis Patriarchis petere, quorũ pietatẽ hac præcipuè nota designat Moses, quòd ex solo Dei verbo pependerint. Quamlibet enim lõgum in externis ceremoniis sit discrimen: quod tamen inflexibile semper vigere debet, vtrisque est commune, vt religio ad solum Dei arbitriũ nutúmque formetur. Nec me latet,

quanto vberior hîc materia ſuppetat : & quantũ infra eorũ quæ breuiter attigi dignitatẽ ſubſidat mea oratio. ſed quia opportunis locis alibi ſingula à me quãquam nõ quo par erat ſplendore & ornatu, plenius tamen & copioſius tractata ſunt: nunc mihi ſatis fuit, breuiter cõmonefacere pios lectores, quantũ operæpretium facturi ſint, ſi veteris Eccleſiæ exẽplar, quale à Moſe expreſſum eſt, ad ſuos vſus prudenter aptare diſcãt. Et certè ideo nos ſanctis Patriarchis in ſpem eiuſdẽ hæreditatis Deus adiunxit, vt ſuperata quæ nos ſeparat temporũ diſtantia, mutuo fidei & patientiæ conſenſu eadem certamina obeamus. Quo maiore odio digni ſunt turbulẽti quidã homines, qui neſcio quo furioſi zeli œſtro perciti, Eccleſiam noſtræ ætatis plus ſatis diſſipatam, aſſiduè diſcerpere conantur. Nõ loquor de profeſſis hoſtibus, qui aperta vi ad perdendũ quicquid eſt piorũ, funditúſque delendã eorum memoriam incumbũt: ſed de moroſis quibuſdam Euangelii profeſſoribus, qui non modò fouendis diſſidiis nouã ſubinde materiam ſuppeditant: ſed pacem quam pii doctíque homines libenter colerent, ſua inquietudine perturbant. Certè hæc ratio me inter alias ad hunc meũ laborem veſtræ Celſitudini dicandũ impulit, vt inter Eccleſias longis regionum ſpatiis diſſitas magis magíſque coaleſcat ſancta & fraterna conſenſio. Nam vt ad mutuæ cõmunicationis officia tardi ſimus ac ſegnes, deformis tamen Chriſtiani orbis vaſtitas vel inuitos cogit ad piæ vnitatis ſtudium. Videmus vt inter Papiſtas, quanuis capitalia inter ſe aliis in rebus certamina exerceãt, maneat tamen ſcelerata cõtra Euangeliũ conſpiratio. Quàm exiguus ſit eorum numerus qui ſynceram Chriſti doctrinã tenent, ſi cum ingentibus cõferatur illorum copiis, dicere nihil attinet. Interea emergũt quaſi è ſinu noſtro audaculi ſcriptores, qui non ſolùm errorũ nebulis ſanæ doctrinæ lucẽ obſcurãt, vel prauis deliriis ſimplices demẽtant ac minus exercitatos, ſed profana dubitandi licentia totã religionẽ ſibi conuellere permittunt. Nã quaſi putidis ſuis ironiis & cauillis genui noſ Socratis diſcipulos ſe probẽt, nullũ illis magis plauſibile eſt axioma, quàm fidem eſſe liberam, vt liceat quauis de re ambigendo Scripturam inſtar naſi cerei (vt loquuntur) flexibilem reddere. Itaque hoc proficient tandem, qui illecebris nouæ huius academiæ capti nunc dubiis ſpeculationibus indulgent, vt ſemper diſcendo, nunquam ad ſcientiam perueniant veritatis. Quotquot autem machinis nos oppugnat Satan, totidẽ acerrimos ad quærendã coniunctionẽ ſtimulos nobis eſſe conuenit. Atque hæc (vt ſpero) neceſſitas probando huic meo officio abundè vobis ſufficeret, niſi quòd potius pro ſumma veſtra humanitate, ſuapte ſponte gratum fore ac iucundum cõfido. Certè quum hunc commentarium ſcribere aggreſſus ſum, norunt multi idonei teſtes mihi fuiſſe in animo, eum patris veſtri excellentiſſimi Principis nomini inſcribere, ſi eo ſuperſtite diutius frui nobis datũ foret. Nunc verò dum poſt eius mortem ad eius filios & hæredes me cõuerto, eiuſdem memoriæ dicare videor: ſicuti & nunc recentem adhuc celebrari, & deinde ad poſteros tranſmitti non modò æquum eſt, quia ſic meretur ipſa, ſed etiam ad commune exemplum non parum vtile. Magnum eſt, in nobilis ſummíque ordinis Principe cognitas fuiſſe virtutes, quæ integra eius florentéque fortuna non ſolùm dignæ eſſent eo loco, ſed etiam illam ampliſſimam dignitatem & tam excelſum honoris gradum ornarent. Sed quæ poſt acceptam belli cladem in eius pectore verè heroico in-

credibilisenituit constantia tantam in admirationem erexit omnium mentes, vt plus accreuerit veris eius laudibus, quàm fuerit ex opibus diminutum. Itaque non dubito quin ista vnius hominis infracta magnitudo, in tristi, quæde-inde sequuta est, hodiéque durat, Ecclesiæ concussione, multa piorum millia sustinuerit. Quòd si omnibus ad imitationẽ propositus fuit: eo vos acrius magísque strenuè generosi Principes, vt vos ad domesticũ exẽplar formetis, eniti conuenit. Nec verò dubito certatim vobis tribus cõmune hoc sine inuidia esse studium. Quo magis etiam cõsentaneum putaui, mea epistola copulare, quos boni omnes sanctiore quàm fraterni iuris vinculo, hoc est paternæ virtutis similitudine, cõiunctissimos non minus certò fore sperãt, quàm auidè cupiunt. Quòd si eius patris, quem laudare ipsi quoque hostes coguntur, imaginem nobis retulerint tres filii: erit cur domui Saxonicæ gratulẽtur sinceri pietatis cultores, quos illa deuinctos sibi & amicos habet. Porrò ad laboris mei cõmendationem apud Principes Christo verè addictos vnum hoc sufficiet, quòd vbique & germanã pietatis doctrinam afferere, & sacris Dei oraculis lucem afferre non minore fide quàm reuerentia studeo. Si fortè autem vestræ celsitudini ignotus sum, est in aula vestra clarissimus vir Franciscus Burchardus Cancellarius, qui pro sua, qua me ante annos quatuordecim complexus est, beneuolentia, mihi fauorem cõciliet. Atque vt à laudibus abstineat, quas minimè postulo, saltẽ de mea ad propagandũ Christi regnũ sedulitate testabitur. Iam verò quũ eandem, qua olim apud cordatissimum principem patrem vestrũ pollebat, gratiã & authoritatem hodie meritò apud vos obtineat, idoneus erit rei sibi compertæ testis. Valete illustriss. principes. Dominus vos suo præsidio tueatur, Spiritu prudentiæ, æquitatis, & fortitudinis gubernet, omníque benedictionum genere locupletet. Geneuæ, pridie Calendas Augusti. M. D. L I I I I.

INDEX EORVM QVAE IN HIS COMMENtariis præter cætera explicantur. Primus numerus, Caput: secundus versiculum denotat.

Abnegatio nostri præcipitur 12.4
Abram ferè quinquagenarius, quum mortuus est Noah 9.28
abræ vocatio, communis typus est vitæ omnium fidelium 12.1.4
abræ vocatio, Ecclesiæ renouatio censetur 11.10
abram vix creditur Thare primogenitus 11.27
abræ fides 12.7,& 15.12,& 17.17,& 22.3
abræ simulatio de vxore, vitio nõ caruit 12.11,& 20.12
abram Spiritus directione bellum suscepit 14.13
abram Ebræus dictus ab Eber. ibidẽ.
abram sacerdos 14.18
abram semel & ex propriis facultatibus decimas obtulit sacerdoti Melchi-sedec 14.20
abram minimè auarus 14.21,& 21.27
abram sola fide iustificatus 15.6
abram culpa non vacauit cum Hagar congrediens 16.1
abræ domus, Ecclesiæ effigies 15.5
abram quomodo multarum gẽtium pater 17.4
Abraham cur sic dictus ibidem
abrahæ risus minimè vitiosus 17.17
abrahæ misericordia erga Sodomitas 18.22
abrahæ infidelitas 20.2
abrahæ ingratitudo 20.2
abraham Propheta 20.7
abrahæ vitium 20.11
abrahæ filii duplices 21.10,& 22.17
abrahã spe tantum dominus terræ, re ipsa peregrinus 21.27.33,& 23.4
abrahæ obedientia 22.1.3
abrahæ constantia 22.8.9
אברך diuersa significat 41.40
abundantia ignauiæ mater 41.46
¶ Adam Dei ordinatione & nutu lapsus est 3.7
adam libero motu peccauit 3.1.7
adam ambitione lapsus est 3.6
adæ ingratitudo ibidem
adam non longè post creationem lapsus ibidem
adæ pœna inflicta ad posteros omnes extenditur 3.17
adæ conditio post peccatũ mors 3.19
adã cur pelliceis vestib⁹ indutus 3.21
adæ relicta spes veniæ 3.23
adam probè filios suos instituit 4.2
Adiurat seruum suum Abraham pro vxore filio quærenda 24.3
Administratio moderata inter homines Deo gratissima 10.8
Adoptio gratuita cum vitæ nouitate iungenda 17.3
adoptionis gradus 17.7
adoptio in solo Dei beneplacito fundatur 25.28
Adoratio pro Reuerentia 23.7
adoratio pro Obedientia 41.40
Aduenæ & hospites Christiani 47.8
Adulatio aulicorum 12.15
Adorat Iacob ad lectuli caput, vel ad summitatem virgæ 47.1

Adulterium Deo abominabile 20.3, & 28.24
adulteriũ grãde peccatũ 20.9,& 26.10
adulteria impunita manere non debent 38.24
adulteri Deo exosi 39.7
adulterorum pœna 38.24
adulteram cur Christus non puniuit Ibidem
¶AEdificatio in Ecclesia perquám necessaria 18.19
AEgyptii superbi & crudeles 12.20, 43.32
ægyptii superstitiosi 46.31
AErumnæ vitæ præsentis ex peccato omnes 3.19
¶Affectus naturæ originali peccato vitiantur 8.21
Affligere pro In ordinẽ cogere 16.6
afflictiones à Deo mittuntur 32.24,& 42.28
afflictiones ex peccato oriuntur 3.19 & 38.11
afflictiones bonis & malis communes 14.12
afflictionum vtilitas 16.14,& 31.1,& 32.1.24,& 41.14,& 42.21,& 44.1
afflictionum tempore quomodo nos gerere oporteat 32.22
אלהים pro Deo & Angelis 20.13
Allegoriis non nimiũ indulgendum 6.14,& 8.6,& 17.7,& 21.10
Altare nullum legitimũ,nisi Dei verbo consecratum 25.5
¶Ambitio ædificantiũ turrim Babel 11.1
ambitio periculosa 30.1
ambitio fugienda 10.11,& 11.1.3,& 14.1
ambitionis fructus ignominia 11.9
Ambulare cum Deo quid 5.22
ambulare coram Domino 17.1,& 48.15
¶Anabaptistarum error de infantibus 9.9
Anarchiam quærere est cũ Deo pugnare 14.1
Angeli verè comedentes 18.6,& 19.3
angeli corporibus ad tempus vestiti 18.6.16
angeli,viri appellãtur à forma quam induunt 18.16,& 19.10
angeli tam iræ quàm gratiæ Dei ministri 19.13
angeli non inuocandi 24.33
angelorum caput Christus 28.12
angeli personam Dei suscipiunt 31.13
angeli singuli,custodes singulis hominibus non dati. 32.1
angeli nomine Christum significari, & quare 48.15
Animæ pro seruis & ancillis 12.5
animæ etiã post hãc vitã viuunt 25.8
Annus à Iudæis perperã in sex partes diuisus 8.22
anni initium à mense Martio 7.1.8
Anthropomorphitarũ delirium 1.26
¶Aquæ super expãsionẽ visibiles 1.6
¶Arbitrii liberi facultas qualis 4.4.7
Arbor vitæ ab effectu dicta 2.9
Arca Noah imago fuit Ecclesiæ 6.14
Armeniæ montes altissimi 8.1
Aromaticis vnguẽtis cadauera quare condiebant veteres 50.2
Artes liberales à profanis hominibus ad nos fluxerunt 4.20
artium inuentio, donum Dei 4.20
¶Astrologiæ vtilitas. 1.16
אשם peccatum & pœnam significat 42.21
Assur ex posteris Sem 10.11
Assyrii Chaldæam fundarunt ibid.
¶Auaritia cæca 31.1
auaritiæ comes inhumanitas 13.10
auaritia Laban, Vide Laban
Auditus verbi sufficere nobis debet ad fidem 50.24
Auferre caput in vtrãque partem sumitur 40.19
Aulici adulatores 12.15
aulicorum deprauata natura 40.23
עולם pro longo tempore 13.14,& 48.3

B

BAbylonis structura 10.10
babylonem quidam à Ioue Belo perperam deducunt 11.9
Baptismus in aquis diluuii figuratus 7.17
baptismus Circuncisioni succesit 17.13
baptismus non contemnendus 17.14
baptismus quomodo ad salutem necessarius Ibidem
baptismi nota fideles à profanis discernuntur 17.13
baptismo priuati infãtes subita morte correpti,non propterea damnãtur 17.14
¶Benedicere quid 1.22,& 2.3, & 12.3, & 24.59
benedicendi mos vetus 27.1
benedicendi mos vnde 31.55
benedicit Pharaoni Ioseph quomodo 47.7
benedicere pro Facere crescere 48.3
in te benedicet Israel 48.20
benedicendi munus quibus iniunctũ 14.19,& 32.26
benedictio terrena Ismaeli promissa 21.20
benedictio Dei,vide Deus
Ber osi locus 11.1
Beth-el quæ & Luz dicta 28.19
¶Bileam cõsilium pessimum 6.2
¶Boni sæpe cum reprobis in easdem pœnas inuoluuntur 18.23
boni malis permixti 9.22,& 11.10,& 18.22,& 19.9,& 21.10,& 25.23,& 46.31

C

כבר pro lingua 48.5
¶Cain & Abel gemelli creduntur 4.1
Canonistæ Hieronymi dictum temere accipientes 23.16
Caput tollere quid 4.12
caput auferre in vtranque partem sumitur 40.19
caput male sectum 11.31
Caro non semper in malam partem capitur 6.11
carnis securitas metuenda 35.2
carnium esus quando cœperit 9.3
Castitas Iacobi 29.18
castitas coniugii,vide Coniugium.
Catulus leonis Iuda 49.9
Causæ mediæ & inferiores quid valeant 1.12
causæ forenses vnde 29.14
¶Chaldæa ab Assyriis fundata 10.11
chaldææ fertilitas. 12.10
Cham impius & sceleratus 9.22
chã à maledictione nõ eximitur 9.25
Chanaan cur maledicitur ibidem
chananæi à Deo maledicti ibidem
chananæi excidio deuoti ibidem
chananæi superbi 12.8
Charan in Mesopotamia 11.31
Charitas erga cognatos 19.13
charitas erga omnes 29.13
charitas,humanæ creatiõis finis 29.31
Cherubim Angeli 3.23
Christus Deus 1.3,& 18.13
christus semper omnibus oraculis præfuit 16.10
christus finis Legis 17.13
christus vnus & æternus sacerdos 14,18
christus rex noster æternus 14.18
christus mortis suæ sacrificio nobis Deum placauit 14.18
christus sæpe cum Angelis apparuit 18.2.9
christus sæpe patribus apparuit 18.2.9.13,& 28.12
christus vnus semper fuit mediator 19.1,& 28.12
christus caput Angelorum 28.12
christus scala Iacob 28.12
christus sol iustitiæ 32.29
christus viua Dei imago 32.39
christus ex Iuda originem duxit 38.1
christus nihil gloriæ mutuatur à suis maioribus 38.1
christus adulterã non puniuit 38.24
Chus princeps AEthiopum 10.8
¶Ciborum delectus ex tyrãnide 9.3
Circũcisio,gratiæ Dei symbolũ 17.9
circuncisio vocatur fœdus ibidem
circuncisio, pœnitentiæ symbolum fuit 17.11
circuncisio pars pædagogiæ 17.12
circuncisio externa aduentu Christi cessare debuit 17.13
Ciriath-arba cur sic dicta 23.2
¶Cœlibatus an coniugio præferendus 2.18
cœlibatus Papistarũ impurus 28.20
כוהן principem ac sacerdotem significat 41.40
Cognoscere pro Coire 4.1
Conscientia mala sibi est carnificina 50.15
Cõcordia fouẽda 12.1,& 13.8,& 29.14
Concubina quæ dicebatur. 25.6
Confessio pietatis externa 33.20
confessio fidei necessaria 12.7
confessio peccati necessaria 38.26
confessio peccati ex animo fieri debet 18.15,& 27.41
confessionis Papisticæ quæ obtenditur vtilitas 27.41
Coniugium diuinitus institutum 2.22,& 9.1
cõiugium filios à parentibus non diuellit 2.24
coniugii finis proprius, sobolis procreatio & propagatio 24.59
coniugii sanctitas 2.22,& 5.2,& 6.2, & 20.3,& 24.67,& 39.7
coniugii profanatio graue crimẽ 6.2
coniugium Isaac quare tam solicitè describat Moses. 14.1.3

coniugii incommoda, ex peccato 2.18,& 16.5
coniugiis Deus præsidet 20.3
cõiugalis thori maxima religio 29.22
Conscientia certa, omnia agẽda sunt 8.15
conscientiæ bonæ fons & principium, timor Domini 42.17
conscientiæ vis magna 4.7,& 12.15, & 20.6,& 25.29, & 26.29,& 31.30, & 31.44, & 39.11,& 42.21, & 43.16, & 44.7
Consuetudo publica sæpe periculosa 5.22
consuetudo publica, violenta tempestas 6.22
Contemptus Dei, contemptum hominum generat 6.4
Contentio vitanda 13.7
Contumacia fugienda 4.9,& 7.12,& 9.20,& 11.1,& 19.4,& 10.13,& 27.41
Conuiuia nõ improbãtur à Deo 21.8
Corda hominum in manu Dei 26.26, & 33.4,& 35.5,& 42.21,& 43.12
Coruus cur potius arca emissus 8.6
¶Creare quid 1.21
creationis hominis gradus tres 2.7
creationis humanæ finis, charitas mutua 29.31
creaturæ verbo Dei sanctificãtur 9.3
Crescere in multitudinem 48.16
Crudelitas Deo exosa 42.21
crudelitas filiorũ Iacob, vide Filii Ia.
¶Culpa remissa quomodo pœnã retineat Deus 49.5
Cultus nullus Deo gratus absque fide 8.17
cultus impii statim emergunt 11.10
Curiositas cauẽda 9.25,& 10.1,& 15.10, 23.1,& 24.12,& 25.29,& 32.29,& 34.1

D

DAmesec gentile nomen 15.2
Dan quare sic dictus 49.16
¶Debora pia matrona 35.8
Decem pro multis 31.5
Decimas dare, charitatis officiũ 28.22
decimas olim exigebant reges 47.23
Delictum & scelus differunt 20.4
Deus hominẽ flexibilem creauit 3.7
deus cur hominẽ tẽtari passus sit 3.1
dei permissu hominẽ esse lapsum 3.1
deus non est author peccati 8.21,& 22.1,& 45.8
deus nullius fraudis author 30.37
deus duob⁹ modis ordinariis olim se manifestabat 15.1.12,& 37.5
de⁹ nunquã qualis est apparuit 26.24
deus quomodo tentet 22.1,& 32.24
deus hominũ corda regit 33.4,& 35.5, & 42.21,& 43.12
deus op⁹ suũ mutilũ nõ relĩquit 19.16
deus hominis salutem plurimi facit 3.14,& 18.18,& 19.16
deus suorum curã gerit 4.10,& 8.1, & 11.10, & 12.15.17,& 14.13, & 15.1.14, & 16.7,& 19.10.16.29,& 20.3.6,& 21.17, & 24.54,& 26.8,& 28.12,& 30.25,& 29 32,& 31.22,& 42.54,& 33.4,& 35.1, & 39.1.21,& 40.12
deus fideles vna manu aggrediẽs, altera defendit 32.24
deus non statim bonorũ quæ promittit, effectum exequitur. 28.14
deus cur suum auxiliũ differt 20.4
deus totius mũdi Index 15.16,& 18.25
deus impiorum iudex 15.14,& 31.49
deus iudicia sua nõ statim exequitur 9.25,& 18.21
deus nunquã sæuit cõtra insõtes 9.25
deus interdũ per indulgentiã concedit, quod illi non probatur 19.21
deus se patrib⁹ gradati patefecit 32.29
deus acceptor personarũ nõ est 17.12
deus nõ potest, nisi quod vult & pollicitus est 19.21
deus non tantum permittit quæ fiũt, sed vult ea fieri 45.6
de⁹ cur innoxia animalia diluuio perdidit 6.7
deus vult in suo verbo coli 3.6
deus iudicia sua Ecclesiæ manifestat 18.18
deus adest hominibus pluribus modis 21.20
deus parentes honore maximo dignatur 30.9
deus etiam indignos sua gratia prosequitur 30.5,& 39.1
deus per iniquos operatur 45.8
deus solus æstimandæ iustitiæ iudex idoneus 7.1
deus solus Ecclesiam restaurat 15.10
deus solus verè & propriè nos benedicit 32.26
deus fidelis & verax 21.1,& 24.26
deus fit noster quasi voluntarius debitor 32.9
deus priora dona in fidelibus, nouis recentibúsque cumulat 18.18
deus patrum nostrorum & in cuius conspectu ambulauerũt Patres nostri, quare repetatur à Iacob 48.15 & 49.25
dei Benedictio erga homines 9.18
dei benedictio multiplex 12.1
dei benedictio sẽper expetenda 32.26
dei benedictio pro promissione 35.9
dei benedictio bonæ fidei & æquitatis comes 30.33
dei benedictio terrena semper aliquibus molestiis permixta 26.14
dei benedictionis efficacia 9.1.28,& 14.1,& 28.3,& 30.27,& 46.8
dei benedictioni fœlices successũ⁹ tribuendi 26.27,& 30.29,& 31.36,& 32. 13,& 33.10,& 39.3
dei benedictionem luxuries dilapidat 41.35
dei benedictione procreantur liberi 25.21, & 29.31,& 30.2,& 33.5
dei Contemptus cõtemptum hominum generat 6.4
dei cultus in eius verbo situs 3.6
dei Decretum 41.17
dei Dona distribui prout vult, nõ ex meritis 48.17
dei Electio firma, vide Electio
dei Fœdus cõmune infantibus 9.9
dei Gratia præuenit nos 4.4,& 6.8,& 12.1,& 16.11
dei Hostes sunt fideliũ persequutores 12.3
dei Imago quid 1.26
dei indulgentia erga suos 9.11,& 15.7, & 17.12,& 18.15,& 19.30,& 20.3,& 22. 2,& 26.2.8,& 30.17,& 34.7,& 35.2,& 43.33
dei ira inflammatur peccãdi consuetudine 4.15
dei iudicia abyssus magna 9.25
dei Liberalitas 22.15
dei libertas in gratia sua dispensanda 21.10.
dei libertas in parcendo & puniendo 9.25,& 18.23
dei Misericordia nos præuenit 16.11 vide Dei gratia
dei Nomine non abutendum 34.13
dei Ordinatione & nutu lapsus est Adam 3.1
dei Persona interdum ab Angelis suscepta 31.13
dei pœnitentia qualis 20.7
dei Potentia cum eius verbo coniuncta 18.13
dei potẽtia cum gratia & promissionum fide connexa 19.24
dei potentia absoluta quid sophistis 25.29
dei præscientia non otiosa 41.17
dei præscientiã nemo ferre potest 32.30
dei promissiones ex gratuita eius misericordia fluunt 15.6
dei prouidentia ab æterno eius consilio & continua actione perperam diuellitur 41.17
dei prouidentia cum iustitia cõiuncta 42.28
dei prouidentia in quem vsum consideranda 45.8,& 50.12
dei prouidentia tegendis delictis ab impiis obtenditur ibidem
dei prouidẽtiæ tractatio vtilis ibid.
dei prouidentiæ, Ioseph dexter interpres ibidem
dei prouidentiæ mentio 1.6,& 4.13, & 8.1,& 11.6,& 12.1.17, & 16.1.13, & 18 5,& 19.8.19,& 20.2,& 21.10, & 22.4.7, 14,& 24.15.26, & 25.1, & 19.26.36.46, & 29.1,& 30.2,& 32.2, & 33.4,& 35.1, & 36.6,& 37.5,& 40.1.6,& 41.1.17.33, & 42.1.21,& 43.12,& 45.4,& 47.3
dei Terrore domatur impiorũ audacia 35.5
dei timor, conscientiæ bonæ fons & principium 42.17
dei timor qualis in reprobis 31.42
dei timore excussio, nullus peccãdi finis. vide Peccatum
dei tolerantia 6.11,& 11.5,& 13.13, 15.16,& 18,20,& 35.16
dei Virtus exteris signis non astringitur 17.14
dei volũtas cur nobis manifestata 18.19
deo soli laus & gloria 30.29
deo obediendum, vide Obedientia
deo adscribitur opus venditionis Ioseph 45.8
deo quomodo adscribatur quicquid in mundo agitur 41.17
deum pœnitere quid 6.6
deũ videre facie ad faciẽ quid 32.30
deo irato nihil fœliciter succedit 4.12
¶Diabolus, vide Satan 1.14
Dies naturalis & artificialis 1.5
diei initium à vespere 1.5
dies septimus quomodo à Deo sanctificatus 2.3
dies natalis veteribus celebris habitus 40.19
dies extremus in igne fiet 9.7
dies mali vitæ Iacob 47.9
Diluuiũ circa vernũ tẽpus cœpit 7.8
diluuiũ quo mundus periit, fortunæ non tribuendum 7.17,& 8.3

diluuii memoria à posteris Noah sepulta 10.1
Dinam vnicam fuisse Iacobi filiam, probabile est 30.21
dinæ curiositas 34.1
dinæ inuitæ & repugnanti vis allata 34.3.5
dina polluta fuit 34.5
Dionysii iocus in Deum 4.24
Discrimen piorum & impiorum 15.8,& 42.28
discrimẽ veræ Ecclesiæ & falsæ 21.10
discrimẽ verorum Prophetarum & falsorum 41.33
discrimen sceleris & delicti 20.4
Diuinum pro eximio & singulari 23.6,& 30.8,& 33.8
diuitiarum incõmoda 13.5,&24.63,& 26.14,& 32.14
diuites à regno cælorum non arcentur 13.1
diuitibus nulla excusatio, si Dei vocationem non sequuntur ibidem
Diuortiũ polygamia tolerabil.29.27
diuortia nõ temerè admittẽda 2.24
¶Doloris patris principium primogenitus 49.3
DonaDei prout vult & liberè,nõ ex hominum meritis distribui 48.17
Dormire cum patribus 47.30
¶Dulia & latria fucatæ Papistarũ voces 23.7

E

EBer gentile nomen 10.21,& 14.13
ebræi ab Eber sic dicti 14.13,& 43.32
Ebrietas fœdum vitium 9.20
ebrietas Noah ibidem
ebrietas Lot 19.33
ebrietatis pœna ibidem
ebriosi in pecudes degenerant 9.22
¶Ecclesia diuitus seruatur 10.1
ecclesia vera qua nota à laruata discernitur 1.102
ecclesia non sine difficultate restauratur 15.10
ecclesiæ conditio in speciem misera 15.10.14.17,& 25.19,& 33.6,& 37.28,& 43.32, & 46.31 vide Fidelium conditio
ecclesiæ filii duplices 17.7
ecclesiæ gloria sordidovelamine obtecta 33.6
ecclesiæ hostes 12.3,&15.11
ecclesiæ imago fuit arca Noah 6.14
ecclesiæ, iudicia Dei manifestantur 18.18
ecclesiæ preces à Deo exaudiuntur 18.27
ecclesiæ pueritia vetus seculum 32.31
ecclesiæ restauratio difficilis 15.10
¶Electio arcana non omnibus Israelitis communis 25.23
electio gratuita 9.25,& 35.22
electio firma 25.28,& 27.5,& 35.22
electio,prima sanctitatis origo 25.23
electio veros filios ab adulterinis discernit 17.7
electionis Dei fons,liberum Dei beneplacitum 48.19
electionis Dei effectus non statim constat 25.24.27
electi soli seruantur 25.29
electi etiam aliis prosunt 39.3
¶Esau binominis 36.9
esau profanus cur dictus 25.30
esau imperiosus & ferox 32.2
esau à sancta familia abdicatur 35.11,& 36.1
esau pœnitẽtia furiosa,iracundiæ testis 27.41
¶Eunuchi pro satrapis & aularũ principibus 37.38,& 39.19,& 42.1
¶Excellẽtia dignitatis & roboris49.3
Exempla mala fugienda 5.22,& 6.9
exempla quæ sequenda 24.22
exempla sanctorum patrum sineDei verbo non imitanda 15.8,& 24.22,& 26.25,& 28.19,& 29.30,& 42.7,& 46.3,vide Patres

F

FAbulæ Iudæorum,vide Iudæi
fabulæ Poetarum,vide Poetæ
Facere misericordiã pro Humanitatem præstare 24.33,& 40.14
facere iudicium & iustitiã quid 18.19
Facie ad faciem deum videre 32.30
Famæ tuendæ ratio 31.31
in Fame solus Deus alit. 47.15
Familiæ habenda cura 30.30
Famulorum habenda ratio 17.12
famulitii magni incõmoditates multæ 13.7
¶Feneſtra vna dũtaxat in arca Noah 6.14
Festinatio nimia vitiosa & periculosa 16.1,& 17.15,& 30.9,& 31.31
¶Fides ex electione oritur 17.7
fides in solo Dei verbo & promissionibus fundatur 12.1,& 17.4
fides virtutum omnium mater 6.22
fides à pura conscientia disiungi non potest 17.3
fides confirmatione indiget 32.1
fides nouis promissis instauratur 7.1
fides externis symbolis fulcitur 9.11,& 15.9,& 17.9,& 33.20,& 46.1
fides verbi metas nõ egreditur 26.10
fides inuocationem parit 12.7
fides vincit 32.24
fides sola iustificat 4.4,& 15.6
fides sola Deo nos reconciliat 4.4
fides sola obedientiam generat 12.1
fides omni timore vacua non est 6.13,& 18.19,& 28.17,& 32.6
fides sanctorum imperfecta 33.1
fides Abrahæ,vide Abraham
fides Noah,vide Noah
fides Lot,vide Lot
fidei doctrina à recto agendi studio non abducit 6.18
fidei confessio necessaria 12.7
fide constantia retinenda 9.24
Fideles,sola fide vt Abram iustificantur 15.6
fideles,veri sunt Israelitæ 35.11
fideles cum Deo luctantur in mediis tentationibus 32.24
fideles nõ sine vulnere victores euadunt 32.25.31
fideles à timore & cura non eximuntur 15.1
fideles instabiles 12.8.10,& 13.14,& 20.1,& 21.22,& 27.42
fideles etiam aliis prosunt 39.3
fidelium conditio in hoc mundo cõtemptibilis & misera 12.8.10,& 13.14,& 15.10.14,& 33.5,& 43.32
fideliũ preces arma fortissima 39.20
fidelium preces à Deo exaudiuntur 18.27,& 24.15
fidelium preces etiam aliis vtiles 19.29,& 20.7
fidelium vita infamiæ obnoxia 31.30
fidelium stabilis fœlicitas 36.31
fidelibus omnia sunt adiumento 31.14,& 36.6
fidelibus hostes nunquã defuturi 12.3,& 17.7,& 31.22,& 32.24,& 27.40
Filii Dei multiplices 6.1
filii Ecclesiæ duplices 17.7
filii Abrahæ duplices 21.10,& 22.17,& 25.23
filii Iacob perfidi, crudeles,& contumaces 34.13,& 37.2.10.35
filiæ Lot inexcusabiles 19.31
filiæ pro ramis arboris 49.22
filios suos quare Ioseph adducat ad patrem 48.1
¶Fœcũditas peculiare Dei donũ 25.21,& 29.31,& 30.2,& 33.5
fœcunditas olim maximi habita 30.9.22
Fœdus cum Noah initum ad posteros omnes spectat 9.7
fœdus Dei infantibus commune 9.9
fœdus quomodo perpetuum 17.7
fœdus Dei semper proponamus nobis ob oculos 48.3
fœminarum rara in genealogiis mẽtio 22.19,& 30.21
fortitudo patris primogenitus 49.3
fortuna à mundo fingitur 39.1
fortunæ,diluuium minimè tribuendum 7.17,& 8.3
¶Fratris iniuria,in Deum recidit 9.6,& 12.3
Fraus vitanda 31.49
fraus Laban erga Iacob 29.25
frugalitas commendatur 18.27,& 19.33,& 29.4
¶Furtum Rachelis inexcusabile 31.19.32

G

GAd quare sic dictus 49.19
¶Gentes in Christo collectæ 15.4,& 48.10
gentium vocatio prædicta 9.27,& 17.4,& 35.11
ex gentibus oriundi sumus 10.1
Gerundẽsis nugæ de Eunuchis Pharaonis 40.1
¶Gigantes certi quidã homines 6.4
¶Gloria impiorum fluxa 10.1
¶Gratiã inuenire pro Gratũ esse 6.8
gratia Dei,vide Dei gratia
gratiarum actio commendatur 9.3.26,& 12.7,& 21.33,& 22.14,& 24.26,& 26.18,& 28.18,& 29.32, & 32.1.30,& 35.14,& 41.50
gratitudo 14.17.20,& 32.1
נָשָׂא nomen interdum honorificũ 12.1

H

HAEreditatem perpetuam quomodo promiserit Deus Israelitis 48.3
¶Hephron iusta venditio agri sui in sepulchrum 23.16
¶Historiæ quæ incutiendo terrori valent,in primis vtiles 18.19
¶Homo animal sociale 2.18,& 4.14,& 11.1
homo flexibilis à Deo creatus 3.7
homo ante lapsum etiam Deo subiectus 2.16

homo totus caro eſt ante regenerationem 6.3
homo per Chriſtum Satana ſuperior 3.15
hominis conditio poſt lapſum, mors 2.16,& 5.5,& 6.16
hominis imperiū in beſtias ad quid vtile 9.2
hominis tarditas magna 19.16
hominem labi Deus voluit 3.1
homines, mali naſcuntur 8.21
homines liberè peccant ibidem
homines fortuitò non naſcuntur 25.21. vide Fœcunditas
homines inter duo ſepulchra conſtituti 7.11
homines prophani etiam religione tanguntur 39.3
hominum genus omnino corruptū 6.5,& 8.21
hominum corda in manu Dei 26.26, & 33.4,& 35.5,& 42.21,& 43.12
hominum facta ex euentu non æſtimanda 45.8
Homicidium vetitum 9.5
homicidium graue crimen 27.45
homicidarum pœna 9.6
Honor parentibus debitus 9.22
honores iis mandandi, qui donis inſtructi ſunt 41.38
hoſpites & aduenæ Chriſtiani 47.8
hoſpitalitas commendatur 18.2
hoſpitalitas Lot 19.1
Hoſpitalitatis ius violatū Iſraeli ab Aſſyriis 47.5
חטא reatū & culpā ſignificat 44.18
¶Humanitas colenda 9.5,& 12.1,& 14.17,& 16.6,& 29.13,& 42.21
humanitas Ruben 37.21
¶Hypocriſis ingeniis humanis ingenita 34.21
hypocriſis Dei iudiciū cōtēnit 37.20
hypocriſis peccata tegit 42.21
hypocriſis fugienda 17.1,& 30.5
hypocriſis filiorum Iacob 37.22
hypocritæ ſemper ſe excuſant 18.15
hypocritæ nunquam verè reſipiſcūt 28.6
hypocritæ peccatum peccato coaceruant 37.32
hypocritæ bonos falſis querimoniis onerant 31.23
hypocritæ ſuperbi omnes 4.5
hypocritæ quando maximè timendi 8.4
hypocritarum natura 29.9
hypocritarū mos reb⁹ proſperis 30.5
hypocritarum religio præpoſtera 4.5

I

IAcob non ſine miraculo repente ditatus 30.43
iacob cur Iſrael dictus 32.28,& 35.10
iacob ab auaritia alienus 33.17
iacob tota vita peregrinus 43.3
iacob ſuſpectos habuit filios ſuos nefariæ conſpirationis 43.3
iacobi diffidentia 27.11
iacobi peccatum 27.14
iacobi mendacium 27.19
iacobi periurium ibidem
iacobi caſtitas 29.18
iacobi vita laborioſa 31.4
iacobi manſuetudo 31.54
iacobi ſimulatio erga fratrem Eſau 33.13
iacobi domus ſuperſtitione polluta vſque ad Dinæ raptū 31.19,& 35.2
iacobi conſtantia magna 42.29
iacobi patientia 42.38
¶Idololatria humanis mentibus ferè ingenita 31.19
idololatriam homines facilè amplectuntur ibidem
¶Ignis extremæ diei 9.7
Ignorantia craſſa non appetēda 45.8
ignorantia craſſa non excuſat 41.8
ignorantia craſſa, iuſta hominū ignaiæ vltio 18.19
¶Imago & ſimilitudo idem 1.26
imago Dei quid ibidem
imago in homine 5.1,& 9.6
imago in homine non prorſus deleta 9.6
imago Dei viua Chriſtus 32.30
imagines Papiſticæ, idololatriæ ſunt inſtrumenta 31.30
Imitatio mundi diabolica 5.22
Immortalitas probatur ibidem
immortalitas in terris non quærenda 11.4
Impatientia cauenda 16.5
Impii deteriores ſemper fiunt 29.25
impii ad flagella Dei efferantur 4.23
impii alios vlna ſua metiuntur 30.35
impii inexcuſabiles 19.10
impii etiam aliqua religione tangūtur 39.3
impii gratiam Dei penitus contemnere nequeunt 28.6
impii etiam Dei virtutem experiri coguntur 31.29
impii non verè ſalutem amiſſam lugent 27.38
impii ad deſperationem adiguntur 27.46
impii exitio deuoti 19.24
impii exitium ſuum momēto accelerant 19.5
impiorū natura horrenda 9.22,& 19.6
impiorum durities 4.23
impiorum conſenſus diabolicus 19.4
impiorum ſocietas periculoſa 14.12
impiorum ſcelera vindictam poſcūt 18.20
impiorum ſecuritas maledicta 19.13, & 25.34,& 28.10
impiorum gloria fluxa 10.1
impiorum iudex Deus 15.14
impios quaten⁹ abominari licet 43.32
impios Deus tolerat 11.5,& 13.13,& 15.16,& 18.21,& 35.16
impios De⁹ tractat vt feroces equos 42.9
Impunitas malorum, peccandi illecebra 6.13
impunitas ſcelerum totam regionē polluit 20.9
¶Inaures ſuperſtitionū inſignia 35.4
Increduli ferè ſecum ipſi diffident 26.27
incredulitatis comes ſuperbia 31.29
Indulgētia Dei, vide Dei indulgētia
indulgētia parentum in filios, vitioſa 34.18
Infantes ſubita morte abſque baptiſmo correpti, non propterea damnantur 17.14
infantibus commune Dei fœdus 9.9
Ingratitudo vitanda 16.13,& 19.31,& 20.2,& 21.17.23, & 24.50, & 25.33, & 26.27,& 32.29
Iniuriæ obliuiſcendæ exemplum in Ioſeph 50.21
Intelligere fecit manus ſuas, Hebraiſmus 48.14
Inuidia fugienda 26.16,& 30.1
Inuocare nomen Domini, bifariam ſumitur 12.7
inuocatio nominis Dei vtiliſſima 26.25
inuocatio ex fide naſcitur 12.7
inuocatio totum Dei cultū ſæpe cōplectitur 4.25,& 12.7,& 13.3,& 21.33
¶Iob dolore preſſus, valde abſurda loquutus eſt 37.35
Ioſeph Chriſti imago 37.5
ioſeph venalis quibuſlibet expoſitus 37.28
ioſeph gener principis ciuitatis On 41.40
ioſeph fratribus ſe alienum duabus cauſis oſtendit 42.7
ioſeph longè à vindicta alienus 43.16,& 45.1
ioſeph, dexter Dei prouidētiæ interpres 45.8
ioſeph diuinitus electus ad iuuandos fratres ibidem
ioſeph pater Pharaonis ibidem
ioſeph regis beneficio bene vtitur 47.5
ioſephi integritas erga inſulariū 29.21
ioſephi prudentia 41.46
ioſephi peccatum 41.50,& 44.7
¶Ira Dei lento gradu ad vindictam procedit 15.16
ira ſancta 30.1
iræ intemperies homines dementat 34.30 16.5
iracundia cauenda
iraſcendum quomodo alienis peccatis 34.7 9.13
Iris erat ante diluuium
Ironia 3.22,& 11.6
¶Iſaac toto vitæ ſuæ tempore peregrinus 26.12,& 37.1
iſaac in agris conductitiis ſeuit 26.21
iſaac cæco amore ſtatuit Eſau præferre fratri 27.4 26.7
iſaac ſimulatio culpanda 26.10
iſaac fides vacillauit
Iſmael cur gratia Dei priuatus circūcidi iubetur 17.19
iſmael à Dei familia abdicatus 21.14, & 43.33
iſmaelis riſus, maligna ſubſannatio 21.9
iſmaeli terrena benedictio promiſſa 21.20
Iſrael cur ſic dictus 32.28,& 35.10
iſraelitæ legitimi qui 25.23
¶Iudas primatum inter fratres obtinebat 44.7 49.8
iudas quare ſic vocatus
iudæi annū perperā in ſex partes diuidunt 8.22
iudæi fruſtra in carne gloriātur 25.28
iudæi fruſtra gentis ſuæ nobilitatem iactant 34.25
iudæorum & Gentium collectio 9.27
iudæorum commenta & fabulæ 1.26
iudæorum fabulæ de Abram 11.28

iudæorum fabula de Angelis qui ipsi Lot apparuerunt 19.1
iudæorū fabula de Sara lactante 21.7
iudæorum fabula de Ariete 22.13
iudæorum fabula de longa Saræ æta te 23.1
iudæorum friuola distinctio de quatuor homicidii speciebus 9.5
iudæorum superbia in extollenda gē tis suæ origine 30.14
iudæorū superstitio in neruo fracto 32.31
iudæis non est amplius necessaria circuncisio 17.13
Iudicium quid 18.19
iudicium de rebus incognitis suspēdendum 31.31
iudicii diuini vis 4.9
iudicia Dei, vide Dei iudicia
Iumentū à bestia qua re differat 1.24
Iuramentum non illicitum 14.21,& 21.24,& 31.53
iuramenti vsus legitimus 31.49
iurādi forma Ecclesiastica 14.23,& 21.23
iurandi forma A Egyptiis trita 42.15
iurandi legitima ratio 26.31
iurandum non temerè 14.23,& 24.3, & 26.31,& 42.15
Iusiurandum legitima de causa exigi posse 24.2
iusiurandum exigit Iacob à Ioseph 47.29
Iustitia quid 18.19
iustitia manuum quid 20.4
iustitia tota vita colēda 26.8,& 29.14
iusti qui dicantur 6.9

L

Laban fraus erga Iacob 29.25
laban improbitas 30.25
laban auaritia 30.35,& 31.36
Labor manuarius nō omnibus præcipitur 3.19
laboris vtilitas ibidem
Lactantius hallucinatus 6.3
Lætitia subita & inopinata quidam exanimati 45.26
Latria & Dulia fucatæ Papistarū voces 23.7
¶Lea sancta mulier 35.16
Leuitas damnatur 39.19
Leuitis vnde vrbes datæ in singulis tribubus 49.7
Lex perfecta regula 25.5
legis vita & mors 3.9
¶Liber pro catalogo 5.1
Librariorum errore numerus mutatus 46.8
Liberi non fortuitò nascuntur 30.2
liberi dono Dei procreantur, vide Fœcunditas
liberi pignora veteribus dicebantur 29.31
liberi sociandis parētum animis vincula esse debent 30.17
liberi sunt velut domus fultura 30.3
liberi, dissidii occasionem sæpe præbent 25.28
liberi arbitrii facultas 4.7
Libertas, hominum malitia periit 12.5
libertas, patientiæ nō repugnat 26.27
libertas se defendēdi permitti debet 20.10
Libertinorum insania 2.9
Libidines Deo exosæ 24.25,& 38.15
Linguarum diuisio iusta Dei vindicta accidit 11.1
linguarū diuersitas prodigiosa ibidē
linguarum diuisionis maledictio per Christum ablata 11.7
¶Loqui pro Decernere 6.7
loqui ad cor pro Comiter affari 34.3, & 50.21
Lot hospitalitas 19.1
lot fides 19.13
lot fides imperfecta 19.18
lot infirmitas 19.15
lot ebrietas 19.33
¶Lucani locus 11.31
Luct⁹ qualis post mortē Iacob 50.1.3
Luna magnitudine alios planetas nō superat 2.10
Luxuries, Dei benedictionem dilapidat 41.35

M

MAlorum causa peccatū est 3.19
malorum impunitas, peccandi illecebra 6.13
Mandragoræ 30.14
Manichæorū error de duobus principiis 3.1
manichæorum delirium de hominis anima 6.3
Manum leuare pro Iurare 14.21
manum ponere sub femore, iurandi mos 24.2,& 47.29
manuum impositione super filios Ioseph quid significauit Iacob 48.8.12
manus tua in ceruice inimicorum, phrasis Hebraica 49.8
manuum iustitia 20.4
Matrem cum filiis occidere pro Nihil reliquum facere 32.11
matres filios suos alere debent 21.7
¶Media non spernenda 43.12
Mediator vnus semper fuit Christus 19.1,& 28.12
Melchi-sedec præfertur Abræ 14.18
melchi-sedec rex & sacerdos ibi.
melchi-sedec figura Christi ibi.
Mendacium Deo abominabile 33.13
per Mercatores trāsiens pecunia 23.16
Merces pro hæreditate vel fœlicitate 15.1
merces operum 22.15
Merita hominū nulla 7.1,& 18.18.19,& 22.15,& 25.29,& 27.30,& 32.10,& 39.21
¶Minæ electis & reprobis proponuntur 6.13
minarum vsus optimus 20.7
minis omnibus inclusa est pœnitentiæ doctrina ibidem
minas suas Deus non statim exequitur 9.25
Ministri verbi officium 40.16
ministri, semen verbi proiiciunt incerti de fructu 27.21
ministris interdum tribuitur quod solius Dei est 7.3,& 16.10,& 22.16, & 27.33.37
ministros sacrorū negligi à Christianis, sacrilegum 47.22
Miracula non temerè fingenda 4.5
Miseriæ vitæ præsentis vtiles 3.19
Misericordia commendatur 18.2.22
misericordia non tangi, virtus Stoicis heroica 45.1
misericordiam facere pro Humanitatem præstare 21.23,& 40.12
מועדים pro eo quod Gallicè dicimus *Saisons* 1.14
Modestia commendatur 16.6,& 32.25
Montes Armeniæ altissimi 8.3
Mors corporalis ex peccato fluxit 3.19
mors non semper diuortiū est animæ à corpore 5.22
mors electos à reprobis discernit 15.15
mors reproborū turbulenta ibidem
mors omnibus communis 23.1
mors electis cedit in salutem 38.7
mortis causa alienatio à Deo 2.16
mortis meditatio vtilis 11.4
mortui quatenus lugendi 23.2
mortificatio nostra in immolato arie te figurata 22.13
Moses populariter loquutus 3.1,& 6. 14,& 14.1
moses in describenda sua historia nō parcit etiā suæ trib⁹ hominib⁹ 49.5
¶Mulier est viri accessio 2.18
mulier subdita viro 3.16
mulieris semen pro toto hominū genere 3.15
Multitudo non curanda 5.22,& 6.9,& 7.17,& 19.9
Mundus vno momento conditus nō fuit 1.5,& 2.1
mūdus piorū facilitate abutitur 30.25
mundus fortunam sibi fingit 39.1
mundi vnicus creator 3.1
mundi ordo vitiis nostris sæpe turbatur 8.22
mundi obstinatio inexcusabilis 41.8
mundi illecebræ cauendæ 41 50
mundi imitatio diabolica 5.22
mundi iudex Deus 15.16
Musices inuentio 4.20

N

NAturæ humanæ corruptio 19.19
naturæ affectus originali peccato vitiati 8.21
naturæ i⁹ à Papa violatū 21.20,& 24.3
naturæ ordo à Deo sancitus etiam in reprobis viget 33.4
naturæ ordini non est alliganda Dei gratia 48.17.
Nazareus Ioseph 49.26
¶Necessitas vtilis 41.14
necessitas optima magistra 41.38
Nemrod ambitiosus & truculentus 10.8.11
nemrod tyrannus Babylonicus 10.10
¶Noah fide arcam parauit 6.13
noah hæres iustitiæ quæ secundū fidem est 6.22
noah multū laborauit in extruenda arca ibidem
noah an vinitor fuerit, incertum 9.20
noah cur à filio illuditur 9.22
noah spiritu prophetico nepoti maledicit 9.24
noah spiritu adflatus filiis benedicit 9.26
noah fides 7.6
noah ebrietas 9.20
noah integra obedientia 6.22,& 7.5
Nobilitatis origo 6.4
nobilitatem generis sui frustra Iudæi iactant 34.25
Nouati error refellitur 35.22
Nomen Domini inuocare bifariam sumitur 12.7
nomine Dei nō abutēdū 30.5,& 34.13

nomen meum inuocetur eis,phrasis Hebraica 48.16
בַּיִת pro Habitare 25.18
¶Nubendi verbum vnde deductum 24.64
Nuditas antè probrosa non erat 2.25
nuditas post lapsum probrosa 9.23
Numerus septenarius multitudinem designat 4.24
numer⁹ denari⁹ pro multitudine 31.5
numerus,librariorū errore mutatus 46.8
Nutrices quæ dicebantur 24.59

O

OBedientia, virtutum omnium mater 4.2
obedientia verus Dei cultus 4.5
obedientia ex sola fide generatur 12.1
obedientia commendatur 3.11,& 4.2, & 6.22.& 12.4,& 15.9, & 17.3.23,& 20. 8, & 21.3.4.14, & 22.1, & 24.50, & 26. 5.10,& 35.2,& 46.3
obedientia nihil Deo gratius 3.11
obedientia parentibus debita 37.12
obedientia magistratibus debita 16.8
¶Oculos mortuis claudere, mos vetustus 46.4
¶Odium etiam leue,cauendum 29.31
¶On ciuitatis nomen 41.40
¶Opera ex ipso cordis fonte æstimãtur 4.4
opera ante fidem facta,peccata sunt. ibidem
opera non iustificant 15.6
operum merces 22.15
operum merita nulla 7.1
¶Oracula diuina etiam profanis hominibus communia 41.1
Orandi verus modus 24.12,& 32.9
oratio dubia esse non debet 32.9
orationis fructus 32.13
orationes vitiosæ,nisi in verbo fundatæ 19.18
orationes arma fidelium 39.20
orationes fidelium à Deo exaudiuntur 18.27,& 24.15,& 25.21
orationes fidelium aliis quoque vtiles 19.29,& 20.7
Ordo politicus Deo gratus 16.8
Orientales populi multis ceremoniis dediti 33.3
orientales populi tenui & arido victu contenti 43.1
Origenes audacius ludit allegoriis 6.14
Ornamenta mulierum vitiosa 24.22
vsque ad Os paruuli alere familiam aliquam 27.12
Osculi vsus vetustissimus 27.26
osculi abusus 29.4
Ossa sua in terram Chanaan transferri quare iubeat Ioseph 50.25
¶Otium ignauum damnatur 12.15
otium fugiendum 42.6

P

PAnis in cœna,corpus Christi vocatur 3.23
Papa seruus seruorũ,vt Chanaan 9.25
papa sacrum ius naturæ labefactare ausus est 21.20,& 24.3,& 34.4
papa frustra de successione gloriatur 21.10
papatus religio qualis 17.4
papistæ,patres sequendos esse clamitant 6.9,& 29.30
papistæ arcam nobis sine Dei verbo fabricant 7.17
papistæ inane verbum iactant 9.11
papistæ omnes suas spurcitias pallio Sem & Iapheth tegere volunt 9.23
papistæ frustra se Deum colere affirmant 12.7
papistæ in quo putant Melchi-sedec typum fuisse Christi 14.18
papistæ sacramenta aboleuerunt 17.9
papistæ sacramẽta septem confinxerunt 21.4
papistæ de multitudine gloriãtur 19.9
papistæ præparationes suas frustra iactant 25.27
papistæ veræ reformationi subiici nolunt 28.6
papistarum calumnia aduersus doctrinam fidei 6.18
papistarum inane verbum 9.11
papistarum nugæ de orationibus pro defunctis 20.7
papistarũ machina de operibus meritoriis 22.15
papistarum figmẽtum de cõsecrantis intentione 27.21
papistarũ cõfessio ad quidvtilis 27.41
papistarum reformatio putida 28.6
papistarum cõmentum de suis templis 28.17
papistarũ tẽpla,mera lupanaria. ibi.
papistarum vota abominabilia 28.20
papistarum cælibatus impurus ibi.
papistarum friuolũ effugium in suis picturis & statuis 31.30
papistarum bruta modestia 35.7
Paradisus quid 2.8
Parẽtes liberos probè instituere debent 18.19,& 28.18,& 34.1
parẽtũ potestas in liberos in cõtrahẽ do coniugio 21.20,& 24.3.57,& 34.4
parentum studia plerũque in liberorum amore scinduntur 25.28
parentum indulgẽtia in filios vitiosa 34.18
parentum contemptus Deo abominabilis 9.24
parentibus honor debitus 9.22,& 24. 3,& 37.12
parentibus obediendum 9.24,& 37.12
parentes honore maximo Deus dignatur 30.9
Parere super genu,pro Fœtum alteri educare 30.3
Pasci se à Deo agnoscere, paterni amoris sensus est 48.15
Pastor lapis 49.22
pastores,vide Ministri
pastoribus vigilandum 35.2
¶Patientia cum libertate nõ pugnat 26.27
patientia fidelibus necessaria 4.10,& 16.8,& 20.1,& 25.21, & 26.18, & 27.42, & 30.9,& 31.1. 13.23.42,& 32.26,& 33.5, & 37.8,& 40.1.23,& 42.29,& 43.1
patientia Iacob 42.38
Patres debent liberis nomina imponere 16.1
patres in externa benedictione non hæserunt 27.27
patres Dei promissionibus in cælum euecti 17.20
patres absque verbo sequi, periculosum 6.9,& 24.22,& 26.25,& 28.19,& 29.30,& 42.7,& 46.3
Paupertas suis commodis non caret 26.14
Pax cum omnibus habenda 16.12
pax quomodo cũ improbis fouenda 32.5
pax tantum ex ore Domini 26.24
pax nulla hominibus,nisi in Dei prodentia acquiescant 4.13
pax mutua colenda 13.9,& 45.24
¶Peccãdi illecebra ex malorum impunitate 6.13
peccandi nullus modus, excusso Dei timore 20.11,& 30.3,& 34.25,& 39.14
peccatum originale 3.6
peccatum originale in toto homine grassatur 3.6.10
peccatũ vni⁹ in multis punitur 34.25
peccati cognitio necessaria 42.21
peccati cognitio qualis nobis ingenita 3.7
peccati confessio fieri debet 38.26
peccatis confessio pura esse debet 18. 15,& 27.41
peccati author Deus non est 8.21
peccatis alienis quomodo irascendũ 34.7
in Pecunia regia tractanda fidelis Ioseph 47.14
Peregrini & inquilini Christiani 47.8
Pedum lotio olim trita 18.3
pedum lotio, vetustum humanitatis officium 43.25
pedem colligere quid dicantur morituri 49.33
Perfidia filiorum Iacob 34.13
Perplexis quid agendum 43.12
¶Philautia periculosa 30.1
philautia excæcat 29.14,& 31.43,& 34.21
Philisthinorum crudelitas 26.14
Philosophorum nugæ de Iride 9.13
¶Pietatis externa confessio requiritur 33.17
Pigritia cauenda 19.15,& 31.1
pigritiæ pœna 31.1,vide Tarditas
¶Platonis locus 1.16,& 15.15,& 25.8
Pluuia in manu Dei 1.6,& 2.5,& 19.24
¶Pœnã quomodo retineat Deus,remissa culpa 49.5
pœnas castigatorias optimè conuenire cum gratuita peccatorum remissione 49.5
Pœnitentia vera peccati veniam impetrat 27.34
pœnitentia sæpe ex metu pœnæ oritur 34.30
pœnitentia in Deum cadere minimè potest 6.6,& 20.7
pœnitentia sera 42.22
pœnitentia reproborum qualis 4.13, & 27.34
pœnitentia Esau furiosæ iracundiæ testis 27.41
pœnitentia Iudæ sera 38.26
pœnitẽtiæ initium dolor est ex peccato conceptus 27.36
pœnitentiæ veræ signum 20.14
pœnitentiæ externa professio 35.2
pœnitentiæ symbolum fuit circuncisio 17.11
Polygamia,legitimi coniugii corruptela 2.24

polygamia originem cepit à Lamech 4.19
Polygamia diuortiũ tolerabili⁹ 29.27
Polygamia damnatur 2.24,& 4.19,& 16.1.2,& 22.19,& 25.1,& 26.34,& 29.27,& 30.1,& 31.50,& 36.1
polygamiæ pœna 30.15
Portas hostium possidere, pro Potiri imperio 24.59
Possessionem æternã quomodo promiserit Deus 48.3
Potentia Dei cum eius verbo coniuncta 18.13
¶Prædicatio verbi sufficere debet ad fidem 50.24, vide Dei potentia
Præsumptio sancta 32.9
Primogenituræ excellentia 25.30,& 33.5,& 35.28
Promissiones Dei semper proponamus nobis ob oculos 48.3
Propheta Iacob de futuro Ecclesiæ statu prophetat 48.1
prophetia Iacob mira de futuro filiorum statu 49.1
Prosperitas omnis à Deo est 26.27
prosperitate inebriatur homines 41.35,& 42.9
Prouidentiam Dei vsque ad coniugia extendi 24.1
¶Puellæ olim velabantur 24.64
Pulchritudo donum Dei 12.11,& 20.2
Putiphar præfectus militum 37.38
putiphar nimis vxorius 39.9

Q

Quæstiones curiosæ vitãdæ, vide Curiositas, & Sobrietas animi
Quærendi Dei optima ratio 48.15

R

Rachel non excusatur furata patris idola 31.19
rachel multiplici reprehensione digna 31.32
rachelis sepulturam quare commemoret Iacob filio suo Ioseph 48.7
רק pro eo omni quod supra nos patet 1.6
¶Rebecca peccauit, Iacob pro Esau substituens 27.5
rebeccæ peccatum multiplex 27.13
Reges pro Principibus 14.1
Religio non temerè mutanda 34.24
religio secum fert sepeliendi curam 23.3
religio Papatus qualis 17.4
religionis instauratio hoc tempore 4.25
religionis veræ notitia etiã reproborum mentibus insculpta 43.23
religionis reformationem Papistæ recipere nolunt 28.6
Reprobus sensus est, Diuini iudicii metum calcare 37.23
Remissio gratuita & castigatoriæ pœnæ conueniunt 48.5
Reprobi non prorsus carent diuinæ bonitatis notitia 43.23
reprobi habent humanitatis aliquid residuum 37.25
reprobi inexcusabiles 19.10
reprobi pertinaces 39.14
reprobi propria cõscientia damnati 25.29
reprobi nunquã verè resipiscunt 27.34,& 28.6
reprobi aut in suis malis stupent, aut in rabiem prosiliunt 31.3
reprobi insanabiles 37.25
reprobi quomodo Deũ timent 31.42
reprobi doloris sensu priuantur 19.37
reprobi subitò excellũt, vt statim cõcidant 36.1.31,& 37.28
reprobi interdũ electis prosunt 36.6
reprobi omnes iræ Dei subiecti 9.25
reprobi exitio deuoti 15.16
reprobi à filiis Dei morte discernuntur 15.15
reproborum contumacia 19.10.13,& 39.14
reproborum pœnitentia qualis 4.13,& 27.34,& 28.6
reproborum timor 28.17,& 31.42
reproborum mors turbulenta 15.15
reprobos etiam manet residuus deitatis sensus 41.38
Rex Pharao sacerdotes alit gratis 47.22
regis beneficio & permissu non abutitur Ioseph 47.6
in Regia pecunia tractanda quàm fidelis Ioseph 47.14
regis creatio in Lege quare partim hominum libidini, partim cælesti decreto tribuatur 49.8
¶Ridendi verbum in vtranque partem capitur 21.9
Risus Ismaelis maligna subsannatio ibidem
Rixis obuiam eundum 45.24
¶Ruben primogenitura quare deiectus 49.3

S

Sabbathum quomodo Christi ad uentu abolitum 1.3
sabbathi veritas in Christo ibidem
שכר non semper in malã partem capitur 43.33
Sacerdotibus benedicẽdi munus iniunctum 14.19,& 32.16
sacerdotes aluit gratis Pharao Diuini cultus studiosus 47.22
sacerdotium Leuiticum Christi sacerdotio subiectum 14.20
Sacramenta sunt Diuinæ gratiæ testimonia 15.18
sacramenta à verbo auulsa nulla sunt 9.11,& 17.9,& 31.47
sacramẽta duo tantũ in Ecclesia 21.4
sacramenta fidem adiuuant 9.11
sacramenta à Papistis abolita 17.9,& 28.13,& 46.2
sacramentorum vsus 9.11,& 17.9
sacramentorum numerus 21.4
sacramentorum corruptio 17.9,& 28.13,& 46.2
Sacrificandi mos à Deo traditus 4.2
sacrificia ad quid instituta 4.2,& 8.17,& 33.20
Salem nomen proprium 33.17
salem duarum vrbium nomen ibi.
salem pro Ierosolyma 14.18
Salus hominum curatur à Deo 17.14
salutis nostræ initium à sola Dei gratia 18.19
שלום non modò pacem, sed & prosperum statum significat 43.23
Sanguinis esus ad tempus prohibitus 9.4
Sancti non semper à Spiritu sancto reguntur 27.5
sancti patres humanis affectibus non exuti 46.28
sanctorum fides imperfecta 33.1
sanctorum opera imperfecta 19.8
sanctorum exempla quatenus imitanda, vide Exempla sanctorum
Sapientiæ gradus primus, nil sibi arrogare 41.15
Sarai sterilis 11.28
sarai non excusatur à peccato 16.1
sarai Dei nomine abusa est 16.5
sara cur sic à Deo vocata 17.15
sara Abrahæ soror in secundo gradu 20.12
sara lactat filium suum 21.7
saræ risus in quo vitiosus 18.12
saræ peccatum 18.13
saræ incredulitas 18.12
saræ pudicitia diuinitus seruata 20.4
saræ fœtus vitalis prómittitur 18.10
Satan serpente abusus ad fallendum hominem 3.1
satan non est peruersus à Deo conditus ibidem
satã rabie inductus homini exitium comparauit ibidem
satan quomodo tentet 32.10.24
satan neminem aperto marte aggreditur 3.4
satan Dei simia 26.24
satan Dei carnifex 19.13
satanæ defectio 3.1
satanæ cauendæ insidiæ 16.2
satanæ vafrities 3.1,& 15.2,& 16.2,& 19.35,& 22.11,& 32.10,& 35.22,& 39.6
satanæ spes veniæ nulla relicta 3.14
Satietas fastidium parit 41.46
satietas ferocitatem generat 26.16
satietas ignauiæ mater 41.46
Satisfactionibus non redimi pœnas meritas 48.5
¶Scala Iacob Christus 28.12
Scandala captant impii, vt peccandi licentiam obtendant 9.22
Sceleris & delicti discrimen 20.4
Sceptrum de Iuda non auferendum, donec &c. 48.10
Scientia in malam partem 2.9
Scortatio diuinitus damnata 34.25
scortatio Deo exosa 38.15
scortatio communi hominum sensu damnata 38.20
Scripturæ simplicitas 3.1. vide Verbũ Dei
¶Seculum pro vetustate 6.4
seculum pro longo tempore 13.14
seculũ vetus, Ecclesiæ pueritia 32.31
Securitas carnis metuenda 35.2
securitas impiorum, vide Impiorum securitas
sedulitas commendatur 24.33
Semen mulieris pro toto hominum genere 3.15
Senectutis bonitas in quo sita 25.8
Sensus reprobus est, Diuini iudicii metum calcare 37.23
Sepeliẽdi mos veterib⁹ diuersus 23.3
sepeliendi curã secũ fert religio. ibi.
sepeliri in terra Chanaan quare mandauit Ioseph filiis 49.29
sepulturæ cura, resurrectionis testis 35.17

ſepultura vænalis Papiſtis 23.16
ſepulchri cur tanta ſolicitudo ipſi Iacob 47.29 & filio eius Ioſeph 50.25
In Sepulturis plus ſumptus & pomparum apud AEgyptios, quàm apud Iudæos 50.2
Serpens os fuit diaboli 3.1
ſerpentis ſolertia ibidem
ſerpentis hoſtile diſſidium cum homine 3.15
ſerpente abuſus eſt Satan ad fallendũ hominem 3.1
Serueti blaſphemia 3.1
Seruitus Deo grata 16.8
ſeruitutis mentio prima 12.5
ſeruitutis initiũ vitio non caruit 14.1
ſeruitutis vſus illicitus non eſt 12.5
ſeruus ſeruorum eſt Papa, quemadmodum Chanaan 9.25
¶Sichar, quæ Sichima 48.22
Sichẽ non procul abeſt à monte Garizim 12.6
ſichimitæ mala conſcientia religionem mutant 34.24
Siclus valebat quatuor drachmas Atticas 23.11
Signa àverbo diuulſa, ſuperuacua ſũt 9.11,& 15.17,& 17.9,& 46.2
ſignorum analogia cum rebus quærenda 15.17,& 17.11
ſignis interdum tribuitur quod figuratis rebus propriè conuenit 28.22
Silo quid 49.10
Simeonis & Leui impietas 34.24
ſimeonis & Leui crudelitas 34.25
ſimeonis & Leui barbaries & contumacia 34.30
ſimeonitis ſorte non cõtigit propria regio 49.7
Simulatio magnopere fugienda 37.35,& 44.1.5
ſimulatio filiorum Iacob 37.35
ſimulatio Ioſeph 42.9
¶Sobrietas ſeruanda 9.20,& 21.8
ſobrietas animi commendatur 3.5,& 9.25,& 15.10.16,& 18.6,& 19.10,& 28.13,& 33.20
Societas non prodeſt, niſi Deus præſit 42.27 vide Multitudo
ſocietas impiorum periculoſa 14.12
Socordia excutienda 18.19,& 19.13.37,& 31.13.26,& 37.25,& 41.8,& 42.21
Sodoma nõ caſu periit, ſed diuinitus afflicta fuit 18.18
ſodoma miraculo deleta 19.24
ſodomitæ ſuperbi 13.13
ſodomitæ inexcuſabiles 14.13
ſodomitæ ingrati 14.21
ſodomitæ non vno tantum vitio laborabant 19.4.10
ſodomitarum peccatum 18.27
ſodomitarum immanitas 19.6
ſodomitarum ſuperbia 13.13,& 19.9
ſodomitarum ſemen maledictũ 19.24
Somniis olim Deus apparebat 15.12,& 17.5
ſomnia quædam vim habent vaticinii 40.5
¶Splendor in regibus & princip. non omnino damnandus 41.40
Spes fidelibus neceſſaria 15.14, vide Patientia.
¶Sterilitas olim probro habebatur 30.22
ſterilitas terræ, diuinæ iræ index 3.18
Stoicorum virtus Heroica, non tangi miſericordia 4.1
¶Subiectio non temerè excutienda 14.1
ſubiectorum & famulorum habenda ratio 17.12
Succoth duarum vrbium nomẽ 33.17
Superbia, malorũ omnium initiũ 3.6
ſuperbia difficulter corrigitur 11.4
ſuperbia humanis mẽtibus ingenita 30.8
ſuperbia incredulitatis comes 31.29
ſuperbia abiicienda 37.10
ſuperbia Sodomitarum 19.9
ſuperbia AEgyptiorum 43.32
ſuperbiæ pœna 11.14
ſuperbi cum Deo belligerantur 11.1.7
ſuperborum natura 10.8
Superſtitio hominibus ingenita 31.19
ſuperſtitio mentes hominum demẽtat 31.32
ſuperſtitio miſcet ſacra prophanis 31.53
ſuperſtitio pertinax & rebellis 35.4
ſuperſtitio ſuperbiæ plena 43.32
ſuperſtitio AEgyptiorum 46.31
Surgendi verbo deliberatio notatur 37.35
ſurgere pro Vigorem ſumere 46.5

T

תם pro Manſueto 25.27
תמים fucato opponitur 6.9
Tarditas nobis ingenita 19.15
tarditas dãnatur 19.26,& 31.1,& 32.14
¶Temeritas cauenda 19.18.30,& 31.31
Temperantia in cibo & potu colẽda 18.27,& 19.33,& 21.8
temperantia in ſancto coniugio 6.2
Templa Papiſtarnm lupanaria 28.17
Tenaces filii Laban 31.1
תרפים ferè in malã partẽ capitur 31.19
Terra cur ob Adæ peccatum maledicta 3.17
terræ ſterilitas, diuinæ iræ index 3.18
terra Chanaan cæleſtis hæreditatis typus 17.7,& 27.27,& 46.3
terram patrum ſuorum quare Iacob vocet terram Chanaan 48.21
¶Timiditas ſancta ex fide 8.15
timor fidem non euertit 18.19,& 28.17,& 32.6
timor Dei in nobis etiam ob naturæ corruptionem in vitium degenerat 18.15
timore Dei excuſſo nullus peccandi finis 20.11,& 30.3,& 34.25,& 39.14
timor reproborum 28.17,& 31.42
תולדות pro Generationibus 6.9
& pro Rebus geſtis 37.2
Tolerãtia Dei 11.5, vide Dei tolerãtia
Tollere caput quid 40.12
¶Tranſſubſtantiatio inane figmentũ 14.18
Tribuum Iſrael duodecim qualis futura eſſet conditio & ſitus, longo antè tempore prædicit Iacob, etiã ante ſortes miſſas 49.1
Trinitas perſonarũ in Deo 1.26,& 11.7
Triſtitia nõ obruendi qui verè & ſeriò humiliantur 45.3

V

VEnti reguntur à Deo 8.1
Verbum Domini aliquando incredibile videtur 7.3
verbum Domini externis figuris potius 9.15
verbum Domini cum ſymbolis coniunctum 15.18,& 17.9
verbum Domini cum eius potentia coniungi debet 18.13
verbum Domini perfectam ſapientiam complectitur 25.22
verbum Domini non adulterandum 40.16
verbum Domini vitæ noſtræ regula certiſſima 21.4,& 22.2,& 24.22,& 27.13,& 28.19,& 29.30,& 42.7
verbum Domini quid Papiſtis 9.11,& 17.9
verbi Dei illuſio deteſtabilis 21.9
verbo Dei omnia creata 1.3
verbo Dei creaturæ ſanctificãtur 9.3
verbi auditus ſufficere nobis debet ad ſalutem 50.24
Veri notitia in hominum animis inſculpta 31.43
Veſtitus cultus niniis, dãnatur 3.21
¶Via Domini quæ dicitur 18.19
Vigilandum aſſiduè 19.35
vigilandum paſtoribus 35.2
Vindicta nõ appetenda 15.14,& 26.27
vindictam miniſtri verbi denuntiare debent 40.16
Vini vſus quando cœperit 9.20
Vir quando patrẽ relinquere debeat, vt adhæreat vxori 2.24
viri nomen Deo attributum 32.24
viri nomen Angelis interdum tribuitur, vide Angeli
Viſionibus olim ſe Deus manifeſtabat 15.1
viſiones patribus erant diuinæ præſentiæ ſymbola 26.24
viuere coram Domino quid 17.18
Vita præſens ſtadio ſimilis 15.2
vitæ longitudo, Dei donum 38.7
vitæ futuræ conſolatio optimum doloris temperamentum 37.35
Vitifera tribus Iuda 49.11
¶Vocatio Gentium, vide Gentes
vocationis metas tranſilire non licet 34.7,& 40.6
vocationis ſuæ iuſtæ neminem pudere debet 47.3
Voluntas Dei cur nobis manifeſtatur 18.19
Vouere, malum non eſt 28.20
vota Papiſtarum abominabilia ibi.
¶Vrbium origo prima à Cain 4.17
¶Vt, conſequentiã ſæpius notat quã cauſam 18.19
¶Vxor Lot quomodo in ſalis ſtatuã verſa 19.26
vxoris Lot delictum non leue ibi.
vxorem filio ſuo eligit Abraham, & quare 24.1
vxoribus non ſemper credendũ 39.19
vxorius nimis Putiphar ibidem

Z

Zelus præpoſterus 27.13

ARGVMENTVM.

QVum immensa Dei sapientia in hoc admirabili cæli & terræ opificio reluceat, multum abest quin possit conditi mundi historia pro dignitate sua rite explicari. nam & exiguus nimis est ingenii nostri modulus, vt tantam capiat rerũ amplitudinem: tantum abest vt lingua ad plenam solidámque earum enarrationem sufficiat. Verùm sicuti laudem meretur, qui modestè & reuerẽter in operũ Dei considerationè se exercet, etiam si minus assequitur, quàm esset optandũ: ita si in hoc exercitii genere alios pro facultate mihi datæ iuuare studeam, officium meũ non minus piis hominibus probatum iri, quàm Deo acceptum fore confido. Hoc non tantùm excusandi mei causa præfari libuit: sed vt moniti etiam sint lectores, si probè mecũ in meditandis Dei operibus proficere velint, sobrium, docilem, mansuetum, & humilem spiritum afferendum esse. Oculis quidem mundũ cernimus, pedibus calcamus terrã, manibus palpamus innumeras operum Dei species, odorẽ ex herbis & floribus suauẽ iucundúmque haurimus, fruimur ingentibus bonis: sed in his ipsis quorũ notitiã apprehẽdimus, inest ea diuinæ potentiæ, bonitatis, sapiẽtiæ infinitas, quæ sensus omnes nostros absorbeat. Itaque hominibus sufficiat, si mediocrẽ pro suo captu gustũ habeant. Atque ad hũc scopũ ita nos eniti tota vita conuenit, vt nos (etiam in vltima senectute) profectus minimè pœniteat, modò aliquantum simus à carceribus progressi. Hoc consilio Moses librum suum exorsus est à mundi creatione, vt in eius aspectu Deum quasi visibilem nobis proponat. Sed hìc insurgũt proterui homines, ac ludendo quærunt, vndenam hoc reuelatum fuerit Mosi. fabulari ergo de rebus ignotis putãt, quia nec spectator fuerit eorũ quæ narrat, neque ex lectione didicerit ita esse. Sic illi: facilè tamen refellitur eorum improbitas. Nam si fidem ideo eleuant huic historiæ, quoniam ex longa ætatum serie repetatur: vaticinia etiam refutẽt, quibus idem prædixit, quæ totidem postea seculis acciderunt. Clara sunt, inquam, & diserta, quæ de Gentiũ vocatione testatur Moses: complementum duobus ferè post eius mortem annorum millibus extitit. Qui tem longe pòst futuram, & tunc ab hominum sensu absconditam Spiritu præuidit, annon potuit vtrum mundus à Deo creatus esset, intelligere, præsertim cælesti magisterio edoctus? Neque enim suas diuinationes hìc profert: sed organum est Spiritus sancti ad ea publicanda, quæ ab omnibus cognosci operæpretium fuit. Quòd illis absurdũ videtur, tunc demum ab eo descriptũ expositúmque fuisse creationis ordinem, qui antè incognitus fuisset: in eo nimium errant. Neque enim memoriæ proditum res prius inauditas: sed quæ longa annorum successione filiis patres quasi per manus tradiderant, primus scriptis consignauit. Putamúsne sic positum in terra fuisse hominem, vt suam rerumque omnium quibus fruebatur originem nesciret? Imò de omnibus probè edoctum fuisse Adam, nemo sanus dubitabit. An verò ille postea mutus? An sancti Patriarchæ tam ingrati, vt silentio tã necessariam doctrinã supprimerent? An Noe tã memorabili Dei iudicio admonitus, eandem ad posteros transmittere neglexit? Hoc elogio nominatim Abrahã ornatur, quòd familiæ suæ doctor sit ac magister. Et scimus, quũ abesset procul Moses, fœderis tamen à Deo cum patribus initi notitiam toti populo tritã fuisse. Neque enim quasi nouum aliquid prodit, natos esse ex sancto genere Israelitas, quod Deus sibi coptasset: sed tantum cõmemorat quod omnes tenebãt, quod senes ipsi à proauis acceperant, quod denique omni controuersia inter eos carebat. Itaque neque dubium nobis esse debet, quin mundi creatio, vt hic describitur, ex veteri ac perpetua patrum traditione iam nota esset. Verùm quia nihil magis procliue est, quàm corrũpi ab hominibus Dei veritatem, vt longo temporis successu quasi à seipsa degeneret: quo pura historia retineretur, eam Dominus scriptis commendari voluit. Ergo Moses eius doctrinæ quam scriptis complexus est, fidem (quæ hominum leuitate fluxa esse poterat) stabiliuit. Nunc ad Mosis consilium redeo: vel Spiritus sancti potius, qui per os eius loquutus est. Deũ, qui inuisibilis est, nonnisi ex suis operibus cognoscimus. Ideo eleganter Apostolus secula vocat τὰ μὴ ἐκ φαινομένων βλεπόμενα: acsi dicas spectacula rerum non apparẽtium. Hæc ratio est cur Dominus, vt nos ad sui notitiã inuitet, proponat nobis ante oculos cæli terræque fabricam, & in ea se quodammodo conspicuum reddat. Nam æterna quoque eius diuinitas & potentia (vt inquit Paulus) illic relucent. Et illud Dauidis est perissimum, cælos vtcunque lingua carẽat, disertos tamen esse gloriæ Dei præcones: pulcherrimum hunc naturæ ordinem silendo clamare, quàm admirabilis sit eius sapientia. Hoc eo diligentius notandum est, quòd tam pauci rectã cognoscendi Dei viam tenent: plurimi autem in creaturis hærentes, opificem ipsum non curant. Nam duobus his extremis vitiis ferè laborant homines, quòd alii præterito Deo, totam ingenii sui vim ad naturæ considerationem applicant: alii autem, neglectis Dei operibus, stulta adeóque insana curiositate ad inquirendam eius essentiam inuolãt. Perperam vtrique. Occupari inuestigandis naturæ arcanis, vt nunquam ad authorem conuertas oculos, peruersum est studium: frui verò tota natura, nec beneficii authorem agnoscere, nimis fœda ingratitudo. Ergo qui sine religione philosophantur, imò hoc agũt speculando, vt Deum & pietatis sensum procul à se remoueant, aliquando sentient quid valeat illud Pauli, quod refert Lucas, Deũ nunquã se reliquisse ἀμάρτυρον. Neque enim illis impune cedet, quòd ad testimonia tam illustria surdi & hebetes fuerint. Et sanè Deũ nusquã videre, qui vbique dat præsentiæ suæ signa, malignæ ignorantiæ est. Quòd si nunc illusores cauillis effugiunt: aliquãdo testabitur horribile eorum exitiũ, non alia de causa ipsos Deum nescire, nisi quia sponte & malitiosè cæcutiant. Quantum ad eos qui superbè mundum transuolantes, Deum in nuda sua essentia quærunt, fieri non potest quin absurdis tandem multis commentis se intricent. Deus enim alioqui inuisibilis (vt iam dictum est) mundi imaginem quodammodo induit, in qua se nobis conspiciendum præbeat. Tam magnificè ornatum incomparabili cæli & terræ figura qui intueri non dignantur, postea suis deliriis iustas sui fastidii pœnas luunt. Proinde simul ac nomẽ Dei auribus nostris insonat, vel eius cogitatio subit, nos quoque pulcherrimo hoc ornatu ipsum vestiamus: denique mundus sit nobis schola, si probè Deũ cognoscere optamus. Hinc etiam refellitur eorum improbitas, qui Mosi oblatrant, quòd tam breue temporis spatiũ fluxisse narret à mundi creatione. Quærunt enim, quid Deo repente in mentem venerit vt mundum crearet: cur tandiu in cælo otiosus iacuerit: atque ita in perniciem suam ludendo, acumen suũ exercẽt. Refertur in Historia tripertita quoddã pii viri responsum, quod mihi semper placuit. Nam quum impurus quispiam canis Deum eiusmodi ludibrio exagitaret: excepit ille, Tunc minime fuisse otiosum, quia infernum fabricasset curiosis. Quibus enim rationibus eorum proteruiam compescas, quibus sobrietas ex professo contemptibilis est & odiosa? Et certè qui in vexando Dei otio ita licenter nũc exultant, vim eius in paranda gehẽna æternam fuisse magno suo malo sentient. Quantum ad nos spectat, non debet tantopere absurdũ videri, quòd Deus seipso contentus, mundum, quo non indigebat, non antè creauerit, quàm ita visum est. Porrò quũ eius voluntas regula sit omnis sapientiæ, ea vna nos contentos esse decet. Rectè enim Augustinus, iniuriã Deo à Manichæis fieri dicit, quòd superiorem eius voluntate causam flagitent. Prudenter idem admonet, non magis de infinitis temporum, quàm locorum spatiis esse inquirendum. Nos certè non ignoramus finitum esse cæli circuitum, & terram instar globuli in medio locatam esse. Qui non citius creatum fuisse mundum indignè ferunt, expostulẽt etiam cum Deo, quòd non innumerabiles mundos fecerit. Imò quia hoc absurdum ducũt, multa secula præteriisse absque mundo, agnoscant hoc magnum esse naturæ suæ vitium, quòd præ immensa vastitate quæ vacua manet, exiguũ spatium cælum & terra occupant. Nobis verò quia & temporum æternitas, & gloriæ Dei infinitas, duplex esset labyrin-

Gene. 18. c. 19

Rom. 1. c. 20
Psal. 19. a. 1

Act. 14. c. 17

Heb. 11. a. 3

De Genesi contra Manich. Lib. 1. de Ciuit. Dei.

thus,hæc modestia placeat,ne longius progredi appetamus, quàm Dominus operum suorũ ductu ac directione nos inuitat. Quòd autem mundum quasi speculum constituo,in quo Deũ intueri oporteat, non ita volo accipi quasi vel nobis satis prospicaces sint oculi ad cernendum quod cæli ac terræ fabrica repræsentat : vel cognitio, qualis inde haberi potest, sufficiat in salutem. Imò quia nullo profectu nos Dominus per creaturas ad se inuitat, nisi quòd inde inexcusabiles reddimur:nouum remedium(vt opus erat)addidit,vel saltem alio subsidio adiuuit ingenii nostri ruditatem. nam Scriptura duce & magistra, quæ alioqui nos fugerent non modò demonstrat, sed propemodum aspicere cogit:non secus ac hebetes oculi specillis adiuuantur. Atque in hoc,vt iam dictum est,Moses incũbit. Nam si mutum cæli & terræ magisterium sufficeret,superuacua esset Mosis doctrina. Accedit igitur hic præco,qui attentionem nostram excitat,vt sciamus nos ad cõspiciendam Dei gloriam in hoc theatro esse collocatos: neque vt testes modò, sed etiam vt diuitiis omnibus quæ hic sunt expositæ,fruamur:sicuti eas Dominus vsui nostro destinauit ac subiecit. Nec tantum in genere Deum mundi esse architectum pronuntiat:sed toto historiæ contextu ostendit quàm admirabilis sit eius tum potentia,tum sapientia,tũ bonitas,ac præsertim summa erga humanũ genus solicitudo. Præterea cum æternus Dei sermo,viua & expressa sit illius effigies,huc nos reuocat. Ita efficitur quod docet Apostolus,non aliter quàm fide intelligi aptata fuisse verbo Dei secula. Propriè enim ex eo nascitur fides, quòd edocti Mosis ministerio,non iam vagamur in speculationibus stultis & euanidis : sed verum & vnicum Deum in genuina sua imagine contemplamur. Obiici tamen potest, his minimè videri consentaneum quod Paulus tradit, Postquã in sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum, visum Deo esse per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Nam ita innuit,frustra Deum quæri rerum visibilium ductu:nec verò aliud restare,nisi vt rectà nos ad Christum conferamus. Non igitur ab elementis mundi huius, sed ab Euangelio faciendum est exordium,quod vnũ Christum nobis proponit cum sua cruce, & in eo nos detinet. Respondeo, frustra quidem in mundi opificio philosophari, nisi qui Euangelii prædicatione iam humiliati,totam mentis suæ perspicaciam crucis stultitiæ(vt Paulus nominat)subiicere didicerint. sursum,inquã, & deorsum nihil reperiemus,quod nos ad Deum vsque attollat,donec in sua schola nos Christus erudierit. Id porrò fieri non potest , nisi ex profundis inferis emersi,crucis eius vehiculo supra cælos omnes tollamur:vt illic fide comprehendamus,quæ oculus nunquam vidit,auris nunquam audiuit, & quæ lõge corda mentésque nostras superant. Neque enim illic terra nobis obiicitur,quæ fruges velut in diurnum alimentum suppeditet , sed Christus ipse in vitam æternam se nobis offert : nec cælum solis ac stellarum fulgore oculos corporales illustrat, sed idem Christus lux mundi & sol iustitiæ in animis nostris refulget : nec aer inane spatium nobis ad spirandum porrigit,sed ipse Dei Spiritus nos vegetat,& viuificat. Denique illic inuisibile Christi regnum omnia occupat,& spiritualis eius gratia per omnia diffusa est. Verùm hoc non obstat quominus sensus nostros ad cæli terræque considerationem applicantes,inde etiam petamus quæ nos in vera Dei notitia confirment. Christus enim imago est, in qua non modò pectus suum nobis Deus conspicuum reddit, sed manus quoque & pedes. Pectus appello arcanũ illum amorem,quo nos in Christo complexus est. Per manus autem & pedes,quæ oculis nostris exposita sunt opera, intelligo. A Christo simul atque discessimus,nihil est tam crassum vel minutum, in quo non hallucinari necesse sit.

Heb.11.a.3

1.Cor.1.c.21.

1.Cor.1.c.22

1.Cor.2.b.9

Et sanè Moses,quanuis in hoc libro initium faciat à mundi creatione,non tamen in ea nos sistit. Nam hæc simul coniungi debent,conditum fuisse mundum à Deo,& hominem,postquam luce intelligentiæ donatus erat,& tot priuilegiis ornatus, cecidisse sua culpa,atque ita bonis omnibus quæ obtinuerat, priuatum fuisse : deinde misericordia Dei in vitam,quam perdiderat,restitutum, idque Christi beneficio:vt semper esset aliquis cœtus in terra, qui in spẽ cælestis vitæ adoptatus,hac fiducia Deum coleret. Atque huc quoque spectat totius historiæ contextus, fic à Deo seruatum fuisse humanum genus,vt peculiarem Ecclesiæ suæ curam egerit. Hoc enim est libri argumentum:postquam conditus fuit mundus,hominem veluti in theatro fuisse collocatum, qui sursum & deorsum mirifica Dei opera conspiciens,authorem reuerẽter adoraret. Secũdò omnia in vsum hominis esse destinata, quo magis illi obstrictus,totũ se in eius obsequium addiceret ac dicaret. Tertiò intelligentia & ratione fuisse præditum,vt à brutis animalibus discretus,potiorem vitam meditaretur:imò vt ad Deum rectâ tẽderet,cuius insculptam imaginem gerebat. Postea sequitur lapsus Adæ,quo se à Deo alienauit:vnde factum est vt omni rectitudine priuatus fuerit. Ita Moses hominem omnis boni vacuum,mente cæcum,corde peruersum, omni parte vitiatum, sub mortis æternæ reatu constituit. Sed mox addit instaurationis historiam:vbi Christus cum redemptionis beneficio affulget. Hinc continua serie cum singularem Dei prouidentiam in regenda tuendáque Ecclesia prosequitur,tum verum Dei cultum nobis commendat: vbi sita sit hominum salus, præscribit:& Patrum exemplis ad infractam crucis tolerantiam nos hortatur. Quisquis ergo in hoc libro rite proficere cupit, mentem suam ad hæc capita referat. Præsertim verò obseruet , postquam exitiali suo casu se & omnes posteros Adam perdidit,hoc salutis nostræ fundamentum,hãc esse Ecclesiæ originẽ, quòd ex profundis tenebris eruti , mera Dei gratia nouam vitam obtinuimus: Patres huius vitæ (sicuti per verbum illis à Deo offerebatur)fide factos esse compotes : verbũ porrò hoc in Christo fuisse fundatum : iam verò eadẽ salutis promissione,qua initio erectus fuit Adam,pios omnes,qui postea vixerunt, fuisse sustentatos. Itaque perpetuã Ecclesiæ successionem ex hoc fonte fluxisse, quòd sancti Patres alii post alios fide amplexi oblatã sibi promissionem, in Dei familiam fuerunt aggregati,vt cõmunem in Christo vitam haberent. Hoc diligẽter notandum, vt sciamus quænam sit veræ Ecclesiæ societas,& quæ fidei communio inter Dei filios. Quum Moses Israelitis ordinatus esset doctor,non dubium est quin propriè eos respexerit, vt agnoscerent se populum esse à Deo electum & cooptatum : atque huius adoptionis certitudinem peterent à fœdere,quod Dominus cum Patribus illorum pepigerat:scirent non alium esse Deum, non aliam esse rectam fidem. Sed hoc quoque idem voluit seculis omnibus testatum, quicunque rite colere Deum volunt,& censeri Ecclesiæ membra,iis non aliam viam tenendã esse,quàm quæ hic monstratur. Porrò vt hoc fidei principium est,scire hunc vnum esse verum Deum,quem colimus:ita non vulgaris eius est confirmatio,nos esse Patriarcharum socios:quia sicuti Christum,quũ exhibitus nondum foret,habuerũt salutis suæ pignus: ita Deum, qui se iam olim ipsis patefecit, retinemus. Hinc etiam colligitur discrimen inter purum legitimúmque Dei cultum & omnes adulterinos,qui postea Satanæ fraude & peruersa hominum audacia fabricati sunt. Adhæc cõsideranda est Ecclesiæ gubernatio,vt statuat lector Deum illius perpetuum fuisse custodem ac præsidem:sic tamen vt crucis militia eam exercuerit. Hic verò propria Ecclesiæ exercitia se proferunt : imò tanquam in speculo nobis stadium ob oculos statuitur,quo nos cum sanctis Patribus ad beatæ immortalitatis metam eniti decet. Nunc Mosen audiamus.

Primus Mosis liber, Genesis vulgo dictvs.

CAPVT I.

1 IN principio creauit Deus cælum & terram.
2 Terra autem erat informis & inanis: tenebræque erãt in superficie voraginis, & Spiritus Dei agitabat se in superficie aquarum.
3 Et dixit Deus, Sit lux. Et fuit lux.
4 Vidítque Deus lucem quòd bona esset: & diuisit
5 Deus lucem à tenebris.
Et vocauit Deus lucẽ Diem: & tenebras vocauit Noctem. fuítque vespera & fuit mane dies primus.
6 Et dixit Deus, Sit extensio in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis.
7 Et fecit Deus expansionẽ: & diuisit aquas quæ erant sub expansione, ab aquis quæ erant super expansionem. & fuit ita.
8 Vocauítq; Deus expãsionẽ, Cælũ. & fuit vespera, & fuit mane dies secũdus.
9 Et dixit Deus, Congregentur aquæ quæ sunt sub cælo, in locum vnum, & appareat arida. & fuit ita.
10 Et vocauit Deus aridam, Terram: congregationem verò aquarum appellauit Maria. & vidit Deus quòd esset bonum.
11 Et dixit Deus, Germinet terra germen, herbam seminificantem semen, arborem fructiferam facientem fructum iuxta speciem suam, cui insit semẽ suum super terram. & fuit ita.
12 Et protulit terra germen, herbam seminificantem semen iuxta speciem suã, & arborem facientem fructum, cui semen suum inesset iuxta speciem suam. & vidit Deus quòd esset bonum.
13 Et fuit vespera, & fuit mane dies tertius.
14 Et dixit Deus, Sint luminaria in firmamento cæli, vt diuidant diem à nocte, & sint in signa, & stata tempora, & dies, & annos.
15 Et sint in luminaria in expansione cæli, vt illuminent terram. & fuit ita.
16 Et fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius in dominiũ diei, & luminare minus in dominium noctis: & stellas.
17 Posuítque ea Deus in expansione cæli, vt illuminarent terram,
18 Et vt dominarentur diei, ac nocti, & diuiderent lucẽ à tenebris. & vidit Deus quòd esset bonum.
19 Et fuit vespera, & fuit mane dies quartus.
20 Et dixit Deus, Repere faciant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile volet super terram in superficie expansionis cæli.
21 Et creauit Deus cetos magnos, & omnem animam viuẽtem, repentem, quã repere fecerunt aquæ iuxta species suas: & omne volatile alatum, *unumquodque* secundum speciem suam. & vidit Deus quòd esset bonum.
22 Benedixítque eis dicendo, Crescite, & multiplicate vos, & replete aquas in maribus, & volatile multiplicet se in terra.
23 Et fuit vespera, & fuit mane dies quintus.
24 Et dixit Deus, Producat terra animam viuentem secundum speciem suam, iumentum, & reptile, & bestias terræ secundum speciem suam. & fuit ita.

25 Fecítq; Deus beſtiã terræ ſecundũ ſpeciem ſuã,& iumentũ ſecundũ ſpeciem ſuã,& omne reptile terræ ſecundũ ſpeciem ſuã. & vidit Deus quòd eſſet bonũ.

26 Et dixit Deus,Faciamus hominem in imagine noſtra,ſecundum ſimilitudinem noſtram:& dominetur piſcibus maris, & volatili cæli, & iumẽto,& omni terræ,& omni reptili reptanti ſuper terram.

27 Creauit itaque Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem *mquam* Dei creauit illum:maſculum & fœminam creauit eos.

28 Et benedixit illis Deus,dixítque ad eos Deus,Creſcite,& multiplicate vos,& replete terram,& ſubiicite eam,& dominemini piſcibus maris, & volatili cæli, & omni beſtiæ reptanti ſuper terram.

29 Et dixit Deus,Ecce dedi vobis omnem herbam ſeminificantẽ ſemẽ, quæ eſt in ſuperficie vniuerſæ terræ, & omnem arborem in qua eſt fructus arboris ſeminificans ſemen:vobis erit in eſcam.

30 Et omni beſtiæ terræ,& omni volatili cæli, & omni reptanti ſuper terram in quo eſt anima viuens,omne olus herbæ *erit* in eſcam.& fuit ita.

31 Et vidit Deus omne quod fecerat,& ecce bonũ valde. Et fuit veſpera, & fuit mane dies ſextus.

IOHANNIS CALVINI COMMENTARIVS.

1 *In principio.* Nomen Principii de Chriſto exponere,nimis friuolum eſt. Simpliciter enim hoc voluit Moſes,non ſtatim ab initio expolitũ fuiſſe mundũ,vt hodie cernitur,ſed inane cæli & terræ chaos fuiſſe creatũ. Itaque ſic reſolui poſſet oratio, Quũ Deus principio cælũ & terrã creauit,erat terra inanis & vacua. Porrò creandi verbo,factũ eſſe docet quod prius nõ erat. Neque enim poſuit verbũ יצר,quod fingere aut formare ſignificat:ſed ברא. Quare ſenſus eſt,mundũ ex nihilo conditũ eſſe. Vnde refellitur eorũ vanitas, qui ſemper fuiſſe informẽ materiã fingũt: neque aliud colligunt ex Moſis narratione, quàm nouo ornatu inſtructũ mundũ, illíque formam inditã fuiſſe qua prius caruerat. Hoc quidẽ vulgare olim inter profanos homines cómentum fuit,ad quos obſcura tãtũ fama peruenerat: vt mos eſt hominũ, Dei veritatẽ alienis figmẽtis adulterare. Sed ĩ hoc putido errore aſſerẽdo Chriſtianos homines laborare,vt facit Steuch⁹, abſurdũ & minime tolerabile eſt. Sit igitur hæc prima ſentẽtia,mundũ nõ eſſe æternũ, ſed creatũ à Deo fuiſſe. Cælũ & terrã nõ dubiũ eſt quin molẽ illã cõfuſam vocet, cui paulo pòſt nomẽ aquarũ imponit. Ratio eſt,quòd materia illa,totius mundi ſemẽ fuerit. Porrò hæc generalis eſt mundi partitio. *Deus.* Habetur apud Moſen אלהים,nomẽ pluralis numeri. Vnde colligere ſolent,hîc in Deo notari tres perſonas. ſed quia parũ ſolida mihi videtur tantæ rei probatio, ego in voce non inſiſtam. Quin potius monẽdi ſunt lectores, vt ſibi à violentis eiuſmodi gloſſis caueant. Putãt illi ſe teſtimoniũ habere aduerſus Arrianos ad probandã Filii & Spiritus Diuinitatẽ: interea ſe inuoluũt in errorẽ Sabellii:quia poſtea ſubiicit Moſes Elohim loquutũ eſſe,& Spiritũ Elohim incubuiſſe aquis. Si tres perſonas notari placet,nulla erit earũ diſtinctio. ſequetur enim & Filiũ à ſeipſo genitũ,& Spiritũ eſſe nõ Patris,ſed ſuiipſius. Mihi ſatis eſt,quòd pluralis numer⁹ Dei virtutes ſonet,quas in creãdo mũdo exeruit. Porrò Scriptura,fateor, tametſi multas Dei virtutes recẽſet:ſemper tamẽ ad Patrem,& Verbũ eius,ac Spiritũ nos reuocat, vt etiam paulo pòſt videbimus. Sed illæ quas attigi,abſurditates obſtãt quominus ſubtiliter ad perſonas torqueamus, quod ſimplicius Moſes de ipſo Deo pronuntiauit. Hoc quidem extra controuerſiam pono, pro circunſtantia loci attributum hîc Deo titulum fuiſſe, qui potẽtiam eius exprimeret,quæ prius in æterna eius eſſentia quodammodo incluſa fuerat.

2 *Erat informis & ina.* Ego in exponẽdis duob⁹ iſtis epithetis,בוהו & תוהו,nõ ero valde anxius. Hebræi illis vtũtur quũ inane aliquid & cõfuſum, aut vanũ & nihili deſignãt. Nõ dubiũ eſt quin Moſes creaturis omnibus,quæ ad formã,ornatũ,& perfectionẽ mũdi ſpectãt, vtrũque oppoſuerit. Tollamus,inquã,è mundo quæcũque poſtea ſubiiciet:tum rude hoc,& impolitũ,vel potius informe chaos habebimus. Proinde quod mox attexit,tenebras fuiſſe ſuper faciẽ abyſſi,in parte illius confuſæ inanitatis pono:quia lux aliquã mundo faciem dare cœpit. Eadẽ ratione abyſſum & aquas vocat,quoniam in mole illa nihil ſolidum,aut ſtabile,nihil diſtinctum erat. *Spiritus Dei.* Locũ hunc variè torſerũt interpretes. Quod nõnulli ventũ intelligũt,adeò frigidũ eſt vt refutatione nulla indigeat. Qui æternũ Dei Spiritũ,rectè id quidẽ: ſed in cõplexu orationis,Moſis ſenſum nõ omnes aſſequuntur. inde varietas in participio מרחפת. Dicam priore loco quidnam,meo iudicio,voluerit Moſes. Audiuimus, antequam Deus mundum expoliret,fuiſſe Et

indigestã congerię. Nunc docet Spiritus virtutẽ in ea sustinenda fuisse necessariã. Poterat enim hæc dubitatio venire in mentẽ,quomodo inordinata moles staret:quũ nunc videamus,mundum temperamento seruari. Ideo dicit,massam illã, quanuis indisposita foret, arcana Spiritus efficacia stabilẽ ad tempus fuisse. Iam,duæ sunt verbi Hebraici significationes quæ cõueniunt præsenti loco: vel quòd moueret se,atque agitaret Spiritus Dei super aquas (vigoris scilicet exerendi causa) vel quòd incubaret ad fouendũ. Quia vtrunuis eligas,ad rei summam parum refert:liberum sit iudiciu lectori. Cæterũ si illa rerũ cõfusio arcana Dei inspiratione opus habuit,ne mox concideret: quomodo hìc tam pulcher ac distinctus ordo per se cõsisteret, nisi aliunde vigorẽ mutuaretur? Ergo illud impleri oportet,Emitte Spiritũ tuũ,& creabũtur,& renouabis faciẽ terræ: sicut ex aduerso,simul ac Spiritũ suũ aufert Dominus,omnia in pulueręm suũ abeũt,& euanescũt. Psal.104.d.29.

3 *Et dixit Deus.* Nunc primum inducit Moses Deũ loquentem, acsi massam cæli & terræ creasset absque verbo. Atqui Iohannes testatur nihil absque ipso factum esse eorum quæ facta sunt. Et certum est,eadem verbi efficacia inchoatum fuisse mundum,qua perfectus est: sed Deus verbum suum nonnisi in lucis origine protulit: quia in distinctione conspicua esse incipit eius sapientia. Quod vnum ad refutãdam Serueti blasphemiam sufficit. Latrat hìc obscœnus canis, hoc primũ fuisse verbi initium, quũ Deus mandauit vt lux esset. Quasi verò causa effectu suo prior non sit. Imò cum Dei verbo repente extiterint quæ non erant, potius colligenda est æterna eius essentia. Quare meritò Apostoli,Christi diuinitatem inde probãt, quòd quum sit Dei sermo, per eũ creata sunt omnia. Seruetus imaginatur nouam in Deo qualitatem,quum loqui cœpit. At lõge aliter de sermone Dei sentiendum est,nempe sapientiam esse in Deo residentem, & sine qua Deus nunquã esse potuit:cuius tamen effectus apparuit quũ lux creata est. *Sit lux.* Lucem tãta decoris præstãtia,qua ornãdus erat mundus, priorẽ esse oportuit:& hoc quoque erat distinctionis exordium. Quòd autem lux solem & lunã præcessit,nõ temere nec fortuitò accidit. Nihil nobis magis propriue,quàm Dei potentiam alligare organis,quorum ministerio vtitur. Lucem sol & luna nobis administrant. Vim istã sic in illis includimus nostra opinione,vt si tollãtur è mũdo, lux nulla reperiri stare posse videatur. Ergo Dominus ipso creationis ordine, lucẽ se in manu habere testatur, quã nobis largiri possit absque sole & luna. Porrò certum est ex contextu,sic creatam fuisse lucem,vt tenebris fuerint suæ vices. Sed quæri potest,fuerintne per totum mũdi circuitum lux & tenebræ vicissim:an verò dimidium circulum tenebræ occupauerint, quum alibi lux splenderet. Quin alterna fuerit successio nõ dubium est:sed an vbique simul fuerit dies,& vbique nox,id malo in medio relinquere:neque etiam scitu adeò necessarium est.

4 *Viditque Deus lucem.* Hìc inducitur Deus à Mose opus suum considerans, vt inde voluptatem capiat. Verùm id fit nostra causa:vt discamus,nihil Deũ fecisse, nisi certa ratione & consilio. Nec verò sic accipere cõuenit Mosis verba,quasi tũc opus suum agnoscere bonum cœperit ex quo factum erat:verùm sensus est,opus quale nunc aspicitur à nobis,approbatum esse à Deo. Quare nihil nobis restat,quàm acquiescere in hoc iudicio Dei. Atque hæc valde vtilis est admonitio. nam quum debeat homo sensus omnes intendere ad suspicienda Dei opera, videmus quantum in illis suggillandis licentiæ sibi permittat.

5 *Vocauit Deus lucem.* Hoc est, voluit Deus vt esset aliqua dierum & noctium vicissitudo: quod etiam mox sequutum est quum primus dies finem accepit. Lucis enim cõspectum abstulit Deus, vt nox diem alterũ inchoaret. Quod tamen dicit Moses,bifariam verti potest: vel quòd fuerit vesper & mane diei primi:vel quòd ex vespero & mane completus fuerit dies primus. Vtrunuis eligas, nihil refert quoad sensum: nam simpliciter diem intelligit duabus partibus cõpletum fuisse. Diem porrò à vespere incipit secundum vsitatũ genti suæ morem. An autem hic optimus sit & legitimus ordo,disputare nihil attinet. Scimus tenebras fuisse tempore superiores: quum lucem Deus subduxit, hoc erat diem claudere. Non dubito quin rationem hanc sequuti sint vetustissimi Patres,quibus finis diei erat vesper aduenies,atque ita alterius diei initium. Quanquã Moses legem hic præfigere noluit,quã violare sit nefas:sed receptæ consuetudini, vt iam dictum est, accõmodauit sermonem suum. Quare sicuti stultè Iudæi omnes aliorũ rationes dãnant,quasi hanc solam Deus statuerit:ita rursum futiles sunt alii, dum hanc quæ à Mose cõmendatur, præposteram esse contendunt. *Dies primus.* Hìc manifestè refellitur eorum error qui momento vno voluntconditum esse mundum. Est enim nimis violentũ cauillum,quòd Moses docẽdi causa in sex dies, quæ Deus simul perfecit distribuat. Quin potius Deus ipse, vt opera sua ad hominum captũ temperaret,sex dierum spatium sibi sumpsit. Immensam Dei gloriam quæ hic relucet,leuiter transuolamus: vnde hoc, nisi quia ad reputandam eius magnitudinem plusquã sumus hebetes? interea aliò nos ingenii nostri vanitas rapit. Huic vitio corrigendo Deus aptissimũ remedium adhibuit, quũ in certos gradus distinxit mundi creationẽm, vt nostram attentionem retineat, & quasi subsistere,iniecta manu,cogat. Ad hoc cõmentum stabiliendũ imperitè citatur locus ex Ecclesiastico,

Eccli.18.a.1 Qui viuit in æternum,creauit omnia simul. Græcum enim aduerbium κοινῇ, quo vtitur, nihil tale sonat:neque ad tempus refertur,sed rerum vniuersitatem.

6 *Sit extensio.* Opus secundæ diei est,inane hoc spatiũ per terræ circunferentiã, ne cælũ terræ misceatur.Nã quũ hoc prouerbio, cælũ terræ miscere, notetur extrema ἀπαξία, magni hæc distinctio fieri debet. Porrò vox רקיע,non modo totã aeris regionẽ cõprehendit,sed quicquid supra nos patet, qualiter cælum Latinis interdũ capitur. Ita dispositio cæli & aeris promiscuè vocatur רקיע, sed aliquando vtrunq; simul, aliquando alterã pãrtem significat: vt melius patebit ex progressu. Nescio cur Græcis placuerit vertere στερέωμα:quod in firmamenti nomine imitati sunt Latini. ad

Psal.104.a.2 verbum enim est expansio. Atque huc alludit Dauid, quum dicit extensos esse cælos à Deo instar cortinæ. Siquis roget,annon prius fuerit ista vacuitas: respondeo, vtcunque nõ occuparentur ab aquis omnia,nunc tamen primũ ordinatam fuisse distantiã,quũ prius incõposita esset permixtio. Vsum specialẽ exprimit Moses,vt distinguat aquas ab aquis:ex quibus verbis oritur magna difficultas. est enim alienũ à sensu cõmuni, & prorsus incredibile, quasdam esse aquas cælo superiores.quare nõnulli ad allegoriam confugiunt,& de Angelis philosophantur:sed intẽpestiuẽ. Nam hoc mihi certũ principium est,hîc nonnisi de visibili mundi forma tractari:Astrologiam & alias artes recõditas aliunde discat qui volet.Hîc Spiritus Dei omnes simul sine exceptione docere voluit:atque adeò quod falsò & perperã de statuis & picturis Gregorius pronuntiat,verè in hãc creationis historiam cõpetit,librum scilicet esse idiotarũ. Ergo quæcũque cõmemorat,ad ornamentũ illi⁹ theatri spectãt quod nobis ante oculos ponit. Vnde statuo,aquas hîc intelligi, quas rudes quoque & indocti perspiciant. Quòd enim quidã se fide amplecti dicũt quod hîc legũt de aquis supercæléstibus,vtcúque eas ignorẽt:Mosis instituto nõ est cõsentaneũ.Et verò rei apertæ & expositæ superuacua est longior inquisitio: videmus nubes in aere suspẽsas capitibus nostris sic minari,vt spirandi locũ nobis relinquãt.Hoc mirabili Dei prouidẽtia fieri qui negant, frustra ingenii sui vanitate sunt inflati.Scimus quidẽ naturaliter procreari pluuias:sed diluuiũ satis ostendit, quàm mox obruẽdi simus nubiũ impetu,nisi cataractæ cæli,Dei manu clausæ essent.Nec temere inter eius miracula hoc recẽset Dauid,quòd in aquis ponat Deus cœnaculorũ suorũ trabes,Psal.104.a.3.& ali-

Psal.148.a.4 bi cæléstes aquas ad laudandũ Deum aduocat.Quũ ergo nubes creauerit Deus,& regionẽ illis supra nos assignauerit:non debuit præteriri,Dei virtute arceri, ne profusæ subito impetu nos absorbeãt:ac præsertim quum nõ aliud illis oppositũ sit claustrum,quàm liquidus & euanidus aer,qui facilè cederet,nisi prævaleret hoc verbum, Sit extensio inter aquas.Cæterùm huius diei operi nondũ extabat vtilitas,donec aquæ terréstres in propriũ locũ se reciperent:quod postero die factũ est. itaq; bis illic repetitur.

9 *Congregentur aquæ.* Hoc quoque illustre est miraculũ, quòd aquæ suo discessu habitandi locũ hominibus dederunt.Nam & Philosophi concedent,naturalem esse situm aquæ qualẽ initio fuisse tradit Moses, vt totã terram inuoluat. primũ,quia elementũ est, circulare esse oportet. & quia elemẽtũ est grauius aere,terra leuius,deberet hãc toto circuitu tegere. Quòd autẽ in tumulos redacta maria locũ hominibus concedunt,hoc est quasi præter naturã:atq; ideo bonitatẽ Dei hac in parte Scriptura sæpe extollit.Psa.33.b.7,Collegit aquas velut ĩ vtrẽ.Ier.5.e.22,An me nõ timebitis,annõ pauebitis à facie mea? qui posui arenã terminũ maris. Iob 38.a.8, Quis cõclusit ostiis mare?annõ ego claustra & vectes circũdedi? Ego dixi,Hucusque progredere,hîc rũpantur tumẽtes fluctus tui. Sciam⁹ ergo nos in sicco habitare,quia De⁹ mãdato suo aquas submouit,ne totã terrã submergãt.

11 *Germinet terra.* Hactenus nuda & sterilis erat terra:nunc eam Dominus verbo suo fœcundat. Tametsi enim iã destinata erat ad fructus gignendos: donec tamẽ ex ore Dei prodiit noua virtus, siccam & inanẽ manere oportuit. Neque enim ipsa naturaliter ad gignendum quicquã apta erat: nec aliunde erat germen, donec apertum est os Domini. Nam quod Dauid prædicat de cælis,ad

Psal.33.b.6 terram quoque extendi debet : verbo Domini factam esse, & Spiritu oris eius ornatam & instructam.Porrò quòd ante solẽ & lunam creatæ sunt herbæ & arbores,fortuitò nõ accidit. Videmus nunc à sole vegetari terrã,vt fructus suos proferat.Nec verò Deum latebat hæc naturæ ratio,quã postea ordinauit:sed vt discamus ad eũ referre omnia,nullas tũc soli & lunæ partes cõcessit. Vim quam illis infundit,agnoscere nobis permittit,quemadmodũ ministerio vtitur:sed quia includere solemus in eorũ natura quod aliunde habẽt: necesse fuit,vigorem quẽ nunc terræ vidẽtur dare, prius extare,quàm creata essent.Fatemur quidẽ verbo,per se satis valere primã causam, medias verò & inferiores habere quantũ ab ipsa mutuantur: sed reipsa fingimus Deũ inopẽ vel mutilũ, nisi ab his adiuuetur. imò quotusquisque est qui vltra solẽ cõscendat, vbi de terræ fœcũditate agitur? Quod ergo Deũ cõsulto egisse diximus , plusquã necesse erat: vt ex ipsa creationis serie discamus, Deum per creaturas agere,non tanquam alienæ opis indigũ, sed quia sic illi placeat. Quum dicit, *Germinet terra herbam quæ semen producat, arborem cui semen insit* : significat, non modo creatas fuisse tunc herbas & arbores, sed vtrisque simul inditã propagationis virtutẽ,vt soboles maneret. Quia ergo

terrã quotidie videmus è gremio nobis fundere tot diuitias,quòd videmus herbas ſemen emittere, & ſemen illud terræ ſinu cõceptum foueri, donec emergat, alias arbores ex aliis pullulare: id totũ manat ex verbo iſto. Si ergo quærimus quî fiat vt fertilis ſit terra,è ſemine germẽ naſcatur,fruges ad maturitatem perueniant,ſingula genera quotannis ſoboleſcant:non alia cauſa inuenietur, niſi quia ſemel loquutus eſt Deus,hoc eſt æternum ſuum decretum protulit: terra autem,& quæ ex ea proueniunt,Dei mandato quod ſemper exaudiunt,præbent obſequium.

14 *Sint luminaria.* Tranſit Moſes ad diem quartum,quo ſtellæ ſunt conditæ. Prius lucem creauerat:ſed nunc inſtituit nouum ordinem in natura, vt ſol diurnæ lucis ſit miniſter, luna & ſtellæ noctu luceant.atque hoc illis officium attribuit,vt ſciamus omnes creaturas ſubeſſe eius arbitrio, & exequi quod illis iniungit. Nihil enim aliud refert Moſes, quàm Deũ certa organa deſtinaſſe, quæ lucẽ iam prius creatã,mutuis vicibus per mũdum diffunderent.Hoc tantũ eſt diſcrimẽ,quòd prius erat lux ſparſa:nũc à corporibus lucidis procedit,quæ in hunc vſũ obſequũtur Deo. *Diuidant diem à nocte.* Diẽ artificialem intelligit,qui ab ortu ſolis incipit,& deſinit in occaſum.Nã dies naturalis,cuius ſuprà meminit,noctẽ ſub ſe continet. Hinc collige,vices dierum & noctium continuas ſemper fore:quia ſermo Dei, qui dies à noctibus voluit eſſe diſtinctos, ſolis curſum in hũc finem moderatur. *Sint in ſigna.* Tenendũ eſt illud,Moſen non acutè philoſophari de occultis myſteriis:ſed referre quæ paſſim etiã rudibus nota ſunt,& poſita in vulgari vſu.Duplex autẽ maximè vtilitas percipitur ex ſolis & lunæ curſu: altera eſt naturalis, altera ad ordinẽ politicũ ſpectat. Sub natura agriculturã quoque cõprehendo.tametſi enim ſatio & meſſis hominũ artẽ & induſtriã requirunt:hoc tamen naturale eſt,quòd ſol propiore acceſſu orbem noſtrũ calefacit,quòd vernã temperiẽ affert, quòd æſtatẽ & autumnũ efficit: ſed quòd memoriæ cauſa homines inter ſe annos & mẽſes numerant,quòd luſtra ex iis & olympiadas cõficiunt,quòd ſtatos habẽt dies,id politiæ dico eſſe propriũ .vtriuſque partis hic fit mentio.Cur tamen Moſes ſigna vocet,paucis dicẽdum eſt:quia hoc loco abutũtur curioſi homines, vt friuolis ſuis prædictionibus colorẽ inducãt: Chaldæos dico & fanaticos homines,qui ex ſyderũ præſagiis nihil nó diuinãt.Quia Moſes ſolem & lunam dicit conſtitui in ſigna:quiduis ex illis elicere ſe poſſe exiſtimant. Verùm facilis eſt refutatio.certarũ enim rerum ſigna dicuntur,non vt quiduis notent pro noſtra libidine.Quæ autẽ ſignari dicit Moſes,niſi quæ ad naturæ ordinẽ pertinent:Nã idem Deus qui ſigna hîc ordinat,teſtatur per Ieſaiam ſigna diuinantiũ ſe diſſipare:& à ſignis cæli metuere vetat. Cæterùm quia palã eſt Moſen non vltra conſuetum hominũ morem progredi: à longiori diſputatione ſuperſedeo. Vox מועדים,quã vertunt certa tẽpora,variè capitur apud Hebræos: nam & tempus & locũ & ipſos conuentus ſignificat. Rabbini cõmuniter hunc locum exponunt de feſtis ſuis diebus. Ego autẽ latius extendo,vt primũ denotet temporum opportunitates,quæ Gallicè vocãtur *ſaiſons*: deinde nundinas omnes,& forenſes conuentus. Denique immenſam Dei bonitatem in eo commendat Moſes, quòd non modò terram illuminant ſol & luna, ſed in quotidiano vitæ vſu alias cõmoditates varias nobis præſtant.Reſtat vt purè fruentes multiplici Dei beneficentia,præpoſtero noſtro abuſu tã præſtãtes creaturas diſcamus nõ profanare.Interea ſuſpiciamus mirificũ hunc artificẽ, qui ſurſum ac deorſum tam pulchrè diſpoſuit omnia,vt ſuauiſſimo concentu inter ſe reſpondeant.

Eſa.44.d 25
Ierc.10.a.2

15 *Sint in luminaria.* Iterũ repetere operæpretium eſt quod prius dixi: non hîc philoſophicè diſſeri,quãtus ſit ſol in cælo,& quàm magna vel parua luna:ſed quanta lux ex ipſis ad nos perueniat. ſenſus enim noſtros hîc cõpellat,ne donorũ Dei quibus fruimur,cognitio præterfluat. Ergo vt teneamus Moſis mentẽ,nihil attinet ſupra cælos volare: tantũ aperiamus oculos ad hoc lumẽ quod nobis in terra Deus accẽdit.Qua ratione(vt iã monui)ſatis refellitur eorũ improbitas qui Moſen exagitant,quòd nõ magis exactè loquutus ſit.Nos enim potius reſpexit,quàm ſydera,vt theologũ decebat.Nec verò eũ latebat,non eſſe tantũ in luna fulgoris,vt terrã illuſtret,niſi à ſole mutuetur: verùm ſatis habuit docere,quod palàm omnes cernimus, lunam eſſe nobis lucis miniſtrã. Quòd Aſtrologi corpus opacum eſſe dicunt,eatenus verum eſſe concedo vt tenebroſum eſſe negẽ.Nam primò, quũ ſuperior ſit ignis elemento,corpus igneum eſſe neceſſe eſt. Hinc ſequitur, luminoſum quoque eſſe: ſed quia non tantum habet quod ad nos vſque penetrando ſufficiat:mutuò à ſole ſumit quod deeſt.Minus luminare dicit,comparatiuè: quia exigua eſt lucis portio quam nobis emittit,præut eſt immenſus ſolis fulgor.

16 *Luminare maius.* Dixi Moſen non hîc ſubtiliter differere de naturæ arcanis, vt Philoſophum:quod in his verbis videre eſt. Primùm, planetis & ſtellis in expanſione cælorum ſedem aſſignat.Aſtrologi verò ſphærarũ diſtinctionem tradunt:& ſimul docent ſtellas fixas proprium habere locum in firmamento. Moſes duo facit magna luminaria: atqui Aſtrologi firmis rationibus probant, Saturni ſydus, quod omnium minimum propter longinquitatẽ apparet, lunari eſſe maius. Hoc intereſt, quòd Moſes populariter ſcripſit quæ ſine doctrina & literis omnes idiotæ communi ſenſu percipiunt: illi autem magno labore inueſtigant quicquid humani ingenii acu-

men assequi potest. Nec verò aut studium illud improbandum est, aut damnanda scientia: vt phrenetici quidam solent audacter reiicere quicquid est illis incognitum. Nam astrologia non modo iucunda est cognitu, sed apprime quoque vtilis: negari non potest quin admirabilem Dei sapientiam explicet ars illa. Quare vt laudandi sunt ingenioſi homines qui vtilem operam hac in parte sumpserunt: ita quibus suppetit otiũ & facultas, hoc exercitationis genus negligere nõ debent. nec Moses sanè ab eo studio retrahere nos voluit, quum omisit quæ sunt artis propria. Sed quia nõ minus indoctis & rudibus quàm doctis ordinatus erat magister, nõ aliter potuit suas partes implere, quàm si se demitteret ad crassam istã rationẽ. Si de rebus vulgò ignotis loquutus foret: cui sari poterãt idiotæ, altiora hæc esse captu suo. Denique quũ hic Spiritus Dei promiscuã omnibus scholam aperiat: non mirum est si ea maximè deligat quæ possint ab omnibus intelligi. Si Astrologus veras syderum dimensiones quærat: lunam reperiet Saturno minorem. verùm id est reconditum: oculis enim aliud apparet. Ergo Moses ad vsum potius se conuertit. Nam quum Dominus manum quodãmodo ad nos vsque porrigat, dũ facit vt solis & lunæ splendore fruamur: quantæ ingratitudinis foret ad ipsam experientiã vltro cõniuere? Non est igitur quod Mosis imperitiã rideãt arguti homines, quia lunã facit secundũ luminare. Neque enim nos in cælũ euocat, sed tãtũ proponit quæ ante oculos patẽt. Habeãt sibi Astrologi altiorẽ notitiã: interea qui à luna percipiũt nocturnũ splendorẽ, coarguũtur ipso vsu peruersæ ingratitudinis, nisi Dei beneficẽtiã agnoscãt.

1 *In dominium.* Non adscribit soli & lunæ dominium, quòd ex Dei imperio quicquam vel minimum delibet. sed quia sol dimidio cæli circuitu diem gubernat, & noctem vicissim luna: ideò præfecturam illis attribuit. Imò talem hunc esse principatum meminerimus, vt sol nihilominus sit seruus, vt & luna ancilla. Interea facessat Platonis delirium, qui stellis rationẽ mentémque affingit. Hac simplici expositione simus contenti, quòd Deus solis & lunæ ministerio dies noctésque gubernet: quia illos habet veluti addictos sibi aurigas, qui lumen aduehant tempori congruum.

20 *Repere faciant aquæ reptile.* Die quinto creantur aues & pisces. Additur Dei benedictio, vt sobolem ex se procreent. Alia hìc est propagationis ratio, quàm in herbis & arboribus. nam ibi fructificandi vigor in plantis, germinandi in semine: hic autem generatio. Hoc tamen rationi videtur parum consentaneum, quòd aues refert prodiisse ex aquis: ideóque ab hominibus nasutis arripitur ad calumniã. Verùm etiamsi nulla alia ratio constaret, nisi quòd ita Deo placuit: annon deceebat nos eius iudicio acquiescere? Cur ei qui ex nihilo mundũ creauit, non licebit aues ex aqua educere? Et quid, obsecro, habet absurdius origo auium ex aqua, quàm lucis ex tenebris? Ergo qui creatori sic proteruè insultant, iudicem expectent qui eos in nihilum redigat. Quanquam si physicis rationibus pugnãdum sit, aquam scimus aeri magis affinem esse, quàm sit terra. Sed audiendus est potius doctor Moses, qui ex consideratione operum Dei nos in admirationẽ rapere voluit. Et sanè Dominus quãuis naturæ autor sit, minime tamẽ in creando mundo naturam ducem sequutus est: sed potius ea potentiæ suæ documenta edere voluit quæ nos in stuporem cogerent.

21 *Et creauit.* Suboritur hìc quæstio ex verbo creandi. Prius enim ex nihilo factũ esse mundũ contendimus, quia creatus esset. Nunc autẽ quæ ex alia materia formantur, Moses dicit creari. Quidicũt, verè & propriè creatos esse pisces, quia aquæ nullo modo ad procreãdos ipsos idoneæ aptæque fuerint: nihil quàm effugium captant: nam interea staret illud, materiã priorem fuisse: quod verbi proprietas non admittit. Ego verò ad opus diei quinti nõ restringo creationem: sed potius ex illa informi & confusa massa pendere dico, quæ fuit veluti scaturigo totius mundi. Creauit ergo Deus balenas & reliquos pisces: non quòd initium creationis numerandum sit ab eo momento quo formã accipiunt: sed quia in vniuerso corpore quod ex nihilo factum est, continentur. Ita quoad species, forma tantum accessit: sed creatio nihilominus verè dicitur totius & partium. Vbi vulgò cetos vel cete legunt, non male vertere (meo quidẽ iudicio) liceret thunnos. nam voci Hebraicæ respondet thaninim. Quũ dicit, *aquas fecisse reptare*, pergit in commendanda verbi efficacia, quod tanta promptitudine aquæ exaudiunt, vt mortuæ in seipsis, viuos fœtus subito ebulliant. Quanquam plus exprimit Moses, quotidie scilicet ex aquis scaturire innumeros pisces, quia semper vigeat ille Dei sermo, quo semel id mandauit.

22 *Benedixitque.* Quid valeat ista benedictio, mox declarat. Neque enim hominũ more, precatur Deus, qui solo nutu efficit quod homines votis expetunt. Benedicit ergo, quum augeri & crescere iubet: hoc est, fœcũditatem illis verbo suo infundit. Sed videtur ineptum esse quòd Deus pisces & reptilia alloquitur. Respondeo, non alium fuisse loquendi modum, quàm quo potuit intelligi. Nã vim verbi quæ directa fuit ad pisces, non fuisse euanidam, experimentum ipsum docet: quin potius concepta in eorum natura radices egit, quæ assidue fructificant.

24 *Producat terra.* Descendit ad sextum diem quo creata sunt animalia, & deinde homo. Producat, inquit, terra animantes. Sed vnde vita mortuo elemento? Ergo non minus in hac parte miraculum, quàm si Deus creare ex nihilo cœpisset quæ ex terra prodire iubet. Nec verò ex terra ma

teriã ſumit,quaſi indigeat:ſed vt melius conſociet ſingulas mũdi partes cum ipſo vniuerſo. Quæri tamen poteſt,cur nõ hîc quoque benedictionẽ ſuã adiungat.Reſpondeo,quod ſupra in ſimili expreſſit Moſes,hîc quoque ſubaudiendũ eſſe:tametſi ad verbũ nõ repetat. Dico præterea, ad eã rem notandã ſufficere,quòd iuxta ſpecies condita fuiſſe animalia Moſes refert. nã diſtributio hæc aliquid ſtabile iam ſecũ trahebat. Imò colligi inde poteſt, ſingulis animalibus incluſam fuiſſe ſobolẽ.Quorſum enim ſpecies,niſi vt ſe indiuidua generatim multiplicẽt? *Iumentum.* Quidam ex Hebræis inter iumentum & beſtiam terræ ſic diſtingunt,vt illud ſit quod herba paſcitur:beſtias autẽ terræ vocant, quæ carnem comedunt. Atqui Dominus paulo pòſt vtriſque communẽ ex herbis paſtionem aſſignat.Et paſſim in Scripturis animaduertere licet,duas iſtas voces confundi. Ego verò non dubito quin Moſes poſtquam behemoth nominauerat ,alterum nomen plenioris expoſitionis cauſa addiderit.Reptilia hîc intellige,quæ terreſtris ſunt naturæ.

26 *Faciamus hominem.* Tametſi futurum eſt tempus,nemo tamen non fatetur eſſe hunc quaſi deliberantis ſermonem.Hactenus ſimpliciter iubentem Deum induxit:nunc vbi ad opus omnium præſtantiſſimum ventum eſt,conſultationẽ adhibet. Poterat certè Deus hîc quoque nudo verbo mandare quid fieri vellet:ſed hominis excellẽtiæ dare hoc voluit, vt de eius creatione in conſiliũ quodammodo iret.Hic ſummus eſt honos quo nos dignatus eſt:ad quẽ reputãdum hac loquutione ſtudia noſtra accendere voluit Moſes.Neque enim cogitare nunc demum incipit Deus,quam homini formam daturus ſit,quibus eum dotibus ornari conueniat: neque tanquam in re difficili ſubſiſtit: ſed quemadmodum antè monuimus, mundi creationẽ in ſex dies noſtra cauſa fuiſſe diſtributam,quo melius in meditandis Dei operibus retineantur mentes noſtræ:ita nunc,vt naturæ noſtræ dignitatem nobis cõmendet,de homine creando conſultationẽ ſuſcipiens,magnũ ſe quiddam & ſingulare aggredi teſtatur.Multa quidem ſunt in hac corrupta natura,quæ poſſint cõtemptum inducere. verum ſi omnia ritè expendas, eſt homo eximium quoddam inter alias creaturas diuinæ ſapientiæ,iuſtitiæ & bonitatis ſpecimen. Vt meritò à veteribus dictus ſit μικροκοσμός. Cæterùm quũ alio conſultore non indigeat Dominus , quin ſecum ipſe deliberet minime dubium eſt. Ac omnino ridiculi ſunt Iudæi , dum fingunt Deum cum terra vel Angelis cõmunicaſſe ſermonem. terra ſcilicet optima conſiliaria erat. Minimam verò tam præclari operis partem Angelis adſcribere,abominandum ſacrilegium eſt. Nos verò ad imaginem terræ vel Angelorum creatos eſſe vbi reperient? annon Moſes ſtatim omnes creaturas diſertè excludit, quum refert ad imaginẽ Dei creatum fuiſſe Adam? Alii qui ſibi acutiores videntur, bis inſulſi, Deum principum more, de ſe in numero plurali loquutum dicũt. Quaſi verò ea barbaries quæ à paucis ſeculis inualuit, iam tunc regnaret in mundo. Sed bene habet quòd canina eorum improbitas cum tanto ſtupore coniuncta eſt,vt ſtultitiã ſuam pueris prodant.Chriſtiani igitur appoſitè plures ſubeſſe in Deo perſonas ex hoc teſtimonio contendunt , neminem extraneum aduocat Deus. Hinc colligimus, intus eum aliquid diſtinctũ inuenire:vt certe æterna eius ſapientia & virtus in ipſo reſident. *In imagine noſtra.* De iſtis vocibus interpretes non conſentiunt. Inter pleroſque tamen & ferè omnes conuenit,imaginem à ſimilitudine diſtingui. atque hæc ferè cõmunis eſt diſtinctio, vt imago ſit in ſubſtantia:ſimilitudo in accidẽtibus.Qui breuiter definire volunt, ſub imagine tradunt contineri dotes quas Deus in humanam naturam contulit:ſimilitudinẽ exponũt dona gratuita.Cæterum Auguſtinus præ aliis nimium argutè philoſophatur,vt Trinitatẽ in homine fabricet. Nã quum tres animæ facultates recẽſeantur ab Ariſtotele,intellectus,memoria,volũtas:illud arripiẽs,ex vna Trinitate multas poſtea deriuat.Eiuſmodi ſpeculationibus ſiquis otioſus lector oblectare ſe velit, legat librum 10.de Trinit.& 14.item de Ciuit.Dei lib.11.Fateor quidẽ, eſſe in homine aliquid quod Patrem,& Filium,& Spiritum referat. Illam quoque facultatum animæ diſtinctionem non ægrè admitto:etſi breuior partitio,nempe bimembris quæ Scripturæ magis vſitata eſt,ad ſolidã pietatis doctrinam aptior eſt. Sed definitio imaginis Dei plus habere firmitatis debet, quàm in talibus argutiis. Ego priuſquam imaginem Dei definiam,à ſimilitudine differre nego. Nam quum Moſes idem poſtea repetit,præterita ſimilitudine,imaginem nominaſſe contentus eſt.Siquis excipiat, breuitati ſtuduiſſe, vbi nomen imaginis bis inculcat,nulla ſimilitudinis fit mentio. Scimus etiam tritum eſſe Hebræis , idem diuerſis verbis repetere. Præterea phraſis ipſa oſtendit, ſecundum verbum explicationis vice fuiſſe additum, *Faciamus*, inquit,*in imagine noſtra ſecundum ſimilitudinem noſtram*: hoc eſt,vt ſimilis ſit Deo,vel effigiem Dei repræſentet.Denique capite 5.nullam imaginis mentio nem faciens,eius loco ſimilitudinem ponit. ſublato tamen inter voces diſcrimine, nondum habemus quid ſit vel imago,vel ſimilitudo.Nimis craſſi fuerunt Anthropomorphitæ,qui eam in corpore humano quærebant. itaque ſepultum maneat illud delyrium. Alii paulo ſubtilius , qui tametſi corporeum Deum non imaginantur , in corpore tamen hominis ſtatuunt Dei imaginem: quia illic refulgeat tam admirabile artificium. Sed hæc opinio minime conſentanea eſt Scripturæ, vt videbimus. Nihilo verior Chryſoſtomi expoſitio, qui ad imperium refert quod homi-

ni datum erat, vt Dei vices in mundi gubernatione quodammodo gereret. Est quidem hæc imaginis Dei aliqua portio, sed perquàm exigua. Quoniam deleta est imago Dei in nobis per lapsum Adæ: ex reparatione iudicãdum est qualis fuerit. Dicit Paulus, nos per Euangelium transfigurari in imaginem Dei. Et secundũ ipsum, regeneratio spiritualis nihil aliud est, quàm eiusdẽ imaginis instauratio. Col. 3. b. 10, & Ephes. 4, f. 23. Quòd autẽ eam constituit in iustitia & sanctitate veraci, est synecdoche. Nã quãuis istud præcipuum sit, non tamen est totũ. Ergo hac voce designatur totius naturæ integritas, quũ Adã recta intelligẽtia præditus foret, affectus haberet compositos ad rationem, sensus omnes sanos & ordinatos, veréque bonis omnibus excelleret. Ita primaria sedes diuinæ imaginis, in mente & corde fuit, vbi emineret: nulla tamen fuit pars in qua non emicarent aliquæ scintillæ. Erat enim in singulis animæ partibus temperatura, quæ suis numeris constabat. in mente, lux rectæ intelligentiæ vigebat ac regnabat. huic comes aderat mentis rectitudo. sensus omnes ad moderatum rationis obsequium prompti & formati. in corpore æquabilis quædã ad illum ordinem proportio. Nunc etsi obscura quædam imaginis illius lineamenta in nobis residua manent: sunt tamen adeò vitiata & mutila, vt verè dicere liceat esse deletam. Nam præter deformitatem, quæ vbique fœda apparet, hoc quoque malum accedit, quòd nulla pars est peccati labe non infecta. *In imagine nostra, secundum simul.* Ego in particulis a & a scrupulosè non insisto. Quod nonnulli hoc dictum volunt quia duntaxat adumbrata fuerit Dei imago, donec ad suam perfectionem veniret: nescio an firmum sit. Res quidem vera est: sed non puto Mosi tale quicquã veniisse in mentem. Verè & hoc dicitur, Christum esse vnicam Patris imaginem: sed hunc tamen sensum, Mosis verba non recipiunt: in imagine, id est in Christo. Adde quòd vir, licet alio respectu, dicitur imago Dei. In quo nonnulli Patrum decepti sunt, qui Arrianos se confodere putabant hoc telo, quòd solus Christus imago esset. Verùm hæc quoque difficultas expedienda est, cur Paulus neget mulierem esse imaginem Dei: quum Moses vtrunque sexum promiscuè hoc titulo honoret. Solutio breuis est: quòd illic Paulus nonnisi œconomicè statum attingit. Itaque imaginem Dei restringit ad principatum, quo vir excellit supra vxorẽ: nec certè aliud significat, quàm gradu honoris superiorem esse. Hic autem de gloria Dei agitur, quæ in natura humana peculiariter refulget, dum mens, voluntas, sensusque omnes diuinum ordinẽ repræsentant. *Et dominetur.* Hic partem dignitatis commemorat, qua decreuit hominem ornare: nẽpe vt præsit cunctis animantibus. Dominum quidem mundi eum constituit, sed animalia nominatim illi subiicit: quæ quum habeant proprium nutum, minus videntur alieno imperio subesse. Pluralis tamen numerus indicat, non vni Adæ hoc fuisse datum, sed omnibus simul posteris. Atque hinc colligimus quorsum creata sint omnia: nequid scilicet desit hominibus ad omnia vitæ commoda & vsus. In ipso etiam creationis ordine melius perspicitur paterna Dei erga hominem solicitudo, quòd priusquam eũ formet, mundum illi rebus omnibus necessariis, imò immensa opum affluentia instruit. ita prius fuit locuples, quàm nasceretur. Quòd si tantam Deus nostri curam habuit antequam essemus, nunc in mundo locatos alimentis & reliquis vitæ subsidiis minimè destituet. Quòd autem manũ sæpe veluti clausam tenet, peccatis nostris est imputandum.

27 *Creauit itaque Deus hominem.* Quòd iterum imaginis Dei fit mentio, non est repetitio superuacua. Est enim singulare diuinæ bonitatis specimen, quod nunquam prædicari satis potest. Et simul nos admonet, à qua præstantia exciderimus, vt eius recuperandæ desiderium in nobis accendat. Quum mox subiicit, *masculum & fœminam* Deum creasse, coniugale vinculum, quo fouetur societas humani generis, nobis commendat. Nam perinde valet hæc loquendi ratio, Creauit Deus hominem, masculum & fœminam creauit eos, acsi virum dixisset esse dimidium hominem, hac lege additam fuisse illi sociam mulierem, vt ambo vnum sint: quemadmodum cap. 2, clarius exprimit. Hoc etiã sibi vult Malachias quum 2. cap. d. 15, tradit, vnum à Deo creatũ hominem fuisse, quum tamen spiritus illi esset abundans. Tractat enim illic de fide coniugali, quam Iudæi sua polygamia violabant: vt hoc vitium corrigat, par illud viri & mulieris, quod Deus initio coniunxit, vocat vnum hominem: vt sua quisque vxore contentus esse discat.

28 *Et benedixit illis Deus.* Hæc Dei benedictio veluti scaturigo est vnde fluxit humanum genus. Nec tantum in ipsa vniuersitate nobis reputanda est, sed in singulis quoque indiuiduis, vt loquuntur. Nam ad gignendam sobolem fœcundi sumus, aut steriles, prout suam aliis virtutem Deus infundit, & eãdem alios priuat. Sed hîc simpliciter docere voluit Moses, Adam cum sua vxore fuisse conditum ad propagandam sobolem, vt homines tandem terram implerent. Potuit ipse quidem terram operire hominum turba: sed ex vno fonte prodire nos omnes voluit, vt maius esset mutuæ concordiæ studium, & alii alios libentius quasi carnem propriam complecterentur. Porrò quemadmodum ad terram occupandam creati sunt homines: ita certò statuere debemus, Deũ terræ spacium terminasse, quod ad capiendos homines, præbendúmque illis hospitium sufficeret. Inæqualitas autem quæ huic temperamento cõtraria est, nihil est aliud quàm naturæ corrupte-

la,quæ ex peccato prouenit. Interim tamen prævalet Dei benedictio, vt terra quaquauersum patet, suos habeat incolas, & immensa hominum multitudo sibi reperiat in aliqua orbis parte domicilium. Porrò tenendum est quod de coniugio dixi. generatione quidem vult Deus multiplicari genus humanum: sed non promiscuo coitu, vt in brutis animalibus. Virum enim vxori coniunxit, vt diuinum semen, hoc est legitimum procrearet. Notemus ergo quosnam hîc Deus cõpellet, quum iubet eos crescere, ac quibus suam benedictionẽ destinet. Certe frænum viris & mulieribus non laxauit vt in vagas libidines ruerent absque delectu & pudore: sed à sancto castóque coniugio incipiens, descendit ad generationẽ. Nam & hoc notare operæ pretiũ est, Mosem hîc breuiter attingere quæ postea fusius explicabit: atque ita historiæ seriem ab ipso inuerti, vt tamen quid prius aut posterius gestum sit appareat. Quæritur tamẽ annon scortatores etiam & adulteri, Dei virtute generent: quod si verum est, ad eos similiter extẽditur Dei benedictio. Respondeo: hanc Diuini instituti corruptelam esse. Quòd autem ex hac quoque lacuna non minus quàm ex puro cõiugii fonte sobolem Deus educit, hoc illis cedet in maius exitium. Illa tamen pura & legitima gignendi ratio fixa manet quam Deus initio instituit: illa est lex naturæ quam inuiolabilem esse dictat cõmunis sensus. *Subiicite eam.* Cõfirmat quod prius de principatu dixit. Iam hac lege creatus erat homo vt sibi terram subiiceret: verùm nunc demũ iuris sui compos efficitur, quũ audit quid sibi datũ sit à Domino: idq; plenius adhuc exprimit Moses proximo versu, quũ Deũ inducit herbas & fructus donantẽ. Magni enim refert nihil nos ex Dei bonis attingere, quod non sciamus nobis ab eo permissum. Neque enim aliter bona conscientia vlla re fruimur, nisi quum eam suscipimus quasi ex Dei manu. atque ideo docet Paulus edendo & bibẽdo nos semper peccare, nisi adsit fides. Ita à solo Deo petere docemur quicquid nobis necesse est. Vsu autem ipso donorũ in meditãda eius bonitate paternáque cura exercemur. huc enim spectant Dei verba, Ecce tibi paratum à me victum antequam factus esses: me igitur patrem agnosce, qui tibi nondum creato tam diligẽter prospexerim. Quinetiam vltrà progressa est mea solicitudo: tuum erat ea alere: ego tamen has etiam partes in me suscepi. Quare tametsi constitutus es tanquam paterfamiliâs in mundo, nõ est tamen quod de animalium victu multum sis solicitus. Hinc colligunt vsque ad diluuium herbis ac fructibus contentos fuisse homines, nec fas illis fuisse carne vesci. Idque magis probabile videtur: victum enim hominis quodammodo inter certos fines concludit Deus. Deinde post diluuium nominatim carnes concedet. Quanquam non satis firmæ sunt istæ rationes. adduci enim potest in contrariam partem, quòd sacrificia primi homines offerebant ex pecudibus. Hæc porrò lex est ritè offerendi, non offerre Deo nisi quæ nobis in vsum concessit. Deinde vestiebantur pellibus. ergo animalia illis occidere licuit. Itaque satius fore arbitror, si ea de re nihil asseramus. Nobis sufficiat, herbas & fructus arborum illis dari pro victu ordinario. non tamen dubium est quin abunde id fuerit ad summas delicias. Prudenter enim sentiunt, qui terram sic à diluuio dicunt corruptã fuisse, vt vix mediocrem habeamus gustum primæ illius benedictionis: imò statim post lapsum hominis iam degeneres ac vitiosos fructus proferre cœpit. sed tunc maior facta est mutatio. Vtcunque sit, Deus certe noluit tenuiter & malignè alere homines: sed potius his verbis liberalem copiam prædicat, cui ad suauem & iucundam vitam nihil deesset. Refert enim Moses quàm beneficus erga eos fuerit Dominus, omnia quæ optare possent, illis largiendo, vt minus excusationis ingratitudo habeat.

Rom.14.d.23

31 Et vidit Deus omnia. Rursum in clausula creationis refert Moses Deum approbasse quidquid fecerat. De aspectu Dei, loquitur humano more. nam & hoc suum iudicium Dominus quasi regulam & exemplar nobis esse voluit: ne aliter de suis operib⁹ sentire vel loqui quisquã audeat. Neque enim quod probauit, fas nobis est disputare, probarine debeat: sed potius absque controuersia subscribere cõuenit. Repetitio etiam denotat quàm lasciua sit hominũ temeritas: alioqui satis fuisset semel dici, Deo placuisse sua opera. Sed Deus sexies idem inculcat, vt quasi totidẽ frænis cohibeat nostrã audaciam, quæ prurire non desinit. Cæterùm plus exprimit Moses quàm antea. addit enim MEOD, id est valde. In singulis diebus fuit simplex approbatio. Nunc postquã numeris omnibus absolutum est opificiũ mundi, & extrema (vt ita loquar) manu expolitũ, perfectè bonum esse pronuntiat: vt sciamus inesse in operum Dei symmetria summã perfectionem, cui nihil addi queat.

Cap. II.

1 PErfecti sunt igitur cæli & terra, & omnis exercitus eorum.
2 Perfecerátque Deus die septimo opus suum quod fecerat, & quieuit die septimo ab omni opere suo quod fecerat.
3 Benedixit autẽ Deus diei septimo, & sanctificauit illum: quòd in illo quieuisset ab omni opere suo quod creauerat Deus vt faceret.
4 Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creati sunt, in die qua fecit Do-

minus Deus terram & cælos,

5 Et omne virgultum agri antequam eſſet in terra,& omnem herbam agri antequam germinaret : quia non pluere fecerat Dominus Deus ſuper terram,& homo non erat qui coleret terram:

6 Sed vapor aſcendebat è terra,& irrigabat vniuerſam ſuperficiem terræ.

7 Formauerat autẽ Dominus Deus hominem è puluere terræ, & inſpirauerat in faciem eius ſpiraculum vitæ,& fuit homo in animam viuentem.

8 Plantauerat quoque Dominus Deus hortum in Heden ab Oriente,& poſuit ibi hominem quem formauerat.

9 Et germinare fecerat Dominus Deus è terra omnem arborem concupiſcibilem viſu,& bonam ad veſcendum:& arborem vitæ in medio horti, & arborem ſcientiæ boni & mali.

10 Et fluuius egrediebatur ex Heden,ad irrigãdum hortum:& inde diuidebatur, erátque in quatuor capita.

11 Nomen vnius,Piſon: ipſe circuit totam terram Hauila, vbi eſt aurum:

12 Et aurum terræ illius bonum: ibi eſt bdelium,& lapis onychinus.

13 Nomen verò fluuii ſecundi Gihon : ipſe circuit omnem terram AEthiopiæ.

14 Et nomen fluuii tertii Hiddekel, ipſe vadit ad Orientem Aſſur. & flumen quartum eſt Perath.

15 Tulit itaque Dominus Deus hominem, & poſuit eum in horto Heden, vt coleret eum,& cuſtodiret eum.

16 Præcepítque Dominus Deus homini,dicendo,De omni arbore horti comedendo comedes:

17 At de arbore ſcientiæ boni & mali ne comedas ex illa:quia in die quo comederis ex ea,moriendo morieris.

18 Et dixit Dominus Deus,Non eſt bonũ eſſe hominem ſolum:faciam ei adiutorium quod ſit coram ipſo.

19 Formauerat autem Dominus Deus è terra omnem beſtiam agri,& omne volatile cæli : & adduxerat ad Adam, vt videret quomodo vocaret illud : & omne quod vocauit illi, *illi inquam* animæ viuenti,eſt nomen eius.

20 Vocauit itaque Adam nomina cuique iuméto & volatili cæli,omníque beſtiæ agri:Adæ verò non inuenerat adiutorium quod eſſet coram ſe.

21 Cadere igitur fecit Dominus Deus ſoporem ſuper Adam,& dormiuit:& tulit vnam è coſtis eius,& clauſit carnem pro ea.

22 Et ædificauit Dominus Deus coſtam quam tulerat ex Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam.

23 Et dixit Adam, Hac vice os *eſt* ex oſſibus meis,& caro ex carne mea: & vocabitur Viriſſa,quia ex viro ſumpta eſt iſta.

24 Idcirco relinquet vnuſquiſque patrem ſuum,& matrem ſuam,& adhærebit vxori ſuæ,erúntque in carnem vnam.

25 Erant autem ambo nudi,Adam & vxor eius,& non pudebat eos.

1 *Perfecti ſunt igitur.* Summatim repetit Moſes,ſex diebus completã fuiſſe cæli & terræ fabricã. In his autem duobus membris generalis eſt mundi partitio:vti initio primi capitis dictum eſt.Sed nunc addit, *exercitus eorum*: quo ſignificat,mundum ſuis omnibus ornamẽtis inſtructũ fuiſſe.Porrò hic epilogus ſatis clarè ex integro eorum errorem refutat qui momento conditum eſſe mundum fingunt. nam finem operi non niſi ſexto tandem die fuiſſe impoſitum pronũtiat.Pro Exercitu poſſemus etiam non ineptè vertere copiam.ſignificat enim Moſes mundum hunc fuiſſe nu-

meris omnibus absolutum, acsi domus tota sua supellectile bene instructa & referta esset. Cælum absque sole & luna & astris, inane nudúmque palatium foret. si terra animalibus, arboribus, & plantis careret, ieiuna ista vastitas speciem inopis & vacuæ domus haberet. Deus ergo à mundi creatione non prius cessauit, quàm omni ex parte compleuerit, vt nihil ad iustam copiam deesset.

2 Et *quieuit die septimo.* Non immeritò quæri solet qualis ista cessatio fuerit. Certum enim est, quatenus mundū sua virtute sustinet Deus, & prouidentia gubernat, fouet creaturas omnes, atque etiam propagat, esse in opere assiduum. Verum est ergo illud Christi, Patrē & ipsum ab initio hucvsque fuisse operatos. quia si paululum retrahat manum suam Deus, interibunt protinus omnia, & in nihilū diffluēt, vt habetur Psal. 104. 29. Nec verò probè Deus agnoscitur cæli & terræ creator, nisi dum perpetua illa vegetatio ei tribuitur. Nota est solutio, cessasse Deū ab omni opere suo, quia nouas rerum species creare destitit. Verùm vt clarior sit sensus, intellige, quia nihil ad perfectionem mundi desiderari poterat, extremā à Deo impositam fuisse manum: idque sonant Mosis verba, *Ab omni opere suo quod fecerat.* statum enim opificii designat, qualem extare voluit Deus: acsi diceret, fuisse tunc completum quod Deus apud se proposuerat. In summa, pertinet hoc tantùm ad exprimendam fabricæ mundi perfectionem: vnde colligere nō licet, Deum ita cessasse vt ab operibus suis discesserit quæ nonnisi in ipso vigent ac subsistunt. Notādum præterea est, in operibus sex dierum non comprehendi nisi quæ ad legitimum, genuinúmque mundi ornatum faciunt. Dicet postea Deus, Producet terra spinas & sentes. quo innuit, aliam fore terræ faciem, quàm à principio fuisset. Verùm in promptu est solutio, multa quæ hodie in mundo visuntur, eius magis esse corruptelas, quàm ornatus partem. Nam ex quo desciuit homo à prima sua origine, simul necesse est vt à natura subinde degeneret mundus. Idem de pulicibus, bruchis, aliísque insectis est sentiendum. In his, inquam, omnibus quædā est mundi deformitas, quam minimè in naturæ ordine censeri decet, quū ex hominum peccato magis quàm ex Dei manu proueniat. Creantur quidem hæc quoque à Deo: sed vltore. Hic autem Moses eum nō considerat puniendis hominum peccatis armatum: sed opificem, architectum, & opulētum patremfamilias considerat, qui nihil ad summam ædificii perfectionem omisit. Hodie quum videmus corruptum mundum, & quasi à creatione sua degenerem, veniat in mentem illud Pauli, obnoxiam vanitati esse creaturam, non spōte, sed nostro vitio: atque ita iustæ nostræ damnationis admoniti ingemiscamus. Rom. 8. d. 20.

3 *Benedixit autē Deus diei septimo.* Videtur hoc benedicere, ad Deū ex hominū more fuisse translatum: benedicunt enim quem honorificè extollunt. Quanquam Deo, hoc sensu, nō malè congruet, quia eius benedictio interdum fauor est quo suos prosequitur: vt Hebræi benedictum Dei nominat, qui peculiari quadā gratia apud Deū pollet. Infrà cap. 24. d. 31, Ingredere benedicte Dei. Ita diem ab eo benedictum exponere licet, quem amore complexus sit, vt in eo celebraretur operum suorum præstantia & dignitas. Cæterùm mihi dubium non est quin Moses sanctificandi verbo statim exprimere voluerit quod dixerat. ita omnis ambiguitas tollitur: quia secundum verbum, exegeticū est prioris. Nam קדש Hebræis est segregare ex vulgari numero. Diem ergo septimum Deus sanctificat, dum eximiū reddit, vt singulari iure excellat inter alios. Vnde etiam apparet vt semper à Deo habita fuerit hominū ratio. Dixi suprà, sex dies ad cōdendum mundū fuisse insumptos: non quòd Deus temporis successu opus habuerit, cui momentum instar mille annorum est: sed vt nos retineret in operum suorum cōsideratione. Eundem in sua quiete scopū spectauit. diem enim à reliquis exemptum, in hunc peculiarem vsum destinauit. Quare benedictio ista nihil aliud est quàm solennis consecratio, qua sibi Deus studia & occupationes hominum asserit die septimo. Est quidem legitima hæc totius vitæ meditatio, in qua se quotidie exerceant, immensam Dei bonitatem, iustitiam, virtutem, sapientiam in hoc magnifico cæli terræque theatro considerare. Verùm si fortè minus sedulò quàm par esset, ad eam intenti essent homines, ad supplēdum quod assiduæ meditationi deerat, septimus quisque dies peculiariter delectus est. Primùm ergo quieuit Deus: deinde benedixit hanc quietē, vt seculis omnibus inter homines sancta foret: vel septimum quenque diem quieti dicauit, vt suū exemplū perpetua esset regula. Semper memoria tenendus est finis. neque enim septimo quoque die simpliciter hominē iussit Deus ferias agere, quasi otio delectetur: verùm vt negotiis aliis omnibus soluti, liberius mentes suas ad Creatorē mundi applicent. Denique sacra est ista vacatio, quæ homines mundi impedimētis eripit, vt totos Deo addicat. Iam verò quia ad celebrandā Dei iustitiā, sapientiā, virtutē, reputandáque eius beneficia tanta est pigritia hominū, vt probè moniti nihilominus torpeāt: additus est non leuis ab exemplo Dei stimulus, & præceptū amabile redditum est. neque enim vel blādius allicere nos ad obsequiū Deus potest, vel efficacius incitare, quàm dum nos ad imitationē sui inuitat & hortatur. Præterea sciēdum est, non vnius tantùm vel ætatis vel populi, sed totius humani generis cōmune esse hoc exercitium. Postea in Lege nouū de sabbatho præceptū datum est, quod Iudæis, & quidē ad tempus, peculiare foret. fuit enim legalis ceremonia, spiritualem quietē adumbrās, cuius in Christo apparuit veritas.

Ideo sæpius testatur Dominus, se in eo dedisse veteri populo sanctificationis symbolum. Quare dum audimus,Christi aduẽtu abrogatũ fuisse sabbathũ,adhibenda est distinctio, quid ad perpetuũ humanæ vitæ regimen pertineat:quid propriè conueniat veteribus figuris, quarũ vsus fuit abolitus quum veritas fuit impleta.Quies spiritualis,est carnis mortificatio,ne amplius sibi viuant filii Dei,aut propriæ voluntati indulgeant.Quòd eam sabbathũ figurauit,tẽporale fuisse dico.Quòd autem ab initio mandatum fuit hominibus, vt se exerceant in Dei cultu, meritò ad mundi finem vsque durare oportet. *Quod creauit ut faceret.* Hic suo more Iudæi insulsè nugãtur Deũ vltima vespera præuentum,quædam animantia imperfecta reliquisse:cuiusmodi sunt Fauni & Satyri:quasi vnus esset ex vulgo artificũ qui tempore opus haberet. Tam prodigiosa deliria testãtur,in sensum reprobum coniectos esse,vt essent horribile iræ Dei documentũ. Quòd ad Mosis sensum attinet: quidam ita accipiunt,creasse Deum sua opera vt faceret,quia ex quo illis esse dedit,nõ retraxit manum suam ab eorũ cõseruatione.sed dura est expositio. Nihilo magis subscribo eorum sentẽtiæ, qui ad hominem referunt,quem Deus operibus suis præfecit,vt ea in vsum applicet, ac quodammodo sua industria expolliat. Ego potius absolutam operum Dei formã notari existimo:acsi dixisset ita creasse Deum sua opera, vt nihil ad perfectionem deesset:vel creationem hucvsque progressam,donec modis omnibus absolutum foret opus.

4 *Istæ sunt generationes.* Cõsilium Mosis fuit penitus animis nostris infigere cæli & terræ originem,quã generationis voce designat.fuerũt enim semper ingrati homines& maligni,qui vel mundum æternũ fingendo,vel creationis memoriã tollendo, gloriã Dei obruere tentarẽt. ita diabolus sua astutia à Deo auertit,qui præ aliis acuti erant ac solertes,vt sibi quisque esset Deus. Quare nõ est superuacua repetitio,quæ rem adeò necessariã inculcat, mundũ extitisse ex quo conditus est:vt nos talis cognitio ad architectum & autorem dirigat.Sub nominibus cæli & terræ, totum ornatum cuius antè meminerat,per synecdochen complectitur.Essentiale Dei nomen hic demum exprimi à Mose,quidam ex Hebræis sentiunt,quia eius maiestas clarius in completo mũdo reluceat.

5 *Et omnem plantam.* Cohæret hic versus cum proximo,& vno tenore legendus est. Terræ enim plantas & herbas adiungit quasi vestitum,quo eam ornauit Dominus,ne deformis esset eius nuditas. Nomen שיח pro quo plantam reddidimus,significat interdũ arbores: vt infrà cap.21.c.15. Ideo alii Virgultum hoc loco trãstulerunt: quod mihi nõ displicet. Vox tamen plantæ nõ malè quadrat, quia priore loco videtur Moses posuisse genus,deinde speciem. Etsi autem die tertio creatas fuisse herbas narrauit, non abs re tamen,earũ hìc rursus fit mentio:vt sciamus alio modo tunc & natas, & seruatas fuisse,& propagatas,quàm hodie fieri cernamus. Nam ex semine nascũtur herbæ & arbores:vel ex aliena radice prodeunt surculi,vel pullulãdo crescunt:accedit hominum industria & manus. Tunc autem diuersa fuit ratio. vestiuit Deus terram,nõ more iam vsitato:quia nullũ erat semen,nulla radix,nulla planta quæ germinarent: sed Dei iussu & verbi eius virtute repente extiterunt. Durauit in illis vigor,vt in sua natura starent,nõ ista vegetatione quæ cernitur,non pluuiæ beneficio,non humana irrigatione vel cultura:sed quia vapore Deus terram irrigabat. Duo enim excludit:pluuiam,vnde succum trahit terra, vt natiuum suum humorem retineat:& hominũ culturam,quæ naturæ est adminiculum.Quũ dicit,nondum pluisse Deum,simul indicat eum esse qui aperit cataractas cæli & claudit:pluuiámque & siccitatem esse in eius manu.

7 *Formauerat autem Deus hominem.* Quod prius omiserat in creatione hominis,nũc exponit,sumptum è terra fuisse eius corpus.Dixerat formatu ad imaginem Dei. Hæc summa & incõparabilis nobilitas:cuius prætextu ne superbiãt homines,prima illis sua origo in medium proponitur, vnde agnoscant,aduentitium illud fuisse bonũ. Refert enim Moses hominem fuisse principiò terræ puluerẽ.Eant nunc stulti homines,& de naturæ suæ excellentia gloriẽtur. De reliquis animalibus dictum fuerat, Producat terra omnem animam viuentem. nunc luteum & sensu carens fingitur Adæ corpus: nequis sibi vltra modum in carne sua placeat. Plusquam enim stupidus est quisquis humilitatem inde non discit. Quod aliunde postea accessit, Deo nos tantundem obligat. Quanquam simul aliqua præstanti nota discernere hominem voluit à brutis animalibus. Hæc enim momento è terra extiterunt. At quòd homo paulatim formatus est, peculiaris in hoc offensa est eius dignitas.Cur enim Deus non statim viuum è terra iubet exire, nisi vt priuilegio quodam,præ omnibus quæ terra produxit, emineat? *Inspirauerat in faciem.* Quicquid sentiant plerique veterum, subscribere eorum sententiæ non dubito qui de animali hominis vita locum hunc exponunt:atque ita flatum interpretor, quem spiritum vitalem nominant. Siquis obiiciat,nõ debuisse igitur discrimen poni inter hominem & cætera animantia, quũ hîc nihil referat Moses,nisi quod omnibus simul commune est:respõdeo,quanuis hîc tantùm memoretur inferior animæ facultas, quæ corpus inspirat,& illi dat vigorem & motũ:non tamen obstare quin gradum suum obtineat anima,ideóque seorsum poni debuerit.De flatu primùm loquitur Moses:deinde subiicit,datã esse animã homini qua viueret,sensúque & motu esset præditus. Iam virtutes humanæ animæ scimus

plures esse ac varias. Quare nihil absurdi, si nunc vnã tantùm attingat Moses: partem verò intellectualem omittat, cuius mentio primo capite facta est. Ac tres gradus in hominis creatione notandi sunt: quod mortuum corpus è terra fictum est: quòd dotatum est anima, vnde vitalem haberet motum: quòd huic animæ Deus imaginem suam insculpsit, cui annexa est immortalitas.


Factus est in animam uuentem. נפש accipio pro ipsa animæ essentia: sed epitheton quod additur, præsenti tantum loco congruit, non autem complectitur omnes animæ virtutes. Nihil enim aliud propositum fuit Mosi, quàm vegetationem luteæ figuræ exponere, qua factum est vt homo viuere inciperet. Paulus prioris ad Corinth. cap. 15. f. 45, antithesin statuit inter hanc animam viuentem, & spiritum viuificantem, quem fidelibus confert Christus, non alio fine nisi vt doceat non fuisse in persona Adæ absolutum hominis statum: sed hoc singulare esse beneficium Christi vt renouemur in cælestem vitam, quæ etiam ante lapsum Adæ, nonnisi terrena fuit: quia non habebat stabilem fixámque constantiam.

8 *Plantauerat quoque Dominus.* Nunc addit Moses qualis viuendi conditio & regula homini data fuerit. Ac principiò narrat in qua mũdi parte locatus fuerit, & quàm fœlicem amœnámque habitationem sit sortitus. Deum plantasse dicit, crasso rudíque stylo, ad vulgi captum se accommodãs. Nam quia Dei maiestas, qualis est, nequit exprimi: Scriptura humanitus describere eum solet. Plantauerat igitur Deus Paradisum in loco quem amœnitate multiplici, fructuum omnium copia, & aliis optimis quibusque dotib⁹ vnicè ornauerat. Hac ratione vocatur hortus ob elegantiam situs, & formæ pulchritudinem. Vetus interpres non ineptè Paradisum transtulit: quandoquidem פרדסים Hebræi, cultiores hortos nominant. Et Xenophon vocem esse Persicam tradit, quũ de magnificis & sumptuosis regũ hortis disputat. Illa fuit selecta ex toto orbe regio, quam Dominus Adæ tanquã omnium primogenito destinauit. *In Heden.* Quod Hieronymus perperam verterit, A principio, satis constat: quia postea dicet Moses, Cain habitasse ad plagam Meridionalem illius loci. Porrò notandum est, quũ in Oriente statuit Paradisum, Iudææ respectu eum loqui. sermonem enim dirigit ad populum suum. Vnde primò colligimus, certam fuisse regionem, quam Deus primo homini attribuit, in qua suum domicilium haberet. Quod ideo admoneo, quia fuerunt qui hortum istum per omnes mundi plagas extenderẽt. Equidem fateor, si maledicta non fuisset terra ob peccatũ hominis, totã vt ab initio benedicta erat, futuram fuisse pulcherrimum omnis tum affluẽtiæ, tum amœnitatis theatrum: fuisset denique non absimilis Paradiso, præut ea est quam nunc cernimus deformitas. Sed quũ hìc nominatim sitũ regionis exprimat Moses: quod de peculiari quodam loco dictum est, absurdè ad totum terrarum orbem transferunt. Nec sanè dubium est, sicuti nuper attigi, quin Deus vberrimum & suauissimum locum elegerit, quasi terræ primitias, quo Adam, quem inter homines dignatus erat primogenituræ honore, insignum præcipui amoris donaret. Deinde colligimus, hortũ hunc fuisse in terra: non vt quidã somniarunt, in aere situm. nisi enim regio fuisset orbis nostri: non opponeretur Iudææ, Orientẽ versus. Allegoriæ autem Origenis & similium prorsus repudiãdæ sunt: quas pessima astutia in Ecclesiam inuehere conatus est Satan, vt ambigua esset Scripturæ doctrina, nec quidquã certi vel firmi haberet. Fieri quidem potest vt quidam necessitate coacti, ad sensum allegoricum confugerint: quia nusquam in mundo reperiebant locum qualis describitur à Mose: sed plurimos videmus, stulta argutiarum affectatione, nimium fuisse allegoriis deditos. Quãtum ad præsentem locum attinet, frustrà & importunè extra literã philosophantur. neque enim aliud Mosi propositum est, quàm vt hominem doceat hac lege fuisse à Deo conditum, vt terræ dominio potiretur, vnde fructus colligeret, ac quotidiana experientia disceret mũdum sibi esse subiectum. Quid prodest in aere volitare, & terram relinquere, vbi Deus suam erga humanum genus beneuolentiam testatus est: At subtilior est de cælesti beatitudine interpretatio, dicet quispiam. Respondeo, quum æterna hominis hæreditas in cælo sit, rectum quidem esse vt illuc tendamus: figendum tamen in terra pedem tantisper, dum hospitium consideremus quo voluit Dominus hominẽ ad tempus vti. Nunc enim versamur in hac historia, quæ docet Adam fuisse Diuinitus ordinatum incolam terræ, vt temporalem in ea vitam agendo, cælestem gloriam meditaretur: ipsum à Domino bonis innumeris fuisse liberaliter ditatum, ex quorum gustu paternam eius beneuolentiã colligeret. Et mox subiiciet Moses, mandatam ei fuisse agrorum culturam, & fructus permissos quibus vesceretur. quæ omnia nec lunæ circulo, nec aeris regionibus conueniunt. Quanquam autem diximus, locum Paradisi inter ortum solis & Iudæam fuisse situm: certius tamen aliquid de regione quæri potest. Qui Mesopotamiæ fuisse vicinã contendunt, rationibus non contemnendis nituntur: quia filios Eden Tigri fluuio probabile est fuisse cõtiguos. Cæterùm quia eius descriptio statim sequetur apud Mosem, in eum locum differre satius est. Falsus est vetus interpres, qui ex nomine proprio Eden, voluptatem fecit. Non inficior quidem, locum à deliciis ita fuisse vocatum: sed facile est colligere, impositum fuisse loco nomen vnde ab aliis discerneretur.

9 *Germinare fecerat* Dominus Deus. Pertinet ista productio ad diem creationis tertium. Sed nominatim refert Moses, locum illum fructiferis omnegenus arboribus eximiè fuisse cumulatum, vt plena illic & verè beata rerum omnium vbertas foret. quod data opera à Domino factum est, quominus excusationis haberet hominis cupiditas, si tam præclara fructuum copia, dulcedine, varietate non contenta, quemadmodum contigit, contra Dei mandatũ se proiiceret. Consultò etiam refert Spiritus sanctus per Mosen, quanta fuerit Adæ fœlicitas, quo clarius appareat fœda eius intemperies, cui sufficere talis affluentia nõ potuit quin ad fructũ vetitum prorumperet. Et certè pudenda fuit ingratitudo, quòd in tam fœlici & optabili statu quiescere non potuit: libido verò plusquam beluina, cui saturandæ par esse non potuit tanta largitas. Nullus terræ angulus tunc sterilis, imò nullus non summopere diues ac fœcũdus erat: sed quæ alibi mediocris erat Dei benedictio, in hunc locum mirabiliter se effuderat. Neque in cibum modò suppetebat abundantia: sed addita simul erat suauitas ad gustum palati, & pascendis oculis pulchritudo. Ex tam benigna igitur indulgentia, plus satis patet quàm inexplebilis fuerit hominis cupiditas. Et *arborem uitæ*. Incertum est, duóne tantum indiuidua, an duas arborum species designet. Vtraque opinio probabilis est: res verò minimè digna pro qua contentio sumatur: quandoquidem vel parum, vel nihil nostra interest, vtrunuis asseratur. Plus in epithetis est momenti, quæ ab effectu vtrique arbori fuerũt imposita: neque id hominum, sed Dei placito. Arbori autem vitæ nomen indidit, nõ quòd vitam homini conferret, quia iam antè præditus erat: sed vt symbolũ ac memoriale esset vitæ diuinitus acceptæ. Scimus minimè esse insolens, vt virtutem suam Deus externis symbolis testatam nobis reddat. Non transfert quidem in signa externa suam virtutem: sed nobis per ea manum porrigit: quia nisi adiuti, conscendere ad eum non possumus. Voluit igitur, hominem, quoties fructũ arboris illius gustaret, in memoriam reuocare vnde vitam haberet: vt se agnosceret, non propria virtute, sed Dei vnius beneficio viuere: neque esse intrinsecum bonũ, vt vulgò loquuntur, sed à Deo prouenire. Denique in arbore illa extabat visibile huius sententiæ testimoniũ, quòd in Deo sumus, & viuimus, & mouemur. Quòd si Adam integer adhuc & rectæ naturæ monitoriis signis opus habuit, quæ eum in Diuinæ gratiæ notitiam deducerent, quanto maior hodie signorum necessitas in tanta ingenii nostri imbecillitate, ex quo à vera luce excidimus? Cæterùm non displicet quod à nonnullis patribus, vt Augustino & Eucherio traditum est, fuisse arborem vitæ Christi figuram, quatenus sermo est æternus Dei: imò non aliter quàm eum figurando, vitæ symbolũ esse potuit. Tenendũ est enim quod habetur primo Iohannis capite: in sermone inclusam fuisse rerum omnium vitam, præsertim verò hominũ quæ cum ratione & intelligentia cõiuncta est. Quare hoc signo admonitus fuit Adã, nihil sibi quasi proprium vendicare, vt totus à filio Dei penderet: nec alibi, quàm in ipso vitam quæreret. Quòd si illle vitam, quo tempore incolumem possidebat, nonnisi in Dei sermone repositã habuit: nec aliter seruare potuit, quàm si illi acceptam ferret: perditam recuperare vnde nos oportet: sciamus ergo, vbi à Christo discessimus, nihil præter mortem nobis restare. Scio alios quosdam ad vitam corporalem restringere. vim corporis vegetandi in arbore fuisse putant, vt ætate nunquam lãguesceret. Sed eos omittere dico quod præcipuum est in vita: nempe intelligẽtiæ gratiã. semper enim videndũ quorsum cõditus fuerit homo, & quænam illi fuerit viuendi ratio. Certè eius viuere, nõ fuit habere duntaxat corpus floridũ ac vegetum, sed animæ quoque dotibus excellere. De arbore verò sciẽtiæ boni & mali sic habendum est, nõ fuisse ab ea prohibitum hominem, quòd Deus eum pecudis instar, vagari sine iudicio & rerũ delectu vellet: sed ne plus sapere appeteret, quàm decebat: & ne proprio sensu confisus, excusso Dei iugo, arbitrum se boni & mali ac iudicem constitueret. Peccatum eius ex mala conscientia processit: vnde sequitur, datum illi fuisse iudicium, quo inter virtutes & vitia discerneret. Nec verò aliter staret quod ante retulit Moses, creatũ ad imaginem Dei fuisse. quandoquidem imago Dei sub se, eius notitiam complectitur qui summum bonum est. Bis ergo insaniunt Libertini, portenta hominum qui restitui nos fingunt in statum innocentiæ, si quisque sua libidine absque iudicio feratur. Iam tenemus quid sibi voluerit abstinẽtia ab arbore boni & mali: ne scilicet Adam hoc vel illud tentãdo, suæ prudentiæ periculũ faceret: sed vni Deo addictus, saperet tantùm ex eius obsequio. Itaque scientia in malam partem abusiuè pro misero experimento capitur, quod homo à fonte vnico perfectæ sapientiæ discedens, acquirere sibi cœpit. Atque hæc origo est liberi arbitrii, dum Adam per se esse voluit: & quid valeret, tentare ausus est.

10 Et *fluuius egrediebatur*. Dicit Moses fluuium vnum ad hortum irrigãdum fluxisse, qui deinde in quatuor capita se diuideret. Duo ex capitibus esse Euphratem & Tigrim, satis inter omnes conuenit. Nemo enim litem mouet, quin חידקל sit Tigris. De aliis duobus magna est controuersia. Multi Phison & Gihon, Gangen & Nilum fuisse putant: quorum tamen error abundè ex locorum distantia refellitur. Neque desunt qui vsque ad Danubium transuolent. quasi verò vnius hominis habitatio ab vltima Asia vsque ad finem Europæ se portendat. Sed quũ plerique alii fluuii celebres illam regionem præterfluãt, probabilior est eorum opinio qui duos eorum, licet obsoletis iamno-

minibus,notari diuinant.quanquã nondum ſoluta eſt difficultas. Moſes enim fluuium vnum, quo hortus alluebatur,in quatuor capita diuidit. Conſtat autẽ,procul diſſitos eſſe Euphratis & Tigridis fontes.Ex hoc nodo ſe quidã ita expediũt, quòd diluuii vaſtatione mutata fuerit orbis facies: ideo fieri potuiſſe diuinãt vt turbati ſint ac conuerſi fluminũ curſus,& ſcaturigines aliò trãſlatæ.quod mihi nullo modo recipiendũ videtur.Nã etſi fateor terrã ex natiua pulchritudine in miſerũ ſqualorẽ, & quaſi luctuoſum habitũ redactam eſſe ex quo maledicta fuit,poſtea in diluuio multis locis vaſtatã eſſe:dico tamẽ eãdem eſſe terrã quæ initio creata fuerat.Adde quòd topographiam ſuã Moſes,meo quidem iudicio,ad ſuæ ætatis captum accommodauit.Nihil tamen actum eſt, niſi locum illũ reperiamus, vbi ex fluuio vno exeant Tigris & Euphrates. Obſerua primò,nullã fieri ſcaturiginis vel fontis mentionem,ſed tantùm dici fluuiũ vnum. Quatuor verò capita intelligo,tam principia ex quibus naſcũtur fluuii,quàm oſtia quib° ſe in mare exonerant.Iam ita cõfluenter Tigridi coniũctus fuit Euphrates olim,vt flumen vnũ meritò dici potuerit in quatuor capita ſecari. præſertim ſi mihi cõceditur quod omnib° palã eſt, Moſen nõ acutè,neque philoſophico more, ſed populariter loqui, vt rudiſſimus quiſque intelligat.Ita primo capite duo præcipua luminaria vocauit Solem & Lunã: non quòd Luna magnitudine ſuperet alios planetas,ſed quia vulgò ex aſpectu maior cẽſetur. Adde quòd ſcrupulum omnem tollere videtur,vbi dicit,fluuio quatuor fuiſſe capita,quia ex eo loco diuidebatur. Quid hoc ſibi vult,niſi ex vno cõfluxu, vel ſupra vel infra Paradiſum diuiſos fuiſſe alueos?Nunc figuram oculis ſubiiciam, vnde intelligant lectores,vbi Paradiſum locari ſentiam à Moſe.



Tradit quidem Plinius lib. 6, præcluſum fuiſſe Euphratẽ ab Orchenis, vt nõniſi per Tigrin influeret in mare.Pomponius autem Mela libro 3, certo exitu,vt reliquos amnes effluere negat, ſed deficere. Verùm Nearchus, quẽ Alexander claſſi ſuæ præfecerat, quíque eius auſpiciis per omnes illos tract' nauigauit,ab oſtio Euphratis Babylonem vſque,ter mille & trecenta ſtadia numerat. Tigris autem oſtia in Suſiorũ ora locat:qua parte ex longa illa & memorabili nauigatione rediens, Regi ſuo cum claſſe occurrit, quemadmodum refert Arrianus libro De geſtis Alexãdri 8.Quam ſentẽtiam & Strabo ſuo ſuffragio confirmat,libro 15. Quocunque tamen ſe vel immergat Euphrates,vel infundat, certum eſt ipſum & Tigrim infra confluentem diuidi. quanquã Arrianus libro 7 ſcribat,nõ vnũ modò alueũ Euphratis in Tigrim decurrere, ſed plures fluuios ac foſſas:quia ex altiore loco in humilem ac depreſſum aquæ facilè decurrãt.Quantum ad confluentem quem notaui in figura, quorundam opinio fuit, Cobaris præfecti opere fuiſſe deductum, ne totus Euphrates præcipiti curſu Babylonem infeſtaret. ſed loquitur quaſi de re dubia.Magis credibile eſt, naturæ ductum homines arte & induſtria ſequutos eſſe, vt foſſas cauarent, quum alicubi Euphratem ex ſuperiore terra ſpõte in Tigrim excurrere viderent. Quinetiam,ſi Pomponio Melæ habetur fides, Semiramis Tigrim & Euphratem ſiccæ alioqui Meſopotamiæ immiſit. quod nullo modo credibile eſt. Verius eſt quod tradit Strabo diligens & attẽtus ſcriptor,apud Babylonios coire duo hæc flumina: deinde ſeorſum ſuo quẽque alueo deferri in Mare rubrum.lib.11.Coitũ verò illum fieri intelligit ſupra Babylonem,non procul oppido Maſſica, vt legitur apud Plinium libro 5. Inde alter Babylonem interfluit, alter verò prope Seleuciam labitur,duas vrbes celeberrimas & valde opulẽtas.Si admittimus natura & à principio fuiſſe confluxum illum, quo miſcetur Euphrates Tigridi: ſublata eſt omnis abſurditas. ſiqua eſt ſub cælo regio pulchritudine, fructuum omnium copia,fœcunditate, deliciis,& aliis dotibus excellẽs, eam maximè celebrant ſcriptores.Quare in eam competunt elogia qui-

bus Paradiſum commendat Moſes. Et regionem Eden in illis partibus fuiſſe ſitam veriſimile eſt ex Ieſaiæ 37.c.12,& Ezech.27.e.23. Cæterũ quòd flumẽ egreſſum fuiſſe narrat Moſes, de fluxu aquæ interpretor: acſi diceret Adam habitaſſe in ripa fluminis, vel in ea terra quæ vtrinque alluebatur, ſi Paradiſum accipere libeat pro vtraque ripa. Quanquam non magni intereſt,ſiue infra confluentem habitauerit Adam Babylonem & Seleuciam verſus,ſiue in ſuperiori parte: ſatis eſt quòd agrum irriguum tenuerit. Quomodo autem fluuius in quatuor fuerit diuiſus capita,non obſcurum eſt. Duo enim ſunt amnes qui in vnum coeunt, deinde abeunt in diuerſas partes. ita flumen vnum eſt in confluente:duo autem in ſuperioribus alueis ſunt capita, & duo verſus mare,poſtquam rurſus longius diuidi incipiunt. Supereſt quæſtio de nominibus Phiſon & Gihon. Neque enim rationi videtur conſentaneum,vt ſingulis fluuiis tribuamus duplex nomen. Sed minimè nouum eſt, vt nomina amnes mutent, præſertim vbi aliqua inſignis eſt diſcretionis nota. Tigris ipſe,authore Plinio,circa fontem ſuum Diglito vocatur:poſtquam verò plures fecit alueos, & rurſus coaleſcit, Paſitigris eſt. Nihil ergo abſurdi eſt, ſi dicamus à confluxu diuerſa habuiſſe nomina. Adde quòd inter Paſin & Phiſon aliqua eſt affinitas:vt non abſimile vero ſit, Paſitigris nomen antiquæ appellationis eſſe veſtigium. Et libro 5 Q. Curtii de rebus geſtis Alexandri, vbi Paſitigris fit mentio : quidam codices habent, vocari ab accolis Phaſin. Nec malè conueniunt reliquæ circunſtantiæ, quibus tres ex fluuiis iſtis Moſes deſignat. Phiſon circuit terram Hauilah vbi aurũ naſcitur. Tigri circuitus rectè tribuitur, propter flexuoſum tractum infra Meſopotamiam. Terra verò Hauilah,hîc pro regione Perſidi vicina, meo iudicio ſumitur. Nam infrà cap.25,narrabit Moſes,Iſmaelitas habitaſſe ab Heuilah vſque ad Sur,quæ cõtigua eſt AEgypto,qua itur in Aſſyriam. Opponitur terminus Heuilah termino Sur,quam Moſes AEgypto propinquam facit,& quidem Aſſyriam verſus. Vnde ſequitur,Heuilah tendere ad Suſianã & Perſidem. Neceſſe enim eſt vt ſit inferior Aſſyria verſus mare Perſicum. Deinde procul diſſita ab AEgypto:quia multos populos recenſet Moſes,qui inter illos terminos habitarunt. Deinde Nabataeos,quorum illic fit mentio, Perſis vicinos fuiſſe conſtat. Optimè nunc conuenit quod de auro & lapidibus pretioſis affirmat Moſes . Supereſt Gihon, quem Moſes tradit alluere terram Chus. AEthiopiã vertunt omnes interpretes. Sed regio Madianitarum & regio Arabiæ contermina,eodem etiam nomine cenſetur apud Moſen. Qua ratione vxor eius alibi vocatur AEthiopiſſa. Porrò quũ ad partem illam vergat tractus inferior Euphratis,nõ video cur pro abſurdo ducatur,nomine Gihon deſignari. Atque ita ſimplex Moſis ſententia eſt,irriguũ fuiſſe hortum,cuius poſſeſſor erat Adam,fluminis alueo illac trãſeunte, qui poſtea in quatuor capita diuidebatur.

15 *Tulit itaque Dominus Deus hominem.* Subiicit nunc Moſes,ea lege datam fuiſſe terram homini, vt ſe in ea colenda occuparet. Vnde ſequitur,homines ad aliquid agendum creatos eſſe, ne reſides & ignaui iaceãt. Erat quidem iucundus hic,plenúſque oblectationis labor,procul omni moleſtia & tædio. Quũ tamen exerceri hominem voluit Deus in terræ cultura,ignauum otium in eius perſona damnauit. Quare nihil magis contrarium naturæ ordini, quàm edendo, bibendo, & dormiendo vitam conſumere, nihil interea nobis proponere quod agamus. Addit Moſes cuſtodiæ horti præfectum fuiſſe Adam,vt oſtendat, ea lege nos poſſidere quæ Dominus nobis admanum contulit, vt frugali & moderato vſu contenti, quod reſiduum erit ſeruemus. Agrum qui poſſidet,fructum annuum ita percipiat,ne patiatur fundum per incuriam decidere, ſed poſteris,qualem accepit, vel etiam melius excultũ, tradere ſtudeat. Fructibus ita veſcatur, nequid vel per luxum dilapidet, vel per negligentiam corrumpi ac perire ſinat. Porrò vt inter nos vigeat iſta parſimonia, & in bonis quæ Deus nobis fruenda dedit,ſedulitas: cogitet quiſque ſe in omnibus quæ poſſidet, eſſe Dei œconomũ. ita fiet vt neque ſe diſſolutè gerat, neque abuſu corrumpat quæ Deus vult ſeruari.

16 *Præcepitque.* Docet nunc Moſes, cum hac exceptione hominem fuiſſe terræ præfectum, vt tamen Deo ſubeſſet. Lex illi in ſignum ſubiectionis imponitur. nam Dei nihil intererat, illum promiſcuè quolibet fructu veſci. Ergo vnius arboris prohibitio, obſequii examẽ fuit. Atque hoc modo aſſuefieri ab initio ad numinis ſui reuerentiam voluit Deus totum genus humanum: vt certè neceſſe erat tot præclaris dotibus ornatum ac locuples ſub fræno teneri,ne in lasciuiam erumperet. Erat quidem altera ſpecialis ratio , quam ſuprà attigimus : ne Adam vltra modum ſapere appeteret. Sed hoc generale Dei conſilium tenẽdum eſt, quòd hominem ſuo imperio ſubiicere voluit. Ideo abſtinentia ab vnius arboris fructu, obedientiæ quoddã fuit rudimentum: vt ſciret homo habere ſe rectorem vitæ ac Dominum, à cuius nutu pendere, & cuius acquieſcere iuſſis deberet. Et ſanè hæc vnica eſt benè & cũ ratione viuendi regula, vt ſe exerceãt homines ad parendu Deo. Videtur tamẽ hoc nõ congruere cũ Pauli ſentẽtia, vbi docet Legem

1. Tim. 1. b. 9.

non esse iusto positam. nam si ita est: quũ adhuc integer & rectus esset Adã, opus Lege non habebat. Verùm solutio in promptu est. neque enim illic disputat Paulus, sed ex communi vitæ vsu pronuntiat, qui sponte currunt, non esse Legis necessitate cogendos: quemadmodum vulgari prouerbio dicitur, ex malis moribus natas esse bonas leges. Interim non negat quin Deus ab initio Legem homini imposuerit, vt iu• sibi debitum vindicaret. Siquis obiiciat alterã Pauli sentẽtiam, vbi Legem asserit esse ministram mortis: respondeo id esse accidentale, ex quo corrupta est natura. Tunc verò datum fuisse homini præceptum vnde cognosceret Deum sibi præesse. Cæterùm hæc minuta leuiter prætereo. Illud quod dixi, quia longè maioris est momenti, subinde memoria repetendum: tunc ritè compositam fore vitam nostram, si Deo pareamus, atque eius voluntas omnium nostrorum affectuũ sit magistra. 2 Cor. 3. b. 7

De omni arbore. Quo libentius morẽ gerat Adam, liberalitatem suam Deus commendat. Ecce, inquit, tibi in manum trado quidquid fructuum terra gignet, quidquid proferet omne arborum genus. ex immensa copia & varietate vnam tantum arborem excipio. Deinde pœnam denuntiãdo, terrorem incutit, sanciendæ legis causa. Quo maius est hominis flagitium, quem neque amabilis ista donorum Dei commemoratio, nec pœnæ metus retinere in officio potuit. Sed quæritur, quam mortis speciem intelligat Deus hoc loco. Mihi definitio petenda ex opposito videtur: tenendum inquam est ex qua vita homo exciderit. Erat omni ex parte beatus: ideo eius vita ad corpus & animam pariter spectabat. Quũ in eius anima vigeret rectum iudicium, & iusta affectuum moderatio, illic quoque vita regnabat: in corpore nullum erat vitium. quare totus à morte erat immunis. Terrena quidem vita illi fuisset temporalis: in cælum tamen sine interitu, & illæsus migrasset. Nũc mors ideo horrori nobis est: primùm quia quædam est exinanitio, quoad corpus: deinde quia Dei maledictionẽ sentit anima. Videndum etiam quæ sit mortis causa, alienatio scilicet à Deo. Inde sequitur, mortis nomine comprehendi miserias omnes quibus se Adam per defectionem suam implicuit. simul enim ac defecit à Deo vitæ fonte, deiectus fuit à priore statu, vt sentiret hominis vitam sine Deo miseram esse ac perditã, adeóque nihil differre à morte. Quare nõ immeritò & vitæ priuatio, & mors vocatur hominis conditio post peccatum. AErumnæ & mala tum animæ tum corporis, quibus obsidetur homo quandiu in terra degit, quoddam sunt mortis atrium, donec mors ipsa illum penitus absorbeat. mortuos enim Scriptura passim nominat, qui peccati & Satanæ tyrannide oppressi, nihil quàm interitum suum spirant. Quare superuacua est quæstio, Quomodo Adæ minatus fuerit Deus mortem quo die fructum attigisset: quum pœnam in longum tempus distulerit. nam tunc morti addictus fuit Adam, & mors regnum suum in eo inchoauit, donec remedium afferret superueniens gratia.

18 *Non est bonum ut sit Adam solus.* Nunc Dei consilium exponit Moses in creanda muliere: nempe vt essent homines in terra, qui mutuam inter se societatem colerent. Quãquam dubitari potest an ad progeniem debeat extendi hæc sententia. simpliciter enim hoc sonãt verba, Quoniam viro non expedit esse soli, creanda est vxor, quæ sit illi adiutrix. Ego tamen ita accipio: quòd Deus à primo quidem gradu incipiat humanæ societatis: alios tamen velit cõplecti, suo quenque loco. Principium ergo generale est, Conditum esse hominem, vt sit sociale animal. Iam non poterat extare hominum genus sine muliere. adeóque in coniunctione hominum præcipuè eminet sanctius illud vinculum, quo maritus & vxor in vnum corpus vnámque animam coalescunt: quemadmodum natura ipsa Platonem, & alios Philosophos saniores loqui docuit. Cæterùm quamquã hoc de Adam pronuntiauit Deus, quòd illi non esset vtile esse soli: non tamen ad solam eius personam restringo, sed potius existimo cõmunem esse humanæ vocationis regulam: vt sibi quisque dictum accipere debeat, nõ esse bonam solitudinem, nisi quem Deus velut singulari priuilegio exemit. Putant multi suis rationibus cõducere cælibatum: ideóque ne miseri sint, à coniugio abstinent. Nec solùm profani homines definierunt beatam esse vitam procul vxore degere. sed prior Hieronymi liber contra Iouinianum, petulantibus cõuitiis refertus est, quibus exosum conatur & infame reddere sanctum coniugiũ. His prauis Satanæ suggestionibus opponere discant fideles, hanc Dei sententiã, qua hominem coniugali vitæ, non in eius exitiũ, sed in salutẽ, destinat. *Faciam ei adiutorium.* Quæri potest cur nõ plurali numero dictũ sit, Faciamus, vt suprà in creatione viri. Putãt quidam hoc modo notari vtriusque sexus discrimen, atque ita ostendi quãtum vir supra mulierẽ excellat. Mihi autem etsi non contraria prorsus, diuersa tamen interpretatio magis arridet: nempe quũ in persona viri creatũ fuerit humanũ genus, cõmunem totius naturæ dignitatẽ vno elogio promi. nihil aliud est, quàm viri accessio. Negari certè non potest quin mulier quoque, licet secundo gradu, ad imaginẽ Dei creata sit. vnde sequitur, quod in creatione viri dictũ fuit, ad sexũ muliebrem pertinere. Iam quum Deus mulierem viro in adiutorium assignat, nõ tantum vxoribus regulam vocationis suæ præscribit, vt eas ad officiũ instituat: sed pronũtiat, coniugiũ viris reipsa fore optimum vitæ subsidiũ. Statuamus igitur naturæ ordinẽ ita ferre, vt mulier sit viro adiutrix. Vulgare quidem prouerbium est, necessariũ esse malũ: sed audienda potius vox Dei, quæ pronuntiat additã

esse mulierem viro comitem & sociã, quæ ipsum ad commodè viuẽdum adiuuet. Fateor quidem in corrupto hoc generis humani statu nõ perspici nec vigere, quæ hîc describitur, Dei benedictionẽ. sed causa mali reputanda est, quòd scilicet inuersus est à nobis ordo naturæ quem Deus statuerat. Nam si hodie maneret qualis à principio fuit in homine integritas, ista Dei institutio clarè cerneretur, suauissima in coniugio regnaret melodia: quia vir in Deũ respiceret, mulier ad eã rem fida esset illi adiutrix: ambo vno consensu sanctam non minus quàm amicam & placidam societatem colerent. Nunc vitio nostro & naturæ corruptela factũ est, vt ista coniugii fœlicitas magna ex parte nobis perierit: vel saltem multis incõmodis permixta sit atque infecta. Inde iurgia, molestiæ, acerbitates, dissidia, & immensum malorum pelagus. inde fit vt turbentur sæpe viri ab vxoribus, & multa sentiant ab illis impedimenta. quanquam non potuit adeò vitiari coniugium hominum prauitate, vt in totum abolita sit & extincta benedictio, quam semel Dominus verbo suo sanciuit. Ergo in multis coniugii incommodis, quæ sunt degeneris naturæ fructus, manet aliquid Diuini boni residuũ: & in igne quasi suffocato, scintillæ tamen adhuc emicant. Ex eo autem capite alterum pendet, vt mulieres de officio suo edoctæ, viros suos adiuuãdo, ordinem diuinitus positum tueri studeant. Virorum etiam est reputare quid ipsi vicissim debeant dimidiæ parti sui generis. mutua enim est vtriusque sexus obligatio: & hac lege addicta est viro mulier in adiutorium, vt se caput ille ac ducem præstet. Aliud præterea notandum est, quũ vocatur hoc loco mulier adiutorium viri, nõ attingi necessitatem, cui post Adæ lapsum obnoxii sumus. nam viro, etiamsi integer stetisset, mulier futura erat adiutrix. Nunc quum libidinis morbus remedio indigeat, duplex habemus Dei beneficium: sed posterius accidentale est. *Coram ipso.* Hebraicè est נגדו: tanquam è regione ipsius. כ nota est similitudinis in illa lingua. Etsi autem quidam ex Rabinis affirmationis vice hîc poni existimãt: ego tamẽ in genuino sensu accipio, acsi dictũ foret, quod sit quasi ἀντίστοιχον vel ἀντίπροσωπον. Dicitur enim mulier è regione viri esse, quia illi respõdeat. Particula verò similitudinis mihi addita videtur, quia sit translatitia locutio. sensum fideliter reddiderũt Græci interpretes: Κατ' αὐτόν. Et Hieronymus, Quod sit illi simile. nam aliquid æquabile notare voluit Moses. Atque hinc refellitur quorũdam error, qui putant tantùm propagationis causa mulierem esse conditã: & bonum cuius nuper facta est mentio, ad generandam sobolem restringunt: non putãt, quoad personam Adæ, necessariã fuisse vxorẽ, quia à libidine adhuc immunis erat. Quasi verò tantũ ad concubitum illi data fuerit: ac non potius vt esset indiuidua vitæ comes. Quare non leue põdus habet particula נגד, vt sciamus ad omnes vitæ partes atque vsus patere coniugium. Quod alii exponunt acsi dictum esset, Ad obsequia præsto sit: frigidum est. plus enim exprimere voluit Moses: quemadmodum patet ex sequentibus.

19 *Formauerat autem Deus.* Fusior expositio proximæ sentẽtiæ. Dicit enim, nullũ ex animalibus, cunctis, quũ facta esset disquisitio, repertum esse quod Adæ cõferri posset atque aptari: neque ea natura erat affinitas, vt Adam ex vna aliqua specie sibi eligere vitæ sociam posset. Neque id cõtigit ignorantia. prodierant enim singulæ species in Adæ conspectum: & ipse nomina non temerè, sed ex notitia imposuerat: nulla tamẽ erat æquabilis proportio. Itaq; nisi addita illi fuisset vxor eiusdem generis, destitutus mansisset commodo & idoneo adiutorio. Porrò istud Adducere Dei, nihil aliud significat quàm quòd affectũ subiectionis indidit animãtibus, vt se homini vltrò offerrent: vt familiariter inspecta propriis nominibus, & naturæ cuiusque congruentibus distingueret. Duraſſet autem in feris quoque bestiis hæc erga homines mansuetudo, nisi Adam quod acceperat imperium, sua à Deo defectione perdidisset. Nunc ex quo cœpit in Deum esse contumax, brutorum animalium in se ferociam expertus est. Alia enim ægrè cicurãtur, alia semper manent indomita: quædam etiam vltrò nobis sua truculentia incutiunt terrorem. Durant tamen adhuc quædã primæ illius subiectionis reliquiæ, sicuti cap. 9. a. 2, videbimus. Porrò notandum est, Mosen de solis animalibus loqui quæ propius ad hominẽ accedunt: nam pisces quasi in alio orbe habitãt. Quantum ad nomina quæ imposuit Adam, non dubito quin singulis optima ratio subesset. sed eorum vsus vnà cum plurimis aliis bonis obsoleuit.

21 *Cadere igitur fecit somnum.* Quanuis prophanis hominibus ridicula videatur hæc formandæ mulieris ratio, atque eorum nõnulli Mosen fabulari dicant: nobis tamen hîc mirabilis Dei prouidentia affulget. Nam quo sanctior foret humani generis coniunctio, voluit ex vno & eodẽ principio, tam mares quàm fœminas oriri. Naturã igitur humanam in Adæ persona condidit, atque inde formauit Heuã, vt fœmina tantùm portio esset totius generis. Id sibi volũt Mosis verba quæ suprà habuimus cap. 1. d. 28, Creauit Deus hominem: masculũ & fœminã condidit. Hoc modo admonitus fuit Adã, vt se in vxore, nõ secus atque in speculo, agnosceret. Heua quoque vicissim, vt se libenter viro subiiceret, tanquã ex eo sumpta. Quòd si duo sexus ex diuersis principiis fluxissent, occasio fuisset, vel mutui contemptus, vel inuidiæ, vel rixarum. Et quid habent proterui homines quod obstrepant? Credibilis non videtur narratio: quoniam à consuetudine abhorret. Quasi verò

plus coloris haberet, ex putrido ſemine quotidie gigni homines, niſi vſu & experimento notum eſſet. Sed obiiciũt vel ſuperuacuam fuiſſe coſtam quæ Adæ fuit detracta: vel coſtæ abſentia corpus eius fuiſſe mutilum. Vtrunuis reſpõdeatur, magnam abſurditatem reperiunt. At verò ſi dicamus, præparatam fuiſſe à mundi opifice coſtam, ex qua alterum corpus formaret, nihil in hoc reſpõſo non conſentaneum Diuinæ prouidentiæ reperio. Quanquam diuerſa coniectura magis arridet: fuiſſe Adæ aliquid detractum, vt maiore beneuolentia partem ſui complecteretur. Perdidit igitur coſtam vnam: ſed pro qua illi reddita fuit longè vberior merces, dum nactus eſt fidelem vitæ ſociam: imò quũ ſe integrum vidit in vxore, qui prius tantùm dimidius erat. Atque in eo perſpicimus veram noſtræ cum filio Dei vnitatis effigiem: nam & ille debilis factus eſt, vt membra haberet virtute prædita. Interim notandum, Adam profundo ſopore fuiſſe demerſum, vt nihil doloris ſentiret: deinde nec violentam fuiſſe rupturam, nec ex coſta amiſſa ſenſiſſe quidquam iacturæ, quia Deus vacuitatem ſic carne repleuit, vt robur etiam ſufficeret: tantum ablata fuit oſſis duricies. Conſultò etiam vſus eſt Moſes ædificandi verbo: vt doceret in mulieris perſona tandem abſolutum fuiſſe humanum genus, quod prius inchoato ædificio ſimile erat. Alii ad œconomiam referunt: acſi dicere vellet Moſes, tunc compoſitum fuiſſe legitimum familiæ ordinem: quod non longè à priore expoſitione recedit.

22 *Et adduxit.* Iam narrat Moſes inſtitutum fuiſſe diuinitus coniugium: quod in primis vtile eſt cognitu. nam quum ſibi Adam proprio arbitrio non ſumpſerit vxorem: ſed oblatam à Domino, ſibique addictam acceperit: hinc melius apparet coniugii ſanctitas, quia Deum ſcimus eſſe eius autorem. Quo pluribus modis conatus eſt Satan cõiugium fœdare, eo magis ab omni contumelia & probro illud aſſeramus, vt ſuam reuerentiã obtineat. Inde enim fiet, vt vitam cõiugalem bona & tranquilla conſcientia colant filii Dei: & caſtè honeſtéque mariti & vxores inter ſe verſentur. Duplex in captanda coniugii infamia Satanæ artificium fuit: vt illius odio peſtiferam cœlibatus Legem inueheret: deinde vt quiduis licentiæ ſibi permitterent coniuges. Ergo oſtenſa coniugii dignitate tollenda eſt ſuperſtitio: ne impediat quominus legitima puráque Dei ordinatione purè vtantur fideles. deinde obuiam eundum eſt carnis laſciuiæ, vt pudicè cum vxoribus habitent mariti. Quòd ſi non vrgeret alia ratio, hæc tamen vna ſufficere abundè nobis debet: niſi honorificè de coniugio ſentimus & loquimur, contumelia affici eius autorem & præſidem. talis enim hìc à Moſe deſcribitur.

23 *Et dixit Adam.* Quæritur vnde hæc Adæ notitia, qui tunc profundo ſomno obrutus erat. ſi dicimus ea fuiſſe tunc perſpicacia, vt iudicium ex cõiecturis facere potuerit: infirma erit ſolutio. Cæterùm nobis dubiũ eſſe nõ debet, quin illi Deus aut arcana reuelatione, aut verbo, rei ſeriem patefecerit. Neq; enim pro ſua ipſius neceſſitate coſtã mutuat⁹ eſt à viro, ex qua mulierẽ formaret: ſed eos inter ſe hoc vinculo magis deuinctos eſſe voluit: quod fieri nõ poterat, niſi res illis innoteſceret. Non exprimit quidẽ Moſes, quomodo innotuerit. niſi tamẽ velimus ſuperuacuũ facere opus Dei, ſtatuendum eſt, tam id, quàm eius edendi rationem & cõſilium, autorẽ manifeſtaſſe. Sopor autem Adæ immiſſus fuit, non qui originem vxoris illi abſconderet, ſed dolorẽ moleſtiámque eximeret, donec tam præclarum præmium haberet ablatæ coſtæ. Quòd dicit, *hac uice*, ſignificat ſibi hactenus defuiſſe aliquid: acſi dixiſſet, Nũc tandem iuſtam comparem nactus ſum, quæ pars eſt ſubſtantiæ & carnis meæ, & in qua velut me alterum contemplor. Et nomen vxori à viro imponit, vt hoc teſtimonio & hac nota, Dei ſapientiam æternæ memoriæ cõmendet. Latini ſermonis inopia coguntur interpretem reddere נוּן viraginem. Notãdum tamen eſt, Hebraicam vocem nihil aliud ſonare, quàm fœminam viri.

24 *Idcirco relinquet.* Dubitatur, inducátne Moſes Deum loquentem, an Adæ ſermonem continuet, an verò hoc pro doctoris officio in ſua perſona addiderit: quorum poſtremum mihi maximè probatur. Ergo poſtquam hiſtoricè retulit quod geſtum à Deo erat, finem quoque Diuinæ inſtitutionis demonſtrat. Summa eſt: inter gradus humanæ ſocietatis hunc præcipuum eſſe, & quaſi ſacerrimũ, vt vir vxori ſuæ adhæreat. Idque amplificat comparatione addita: quòd patri vxorem maritus præferre debeat. Relinqui autem dicitur pater, non quia diuellat filios à patribus coniugium, vel alias naturæ neceſſitudines tollat: nam hoc modo ſecum ipſe pugnaret Deus. ſed quum pietas filii erga patrem ſummopere colenda ſit, ac per ſe inuiolabilis ac ſancta cenſeri debeat, coniugium tamen ſic prædicat Moſes, vt minus liceat vxorem quàm parentes deſerere. Itaque qui diuortia temerè leuibus de cauſis admittunt, in vno capite violant omnia naturæ iura, & in nihilum redigunt. Si patrem à filio ſeparare, religio eſt: vinculũ quod Dominus aliis omnibus prætulit ſoluere, maius eſt nefas.

Erúntque in carnem unam. Licet vetus interpres tranſtulerit, in carne vna: expreſſius tamen quod habent Græci interpretes, Erunt duo in carnẽ vnã: atq; ita locũ citat Chriſtus, Matth. 19. a. 5. Quã quã autẽ hìc duorum non fit mẽtio: in ſenſu nihil eſt ambigui. Neq; enim plures vni viro vxores Deum attribuiſſe, ſed vnam dixerat: & in generali doctrina vxorem poſuerat numero ſingulari,

Supereſt ergo vt inter duos conſiſtat vinculum coniugale: vnde facilè apparet, nihil minus conſentaneũ eſſe Diuinæ inſtitutioni,quàm polygamiam.Iam quum Chriſtus voluntaria Iudæorum diuortia improbans, cauſam adducat,quia non ſic fuit à principio: primã certè hãc inſtitutionem perpetuæ regulæ inſtar haberi iubet.Eodem & ſui temporis Iudæos reuocat Malachias,Annon ab initio vnum fecit?Et tamen Spiritus abundans in eo erat.Quare dubium nõ eſt quin corruptela ſit legitimi coniugii polygamia.

Malach.2.d.15.

25 *Erant autem ambo nudi.* Quòd indecora & deformis cenſetur hominum nuditas,quæ in pecudibus nihil turpe habet,parum cõgruere videtur humanæ dignitati. Hominem videre nudũ non poſſumus ſine verecundia:in aſini,vel canis,vel tauri conſpectu non idem erit pudor.Quinetiam vnumquenque pudet ſuæ nuditatis, quanquam alii teſtes non accedãt.vbi igitur illa nobilitas qua præcellimus?Huius,qua nunc tangimur,verecũdiæ cauſam Moſes proximo capite oſtẽdet.Nunc ſatis habet dicere,in natura integra nihil niſi honorificum fuiſſe:vnde ſequitur,quidquid in nobis probroſum eſt, eſſe culpæ noſtræ imputandũ: quia parentes noſtri nihil in ſe habebant non honeſtum,donec peccato fœdati ſunt.

Cap. III.

1 ET ſerpens erat callidior omni beſtia agri,quã fecerat Dominus Deus:& dixit ad mulierem,Etiámne dixit Deus,Nõ comedetis ex omni arbore horti?

2 Et dixit mulier ad ſerpentem,De fructu arborum horti veſcimur:

3 At de fructu arboris quæ eſt in medio horti,dixit Deus,Nõ comedetis ex ea, neque contingetis eam,ne fortè moriamini.

4 Et dixit ſerpens ad mulierem,Non moriendo moriemini.

5 Scit enim Deus quòd in die qua comedetis ex ea,aperientur oculi veſtri,& eritis ſicut dii,ſcientes bonum &malum.

6 Et vidit mulier quòd bona eſſet arbor ad veſcendũ,& quòd delectabilis eſſet oculis,& deſiderabilis arbor ad intelligendum:& tulit de fructu ipſius, & comedit,dedítque etiam viro ſuo qui erat ſecum,& ipſe comedit.

7 Et aperti ſunt oculi amborum ipſorum,& cognouerunt quòd nudi eſſent:& conſuerunt folia ficus,fecerúntque ſibi cingula.

8 Audierunt autem vocem Domini Dei deambulantis per hortum ad auram diei:& abſcõdit ſe Adã & vxor eius à facie Domini Dei, in medio arborũ horti.

9 Vocauítque Dominus Deus Adam,& dixit ei,Vbi es tu?

10 Et ait,Vocem tuã audiui in horto, & timui:quia nudus eram, & abſcõdi me.

11 Et dixit, Quis indicauit tibi quòd nudus eſſes? nónne ex ipſa arbore de qua præceperam tibi ne comederes,comediſti?

12 Et ait Adam,Mulier quam dediſti vt eſſet mecum,ipſa dedit mihi de arbore, & comedi.

13 Dixítque Dominus Deus ad mulierem,Cur hoc feciſti?Et ait mulier,Serpẽs ſeduxitme,& comedi.

14 Et dixit Dominus ad ſerpentem, Quia feciſti hoc,maledictus eris præ omni animali,& præ omni beſtia agri:ſuper vẽtrem tuum gradieris,& puluerem comedes omnibus diebus vitæ tuæ.

15 Et inimicitias ponã inter te & inter mulierem, & inter ſemen tuum & inter ſemen eius:ipſum vulnerabit te in capite,& tu vulnerabis ipſum in calcaneo.

16 Ad mulierem dixit,Multiplicãdo multiplicabo dolorem tuũ,& conceptum tuum:cum dolore paries filios,& ad virum tuum erit deſiderium tuum,ipſéque dominabitur tibi.

17 Adæ verò ait, Quia paruiſti voci vxoris tuæ, & comediſti ex arbore de qua præceperam tibi,dicens,Non comedes ex ea:maledicta terra propter te, in labore comedes eam cunctis diebus vitæ tuæ.

18 Et ſpinam & tribulum germinabit tibi,& comedes herbam agri.
19 In ſudore vultus tui veſceris pane,donec reuertaris in terram:quia ex ea ſum ptus es:nam puluis es,& in puluerem reuerteris.
20 Et vocauit Adã nomẽ vxoris ſuæ Haua: quia ipſa eſt mater omnis viuentis.
21 Fecítque Dominus Deus Adæ & vxori eius,tunicas pelliceas,& induit eos.
22 Dixítque Dominus Deus,Ecce Adam factus eſt tanquã vnus ex nobis, ſcien do bonum & malum. nunc autem,ne fortè mittat manum ſuam,&accipiat e- tiam de arbore vitæ,& comedat,& viuat in ſeculum,*eiiciamus eum foras.*
23 Et emiſit eũ Domin⁹ de horto Heden,ad colẽdũ terrã ex qua ſumptus fuerat.
24 Et eiecit Adam, & collocauit ab Oriẽte horti Heden Cherubim,& laminam gladii verſatilis,ad cuſtodiendum viam arboris vitæ.

1 *Et ſerpens erat callidior.* Hoc capite exponit Moſes,hominem,poſtquam Satanæ aſtu deceptus, ab opifice ſuo defecit,prorſus mutatum, & ſic degenerem factum eſſe, vt deleta ſit Dei imago ad quam formatus erat. Deinde vnà cum homine totum mundũ qui in eius gratiã creatus erat,deſci- uiſſe à prima ſua origine: atque ita multũ ex natiua eius excellentia fuiſſe deperditum. Verùm hîc multæ emergunt & arduæ quæſtiones. Nam quũ dicit Moſes,ſerpentem fuiſſe aſtutũ præ aliis om nibus animalibus,innuere videtur,nõ Satanæ inſtinctu fuiſſe ad decipiendũ hominem adductum, ſed ſua ipſius malitia. Reſpondeo, nihil obſtare ingenitã ſerpenti verſutiã quin ipſo abuſus Satan fuerit ad machinandũ homini exitiũ. Nam quum inſtrumẽto opus haberet,delegit ex animalibus quod ſibi aptiſſimũ fore videbat: denique modũ excogitauit quo inſidiæ quas ſtruebat, facilius in Heuæ animũ obreperẽt. Illi nihil dum erat cõmunicationis cum hominibus: animalis perſonam induit,ſub qua ſibi acceſſum patefaceret. Non cõuenit tamen inter interpretes quo ſenſu vocetur ſerpens עורם,quo nomine Hebræi tam prudentẽ quàm callidũ deſignãt. Quidam igitur in bonam partem volũt accipi,alii in malã. Ego verò nõ tam vitium notari à Moſe exiſtimo,quàm in lau- de naturæ poni,quòd Deus ſingularẽ huic beſtiæ ſolertiã,vt præ aliis acuta eſſet ac perſpicax,indi derat:dotem verò ſerpenti diuinitus attributã,ad ſuas fallacias Satan cõuertit. Argutè cauillantur nonnulli,extare nũc in multis animalibus plus aſtutiæ. Quibus ego reſpondeo, nihil fore abſurdi ſi dicamus detractũ fuiſſe ſerpẽti donũ quod exitiale generi humano fuerat: quemadmodũ poſtea videbim⁹,ſumptas fuiſſe alias quoque de eo pœnas. Quanquã nõ multũ in hac deſcriptione variãt à Moſe Zoographi:& experiẽtia optimè reſpõdet. nec verò fruſtra Dominus ſuos iubet pruden- *Matth.10.b.16.*
tes eſſe tanquã ſerpẽtes. Sed videtur parũ rationi cõſentaneũ, ſerpentẽ hîc ſolùm induci,ſuppreſſa omni Satanæ mẽtione. Fateor quidẽ,ex hoc vno loco non poſſe colligi aliud,quàm homines à ſer pẽte fuiſſe deceptos. Verùm ſatis multa ſunt Scripturæ teſtimonia,quibus palàm claréq; aſſeritur, os tantũ diaboli fuiſſe ſerpentẽ: quia nõ hic,ſed ille pater mẽdacii,impoſturæ artifex,mortis autor ſtatuitur. Nondũ tamen ſoluta eſt quæſtio,Cur nomen Satanæ tacuerit Moſes. Ego eorũ ſentẽtiæ libenter ſubſcribo,qui Spiritũ ſanctũ tradunt cõſultò obſcuris figuris vſum tunc eſſe,quia plenã & conſpicuã lucẽ in regnũ Chriſti differri oportuit. Interea teſtãtur Prophetæ, mẽtẽ Moſis ſibi pro- bè fuiſſe cognitã: quãdo paſſim in diabolũ reiiciũt interitus noſtri cauſam. Diximus alibi,Moſen craſſo rudíque ſtylo accõmodare ad popularem captum quæ tradit: ídque optima de cauſa. neque enim illi indoctũ modò vulgus docendũ erat: ſed illa erat puerilis Eccleſiæ ætas,quæ nondũ altio- rem doctrinã capere poterat. Nihil itaque abſurdi,ſi lacte paſcũtur quos ſcim⁹ & fatemur pro illo tempore fuiſſe quaſi infantes. Vel ſi alia ſimilitudo magis placet,minime culpandus eſt Moſes, ſi pædagogi munus ſibi à Domino impoſitũ fuiſſe cogitans,puerilib⁹ rudimẽtis inſiſtit. Quibus fa- ſtidio eſt hæc ſimplicitas,totã Dei œconomiã in regẽda Eccleſia neceſſe eſt dãnent. ſufficiat illud, quòd Dominus arcana Spiritus ſui illuminatione ſuppleuit quidquid claritatis externis verbis deerat: quemadmodũ ex Prophetis liquet,qui viderunt proprium humani generis hoſtem eſſe Sa tanam,omniũ malorum architectũ, nocendo ac perdẽdo omnegenus fraudibus & fallaciis inſtru ctũ. Quanuis igitur obſtrepant impii,nihil eſt in hoc loquẽdi genere quod meritò nos offendat, ſi Moſes Satanam iniuſtitiæ principem ſub miniſtri organique ſui perſona deſcribit, quo tempore Chriſtus Eccleſiæ caput & ſol iuſtitiæ nondum palàm illuxerat. Adde quòd humanæ ingratitu- dinis fœditas melius inde perſpicitur: quòd quũ ſibi Dei manu in ſubiectionem cuncta animalia eſſe tradita,Adam & Heua agnoſcerent, ab vno tamen ex ſuis mancipiis abduci ſe paſſi ſunt ad re- bellandum Deo. Quoties intuebãtur quidquid animalium erat in mundo,tam ſummum Dei im- periũ,quàm ſingularis bonitas in mentẽ illis venire debebat: contra verò,dum ſerpentẽ vident ab opifice ſuo eſſe apoſtatam, non modò pœnas non ſumũt, ſed contra legitimum ordinẽ ſe illi ſub- iiciunt & addicunt,apoſtaſiæ eiuſdem comites. hac tanta prauitate quid fingi poteſt indignius? Ita

serpẽtis nomen non allegoricè, vt quidã ineptè faciũt, sed in genuino sensu accipio. Mirantur etiã plerique quòd Moses simpliciter & quasi ex abrupto narret, Satanæ impulsu in æternum exitium cecidisse homines: quo modo autem à Deo impulsor ipse defecerit, ne verbo quidẽ attingat. Atque inde factum est vt fanatici homines Satanam malum & peruersum, qualis hîc describitur, conditum fuisse somniarent. Atqui Satanæ defectio aliis Scripturæ locis probatur: & impium delirium est, malæ vllius & corruptæ naturæ creationẽ Deo affingere: nam perfecto mundo, testimonium ipse cunctis suis operibus reddidit quòd essent valde bona. Quare sine controuersia statuendũ est, malitiæ qua præditus est Satan principium nõ à natura, sed à defectione esse, quia à Deo iustitiæ & omnis rectitudinis fonte discessit. Sed eius lapsum nunc præterit Moses, quia illi propositũ est, breuiter humanæ naturæ corruptionem narrare: vt sciamus Adam nõ fuisse ad multiplices istas, sub quibus laborant omnes eius posteri, miserias conditũ: sed propria culpa in eas decidisse. Dum reputant homines, quot & quibus obnoxii sint malis: continere se nequeũt quin fremant & obmurmurent Deo, cui perperam imputãt iustas peccati pœnas. Notæ sunt querimoniæ, clementius egisse Deum cum porcis & canibus. vnde hoc, nisi quia miserũ hunc & perditum statũ, sub quo tabescimus, non referunt acceptum Adæ peccato, sicuti par erat? Sed hoc longè deterius, quòd interiora animæ vitia, qualia sunt horribilis cæcitas, contumacia in Deũ, prauæ cupiditates, violenti ad malum impetus, in Deum reiiciunt: quasi non accidentalis esset tota ingenii nostri peruersitas. Consilium ergo Mosis fuit, paucis cõplecti quantum à prima origine differat præsens nostra conditio: vt cũ humili culpæ nostræ cõfessione, discamus mala nostra lugere. Quare nõ est quod miremur, cum non omnia prosequi quæ desiderari à quouis possunt, dũ in historiã quam narrare instituit, intentus est. Nunc expedienda est illa quæstio in qua plurimũ ventosa ingenia tumultuãtur, Cur Deus Adam tentari passus fuerit, quũ adeò tristis euentus minimè eum lateret. Quòd nunc fræna Satanæ laxat, vt nos ad peccandum solicitet, iudicio & vltioni, post alienatũ ab ipso hominem, adscribimus: verùm natura adhuc sana & integra, nõ eadem fuit ratio. Hominẽ ergo Deus imagini suæ conformem, necdum vlla noxa implicitum, Satanæ tentandũ permisit: quinetiã animal commodauit, quod alioqui nunquã paruisset. quid hoc aliud fuit, quàm hostem in hominis exitium armare? Hæc videtur fuisse Manichæis occasio cur duo principia statuerent. Satanã ergo finxerunt, quum Deo non subesset, eo inuito struxisse homini insidias, & fuisse non homine solùm, sed Deo quoque ipso superiorẽ. Ita, vt quod timebãt absurdũ effugerẽt, in execranda errorũ portenta delapsi sunt, duos esse deos: nõ esse vnicũ mundi Creatorem: iustũ Deum à cõtrario victũ esse. At verò quicunque piè & reuerenter de potentia Dei sentiunt, nõnisi eius permissu agnoscunt hoc factum esse. Nam istud primò cõcedere necesse est: non latuisse Deum qualis futurus esset euentus: deinde potuisse obsistere, si ita visum foret. Cæterùm de permissu quum loquor, intelligo fuisse illi constitutum quidnam fieri vellet. Hîc quidem exoritur à multis dissensio, qui Adam libero suo arbitrio ita permissum fuisse imaginantur, vt Deus eius lapsum noluerit. sumunt pro confesso, quod illis fateor, nihil minus esse probabile, quàm Deum peccati censeri causam, quod tot atrocibus pœnis vltus est. Sed quũ dico, non sine Dei ordinatione & nutu lapsum fuisse Adam, non ita accipio quasi peccatũ illi vnquam placuerit, aut simpliciter voluerit præceptũ quod dederat, violari. Quatenus recti & bene compositi ordinis euersio fuit Adæ lapsus, quatenus in Deum legislatoré contumacia, & iustitiæ transgressio: Dei voluntati fuisse aduersum certum est. horum tamen nihil obstat quominus certa de causa, licet nobis incognita, hominem labi voluerit. Offendit quorundam aures, quũ dicitur, Deũ voluisse. sed quid, obsecro, aliud est eius permissio qui prohibendi ius habet, imò cuius in manu res est posita, quàm voluntas? Vtinam se à Deo iudicari potius sinerent homines, quàm sibi in eum iudicium sacrilega temeritate sumerent: verùm hæc carnis arrogantia est, examini suo Deum subiicere. Ego hoc axioma fixum retineo, Nihil magis à Deo alienum esse, quàm si dicamus hominem ab eo conditum, vt suspensa & dubia foret eius conditio. quare statuo, sicuti Creatorem decebat, prius apud se decretum habuisse quidnã de eo futurum esset. Perperam inde colligunt imperiti, non libero motu peccasse hominem. Sensit enim ipse, propriæ conscientiæ testimonio conuictus, nimis se in peccando fuisse liberũ. Necessitate an contingenter peccauerit, alia est quæstio: de qua vide Institutionem & libellum de Prædestinatione. *Dixit ad mulierem.* Locum hunc sannis suis exagitant impii, quia facundum animal faciat Moses quod bisulca lingua obscurè tantùm sibilat: ac primùm quærunt, ex quo tempore cœperint muta esse animalia, si tunc distinctum habebant & communem nobiscum sermonem. Responsio in promptu est: non natura disertum fuisse serpentem: sed quũ Dei permissu organum sibi appositum nactus esset Satan, voces quoque ex eius lingua formasse, quas idem Deus permisit. Nec dubito quin extraordinarium id esse Heua senserit: atque ideo cupidius exceperit quod mirata est. Iam si fabulosum iudicant, quidquid est insolitum: nullum Deo miraculum edere licebit. Deus opus aliquod à communi vsu remotum edendo, in potentiæ suæ admirationem nos cogit. si hoc

ipſo prætextu ridemus Dei potentiam quia familiaris nobis non eſt,annon ſimus pluſquam præ poſteri? Adhæc, ſi incredibile videtur, locutas eſſe Deo iubente beſtias: vnde homini ſermo, niſi quia eius linguam Deus formauit? Editas ſine lingua in aere fuiſſe voces ad illuſtrandam Chriſti gloriam, Euangelium prædicat: minus hoc rationi carnis probabile, quàm ex brutorum animalium ore elici ſermonem. Quid igitur hîc impiorum petulantia, inſectatione dignum inueniet? In ſumma, quiſquis Deum in cælo ſtaruit mundi præſidem, ſuam illi potẽtiam non negabit in creaturas, vt bruta animalia pro ſuo arbitrio loqui doceat: ſicut interdum homines ex facundis,elingues reddit. Porrò in eo ſe prodit Satanæ vafrities,quòd nõ rectà virum aggreditur, ſed in vxoris perſona,quaſi per cuniculos obrepit. Inſidioſa hæc adoriendi ratio nobis hodie quoque plus ſatis nota eſt: atque vtinam ita ſit,vt prudẽter nobis cauere diſcamus. Nam qua parte nos videt parum munitos,furtim ſe inſinuat,ne prius ſentiatur, quàm penetrauerit quò volebat. Non refugit mulier ſerpentis colloquium,quia nullum adhuc diſſidium erat: habebat ergo non ſecus ac domeſticum animal. Quæritur, quidnam Satanam ad machinandum homini exitium impulerit. Finxerunt curioſi ſophiſtæ,quia præuiderat filiũ Dei humana carne induendũ, inuidia ſimul flagraſſe: verum friuola eſt ſpeculatio. Nam quum homo factus ſit Dei filius, vt nos ex miſera diſſipatione iam perditos colligeret: quomodo præuideri potuit quod futurũ non erat, niſi homo peccaſſet? Si coniecturis detur locus, veriſimilius eſt, vt deſperati ſolẽt, rabie quadam fuiſſe adactum, vt ſecum in ſocietatem æterni interitus hominem raperet. Verùm hac vna ratione contentos eſſe nos decet, quòd quũ eſſet Dei aduerſarius, conatus ſit ordinem ab eo poſitum euertere: quia Deũ non poterat è ſolio ſuo detrahere, hominẽ aggreſſus eſt, in quo refulgebat eius imago. Euerſo homine, horrendam fore totius mundi confuſionem nouerat, ſicut accidit: ergo in hominis perſona ſtuduit opprimere Dei gloriam. Omiſſis cõmentis doctrinã hanc, quæ ſimplex eſt ac ſolida, teneamus. *Etiam nec* Variè exponitur, imò torquetur hæc ſententia, partim quia per ſe obſcura eſt, partim ob Hebraicæ particulæ ambiguũ ſenſum. אף כי Hebræis tantũdem valet interdum ac Latinis etiamſi, vel enimuero: interdum quantomagis. Dauid Kimhi in hoc poſtremo ſenſu accipit: & putat multa vltro citróque habita fuiſſe verba, antequã huc deſcenderet ſerpens: nempe quòd aliis nominibus Deum calumniatus, tandem cõcludat, Hinc multo magis apparet, quàm inuidũ ſe & malignum præbuerit erga vos, quia arborem ſcientiæ boni & mali vobis interdixerit. Verùm expoſitio hæc, præterquã quòd coacta eſt, Heuæ reſpõſo falſa eſſe coarguitur. Rectius Chaldæus paraphraſtes, Verúmne eſt quòd Deus prohibuerit, &c. Porrò quibuſdã ſimplex, aliis ironica eſſe videtur interrogatio. ſimplex eſſet, quæ dubitationem iniiceret, hoc modo, Fierine poteſt vt eſum cuiuſpiã arboris vetuerit Deus? Ironica autem, quæ excuteret inanem metũ: ſcilicet, Dei multũ intereſt an edatis ex arbore: ridiculũ ergo quòd vobis putatis eſſe vetitũ. Priori ſentẽtiæ ideo libẽtius ſubſcribo, quia magis probabile eſt, Satanã vt occultius falleret, flexuoſis ambagib⁹ ſenſim progreſſum eſſe, vt mulierẽ in cõtemptũ Diuini præcepti induceret. Iam alii exiſtimãt, Satanã præciſè negare, eſſe Dei verbũ quod audierant homines. Alii (quibus ego magis aſſentior) putãt, ſub cauſæ quærẽdæ prætextu, obliquè labefactari verbi fidem. Et certè vetus interpres trãſtulit, Cur dixit Deus: quod etſi nõ in totũ probo, non tamen dubito quin mulierem ſerpens ad quærendam cauſam ſolicitet: quoniam aliter eius animum à Deo abducere non poterat. Valde periculoſa tentatio, quum nobis ſuggeritur, non eſſe Deo parendum, niſi quatenus mandati ratio conſtat. Vera enim obedientiæ regula eſt, vt nudo imperio cõtenti, iuſtum eſſe ac rectũ nobis perſuadeamus quidquid præcipit. Quiſquis verò præter menſuram ſapere appetet, hunc excuſſa Dei reuerentia protinus in apertam rebellionem abripiet Satan. Quantum ad Grammaticam attinet, vertendum cenſeo, Etiámne, vel itáne? Satanæ tamen artificium notandum eſt. Mulieri enim ſcrupulum iniicere voluit, vt verbum Dei non eſſe crederet, cuius non palàm extabat plauſibilis ratio. *Ex omni arbore horti.* Duplicem ſenſum afferunt interpretes: prior eſt, quòd Satan, augendæ inuidiæ cauſa, fingat omnes arbores fuiſſe vetitas. Etiámne præcepit Deus ne audeatis vllam arborem attingere? Alter verò, Ergo non promiſcuè vobis ex quauis arbore veſcẽdi permiſſa eſt libertas. Prior magis quadrat diaboli ingenio, vt malignè rem amplificet: & videtur ſuffragari Heuæ reſponſio. nam quum dicit, Omnibus veſcimur, vna tantùm excepta: videtur calumniam de generali prohibitione refellere. ſed quia hoc ad falendum erat aptius, quæſtionem de ſimplici nudáque Dei prohibitione mouere: magis credibile eſt, Satanã, pro ſua vafritie, hinc feciſſe tentationis exordium, Fierine poteſt vt Deus vos ex qualibet arbore fructũ colligere noluerit? Quòd autem excipit mulier, vnã duntaxat arborem prohibitam: ad defenſionẽ mandati facit, acſi negaret durũ vel moleſtum debere videri quòd tanta arborum copia & varietate permiſſa, Deus vnã tãtum exceperit. Ita in his verbis erit cõceſſio: vetitam quidem eſſe vnam arborem. deinde refutatio calumniæ, quòd non ſit arduum vel difficile abſtinere ab vna arbore, vbi innumeræ ad manum ſuppetunt, quarum vſus permiſſus eſt. Non poterat Hæua Satanæ inſultum magis prudenter vel cordate repellere, quàm dum obiicit ſe &

tum à Domino tam liberaliter tractatos esse,vt abundè sufficere debeat quæ concessa est facultas. significat enim se nimis fore ingratos, si tantis opibus non contenti, plus quàm fas est appetant. Quum dicit vetuisse Deum ne comedant vel attingant: secundum verbum quidam additum putant, quasi Deum insimulet nimiæ severitatis : quòd etiam à tactu prohibuerit. Ego verò potius interpretor,eam adhuc in obedientia perstare,ac exprimere pium affectum in Dei præcepto anxiè obseruando. Tantùm in pœnæ denuntiatione labascit,inserens aduerbium fortè:quum Deus certò pronuntiasset, morte moriemini. Etsi enim Hebræis יום non semper dubitationem sonat : quia tamen sæpius in hoc sensu capitur, libenter hoc amplector, quòd hæsitare cœperit mulier. Certè mortem præ oculis non habuit, vt decebat, si Deo immorigeram esse contingeret: verùm mortis periculum procul & frigidè sentire se demonstrat.

4 *Dixit serpens ad mulierem.* Iam liberius insultat Satan : & quia rimam sibi patere videt, recto impetu perrumpit. neque enim aperto marte vnquam congredi solet, nisi quum nos sponte nudos illi,& inermes exponimus. subtilius primùm per blanditias nos adoritur:sed vbi obrepsit, petulanter & superba confidentia contra Deum insurgere audet. sicuti nunc, arrepta dubitatione Heuæ,longius penetrat,quo faciat simplicem negatiuam. Talibus exemplis ad cauendas eius illecebras erudiri nos conuenit,vt maturè obuiam eundo, procul eum à nobis arceamus,ne propior illi accessus pateat. Nunc ergo non dubitanter quærit, vt antea, veréne sit præceptum Dei quod oppugnat:sed palàm Deum arguit mendacii. Verbum enim illud quo mors denũtiata est, falsum ac delusorium esse asserit. Exitialis tentatio,quum Deo exitium minante,non modò securi torpemus,sed Deum ipsum habemus ludibrio.

5 *Scit enim Deus.* Sunt qui putét astutè hîc Deum à Satana laudari,quasi nunquam homines à fructu salutifero prohibiturus fuerit. sed illi manifestè secum pugnant:simul enim fatentur,priore membro iam prorsus abrogasse fidem Deo quasi mentitus foret. Alii putant Deum malignitatis & inuidiæ argui,eo quòd summa perfectione hominem priuare voluerit:atque horum sententia probabilior est. Interea, meo iudicio, probare conatur Satan quod nuper dixerat, sumpta à contrario ratione. Hanc, inquit, arborem vobis Deus interdixit, ne in societatem gloriæ suæ admittere vos cogatur:ergo superuacuus est pœnæ metus. In summa,noxium esse fructũ negat,quia vtilis sit ac salutaris. Quum dicit, Deum nouisse:zelotypia inductum exprobrat, & cõsultò mãdasse de arbore,vt in gradu inferiori hominem teneret. *Eritis sicut dij.* Quidam vertunt, Similes Angelis. Posset etiam numero singulari reddi, Tanquam Deus. Mihi nõ dubium est quin Diuinitatem illis promittat Satan:acsi dixisset,Non alia ratione Deus arbore scientiæ vos fraudat, nisi quia vetetur habere socios. Cæterùm Diuinã gloriam, vel æqualitatem cum Deo in perfecta boni & mali scientia,non sine colore constituit: sed merus fucus est,quo miseram fœminam illaqueat. Quia naturaliter ingenitum est omnibus sciendi studium:putatur in eo sita esse fœlicitas. Verùm erranuit Heua,quæ modum sciendi nõ temperauit Dei arbitrio. Et eodem quotidie morbo laboramus omnes,quòd plus scire appetimus,quàm expediat,& quàm Dominus permittat: quũ præcipuum sapientiæ caput sit composita in Dei obsequium sobrietas.

6 *Et vidit mulier.* Impurus hîc & concupiscentiæ veneno infectus Heuæ aspectus,cordis impuri nuntius ac testis fuit. Poterat syncerè prius arborem aspicere, vt nulla vescendi libido animum eius feriret. fides enim quam habebat verbo Dei, optima erat cordis & sensuum omnium custos. Nunc postquam à fide & obediẽtia verbi cor defecit,secum pariter corrupit omnes sensus, ac per omnes tam animæ quàm corporis partes diffusa est prauitas. Hoc ergo impiæ defectionis signũ est, quòd mulier bonam ad vescendum arborem esse iudicat, quòd cupidè se oblectat eius intuitu, quòd desiderabilem esse acquirendæ prudentiæ causa, sibi persuadet, quam prius centies præteriisset libero & tranquillo intuitu. nunc enim proteruè & intemperanter vagatur animo, excusso fræno,& corpus in eandem secum lasciuiã trahit. לחשכיל bifariam exponi potest:quòd arbor concupiscibilis foret vel ad videndum,vel ad prudentiam conferendam. Hoc posterius quia tentationi melius respõdet,libenter amplector. *Dedítque etiam viro suo qui secum erat.* Exbis verbis coniiciunt quidam adfuisse Adam,quũ tentata fuit vxor,& persuasa à serpente:quod nullo modo credibile est. fieri tamen potest, vt mox superuenerit: imò antequam fructum arboris gustaret mulier,retulerit habitũ cum serpente colloquiũ, & iisdem quibus decepta fuerat fallaciis, irretiuerit. Alii particulam,עמה,ad coniugale vinculum referunt:quod recipi potest. Quia autem simpliciter refert Moses,sumptum è manib⁹ vxoris fructũ comedisse:opinio hæcvulgò recepta fuit,illecebris illius captum fuisse potius,quàm Satanæ imposturis persuasum. In eum finẽ adducitur Pauli sententia,Adã non fuit deceptus,sed mulier,1.ad Timo.2.d.14. sed Paulus illic,vt originẽ mali à muliere profectã doceat,cõparatiuè tantùm loquitur. Non ergo tantùm vt morẽ gereret vxori,legem sibi positam transgressus est:sed ab ea in exitialem ambitionem pertractus,eiusdem defectionis socius fuit. Et sanè Paulus alibi non per mulierem, sed per ipsum Adam peccatum venisse tradit,

Rom.5.b.12. Deinde exprobratio, quæ paulo pòſt ſequetur, *Ecce Adam quaſi unus ex nobis*, clarè teſtatur ipſũ quoque ſtultè concupiſſe pluſquã licebat: & plus fidei habuiſſe diaboli captionibus, quàm ſacroſancto Dei verbo. Nunc quæritur, quodnã vtriuſque peccatũ fuerit. Puerile eſt quod ex veteribus nonnulli tradunt, intemperantia gulæ fuiſſe illectum. Nam quum tanta optimorum fructuum copia affluueret, quales in vna ſpecie lautitiæ? Rectius Auguſtinus, qui ſuperbiam dicit malorum omnium initiũ fuiſſe, & ſuperbia perditum eſſe humanum genus. Plenior tamen definitio peccati ex tẽtationis ſpecie quam deſcribit Moſes, ſumi poteſt. Primùm enim abducitur mulier à verbo Dei, ſerpentis captionibus per infidelitatẽ. Quare initium ruinæ, qua labefactatũ eſt humanum genus, fuit defectio ab imperio Dei. Sed obſerua, tunc à Deo homines deſciuiſſe, quum relicto illius verbo, aures præbuerunt Satanæ mendaciis. Nam inde colligimus, Deum velle ſuſpici & coli in verbo ſuo: ideóque excuti omnem eius reuerentiam, quum verbum contemnitur. Doctrina cognitu valde vtilis: nam apud paucos ſuam dignitatem obtinet Dei verbum: vt per huius contemptum impune ruentes, ſibi tamen inter Dei cultores præcipuum gradum arrogent. Atqui vt non aliter ſe hominibus manifeſtat Deus quàm per verbum: ita neque aliter eius maieſtas conſiſtit, nec ſaluus manet eius inter nos cultus, quàm dũ obedimus eius verbo. Proinde infidelitas radix defectionis fuit: ſicuti ſola fides nos Deo coniungit. Hinc fluxit ambitio & ſuperbia, vt mulier primùm, deinde & maritus ſe contra Deum efferre cuperent. Verè enim ſe contra Deum extulerunt, quum honore ſibi diuinitus collato, & tanta præſtantia non contenti, plus optarunt ſcire quàm fas erat, vt Deo pares forent. Vbi etiam ſe prodit monſtroſa ingratitudo. ad ſimilitudinem Dei facti erant: hoc parum videtur, niſi accedat æqualitas. Iam non eſt quòd in extenuando Adæ & vxoris peccato fruſtra, non minus quàm præpoſterè laborent ſiniſtri & praui homines. Neque enim leue delictum, ſed deteſtabile ſcelus eſt apoſtaſia, qua ſe homo conditoris ſui imperio ſubducit, imò eum reiicit & abnegat. Adde, quòd non ſimplex apoſtaſia fuit, ſed cum atrocibus in Deum ipſum contumeliis & probris coniuncta. Deum mendacii accuſat Satan, & inuidiæ, & malignitatis. tam fœdæ & execrandæ calumniæ ſubſcribunt: tandem contempto Dei mandato, non modo ſuæ indulgent libidini, ſed diabolo ſe mancipant. Siquis breuius malit: infidelitas ambitioni ianuam aperuit: ambitio verò contumaciæ fuit mater, vt homines abiecto Dei metu, iugũ excuterent. Hac ratione docet Paulus, inobedientia Adæ peccatum intraſſe in mundum. Fingamus, nihil fuiſſe mandati tranſgreſſione deterius. Ne ſic tamen ad leuandam Adæ culpã, multum profectum fuerit. Deus & liberũ in omnibus, & regem illum mundi conſtituens, in vnius ſolum arboris abſtinentia obſequium eius experiri voluerat. hæc illi conditio non placuit. Excuſent peruerſi rhetores, illectam fuiſſe mulierem arboris pulchritudine, virum blanditiis Heuæ irretitum. Quo tamẽ mitius erat Dei imperiũ, eo minus tolerabilis in eo recuſando fuit peruerſitas. Verùm altius quærenda eſt peccati origo & cauſa. Nunquam enim Deo repugnare auſi eſſent, niſi primũ eius verbo increduli. Nihil autem ad fructum appetendũ eos illexit, quàm inſana ambitio. Quandiu fidem habentes Dei verbo, ſponte ſe eo regi paſſi ſunt, habebant ſedatos & ritè compoſitos affectus. Optimum ſcilicet erat frænum, quæ penitus inſidebat eorum animis cogitatio, Deum eſſe iuſtum: ac nihil eſſe melius, quàm eius mandatis parere: vltimam verò fœlicis vitæ metam eſſe, ab ipſo diligi. Poſtquam verò Satanæ blaſphemiæ locũ dederũt, quaſi faſcinati, ratione & iudicio cœperunt carere: imò quum Satanæ eſſent mancipia, ligatos tenuit eorum ſenſus. Adhæc ſcimus nõ externa ſpecie æſtimari coram Deo peccata, ſed interiore affectu. Iam verò, quòd primorum hominum defectio, totius generis dicitur vniuerſalis fuiſſe clades, pleriſque abſurdum videtur: atque hoc nomine libenter Deum in crimen vocarent. Pelagius cõtrà, ne corruptio naturæ humanæ in Deum redũdaret, (quod falſò timebat) peccatũ originale negare auſus eſt. Verùm tam craſſus error, non modo ſolidis Scripturæ teſtimoniis, ſed ipſa quoque experientia apertè refellitur. Philoſophis, quum alioqui ſatis ſupérque acuti eſſent, ignota fuit naturæ noſtræ vitioſitas. Nempe ſtupor iſte illuſtre teſtimoniũ fuit originalis peccati. Quicunque enim non prorſus cæcutiunt, vident nullam noſtri partem eſſe integram: mentem eſſe percuſſam cæcitate, innumeríſque erroribus infectam: omnes cordis affectus contumacia & prauitate plenos: & illic regnare vel fœdas libidines, vel alios non leuiores morbos: multis vitiis ſenſus omnes ſcatere. Cæterùm quia nullus præter vnum Deum, idoneus eſt huius cauſæ iudex: ſententiæ quam protulit in Scripturis, acquieſcendum eſt. Primùm, quòd vitioſi & peruerſi naſcamur, Scriptura clarè docet. Friuolum Pelagii cauillum fuit, imitatione ortum fuiſſe peccatum ab Adam. Neque enim poterat Dauid, adhuc matris incluſus vtero, Adæ eſſe imitator: qui tamen fatetur ſe in peccato fuiſſe conceptum. Porrò amplior huius rei probatio, & definitio peccati originalis, ex Inſtitutione petatur: niſi quòd vno verbo, quàm latè pateat, hîc expediam. Quicquid eſt in natura noſtra vitioſum, quia Deo adſcribere fas nõ eſt, meritò in peccatũ reiicimus. Atqui Paulus tertio ad Rom. cap. c. 10, corruptionẽ nõ ſubſidere vna tantum in parte docet, ſed totam animam & ſingulas eius partes occupare. Vnde ſe-

Pſal.51.d.7

quitur, puerilitèr errare eosqui originale peccatum in libidine tantum, & inordinato appetituum motu considerant: quum in ipsa rationis sede & toto corde grassetur. Peccato annexus est reatus: vel quemadmodum loquitur Paulus, ab homine peccatum, à peccato mors. Quare alibi pronuntiat, nos esse filios iræ: acsi æternæ maledictioni nos subiiceret. In summa, quòd spoliati eximiis Spiritus sancti donis, luce rationis, iustitia, rectitudine, ad omne autè malum propensi sumus: deinde quòd perditi & damnati, morti subiacemus: hæreditaria est nostra conditio, & simul iusta pœna, quam Deus in Adæ persona generi humano inflixit. Nunc siquis obiiciat, iniquum esse vt pœnam alieni peccati luant insontes: respondeo, quicquid donorum nobis in Adæ persona contulerat Deus, potuisse iure optimo auferre, cum ille impiè desciuit. Neque opus est cõfugere ad vetus illud quorundam figmentũ, quòd animæ ex traduce oriãtur. Neque enim naturaliter ex Adæ progenie corruptionem traxerunt posteri: sed id potius ex Dei ordinatione pendet: qui sicuti totã humani generis naturam in vno homine ornauerat præstantissimis dotibus, ita in eodem ipsam nudauit. Iam verò, ex quo in Adam corrupti sumus, non sustinemus alieni delicti pœnã: sed propria culpa rei sumus. Mouetur etiam à nonnullis quæstio de lapsus, vel potius ruinæ tempore. Opinio hæc passim recepta fuit, eodem quo conditi fuerant die, excidisse: ideo Augustinus scribit, stetisse tantum per sex horas. Quòd alii coniiciunt, dilatam fuisse in diem sabbathi tentationem à Satana, vt sanctum diem profanaret: nimis infirmum est. Et certè his documentis monentur pii omnes, vt in dubiis speculationibus sibi parcius indulgeant. Ego vt de tempore quod asseram nõ habeo: ita ex Mosis narratione colligi posse arbitror, non diu retinuisse quam acceperant dignitatem. nam simul ac conditos fuisse dixit, nulla alterius rei facta mentione, transit ad defectionem. Si vel modico temporis spatio habitasset Adã cum vxore, non inanis certè fuisset Dei benedictio in propaganda sobole: sed Moses Dei beneficiis priuatos fuisse significat, antequam vti consuescerẽt. Facile igitur Augustini exclamationi subscribo, O miserum liberum arbitrium, quod adhuc incolume, tam parum habuit firmitatis. Atque vt taceamus de breuitate tẽporis, illa Bernardi admonitio memoratu digna est, Quũ tam horribile præcipitiũ in paradiso accidisse legamus, quid nos facturi sumus in sterquilinio? Simul memoria tenendum, quo prætextu in capitalem sibi ac posteris suis omnibus fraudem inducti fuerint. Plausibilis erat ista Satanæ adulatio, Scietis bonũ & malum: sed ideò maledictum erat illud scire, quia præter Dei gratiam appetebatur. Quare nisi velimus sponte eosdem induere laqueos: discamus à solo Dei nutu, quem bonorum omnium agnoscimus autorem, omnino pẽdere. Et quoniam nos Scriptura passim nuditatis inopiæque nostræ admonet, & in Christo recuperandum pronuntiat quod amisimus in Adam: exinanita omni nostri fiducia, nos Christo vacuos offeramus, vt suis nos diuitiis impleat.

Rom.5.b.12. Ephes.2.a.3

7 *Et aperti sunt oculi.*. Velatos esse oportuit Heuæ oculos, donec vir quoque deceptus foret: nunc ambo infausti consensus vinculo pariter constricti, malum suum sentire incipiunt: quanquam nondum seria culpæ suæ notitia tanguntur. Pudet eos suæ nuditatis: conuicti tamen nõ se humiliant coram Deo, non metuunt eius iudicium vt deceret: imò tergiuersari non desinunt. Est tamen hîc aliquis profectus, quòd quum nuper cælum, instar gigantum, impeterent: nunc ignominiæ suæ sensu confusi, ad latebras fugiunt. Atque ista quidem oculorum apertio in primis hominibus, ad cernendam suam turpitudinem, clarè demonstrat suo quoque iudicio fuisse damnatos. Nondum vocati sunt ad Dei tribunal: nullus est qui eos vrgeat: quæ sponte subit verecundia, annon certum culpæ indicium est? Nihil igitur totius mundi proficiet facundia ad eos reatu liberãdos, quibus sua conscientia ad fatendam culpam iudex fuit. Quin potius nos omnes aperire oculos docet, vt dedecore nostro confusi, demus gloriam Deo qualem meretur. Flexibilem Deus hominem creauit: tentari non modo passus est, sed voluit. Nam & serpentis linguam diabolo, præter ordinarium naturæ vsum commodauit: quemadmodum siquis alteri gladium & arma suppeditet. Quum infœlix euẽtus illi esset præcognitus, remedium quale poterat, nõ attulit. Sed vbi ad hominem ventum fuerit, reperietur sponte peccasse, & non minus libero quàm peruerso animi motu, discessionem fecisse à Deo factore suo. Nec dicere licebit, fuisse leue aliquod delictum, quòd fidem Dei verbo abrogans, impia & sacrilega æmulatione contra eum se extulit, quòd noluit eius imperio subesse, quòd denique & superbè & perfidè ab eo defecit. Ergo quicquid peccati est ac culpæ in primorum hominum lapsu, penes eos residet: quòd præcessit æternum Dei consilium, iusta ratione non caret, quanuis nobis abscondita. Videmus quidem, ex ram horribili ruina fructum quotidie emergere, quòd nostris miseriis Deus ad humilitatẽ nos erudit: deinde quòd bonitatem suam clarius illustrat. nam vberior eius gratia per Christum effusa est in mundum, quàm Adæ collata esset à principio. Iam si nos ratio fugiat, non mirum si nobis arcanũ Dei consilium sit instar labyrinthi. *Et consuerunt folia.* Quod nuper dixi, nec vero pudore, nec serio metu ad pœnitentiam fuisse adductos, nunc melius patet. Cõsuunt sibi ex foliis perizomata. Quorsum? Vt tanquam inuicto propugnaculo, Deum procul arceãt. Fuit ergo confusus tantum, & quũ he-

betudine coniunctus mali sensus, qualis in somno inquieto esse solet. Nemo nostrũ est qui non illorum stultitiam rideat (vt certe ridiculum fuit) tale integumentum Dei oculis opponere. Interea omnes eodem laboramus vitio: nam ad primas conscientiæ punctiones trepidamus quidẽ, & pudore afficimur: sed protinus obrepit indulgentia quæ nos inducit ad friuolas ineptias: quasi promptum sit, Deo illudere. Itaque nisi magis prematur conscientia, nullus est tam inanis & fluxus excusationis color, in quo non acquiescamus: imò si nullus fucus suppetat, facimus tamen nobis delicias, & tridui obliuione putamus nos bene esse tectos. In summa, describitur hîc à Mose frigida & semimortua peccati cognitio, qualis ingenita est mentibus hominum, vt reddantur inexcusabiles. Quæri tamen potest, si tota natura peccati sordibus infecta est: cur tantùm vna in parte corporis deformitas apparet? Neque enim faciem, vel pectus operiunt Adam & Heua: sed tantum pudenda, quæ vocamus. Hac occasione factũ esse arbitror, vt vulgò non aliam naturæ corruptelam agnoscerent, quàm in libidine venerea. Atqui expendere debebant, non minorem fuisse in oculis & auribus verecundiæ causam, quàm in parte genitali, quæ peccato nondum fœdata erat: quum aures & oculi inquinassent Adã & Heua, & diabolo quasi arma præbuissent. Sed Deo fuit satis, extare in corpore humano aliquam pudendam notam, quæ nos peccati commonefaciat. Deinde, vt iam diximus, nondum Adæ, eiúsque vxori cognita erat sua turpitudo, quũ tam leui integumento effugere Dei conspectum tentarent.

8 *Audierunt uocem Domini.* Simul ac vox Dei intonat, sentiũt Adam & Heua, nihil sibi folia prodesse, quibus se optimè munitos putabant. Nihil hîc tradit Moses, quod non hodie maneat in hominum natura, & clare cernatur. Insculptum est omnium cordibus boni & mali discrimen, vt docet Paulus ad Rom. cap. 2. c. 15. sed inanibus foliis omnes vitiorum suorum dedecus sepeliunt, donec eorum conscientias intus voce sua Deus percellit. hinc trepidæ conscientiæ, postquam scilicet Deus excusso torpore, vocem suã audire coegit. Porrò vbi Hieronymus vertit, Ad aurã post meridiem: Hebraice habetur, Ad vẽtum diei. Græci, omisso venti nomine, posuerunt Ad vesperã. Ita inualuit opinio, quòd quum circa meridiem peccasset Adam, sub occasum solis in iudicium vocatus fuerit. Ego verò in diuersam coniecturã magis inclino, quòd suo integumento operti, nolem in silentio & quiete transegerint, adiuuantibus eorum hypocrisin tenebris: deinde circa auroram rursus deintegro expergefacti, ad seipsos redierint. Scimus exoriente sole, naturaliter auram excitari: simul ergo cum flatu Deus apparuit. Vespertinam autẽ auram impropriè Moses, diei vocaret. Alii pro plaga vel regione Australi accipiunt: vt certè מ interdum Hebræis hanc vel illam mundi regionem significat. Alii putãt notari tempus quod terroribus minus est obnoxium: nam in clara luce maior est securitas: atque ita impletũ putant quod Scriptura pronuntiat, malè sibi conscios, etiam sine periculo semper anxios, & inquietos esse. Eodem referunt quod subiicitur de aura, quasi ad strepitum folii cadentis formidauerit Adam. sed quod attuli, verius est ac simplicius: quod sub noctis tenebris latebat, sole exoriente fuisse detectum. Neque tamen dubito quin notabile aliquod præsentiæ Dei symbolum in flatu illo extiterit. quanquam enim, vt nuper dixi, quotidie auram aliquam sol exoriens ciere solet: id non obstat quominus extraordinariũ aduentus sui signum Deus ad stimulandas Adæ & vxoris cõscientias, dederit. Nam quum sit incomprehensibilis, dum se hominibus manifestare vult, induit eas notas vnde possit agnosci. Dauid appellat ventos Dei nuntios, super quorum alas equitat, aut potius incredibili celeritate volat: sed quoties visum est, tam ventis quàm aliis creaturis, præter naturæ ordinem, ad suum arbitrium vtitur. Ergo quòd venti meminit hoc loco Moses, significat meo iudicio, editum fuisse insolitum, & insigne diuinæ præsentiæ symbolũ, quod primorũ hominum animos vehementer percelleret. Iam hoc posterius fugæ remedium, nihilo melius priore: quãdoquidem fugitiuos Deus sola voce mox retrahit. Scriptũ est, Quò fugiam à facie tua? Si mare traiiciam, si assumptis alis transcendã nubes: si descendam in profundas abyssos: tu Domine vbique eris. Id fatemur omnes verum esse, neque interea cessamus captare vana subterfugia: & quaslibet vmbras, nobis fingimus optima esse propugnacula. Neque omittẽdum est, quòd pauca folia minimum sibi prodesse expertus, ad integras arbores confugit. Sic enim solemus friuolis cauillis excusi, excusationes nouas fingere, quæ nos velut sub densiore vmbra occultent. Quum dicit Moses, Adam & vxorem se occultasse in medio arboris paradisi: singularem numerũ pluralis loco esse positũ interpretor: acsi dixisset, inter arbores.

Psal. 104. d. 3

Psal. 139. a. 7

9 *Vocauitque Dominus Deus Adam.* Iam perculsi fuerant Dei voce, sed attoniti sub arboribus iacebant, donec altera vox in eorum animos efficacius penetrat. Dicit Moses vocatum fuisse Adam à Domino: annon antè vocatus fuerat? Verùm ille fuerat confusus sonus, qui nondum satis haberat vigoris ad premendas conscientias: itaque nunc propius instat Deus, & ex multiplici arborum complexu, quanuis inuitum & restitantem, trahit in medium. In eũdem nos quoque modum terremur Dei voce, simul atque auribus nostris Lex eius insonat: sed mox vmbras captamus, donec vehemẽtius nos compellans, reos ad suum tribunal prodire cogit. Hanc Paulus vitam Legis

nominat,quum peccata noſtra coarguens nos occidit.Nam quandiu placemus nobis, & falſa vitæ opinione ſumus inflati,Lex nobis mortua eſt:quia eius aciem retundimus noſtra duritia:ſed vbi acrius nos pungit,in nouos terrores compellimur.

10 *Vocem tuam audiui.* Quanquam hæc deiecti hominis & humiliati videtur eſſe confeſſio: mox tamen patebit,nondum fuiſſe probè domitum,neque ad pœnitentiam adductũ. Voci Dei & nuditati ſuæ timorem imputat: quaſi non antè loquẽtem Deum audierit intrepidus, imò ſuauiter eius ſermone exhilaratus fuerit. Quòd pudoris cauſam in nuditate nõ agnoſcit,in eo etiam nimis ſtupidus eſt : ſic ergo ſe pœnam ſentire oſtendit,vt culpam nondum fateatur.Interea verum eſſe probat quod prius dixi, non in vna tantum corporis parte reſidere originale peccatum, ſed regnum habere in toto homine, adeóque occupare ſingulas animæ partes, vt nulli ſua maneat integritas. nam cum ſuis foliis horret nihilominus ad conſpectum Dei.

11 *Quis indicauit tibi.* Obliqua ad carpendam Adæ ſocordiam obiurgatio, quia culpam in pœna nõ agnoſcat:acſi dictum eſſet,non ſimpliciter Adam metuere à voce Dei:ſed quia peccator eſt, vocem iudicis eſſe illi formidabilem. Nuditatem quoque non eſſe cauſam metus,ſed vitii turpitudinem,qua ſe fœdauit: & certè intolerabilis erat in Deum blaſphemia, quòd mali originem in natura quærebat.Non quòd diſertis verbis Deum accuſauerit:ſed miſeriam ſuam deplorans, ac interea diſſimulans ſe illius autorem,inalignè in Deum, quod in ſe ſuſcipere debebat, crimen tranſcribit. Vbi vulgaris tranſlatio habet,Niſi quòd de arbore:potius interrogatio eſt. Dubitanter autem inquirit Deus,non quaſi de re ambigua,ſed quo ſtupidum hominem acrius pungat,qui cæco tormento laborans, malum tamen ſuum non ſentit: perinde acſi ægrotus ardere ſe clamitans, de febri non cogitet. Cæterùm meminerimus, nihil nos vllis ambagibus profecturos, quin ſemper nos in Adæ peccato Deus iuſto reatu conſtringat. Particula hæc, *De qua mandaueram tibi ne comederes*: ad tollendum ignorantiæ prætextum addita eſt. Significat enim Deus, Adam fuiſſe in tempore admonitum:nec alia de cauſa periiſſe, niſi quia ſciens & volens exitium ſibi accerſiuerit. Iterum in tranſgreſſione & contumacia notatur peccati atrocitas. nam vt Deo nihil obedientia gratius eſt, ita nihil minus tolerabile, quàm dum homines ſpretis eius mandatis,Satanæ & propriæ libidini obtemperant.

12 *Mulier quam dediſti mihi.* Nunc clarius ſe prodit Adæ ferocia:adeò enim ſubactus non eſt,vt in craſſiorem blaſphemiam erumpat. Tacite prius cum Deo expoſtulabat : nunc palàm cum eo litigare incipit:imò quaſi fractis repagulis inſultat. Vnde perſpicimus,quàm præfractum & indomitum animal cœperit eſſe homo poſtquam à Deo alienatus eſt.corruptæ enim naturæ vitia effigies in Adã nobis proponitur ab eius defectione. Tẽtatur vnuſquiſque à propria concupiſcentia, inquit Iacobus:& Adam ipſe,nonniſi ſciens & volens Deo ſe rebellem præſtiterat. Perinde tamen ac nullius mali conſcius, vxorem ſubſtituit ream ſuo loco: Ideo comedi, inquit, quia dedit illa. Neque hoc contentus,Deum ſimul arripit in crimen,obiiciens vxorẽ quæ perniciem attulit,fuiſſe ab ipſo datam. Nos quoque in eadẽ peccati originalis ſchola edocti, captãdis eiuſmodi effugiis nimiũ ſumus habiles,ſed nullo profectu:nã vtcunque flabella aliunde & inſtigationes impellant: intus tamẽ eſt infidelitas,quæ ab obedientia Dei nos abducit:intus eſt ſuperbia,quæ contẽptũ parit.

Iacob.1.b.14

13 *Dixitque Dominus Deus ad mulierem.* Non vltrà cõtendit Deus cum viro, neque opus eſt. friuola enim defenſione primum: deinde impia obtrectatione auxit potius,quàm leuauit crimen:denique quantũuis obſtrepat, tenetur tamen conuictus. Nunc ad mulierẽ ſe conuertit iudex,vt cognita amborum cauſa, tandem pronuntiet. Porrò ſermonem Dei ita vertunt interpretes, *Quare hoc feciſti?* Sed phraſis Hebraica plus habet vehementiæ : eſt enim oratio mirantis, vt in re prodigioſa. Vertendum itaque potius, Quomodo feciſti hoc? Acſi dixiſſet, quî fieri potuit vt in animum induceres,viro tuo tam peruerſa eſſe conſultrix? *Serpens ſeduxit me.* Obſtupeſcere debuerat Heua ad ſceleris ſui portentum, de quo admonita erat. Non tamen obmuteſcit : ſed mariti exemplo exonerat aliò crimen:ſerpentem culpando,ſe abſolutam putat:ſtultè quidem & impudenter. Huc enim demum redit exceptio, Accepi à Serpente quod vetueras:ſerpens fuit impoſtor.Sed quis Heuam coegit illius fallaciis aurem præbere? imò cupidius illis fidem habere quàm Dei verbo? Denique cur eas admiſit,niſi patefacto & prodito ingreſſu,quem Deus ſatis probè munierat? Verùm vbique ſe profert fructus originalis peccati:quia cæcus eſt in ſua hypocriſi,Deum libenter redderet mutum & elinguem. Et vnde tot quotidie murmura, niſi quia non obmuteſcit Deus, quoties cæcutiunt mentes noſtræ?

14 *Et dixit Dominus ad Serpentem.* Serpentem non interrogat,vt virum & mulierem: quia nec in beſtia ſenſus erat peccati, & diabolo nullam ſpem veniæ reſiduam facturus erat. Poterat etiam iure ſuo de illis ferre ſententiam, licet inauditis: de Adam dico & Heua. Cur ergo ad diſquiſitionẽ vocat,niſi quòd curæ habet eorum ſalutem?Doctrina hæc in vſum noſtrum applicanda eſt. Nulla cauſæ actione, aut ſolenni iudicii forma opus eſſet ad nos damnandos. quare dum in hoc Deus

incumbit vt confessionē à nobis extorqueat,medicū potius agit,quàm iudicē.Eadem ratio est cur Dominus,antequā hominibus pœnā irroget,initium faciat à Serpente.Aliæ enim pœnæ,vt videbimus,castigatoriæ sunt, ac eo cōsilio inflictæ,vt ad resipiscentiā adducāt:in hac nihil tale.Sed dubiū est ad quē referātur verba,ad Serpentémne,an ad diabolū.Dixit quidē Moses,Serpentē fuisse astutum & vafrū animal: certum tamen est,quū Satan homini exitium moliebatur, ab eius fraude & malitia fuisse innoxium. Quare hunc totum locum multi allegoricè exponunt: & plausibiles sunt, quæ ab illis afferuntur argutiæ.Sed omnibus propius expensis, facile animaduertent lectores sano iudicio præditi, mixtum esse sermonem. nam ita Serpentē alloquitur Deus, vt clausula ad diabolum pertineat.Si cui absurdum videtur pœnam de bruto animali exigi alienæ fraudis : in promptu est solutio: quum esset in hominis gratiam creatus, non temere maledici, ex quo versus est in eius pernicię. Et hac vltione probare Deus voluit, quanti æstimet hominis salutem: quemadmodum si pater gladium quo filius occisus fuerit,execrationi habeat. Atque hîc non modo quale in suas creaturas habeat Deus imperium,sed in quem eas finem condiderit, reputandum est, sicut nuper dixi. Diuini enim iudicii,æquitas ab illo quem sanxit naturæ ordine,dependet:nequid affine habeat cæcæ vltioni. Hoc modo tradentur reprobi in ignem æternum cum suis corporibus, quæ licet nullum per se motum habeant, organa tamen sunt malis perpetrandis.Sic hominis manibus adscribitur quicquid scelerum cōmittit ille, ac ideo pollutæ cēsentur: quū tamen seipsas non moueant,nisi quatenus prauo cordis affectu impulsæ,exequuntur quod illic conceptū est.secundum hanc rationem dicitur feciſſe serpens quod diabolus per ipsum fecit. Verùm si tam seuerè in brutum animal vlciscitur Deus hominis exitium,multo minus Satanæ pepercit, totius mali autori:quod ex clausula melius patebit. *Maledictus es præ omni animali.* Viget ista Dei maledictio in serpente:qua fit vt despicabilis sit & vix tolerabilis cælo & terræ, vitámque obnoxiam & assiduis terroribus plenam agat:deinde vt non tantum exosus sit nobis, tanquam capitalis inimicus generis humani, sed ab aliis quoque animalibus segregatus, bellū gerat quodammodo cū natura.prius enim cicurē fuisse vidimus,vt mulier familiarē accessum non refugeret.Sed quæ sequūtur,plus habēt difficultatis: quia videtur naturale esse quod Deus in pœnā denuntiat: vt reptare super vētrem, & puluerem comedere.Mouit quosdam doctos homines & acutos hæc obiectio, vt dixerint serpentem recto corpore ingredi solitum, priusquam eo abusus esset Satā. Cæterum nihil erit absurdi,si fateamur pristinæ conditioni iterum addici serpentē, cui naturaliter iam subiectus erat.sic enim cogendus erat in ordinem, qui se aduersus Dei imaginem extulerat, acsi dictū esset, Tu ausus es miserum & putidum animal in hominem insurgere,quem præfecerā totius mūdi dominio: quasi verò tuum esset,quum terræ esses affixus,in cælum penetrare.Ergo vnde emergere tentasti, iam te retraho: vt sorte tua contentus esse discas, nec amplius insolescas in hominis cōtumeliam.Interea sic reuocatur à sua lasciuia ad solitum ingressum, vt perpetuæ ignominiæ simul damnetur.Comedere puluerem,signum est naturæ vilis & sordidæ, simplex meo iudicio ille est sensus, quem etiam confirmat Iesaiæ testimonium,cap.65.d.25.Nam dum plenam naturæ integræ ac bene constitutæ instaurationem promittit sub Christi regno, inter alia commemorat, puluerem serpenti pro pane futurum esse. Quare non est quod in singulis quæ hic refert Moses, noua aliqua mutatio quæratur.

15 *Inimicitias ponam.* Simpliciter interpretor,hostile semper fore dissidium humano generi cū serpentibus, quale hodie cernitur. Fit enim arcano naturæ sensu, vt ab ipsis abhorreat homo. Quòd quibusdam sunt in deliciis, inter prodigia reputandum est. ac quoties nobis horrorem incutit serpentum aspectus,renouatur defectionis nostræ memoria. Vno etiam tenore cōtexo quod mox sequitur, *Ipsum vulnerabit caput tuum, & tu vulnerabis eius calcaneum.* Tale enim odium fore denuntiat,vt sibi vltrò citróque molesti sint : serpentem hominibus infestum fore, & homines vicissim perdendis serpentibus fore intentos. Interea videmus vt se clementer in homine castigando gerat Dominus, in quem serpenti non vltrà permittit,quàm vt calcaneum attingat:quum illi subiiciat vulnerandum serpentis caput. Nam in nominibus capitis & calcanei distinctio est inter superius & inferius. Atque ita principatum aliquem Deus homini residuum facit:quia sic mutuum nocendi affectum ponit, vt tamen æqualis non sit conditio, sed homo superior futurus sit in certamine.Quòd in priore membro vertit Hieronymus,Cōteres caput:in secundo,Insidiaberis calcaneo : nulla ratione factum est. Idem enim verbum repetitur à Mose : tantum in capite & calcaneo notanda est diuersitas,quemadmodum nuper dixi. Verbum tamen Hebraicum siue à שוף,siue à שפה deductum sit, alii conterere vel percutere, alii mordere interpretantur. Mihi quidem dubium non est quin ad serpentis nomen alludere voluerit Moses,qui שפיפן Hebraicè dicitur à שפה siue שוף.Nunc transitum à serpente ad ipsum maleficii autorē facere conuenit, neque id per comparationem duntaxat : est enim verè literalis anagoge : quia non ita euomuit iram suam Deus in externum organum, vt diabolo parceret, penes quem residebat tota culpa. Id quo certius nobis

conſtet,obſeruare primò operæpretium eſt,non ſerpentis ſed hominum cauſa loquutum eſſe Dominum. Nam quorſum attinebat contra ſerpentem vocibus nō intellectis tonare? Quare habita fuit hominum ratio:tum vt maiori peccati horrore tangerentur, videntes quantopere Deo diſpliceat:vt inde miſeriæ ſuæ ſolatium caperent, quia ſentirent Deum ſibi adhuc eſſe propitium. Iam verò quàm tenue & ieiunum foret bonæ ſpei argumentum, ſi tantùm ſerpentis fieret mentio,omnes vident: neque enim conſultum foret, niſi caducæ & fluxæ corporis vitæ. Manerent interea homines Satanæ mancipati,qui ſuperbè de illis triumpharet,calcarétque eorum capita.Quare vt collapſos hominum animos erigeret Deus,vt deſperatione oppreſſos recrearet,neceſſe fuit victoriam de Satana,cuius inſidiis perierant,in poſterum illis promitti.Hæc vna demum ſalutaris medicina fuit,quæ perditos colligeret,vitámque reſtitueret mortuis.Conſtituo itaque Deum ſub nomine ſerpentis Satanam maximè hîc petere, & in eum ſtringere iudicii ſui fulmen:quod facit duplici de cauſa.Primùm vt ſibi cauere homines à Satana diſcant,tanquā ab hoſte mortifero: deinde vt certa vincendi fiducia cum eo prælientur.Cæterum etſi non omnes animis diſſident à Satana, imò nimis familiariter bona pars illi adhæret,re tamen ipſa hoſtis eſt eorum Satan:nec eum horrere deſinūt,quos alioqui ſuis illecebris demulcet.Et quia ſibi infenſas eſſe nouit hominum mētes, aſtutè ſe obliquis artibus inſinuat:atque ita fallit ſub aliena perſona. In ſumma,ingenitum nobis eſt à natura,Satanam quaſi nobis aduerſum fugere.Atque vt oſtendat Deus non vnius tantum ſeculi fore odium,nominatim dicit, *inter te & ſemen mulieris*: quàm latè ſcilicet propagabitur hominū genus. Mulierem ideo exprimit,quia ſicut illa diaboli verſutiæ ceſſerat,& decepta prior, maritum traxerat in conſortium ruinæ, ita peculiari conſolatione opus habuit. *Ipſum vulnerabit*. Locus hic nimis luculento documento eſt, quanta fuerit in Papatu doctorum omnium & inſcitia, & ſocordia,& incuria.Obrepſit fœmininū genus loco maſculini vel neutri. Qui Hebraicos vel Græcos codices conſuleret,nemo inter eos fuit,vel qui ſaltem Latina inter ſe exēplaria conferret.Communi igitur errore vitioſiſſima lectio recepta fuit.Deinde inuēta eſt ſacrilega expoſitio,dum ſanctæ Chriſti matri aptarunt quod de ſemine dictum erat. In verbis quidem Moſis nulla eſt ambiguitas:de ſenſu verò mihi non conuenit cum aliis.Nam ſemen pro Chriſto ſine controuerſia accipiunt:acſi dictum foret,ēxoriturum ex mulieris ſemine aliquem,qui ſerpentis caput vulneraret. Eorum ſententiam libenter meo ſuffragio approbarem,niſi quòd verbum ſeminis nimis violenter ab illis torqueri video : quis enim concedet nomen collectiuum de vno tantum homine accipi? Deinde ſicut diſſidii perpetuitas notatur:ita per continuam ætatum ſeriem promittitur victoria ſoboli humanæ. Generaliter ergo ſemen interpretor de poſteris. Sed quum experiētia doceat, multum abeſſe quin ſupra diabolum victores emergant omnes filii Adæ, ad caput vnum venire neceſſe eſt, vt reperiamus ad quos pertineat victoria. Sic Paulus à ſemine Abrahæ ad Chriſtum nos deducit: quia multi fuerunt filii degeneres, & bona pars adulterina propter infidelitatem: vnde ſequitur,vnitatem corporis à capite fluere.Quare ſenſus erit meo iudicio,humanū genus quod opprimere conatus erat Satan,fore tandem ſuperius.Interim tenendus eſt vincendi modus, qualē Scriptura deſcribit.Filios hominum captiuos ſeculis omnibus duxit Satā pro ſua libidine: & hodie luctuoſum illum triumphum continuat. ideo & princeps mundi vocatur. Sed quia fortior emerſit è cælo,qui illum ſubiugaret,hinc fit vt illi ſimiliter tota Dei Eccleſia ſub capite ſuo magnificè inſultet. Quò ſpectat illud Pauli,Rom. 16.c.20, Dominus breui conteret Satanam ſub pedibus veſtris. quibus verbis ſignificat Satanæ conterendi virtutem diffundi in omnes fideles, atque ita communem totius Eccleſiæ benedictionē eſſe: verùm ſimul admonet inchoari tantum in hoc mundo:quia Dominus non coronat niſi bene probatos athletas.

Iohan.12.c.31

16 *Ad mulierem dixit*. Quo iudicis maieſtas clarius refulgeat, nō vtitur Deus longa diſceptatione: vnde etiam perſpicimus quid valeant omnes noſtræ apud ipſum tergiuerſationes. Producto ſerpente,putabat Heua ſe fuiſſe elapſam:Deus omiſſis illis cauillis eam damnat.Deſinat ergo,vbi ad tribunal Dei ventum eſt, litigare peccator: ne eius iram,quem iam plus ſatis offendit, grauius in ſe prouocet. Nunc videndum genus pœnæ quod mulieri imponitur. Quū dicit, *Multiplicabo dolores*:complectitur quicquid moleſtiæ ſuſtinent mulieres,ex quo grauidæ eſſe incipiunt, faſtidium cibi,deliquia,laſſitudines,aliáque innumera, vſque dum ventum eſt ad partū, qui acerbiſſima tormenta ſecum affert. Eſt enim credibile, abſque dolore, vel ſaltem abſque tāto cruciatu parituram fuiſſe mulierem,ſi in prima conditione ſtetiſſet. ſed defectio à Deo eiuſmodi incōmodis eam ſubiecit. Dolores & conceptus per hypallagen accipe pro doloribus quos ex conceptu perferunt. Secunda pœna quam irrogat, eſt ſubiectio.Loquutio enim hæc, *Ad uirum erit appetitus tuus*, perinde valet : acſi negaret eam fore liberam ac proprii iuris, ſed mariti ſui imperio addictam, vt ab eius nutu pendeat: acſi diceret, Tibi non aliud appetendum erit, niſi quod volet maritus. Sicut infrà cap.4.a.7,Appetitus eius ad te.Ita mulier quæ fines ſuos proteruè exceſſerat,in ordinem ſuum cogitur. Iam prius quidem ſubiecta marito ſuo fuerat, ſed erat liberalis & minime dura ſubiectio:

nunc verò in ſeruitutem coniicitur.

17 *Adæ uerò dixit.* Primo loco notandum eſt, non primis tantùm hominibus pœnam infligi, vt in duobus conſiſtat, ſed generaliter extendi ad omnes poſteros: vt ſciamus in illorum perſona maledictum eſſe humanum genus: deinde nonniſi tẽporalibus pœnis ſubiici, vt ex iræ diuinæ moderatione ſpem veniæ cõcipiant. Deus cauſam adducẽs, cur ſic in virum animaduertat, obmurmurãdi anſã illi præcidit. omni enim excuſatione carebat, qui vxori magis fuerat obſequutus, quàm Deo: imò qui Deum contempſerat in vxoris ſuæ gratiam: fallaciis Satanæ, quarum ipſa nuntia erat ac miniſtra, tantum fidei deferens, vt non dubitaret fictorem ſuum perfidè abnegare. Etſi autem præciſè & breuiter agit cum Adam, prætextũ tamen quo effugere tentauerat, ideo refellit, quo facilius ad pœnitentiam eum adducat. Poſtquam breuiter de Adæ peccato præfatus eſt, terrã eius cauſa pronuntiat fore maledictam. Vetus interpres tranſtulit, In opere tuo. ſed tenenda eſt lectio, in quam conſentiunt Hebræi omnes codices, quòd propter Adam maledicta fuerit terra. Iam ſicut terræ benedictio vocatur in Scripturis fœcunditas quam Deus arcana ſua virtute inſpirat, ſic maledictio nihil aliud eſt, quàm oppoſita priuatio, vbi Deus gratiã ſuam ſubducit. Nec verò abſurdum videri debet, quòd ex hominis peccato in terram, licet innoxiam, redundat pœna. Sicuti enim primum mobile cæleſtes omnes ſphæras ſecũ voluit: ſic hominis ruina præcipites egit omnes creaturas, quæ propter ipſum conditæ, illíque ſubiectæ fuerant. Et videmus vt aſſiduè hominum reſpectu, prout illis Deus iraſcitur, vel fauorem ſuum oſtẽdit, variet mundi conditio. Addeque quòd propriè loquẽdo, nõ de terra ipſa, ſed de ſolo homine tota vindicta exigitur. Neque enim ſibi terra fructificat: ſed vt nobis ex ſuis viſceribus aliměta ſuppeditet. Cæterũ Dominus irã ſuã diluuii inſtar exundare voluit in omnes mundi partes, vt quocunque aſpiceret homo, in eius oculos incurreret peccati atrocitas. Ante lapſum, mundi ſtatus Diuini in hominẽ fauoris, & paternæ indulgentiæ pulcherrimum & in primis delectabile ſpeculum erat. Nunc in elementis omnibus cernimus nos maledictos. Et quanquã adhuc miſericordia Dei, (vt inquit Dauid,) plena eſt terra, *Pſal.33.5* ſimul tamen manifeſta horrendæ eius à nobis alienationis ſigna apparent, quibus niſi mouemur, cæcitatem noſtram prodimus ac ſtuporem. Tantùm ne triſtitia & horror nos abſorbeant, bonitatis ſuæ notas paſſim Dominus aſpergit. Cæterum quanuis nuſquã pura & liquida cernatur Dei benedictio, qualis integro adhuc homine extabat, ſi tamen in ſe reputetur quod reliquũ manet, verè & meritò exclamat Dauid, Dei miſericordia plenam eſſe terram. Porrò Moſes terrã comedere accipit, pro veſci fructibus qui ex ea proueniunt. Nomen עצבון, quod vertunt doloré, pro moleſtia quoque & fatigatione capitur. Hoc loco antitheton eſt iucundi laboris, in quo ſe prius ita exercebat Adam, vt quodammodo luderet. fuerat enim non ad ignauiam conditus, ſed ad aliquid agendum. Ideo præfecerat eum Dominus horto colendo. Verùm quũ in labore illo ſuauis oblectatio eſſet, nunc illi iniungitur ſeruilis labor, non ſecus acſi ad metallũ damnetur. Et tamen huius quoque pœnæ mitigatur aſperitas, Dei clementia, quòd hominũ laboribus aliquid miſcetur lætitiæ, ne prorſus ingrati ſint, vt proximo verſu mox iterum dicam.

18 *Spinam & tribulum germinabit.* Fuſius proſequitur quod attigerat de percipiendis cum labore & moleſtia terræ fructibus. Et cauſam aſſignat, quia non eadem erit terra quæ prius, quæ ſinceros fructus producat. fore enim pronuntiat vt degeneret terræ fertilitas in ſentes, & noxia impedimenta. Quæcunque ergo vitioſa naſcuntur, ſciamus non natiuos eſſe terræ fructus, ſed corruptelas, quæ à peccato originem habent. Nec eſt quod expoſtulemus cum terra, ſi votis noſtris & cultorum ſuorum labori non reſpondeat, quaſi nos illa malignè fruſtretur: ſed in eius ſterilitate reputemus iram Dei, & peccatis noſtris ingemiſcamus. Falſum etiam eſt quod quidam dicunt, terram longo temporis ſucceſſu exareſcere, quaſi eam laſſaret pariendi aſſiduitas. Rectius ſentiũt, qui creſcente hominum malitia, reſiduam Dei benedictionem paulatim agnoſcunt minui & extenuari. ac certè periculũ eſt, niſi reſipiſcat mundus, ne bona pars hominum fame, & ingentibus aliis miſeriis breui tabeſcat. Quod proximè ſequitur, *Comedes herbas agri*: nimis reſtrictè meo iudicio exponunt, qui exiſtimant cunctis fructibus priuatum fuiſſe Adam, quibus antè veſci permiſſum fuerat. Solum intelligit Deus, tantum prioribus lautitiis detractum iri, vt herbas brutis ſolùm animalibus deſtinatas miſcere in ſubſidium cogatur. Longè enim delicatior erat victus initiò appoſitus in beata illa & tã delectabili copia, quàm poſtea fuerit. Partẽ igitur inopiæ exprimit Deus ſub nomine herbarum: quemadmodũ ſi rex ex ſuis quempiam à primaria menſa ad plebeiam & ſordidam ableget: vel pater filiũ à quo fuerit offenſus, paſcat cibario ſeruorum pane: non quòd illi interdicat cibis aliis omnibus, ſed quòd ex ſolita liberalitate multum ſubducat. Poſſet tamẽ accipi hoc vice conſolationis additum: acſi dictũ eſſet, Quanuis ſentibus & ſpinis occupata ſit terra, quæ nõniſi bonarũ frugũ mater eſſe debuerat, ſimul tamẽ alimenta tibi proferet, quibus veſcaris.

19 *In ſudore uultus tui.* Alii quidam laborem vertunt, ſed coactẽ. Per ſudorem verò intelligitur labor durus, & fatigationis tædiíque plenus, qui ſudorem ſua difficultate exprimat. Eſt autem re-

petitio ſuperioris ſentẽtiæ, vbi dictum fuit,Comedes eam in labore. Perperã huius loci prætextu imperiti quidam ad laborem manuariũ adigere omnes volunt. Neq; enim præcipit hîc Deus vt Magiſter vel Legiſlator, ſed tanquã iudex pœnã irrogat. Et ſanè ſi hîc præſcriberetur regula, fieri omnes agricolas neceſſe eſſet, nec vllus daretur locus artibus mœchanicis: extra mũdum quærendus eſſet veſtitus, aliáque vitæ adminicula. Quid ergo? Nempe Deus quaſi ex tribunali pronunciat poſthac ærumnoſam fore hominũ vitam:quia Adam tranquillo illo, fœlici,lætóque ſtatu, ad quem cõditus fuerat,indignũ ſe præſtiterit. Siquis obiiciat multos eſſe inertes,vel ignauos: nihil id obſtat quominus ſeſe maledictio iſta in totum genus humanũ diffundat.Neminé in tanta deſidia torpere dico, qui non cogatur experiri hoc in omnes competere. Fugitant quidam moleſtias:plurimi & immunitatẽ,quoad in ſe eſt,captãt:ſed Dominus ad vnum omnes iugo impoſitæ ſeruitutis premit.Cæterũ tenendum ſimul eſt,nõ ſingulis ex æquo imponi laborem, ſed aliis plus, aliis minus. Ideo labor deſcribitur vniuerſo corpori communis, non proprius cuique membro, niſi quatenus Domino placet ex communi malorum congerie ſingulis partiri certam méſuram. Interea notandum eſt,qui ſe placidè ſubiiciunt ærumnis, eos gratum Deo obſequium præſtare: ſi quidem crucis tolerantiæ coniuncta ſit peccatorũ cognitio,quæ eos ad humilitatẽ erudiat:verùm ſola eſt fides, quæ tale ſacrificium offerat Deo.Sed fideles quo magis laborant in quærendo victu, maiore profectu ad pœnitentiam ſtimulantur,ſéque ad carnis mortificationẽ aſſuefaciunt:quanquã ſæpe filiis ſuis Deus, ne oneri ſuccumbant, partẽ huius maledictionis remittit. Quò etiá pertinet illud,Surgent alii manè,ſero cubitum ibunt:comedent panem anguſtiæ: dabit autem Dominus dilectis ſuis ſomnum. quatenus ſcilicet per Chriſti gratiam reparantur, quæ in Adam vitiata fuerant, pii Deum magis beneficum ſentiunt, ac paternæ eius indulgentiæ dulcedine fruuntur. Sed quia in optimis quoque ſubigenda eſt caro, non raro contingit pios duris laboribus macerari,& interea eſurire. Ideo nihil melius, quàm præſentis vitæ ærumnis admonitos, peccata noſtra deflere:& leuationem petere ex Chriſti gratia,quæ doloris acerbitatem nõ mitiget ſolùm,ſed etiá dulci temperamento condiat. Porrò non omnia incommoda enumerat Moſes, quibus ſe homo per peccatum implicuit. conſtat enim ex eodem prodiiſſe fonte omnes præſentis vitæ ærumnas, quas experientia innumeras eſſe oſtendit. Aeris intemperies,gelu, tonitrua, pluuiæ intempeſtiuæ, vredo, grandines, & quicquid inordinatũ eſt in mundo, peccati ſunt fructus. Nec alia morborum prima eſt cauſa:ídque poeticis fabulis celebratũ fuit:haud dubie,quòd per manus à patribus traditum eſſet. Vnde illud Horatii,Poſt ignẽ ætherea domo Subductũ,macies,& noua febrium terris incubuit cohors, Semotíque prius tarda neceſſitas Lethi corripuit gradũ. Sed Moſes qui breuitati ſtudet,ſuo more pro cõmuni vulgi captu attingere cõtentus fuit quod magis apparet:vt ſub exemplo vno diſcamus, hominis vitio inuerſum fuiſſe totum naturæ ordinẽ. Siquis rurſum obiiciat,nihil ferè miſeriarum viris imponi, quod non ad mulieres pertineat: reſpondeo,id conſultò fieri,vt diſcamus ex Adæ peccato communiter ad vtrunque ſexum fluxiſſe maledictionem:ſicuti teſtatur Paulus omnes in Adam eſſe mortuos. Reſtat vna quæſtio expedienda:quum prius,data ſpe veniæ Deus ſe Adæ & vxori propitium oſtenderit, cur deintegro pœnam ab illis expetere incipiat. In illa certe ſententia,Semen mulieris percutiet caput ſerpentis:continebatur peccatorũ remiſſio,& æternæ ſalutis gratia. Abſurdum verò eſt,Deum ex quo recõciliatus eſt,iram ſuam proſequi reipſa. Ad hunc nodum ſoluendum inuenta eſt diſtinctio duplicis remiſſionis,culpæ & pœnæ:cui annexum poſtea fuit ſatiſfactionum commentum. finxerunt Deum ſic abſoluere à culpa homines,vt pœnam retineat,pro iudicii rigore eam ſumpturus,ſaltem temporalem. Sed qui pœnas exigi putarunt in compenſationem, præpoſteri fuerunt iudiciorum Dei interpretes. neque enim quid meriti ſint fideles, in ipſis caſtigandis Deus reputat, ſed quid illis in poſterum vtile ſit: ac medici potius,quàm iudicis partibus fungitur. Plena igitur,non dimidia eſt abſolutio quam filiis ſuis impertit. Quòd receptos in gratiam nihilominus punit, eiuſmodi caſtigatio medicinæ vſum habet in futurum tempus,non autem commiſſi peccati vindicta propriè cenſeri debet. Si ritè conſideremus quantus ſit humani ingenii torpor,quãta deinde laſciuia,quanta cõtumacia,quãta leuitas, & quàm facilis obliuio,non mirabimur in eo ſubigendo Dei auſteritatem. Si verbis admoneat, non auditur: ſi addat verbera, ne ſic quidem multùm promouet. Vbi audiri contingit, caro nihilominus proteruè calcitrat. Laſciuia deterior eſt obſtinata illa durities, quæ data opera ſe Deo opponit. Siquis ea ſit manſuetudine præditus,vt Deo morẽ gerere nõ detrectet:tamen poſt vnum peccatũ admiſſum,elapſus è Dei manu, mox eodem recidet, niſi violẽta manu retrahatur. Quare tenendum eſt axioma generale,miſerias omnes, quibus ſubiecta eſt ac obnoxia hominum vita,neceſſaria eſſe exercitia,quibus nos Deus partim ad pœnitẽtiã ſolicitat, partim ad humilitatẽ erudit, partim reddit in poſterum cauendis peccati illecebris cautiores,& magis attentos. *Donec reuertaris.* Clauſulam miſeræ vitæ mortẽ fore denuntiat: acſi diceret, per varias & continuas malorum ſpecies Adam ad extremum malorum omnium tandem venturũ. Ita impletum fuit quod

Pſal.103.a.9

Rom.5.b.12

antè diximus, ſtatim à die trāſgreſſionis inchoatam fuiſſe Adæ mortem. Nihil enim aliud eſſe potuit maledicta hominis vita, quàm mortis initium: ſed vbi contra ſerpentē victoria, ſi mors extrema occupat: Neque enim aliud ſonant verba, quàm opprimēdum à morte eſſe hominem. Ergo euaneſcit promiſſio nuper data, quando Adæ nihil à morte ſit reliquum. Adde quòd ſpes recuperandæ ſalutis perquàm tenuis & obſcura data erat. Equidem nō dubito quin iſta verborum fulmina grauiter afflixerint iam deiectos alioqui mœſtitia animos. ſed quum ſubita clade attoniti, non autem peccati notitia verè perculſi forent: non mirum eſt, Deum magis in pœnarum commemoratione inſiſtere, vt validius eos quaſi repetitis ictibus, contundat. Quanuis obſcura per ſe & debilis ſit cōſolatio: fecit Deus vt ad ſpem eorum fulciendam, ne prorſus eos obrueret malorum grauitas, ſufficeret. Interea multiplici malorum congerie ipſos deprimi oportuit, donec veram & ſeriam pœnitentiam Deus exprimeret. Cæterum quanquam hic ponitur mors quaſi vltima linea, id referri ad hominem debet: quia in Adam nihil præter mortem reperietur: ſed hoc modo ſtimulatur ad quærendum in Chriſto remedium. *Nam puluis es.* Quū naturæ ſit quod Deus hîc proponit, non vitii, aut culpæ: non videtur mors homini fuiſſe accidentalis. Ideo quod prius dictum eſt, Morieris: quidam ſpiritualiter accipiunt, putātes etiam ſi Adam non peccaſſet, corpus eius fuiſſe tamen ab anima ſeparandum. Sed quum clara ſit Pauli ſententia, Omnes in Adam mori, ſicuti in Chriſto reſurgent: hoc quoque vulnus à peccato fuit *Rom. 5. v. 14* inflictum. Nec verò difficilis eſt illius quæſtionis ſolutio, Cur Deus in puluerem reuerſurum pronuntiet, qui è puluere ſumptus eſt. Nam ex quo in tantam dignitatem euectus fuerat, vt in eo fulgeret gloria imaginis diuinæ, penè ſepulta erat terreſtris corporis origo. Nunc poſtquam Diuina & cæleſti excellentia nudatus eſt, quid reſtat niſi vt ipſo vitæ exitu, ſe terram eſſe agnoſcat: Hinc fit vt mortem horreamus: quia naturaliter expeti non poteſt diſſolutio, quæ aduerſa eſt naturæ. Tranſiturus quidem fuit primus homo in meliorem vitam, ſi integer ſtetiſſet. verùm nulla tunc fuiſſet animæ à corpore migratio, nulla corruptio, nulla interitus ſpecies, nulla denique mutatio violenta.

20 *Et uocauit Adam.* Duplex poteſt eſſe lectio: prior, in tempore pluſquam perfecto, Vocauerat Adam. Eam lectionem ſi ſequimur: ſenſus Moſis erit, longe fuiſſe deceptum Adam, qui vitam ſibi & poſteris promiſerit ab vxore, quam poſtea ſenſit eſſe mortiferam. Eſt autē Moſi vſitatum, vt iam vidimus, non ſeruata hiſtoriæ ſerie, ſubiicere quæ ordine priora erant. Si legas in tempore præterito: licebit vel in bonam, vel in malam partem accipere. Sunt enim qui exiſtimant Adam, ſpe lætioris ſtatus erectum, quia Dominus caput ſerpentis vulnerandum à mulieris ſemine promiſerat, vocaſſe eam viuificam. Ita laudabilis, imò heroica eſſet animi fortitudo: quando non poterat ſine ardua & difficili lucta matrem viuentium cēſere, quæ antequam vllus homo natus foret, omnes æterno interitu perdiderat. Sed quia vereor ne hæc ſit debilis coniectura: expendant lectores, annon potius taxare voluerit Moſes Adæ incogitantiā, qui demerſus in morte, vxori tamen adeò ſuperbum nomen indiderit. Nec tamen dubito quin reſpirauerit, & collegerit animum, audita Dei voce de vita proroganda: & tunc quaſi recreatus, vxorem à vita nuncupauerit. Sed nō ſequitur, exacta ad verbum Dei fide triumphaſſe de morte vt debuit. Sic igitur interpretor: ex quo mortem præſentem euaſerat, ſolatio aliquo leuatum, beneficium Dei quod præter ſpem contigerat, vxoris nomine celebraſſe.

21 *Fecitque Dominus Deus Adæ.* Craſſa Minerua exponit Moſes, Dominum hanc Adæ & eius vxori induſtriam dediſſe, vt ſibi veſtes ex pellibus conficerēt. Neque enim ſic accipere cōuenit eius verba, quaſi fuerit Deus pellifex, aut miniſter ad veſtes cōſuendas. Iam verò credibile non eſt, pelles illis fortuitò eſſe oblatas: ſed quū animalia prius deſtinata eſſent in ipſorū vſum: noua neceſſitate cōpulſos, mactaſſe aliqua, quorū ſe corio tegerent: atque ad hoc capiendū conſiliū, diuinitus fuiſſe inductos. Quare Deū Moſes autorē nominat. Cur autem pelliceis veſtibus induerit ipſos Dominus, hæc mihi videtur eſſe ratio: quia ex ea materia cōfectæ, belluinū quiddā magis ſaperēt, quàm lineæ vel laneæ. Voluit ergo Deus in tali habitu primos homines, nō ſecus ac prius in nuditate, cōſpicere ſuā fœditatē: atq; ita peccati reminiſci. Interea negandū nō eſt quin exemplar nobis propoſuerit, in quo nos ad frugalē ac minimè ſumptuoſum veſtitū aſſuefaceret. Atque vtinam hoc delicatis in mentem veniret, quibus nulla videtur eſſe ornatus mundities niſi quæ luxu diffluit. Non quòd præciſè damnandus ſit quilibet ornatus: ſed quia vbi eurioſe appetitur immodica elegantia & ſpendor, non tantum ſpernitur magiſter iſte qui veſtitum eſſe voluit inſigne verecundiæ, ſed bellum quodāmmodo aduerſus naturam geritur.

22 *Ecce Adam quaſi unus.* Ironica exprobratio, qua Deus cor hominis non tantū pungere, ſed penitus cōfodere voluit. Nec verò crudeliter miſero & afflicto inſultat: ſed pro morbi neceſſitate violentius remediū adhibet. Nā etſi confuſus erat Adā & attonitus ſua calamitate: mali tamen cauſam nō ſatis reputabat, vt ſuperbiæ pertæſus, verā humilitatē amplecti diſceret. Adde quod

non in ipsum magis quàm in posteros hac subsannatione inuectus est Deus, vt modestiam cómendaret omnibus seculis. Particula Ecce, denotat ex re præsenti ferri sentétiam. Et sanè triste horrendúmque spectaculum erat, eum in quo nuper fulgebat Diuinæ imaginis decus, sub fœtidis pellibus latere, vt probrum suum obtegeret: ac plus esse decori in pecude mortua, quàm in homine viuo. Particula quæ mox additur, *Sciens bonum & malum*: causam tãtæ miseriæ & originé exprimit: quòd scilicet Adã sorte sua non contentus, altius tentauerit ascendere quàm licebat: acsi dictũ esset, Vide nunc quo te præcipitauerit tua ambitio, & peruersa illicitæ scientiæ appetẽtia. Quanquam ne colloquio quidẽ Dominus eum dignatur, sed contemptim producit, maioris infamiæ causa. Sic chalybeam ipsius superbiam contundi oportuit, vt tandẽ in se descendens, magis ac magis sibi displiceret. *Vnus ex nobis.* Quidam pluralem numerum ad Angelos referũt: acsi hominem Deus, terrestre & despectum animal, à cælestibus creaturis discerneret. sed videtur longè petita expositio. Simplicior erit sensus, si ita resoluas, Posthac Adã mihi erit similis, vt simus inter nos socii. Quòd autẽ eliciunt ex hoc loco Christiani doctrinã de tribus in Deo personis, vereor ne satis firmũ sit argumentum. Neque enim eadẽ est, quæ superioris loci ratio, Faciamus hominem, &c. quoniam hîc Adam sub dictione Nobis, comprehẽditur: illic autem aliqua in Dei essentia distinctio exprimitur. *Nunc autem ne forte.* Defectiua est oratio, quam sic implendam arbitror, Nunc restat vt in posterum arceatur à fructu vitæ. Nã his verbis monetur Adam, non vnius momenti, vel paucorum dierum forè pœnam cui addictus est: sed à beata vita semper fore extorrem. Falluntur qui hîc quoque ironiam esse putant: acsi negaret Deus profuturam esse homini arborem vitæ, quanuis ea vescatur. Potius enim symbolo eũ priuans, rem simul aufert. Scimus quid valeant sacramenta. & suprà dictum fuit, arborem datam esse in vitæ pignus. Quare vt se priore vita priuatum esse intelligat, solennis excommunicatio additur. non quòd illi Dominus spem omnem salutis præcidere voluerit: sed tãtum auferre quod dederat, vt noua alibi subsidia quæreret. Restabat autem in sacrificiis expiatio, quæ illum restitueret in vitam quam perdiderat. Prius cõmunicatio cum Deo, Adæ viuifica erat: ex quo inde alienatus est, vitam recuperare oportuit in Christi morte, cuius vita tunc viuebat. Certum quidem est, nõ potuisse hominẽ, etiam si totam arborẽ voraſſet, vita frui, Deo inuito. sed Deus, institutionis suæ respectu, vitam coniungit cum externa tessera, donec inde ablata sit promissio. Neque enim fuit vnquam in arbore vis aliqua intrinseca: sed quatenus illius vsu gratiam suã homini obsignauerat, viuificã facit. vt certè nihil fallaciter nobis figurat, sed cum effectu, vt aiunt, semper nobiscũ loquitur. In summa, voluit Deus fiduciæ materiam quã dederat, ex hominis manibus excutere, ne sibi de vitæ perpetuitate, quã amiserat, spẽ inanẽ fingeret.

23 *Emisit eum Dominus.* Hîc Moses partim quod de pœna homini inflicta dixerat, prosequitur: partim Dei bonitatẽ commendat, qua mitigatus fuit iudicii rigor. Clementer exiliũ Adæ mitigat Deus, quũ illi domicilium in terra adhuc residuum facit: & victum illi ex cultura, quãuis laborioſa, assignat. Inde enim colligit Adam, aliquam haberi à Domino curã sui, quæ paterni amoris testimonium est. De pœna verò iterum Moses concionatur, vbi narrat expulsum fuisse hominem, & Cherubim oppositos cũ lamina gladii versatilis, qui ab ingressu horti ipsum arceret. Dicit Moses locatos fuisse Cherubim à plaga Orientali: qua parte scilicet patebat homini accessus, nisi prohibitus fuisset. Additus fuit ad terrorem *Gladius uersatilis*, vel, vtrinque acutus. Quanquam Moses nomen expressit, quod à candore vel ardore deductum est. Ergo Deus vitã Adæ concedens, & alimẽta suppeditans, ita beneficium suũ restringit, vt illi semper ante *oculos* versentur aliqua iræ suæ indicia: vt sibi ad vitã vnde excidit, per infinitas miserias, per tẽporale exiliũ, & per mortẽ transeundum esse subinde reputet. Tenendũ enim est memoria quod diximus, nõ ita deiectũ fuisse Adam, quin spes veniæ illi relicta fuerit. Exulabat ab illo regio palatio, cuius dominus fuerat: sed alibi locũ adeptus est quẽ inhabitaret. deliciis prioribus orbatus erat: sed qualiscunque adhuc victus suppetit. ab arbore vitæ erat excõmunicatus: sed nouũ remediũ offertur in sacrificiis. Quidam gladiũ versatilẽ exponũt, qui nõ semper directa acie in hominem vibretur, sed ostendat interdum palam laminæ, ad dandũ pœnitẽtiæ locum. sed intempestiua est allegoria: quum Dei consilium fuerit, hominem prorsus ab horto excludere, vt vitam alibi quæreret. Ex quo autem beata illa vbertas loci & amœnitas fuit abolita, superuacuus fuit gladii terror. Per Cherubim non dubiũ est quin Angelos Moses designet: atque in eo se ad populi sui captum accommodat. Iusserat Deus ad Arcam fœderis statui duos Cherubim, qui operculum alis suis tegerent. Ideo sæpe dicitur sedere inter Cherubim. Quòd hac forma pingi voluit Angelos, non dubium est quin per indulgentiam id veteris populi ruditati fuerit datum. Puerilibus enim rudimentis indigebat ætas illa, vt Paulus docet, Galat. 4. a. 3. Inde Moses nomen quod Angelis tribuit, mutuatus est: vt homines assuefaceret ad genus reuelationis, quod ipse diuinitus acceptum, fideliter per manus tradiderat. Nam Deus, quod vtile esse

nouerat populo ſuo,volebat in ſanctuario cognoſci. Et certè hæc nobis tenẽda ratio:vt noſtræ infirmitatis conſcii,non tẽtemus ſine adminiculis in cælũ euolare. Fiet enim alioqui vt in medio curſu euaneſcant omnes noſtri ſenſus. Scalæ autem & vehicula tunc erant ſanctuariũ, arca fœderis,altare,& menſa cum ſuis appẽdicibus. Porrò vehicula & ſcalas voco,quia in eum finẽ minimè ordinata erant eiuſmodi ſymbola, vt Deum fideles tabernaculo quaſi ergaſtulo includerent, vel affigerent terrenis elemẽtis: ſed vt congruis aptíſque rudimentis adiuti,ſurſum cõtenderent. Sic Dauid & Ezechias,ſpirituali intelligẽtia verè prædíti, lõgè aberant à craſſis illis figmentis,vt Deum loco affigerẽt. Neque tamen dubitant Deũ vocare qui ſedet vel habitat inter Cherubim,vt ſe & reliquos in Legis pædagogio cõtineant. Denique hoc loco Angeli vocantur eadem ratione Cherubim, qua corporis Chriſti nomen ad ſacrũ Cœnæ panem trãſfertur. Quòd ad etymologiã ſpectat:ne inter Hebræos quidẽ cõuenit. Opinio magis recepta eſt, ב eſſe ſeruilem literã, & notam ſimilitudinis:ideo tantundẽ valere Cherub,acſi diceretur, quaſi puer. Sed quia repugnat Ezechiel, qui communiter pro diuerſis figuris vſurpat:rectius meo iudicio ſentiunt,qui tradũt generale eſſe nomen. Cæterũ ad Angelos referri,plus ſatis notũ eſt. Vnde & Ezech.28.d.14,ſuperbum Tyri regem hoc titulo inſignit,primario Angelo eum comparans.

Cap. IIII.

1 ET Adam cognouit Hauua vxorem ſuã: quæ concepit, & peperit Cain, & dixit, Acquiſiui virum Domino.

2 Et addidit parere fratrem eius Ebel. fuit autẽ Ebel paſtor ouium,& Cain fuit cultor terræ.

3 Et fuit,à fine dierum adduxit Cain de fructu terræ oblationem Domino.

4 Et Ebel etiam ipſe adduxit de primogenitis pecudum ſuarum, & de adipe earum: & reſpexit Dominus ad Ebel,& ad oblationem eius:

5 Ad Cain verò & ad oblationem eius non reſpexit:iratus eſt itaque Cain valde,& cõcidit vultus eius.

6 Et dixit Dominꝰ ad Cain, Vtquid excãduiſti? & vtquid cõcidit vultꝰ tuus?

7 Annon ſi rectè egeris,erit acceptatio? & ſi non bene egeris, in foribus peccatum cubat? & ad te erit appetitus eius,& tu dominaberis ei.

8 Et loquutus eſt Cain ad Ebel fratrem ſuum. & accidit quum eſſent in agro, inſurrexit Cain contra Ebel fratrem ſuum,& occîdit eum.

9 Et dixit Dominus ad Cain, Vbi eſt Ebel frater tuus? Et ait, Neſcio: nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?

10 Et dixit, Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me è terra.

11 Nunc itaque maledictus eris è terra, quæ aperuit os ſuũ vt exciperet ſanguinem fratris tui è manu tua.

12 Quando coles terram, non addet vt det vim ſuam tibi: vagus & profugus eris in terra.

13 Et dixit Cain ad Dominum, Maior eſt punitio mea quàm vt feram.

14 Ecce eiecisti me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, eróque vagus, & profugus in terra: & erit,vt quicunque inuenerit me,occidat me.

15 Et dixit ei Dominus, Propterea quicunque occiderit Cain, ſeptuplum vindicabitur. & poſuit Dominus ſignum in Cain ne percuteret eum vllus qui inueniret eum.

16 Et egreſſus eſt Cain à facie Domini,& habitauit ī terra Nod ad Oriẽtẽ Hédẽ.

17 Cognouit autem Cain vxorem ſuam: quæ concepit,& peperit Hanóch. ædificauítque ciuitatem,& vocauit nomen ciuitatis nomine filii ſui Hanóch.

18 Porrò natus eſt ipſi Hanóch Hirád: & Hirád genuit Mehuiaél: & Mehuiaél genuit Methuſaél: & Methuſaél genuit Lémech.

19 Et accepit ſibi Lémech duas vxores: nomẽ vniꝰ, Hadá: & nomẽ ſecũdæ Sillá.

20 Et genuit Hada Iabal:ipſe fuit pater inhabitantis tentorium,& pecoris.
21 Et nomẽ fratris eius,Iubal:ipſe fuit pater õnis cõtrectãtis citharã & organũ.
22 Et Silla etiam ipſa peperit Thubal-cáin polientem omne opificium æreum & ferreum:& ſoror Thubal-cáin,fuit Nahamá.
23 Et dixit Lemech vxoribus ſuis Hada & Silla, Audite vocem meã vxores Lemech,auſcultate ſermonem meum, Quoniã virum occídero in vulnere meo, & aduleſcentem in liuore meo.
24 Quia ſeptuplo vindicabitur Cain,& Lemech ſeptuagies ſepties.
25 Cognouit autem Adam rurſum vxorem ſuam:quæ peperit filium, & vocauit nomen eius Seth,Quia poſuit mihi *inquit* Deus ſemen alterũ pro Ebel: quia occîdit eum Cain.
26 Et ipſi Seth etiam natus eſt filius: & vocauit nomen eius Enos. tunc cœptũ eſt inuocari nomen Domini.

1 *Et Adam cognouit Hauua uxorem ſuam.* Nunc propagationem generis humani deſcribere incipit Moſes. qua in hiſtoria notare operæpretium eſt, nõ abolitam fuiſſe peccato illam Dei benedictionẽ,Creſcite,& multiplicamini:neque id modò,ſed confirmatũ diuinitus fuiſſe Adæ pectus, vt à ſobole generãda nõ abhorreret. Sicut autẽ agnouit Adam in ipſo generationis principio, verè paternã iræ Dei moderationẽ: ita coactus eſt iterũ poſtea guſtare pluſquã amaros peccati ſui fructus,dũ Cain Abelẽ occîdit. Verum ſequamur Moſis contextũ. Cognoſcẽdi verbo,congreſſum viri cũ vxore, rem per ſe pudendã verecundè inſinuat. quanquã coitus fœditas inter peccati fructus numeranda eſt: quia naſcitur ex libidinis intemperie.Porrò licet nõ exprimat Moſes gemellos fuiſſe Cain & Abel, mihi tamen probabile videtur. Poſtquam enim dixit ex primo cõceptu Heuam genuiſſe primogenitum : paulo pòſt ſubiicit, alterũ quoque peperiſſe. ita duplicẽ partũ cõmemorans, nõniſi de vno concubitu loquitur.Qui aliter ſentiũt,fruãturil li ſuo iudicio. mihi tamen videtur rationi conſentaneũ,quũ replendus eſſet mũdus incolis, nõ modo Cain & Abel vno cõceptu fuiſſe genitos,ſed plurimos etiã poſtea,tã maſculos quàm fœminas. *Acquiſiui uirum.* Verbũ quo vtitur Moſes,tã acquirere,quàm poſſidere ſignificat.& parũ refert ad præſentẽ contextũ, vtrouis modo accipias. Magis in eo inſiſtere cõuenit, cur dicat ſe acquiſiſſe את יהוה.quidã exponũt:cũ Domino,hoc eſt Dei beneficio,vel per Dei gratiam: acſi Heua Domino acceptã ſobolis benedictionẽ referret:vt Pſal.126.b.3,habetur,Domini munus, fructus ventris.Eodẽ recidit altera interpretatio, poſſedi à Domino. Perinde valet quod vertit Hieronymus per Dominũ. Tres inquã iſtæ lectiones huc tendũt in ſumma,Heuã agere Domino gratias,quòd ex ea ſuſcitare cœpiſſet poſteros,quũ æterna ſterilitate nõ minusquàm interitu digna eſſet. Alii ſubtilius,Poſſedi virũ Dei. quaſi intelligeret Heua,iã ſe habere illũ ſibi diuinitus promiſſum ſerpentis victorẽ.Ita fidẽ Heuæ laudãt,quòd promiſſionẽ fide amplexa ſit,de conterendo per ſemẽ ſuum diaboli capite.Putant autẽ in perſona vel indiuiduo fuiſſe deceptã, quia ad Cain reſtrinxerit quod de Chriſto promiſſũ erat. Mihi autẽ genuinus hîc videtur ſenſus eſſe, quòd dum ſibi gratulatur Heua de filio nato,eũ Deo tanquam generis ſui primitias offerat. Proinde vertẽdum cenſeo, Acquiſiui Domino virum. quod ad phraſin Hebraicam propius accedit. Virum porrò appellat infantem recens natum, quia genus humanum, quod ſua culpa tam ipſa quàm maritus perdiderant,renouatum aſpicit.

2 *Et addidit parere fratrem eius Ebel.* Vnde nomen Cain deductũ ſit,& quo reſpectu illi impoſitũ, ſatis notum eſt. Dicit enim mater קניתי virum:ideóque Cain appellat. De Abel non idem expri mitur. Quòd putãt quidã contẽptim ſic vocatũ fuiſſe à matre,acſi foret ſuperuacuus & propè inutilis:prorſus abſurdũ eſt.tenebat enim memoria,quorſum tenderet fœcũditas:nec illi exciderat benedictio iſta,Creſcite,&c. Rectius meo iudicio,dicem⁹: quũ in primogenito teſtata eſſet Heua gaudiũ quod repente affulſerat,& Dei gratiã celebraſſet, poſtea in altero partu,in memoriã rediiſſe humani generis miſerias.Et certè noua Dei benedictio nõ vulgaris lætitiæ materia erat. Sed rurſũ poſteros tot malis deuotos quorũ ipſa cauſa erat,ſine acerbiſſimo dolore intueri nõ potuit. eius ergo triſtitiæ monumentũ extare voluit in nomine ſecũdi filii,& cõmune ſpeculũ proponere,quo totã progeniem humanæ vanitatis admoneret.Quòd præpoſterũ Heuæ iudiciũ nõnulli taxãt,quia probũ & ſanctũ filiũ alteri⁹ nequã & ſcelerati cõparatione velut reiecti habuerit,nõ recipio Habet enĩ Heua cur ſibi in primogenito gratuletur. nihil autẽ vitii eſt, quòd in ſecũdo memoriale ſibi & omnib⁹ aliis ſtatuit propriæ vanitatis,vt ſe in aſſidua malorũ ſuorũ reputatione exerceãt. *Et fuit Abel paſtor.* Duxerintne ambo vxores,& ſeparatã quiſq; do-

mum habuerit,non refert Moſes. Maneat igitur hoc nobis incertũ.quanquã magis probabile eſt,Cain fuiſſe coniugatum priuſquã fratrẽ occideret:quia paulo pòſt ſubiiciet Moſes,cognita vxore genuiſſe liberos, de cõiugio nulla illic mẽtio. Genus vitæ ſanctũ per ſe & laudabile vterque ſequutus eſt. Terræ enim cultura à Deo mandata erat: paſcendi autẽ pecoris labor non minus honeſtus, quàm vtilis : tota denique vita ruſticana innoxia & ſimplex,& ad verum naturæ ordinẽ maximè accõmodata. Hõc igitur primò habendũ,quòd ſe ambo exercuerint in laboribus Deo probatis,& ad cõmunem vitæ humanæ vſum neceſſariis. Vnde colligitur,probè fuiſſe à patre inſtitutos. Id melius cõfirmat ſacrificandi ritus,quia teſtatur fuiſſe aſſuefactos ad Dei cultũ. Erat igitur vita Cain optimè in ſpeciẽ cõpoſita : vtpote qui pietatis officia erga Deũ coleret,victúmque ſibi & ſuis quæreret honeſto & iuſto labore: quemadmodũ frugi & modeſtum patremfamiliâs decet. Porrò memoria hîc repetere conuenit quod prius diximus, primos homines ſic priuatos fuiſſe Diuini amoris ſacramẽto,quũ à vitæ arbore fuerũt prohibiti, vt ſpes illis ſalutis relicta fuerit,cuius in ſacrificiis teſſeras habebãt. Sic enim tenendũ eſt,non fuiſſe temerè excogitatum ab illis ſacrificandi morẽ,ſed traditum diuinitus. Nã quum dignitatẽ ſacrificii Abel acceptam fidei referat Apoſtolus:ſequitur,illum non abſque Dei mandato obtuliſſe. Heb.11.a.4
Deinde ab initio mundi verum fuit,quibuſlibet victimis præſtare obedientiã,matrémque eſſe 1.Samu.15.c.22
omnium virtutũ. Vnde ſequitur,præceptũ fuiſſe à Deo quicquid illi placuit. Tertiò,quũ Deus ſemper ſimilis fuerit ſui, nõ dicemus vnquã fuiſſe ſimpliciter delectatũ carnali & externo cultu. Grata autem habuit illa primi ſeculi ſacrificia. Sequitur ergo ſpiritualiter illi fuiſſe oblata: hoc eſt,nõ inanibus ceremoniis luſiſſe ſanctos patres:ſed aliquid cõprehendiſſe altius & magis reconditũ:quod abſque verbo nõ poterãt. Sola enim eſt interior veritas, quæ in ſignis externis natiuum & rationalẽ Dei cultum à craſſo & ſuperſtitioſo diſcernit. Et certè nõ aliter poterant ſincerè animũ adiicere ad Deum colendũ, quàm de eius beneuolentia redditi certiores: quia ex ſenſu fiduciáque bonitatis eius, voluntaria reuerentia naſcitur:cõtra verò quiſquis illũ ſibi infeſtum ſentit,metu ipſo & horrore ad fugiendũ cogitur. Videmus ergo vt Deus arborẽ vitæ eripiens,in qua primũ dederat gratiæ ſuæ pignus, aliis tamen modis propitiũ ſe hominibus teſtetur ac declaret. Imò dum eos ſibi adoptat cultores,ſimul ad ſalutem inuitat. Siquis obiiciat,ſua Gentibus quoque fuiſſe ſacrificia,quibus nulla ſuberat pura & ſolida religio:ſolutio in prõptu eſt, mentionẽ hîc de ſacrificiis fieri legitimis & Deo probatis, quorũ adulterina imitatio poſtea ad Gẽtes defluxit. Etſi autẽ hîc ponitur nomen מנחה,quod propriè munus ſignificat, & ideo ad oblationes quaſlibet generaliter extenditur: colligere tamen licet,duas ob cauſas ab initio patribus datũ fuiſſe ſacrificandi mandatũ: nempe vt cõmune eſſet pietatis exercitiũ, dum ſe profitebãtur Dei eſſe,ſuáque omnia illi ferebant accepta. deinde vt cõmonefierent expiatione aliqua opus eſſe ad ſe Deo recõciliandos. Quòd ex ſuis quiſque facultatibus aliquid offert,ſolẽnis eſt gratiarum actio:acſi teſtatũ facerent ex re præſenti, Deo ſe debere quicquid habent. Sed pecudum mactatio, & effuſio ſanguinis aliquid præterea continet : vt mortẽ ſcilicet ante oculos habeant,& tamen concipiant propitiandi Dei fiduciam. De ſacrificiis Adæ nulla fit mentio.

4 *Reſpexit Dominus ad Abel, &c.* Reſpicere Deus hominem dicitur,quem fauore ſuo dignatur. Cæterũ notanda eſt ſeries hîc à Moſe poſita. neque enim ſimpliciter narrat, placuiſſe Deo quẽ illi cultum Abel exhibebat: ſed exordiũ à perſona facit:quo ſignificat,nullã fore operibus gratiam corã Deo,niſi quorum autor iam antè gratus ſit, ac probetur. nec mirũ, Homo enim videt,quæ apparẽt:Deus autẽ cor intuetur,1.Sam.16.b.9. Ideo non aliunde opera æſtimat,quàm ex ipſo cordis fonte. Vnde etiã fit vt impiorũ victimas,quãlibet in oculis hominũ ſplendeant, non modò ſpernat,ſed etiam abominetur. Nã ſi ſolo tactu cõtaminat ſuis ſordibus res alioqui puras & mundas,qui in anima ſua pollutus eſt:quomodo nõ immundũ eſſet quod ab ipſo prodit:Quum Deus laruatã iuſtitiam qua gloriabantur Iudæi,repudiat:obiicit per ſuum Prophetam manus eorum plenas eſſe ſanguine,Ieſa.1.c.15. Eadem ratione pugnat Aggæus cõtra hypocritas. Speciesergo externa operum,oculos noſtros,qui nimis carnei ſunt,deludere poteſt,corã Deo euaneſcit. Neque verò id profanos quoque homines latuit, quorum Poetæ, dum ſana & ritè compoſita mente loquuntur de cultu Dei:& mũdum cor,& puras manus requirunt. Hinc etiam apud omnes gentes ſolennis lauandi ritus ante ſacrificia. Iam quum alibi teſtetur Spiritus per os Petri, Fide purificari corda, nec aliam fuiſſe puritatem ſanctis Patribus : non fruſtrà colligit Apoſtolus,fide præſtantiores fuiſſe hoſtias Abel. Itaque primò tenendum eſt,quæcunque ante fidem fiunt opera, qualiſcunque in illis appareat iuſtitiæ ſplendor, nihil eſſe niſi mera peccata: quoniam à ſua radice ſunt inquinata, & fœtore corã Domino,cui ſine interiori cordis munditie placere nihil poteſt. Vtinã hoc reputarẽt qui ad recipiendam Dei gratiã idoneos proprio liberi arbitrii motu homines fingũt. nulla certè controuerſia reſtaret quin Deus gratis iuſtificet homines, ídque per fidem. Fixum illud manere oportet: nullum in Dei iudicio Act.10.b.9

haberi operum respectum, donec in gratiam receptus sit homo. Alterum perinde certo cõstat: quum Deo exosum sit totum humanum genus, non alium esse reconciliandæ gratiæ modum, nisi per fidẽ. Porrò quum fides gratuitum sit Dei donũ, & peculiaris Spiritus illuminatio, inde colligere promptũ est, mera eius gratia nos præueniri, non secus acsi nos à morte excitaret. Quo etiã sensu dicit Petrus, Deũ esse qui fide corda purificat. Neque enim id quadraret, nisi fidẽ ipse formaret in cordibus hominũ, vt verè eius donum censeatur. Nunc videndũ est quomodo sit puritas effectus fidei. Insulsa nimis & iciuna est philosophia, causam afferre, quia nõnisi fide homines Deũ remuneratorẽ quærunt. Qui sic loquũtur, prorsus sepeliunt Dei gratiã quã Spiritus præcipuè cõmendat. Frigidè etiã alii, qui tantũ propter regenerationis donũ, fide nos purgari docẽt, vt accepti simus Deo. Neque enim dimidiã modo partẽ omittunt, sed ædificãt absque fundamẽto, quando propter generis humani maledictionẽ, gratuita recõciliatio præcedat necesse est. Deinde quando nunquam ita suos regenerat Deus in hoc mũdo, vt perfectè ipsum colant: nullum hominis opus sine expiatione gratum esse potest. Atque huc spectauit legalis lauandi ceremonia, vt discerẽt homines, quoties vellent ad Deum accedere, aliunde petendam esse mũditiem. Ergo tũc demũ ad nostra obsequia respiciet Deus, vbi nos in Christo respexerit.

Act.15.b.9

5 *Ad Cain uerò, & ad oblationem eius non respexit.* Non dubium est quin se gesserit Cain vt solent hypocritæ: nempe Deũ placare defunctoriè voluit externis sacrificiis: se autẽ totũ illi dicare, minime curauit. Atqui legitimus hîc cultus est, offerre nos Deo spirituales victimas. Talẽ hypocrisin quũ Deus videat cũ crasso & manifesto sui ludibrio coniunctã esse, nõ mirũ est si oderit, ac tolerare nequeat: vnde etiã fit vt respuat eorũ opera qui seipsos illi subtrahunt. Nos enim vult primũ sibi habere addictos: deinde in eius obedientiæ testimoniũ opera nostra quærit, sed nõnisi secundo loco. Notandũ autẽ, figmẽta omnia, quibus & Deo, & sibi ipsis homines illudũt, infidelitatis esse fructus. Accedit & superbia, quòd increduli contempta Mediatoris gratia, securè in Dei conspectũ se ingerũt. Stultè cõminiscuntur Iudæi, ingratas fuisse oblationes Cain, quia Deũ optimis spicis defraudans, steriles solũ, vel semiplenas malignè offerret. Altius & magis reconditũ fuit malũ, illa scilicet, quã dixi, cordis immundities. sicuti ecõuerso sacrificiis Abel gratiã cõciliare nõ potuit fœtidus ex combustione adipis nidor, sed bono fidei odore perfusa, suauiter olebant. *Et iratus est Cain uehementer.* Quæritur hoc loco vnde intellexerit Cain, fratris oblationibus suas fuisse posthabitas. Hebræi suo more, ad diuinationẽ cõfugiunt, & fingũt sacrificiũ Abel igne cælesti fuisse consumptũ. sed quia tantũ licẽtiæ nobis permittere nõ debemus vt miracula cõminiscamur quæ nullum habẽt ex Scripturis testimoniũ: facessant Iudaicæ fabulæ. Ac magis quidẽ probabile est, ex cõtinuo rerũ successu Cain iudicium fecisse, cuius meminit Moses. Vidit fratri melius esse quàm sibi: inde collegit, Deũ illi esse propitiũ, sibi infensum. Scimus autẽ hypocritis nihil pluris esse benedictione terrena, nihilq; magis esse cordi. Porrò nobis in persona Cain pingitur imago impii hominis, qui tamẽ iustus vult haberi, imò sibi inter Sanctos locũ primum arrogat. Tales externis quidẽ operibus strenuè ad Deũ promerendũ incũbunt: sed cor retinẽtes fraude implicitũ, nihil quàm laruas illi opponũt: vt in laborioso eorũ & anxio cultu nihil sit sincerũ, sed merus dũtaxat fucus. Postquã nihil se proficere vidẽt, prodũt occultũ animi sui virus. neque enim tantũ obstrepũt Deo, sed erũpunt in furorẽ manifestũ: adeóq; si in ipsis esset, libẽter eũ detraherẽt è solio cælesti. Superbia hæc omnibus hypocritis est ingenita, vt Deũ obsequii specie sibi obnoxiũ habere velint. quia effugere non possunt eius imperiũ, blãditiis eum mulcere tẽtant, sed quasi puerũ: interea quum magnificiãt fictitias suas nugas, Deum sibi valde iniuriũ esse putãt, nisi applaudat. Vbi verò pronuntiat friuolas & nihili sibi esse, fremere primùm, & tandẽ furere incipiũt. Sola quidẽ illis obstat impietas, qnominus Deũ sibi cõcilient: sed vellent pro sua libidine cũ Deo pacisci. Vbi hoc negatur, furiosa indignatione ardent, quam aduersus Deũ cõceptam, in eius filios euomunt. Ita quũ Deo iratus esset Cain, rabies eius in fratrẽ innoxiũ effusa est. Quòd dicit Moses, *multum eius concidisse* (nam plu ralis numer⁹ apud Hebræos in hoc nomine pro singulari capitur) significat, nõ subito tãtũ iracũdiæ feruore fuisse correptũ, sed aluisse ex lẽta tristitia malignũ effectũ, vt liuore cõtabesceret.

6 *Dixit Dominus ad Cain.* Nunc Deus aggreditur ipsum Cain, citátque ad suũ tribunal, vt intelligat miser nihil se proficere tumultuando. Vult suis sacrificiis haberi honorẽ. quia nõ impetrat, furiosè irascitur. Interim nõ cogitat, se propria culpa nõ esse voti cõpotem. nã si malũ intestinũ agnosceret, iam desineret expostulare cũ Deo, & in fratrẽ innoxiũ furere. Quomodo lo quutus sit Deus, nõ exprimit Moses: siue oblata fuerit visio, siue oraculũ è cælo audierit, siue arcana inspiratione fuerit admonit⁹: sensit Diuino se iudicio cõstringi. Trahere hoc ad personã Adæ, quòd Dei propheta & interpres fuerit in arguẽdo filio, coactũ est, arq; etiã frigidũ. Audio quid obtẽdãt boni viri, nec minori pietate quàm doctrina prædíti, qui talibus cõmentis ludũt: illis in animo est, ornare externũ verbi ministeriũ, ansãmq; præcidere Satanæ præstigiis, quas

ſub reuelationũ colore inſinuat. Equidẽ nihil eſſe vtili⁹ fateor, quàm ſub ordine prædicationis Scripturæq; obſequio cõtineri pias mẽtes, ne Dei verbũ in erraticis ſpeculationib⁹ quærãt. Sed animaduertere licet, oraculis proditũ fuiſſe Dei verbũ ab initio, vt poſtea per manus hominũ animaſtdratũ, plus reuerẽtiæ haberet. Fateor etiã Adæ iniunctã fuiſſe docẽdi prouinciã: neq; dubito quin ſuos liberos ſedulò admonuerit. Verùm Moſis verba nimis violẽter cõſtringunt, qui non aliter cogitant loquutũ eſſe Deũ, quàm per ſuos miniſtros. Potius ſtatuamus, antequã consignata eſſet publicis tabulis cæleſtis doctrina, ſæpe Deũ extraordinariis modis patefeciſſe voluntatẽ ſuam: atque hoc fuiſſe fundamentum, quod fulciebat verbi reuerentiam: doctrinam verò per manus hominum proditam, inſtar ædificii fuiſſe. Certè quàm extenuet commentum illud vim Diuinæ obiurgationis, me tacente omnes agnoſcunt. Ergo ſicuti prius Adæ auribus vox Dei inſonuerat, vt certò ſentiret Deum loqui: ita & nunc ad Cain dirigitur.

7 *Annon ſi rectè egeris.* His verbis Cain obiurgat Deus, quòd indignè ſuccenſeat: quãdo totius mali culpã ipſe ſuſtinet. Stulta enim querimonia & indignatio erat, quòd ſacrificia non placerent, quorum vitiũ corrigere nõ ſtudebat. Sic impii omnes, poſtquã diu multúmq; contra Deũ exarſerint, tandẽ Dei iudicio coarguuntur, vt fruſtra mali cauſã aliò exonerare cupiãt. Græci interpretes hoc loco procul recẽdunt à genuino Moſis ſenſu. quũ nullæ eſſent illo ſeculo notæ vel pũcta, quibus Hebræi pro vocalibus vtũtur, procliuior in vocũ affinitate in extraneũ ſenſum fuit lapſus. Cæterũ quia de eorũ errore cuiuis in lingua Hebraica mediocriter verſato nõ difficile iudiciũ eſt: in eius refutatione nõ inſiſtã. Quanquã & linguæ Hebraicæ periti nõ parũ inter ſe diſſentiunt, dũtaxat quoad vnã vocẽ. Græci enim totã ſentẽtiam mutãt. Sed inter quos de contextu & ſũma orationis cõuenit, diſſidiũ eſt de verbo נשׂא, quod eſt quidẽ imperatiui modi, ſed in ſubſtantiuũ nomẽ reſolui debet. Neque verò in eo eſt nodus, ſed quũ verbũ נשׂא, nũc leuare, nũc tollere vel remittere, nunc offerre, nunc accipere ſignificet, vt quiſq; hoc vel illo ſenſu exponit, ita inter ſe omnes variãt. Quidã ex doctoribus Hebræis ad vultũ referunt, acſi futurã eius leuationẽ Deus promitteret, qui tunc mœrore dejectus erat. Alii ex Hebræis trahũt ad remiſſionẽ peccatorum: acſi dictum eſſet, Benefac, & veniã impetrabis. Sed quia illi ſatisfactionẽ imaginãtur quæ gratuitæ veniæ derogat, longè à Moſis ſenſu diſſidẽt. Propius ad verũ accedit tertia expoſitio, leuationẽ pro honore accipi, in hunc modũ, Nõ eſt quod fraterno honori inuideas: quia ſi te rectè geſſeris, in eundẽ honoris gradũ te quoque euehet Deus, qui nunc tuis peccatis offenſus, ignominiæ dãnauit. ſed ne hæc quidem mihi probatur. Subtilius alii philoſophantur, quòd habiturus ſit Cain Deũ propitium, & eius gratia ſubleuandus ſit, ſi ex fide afferat cordis puritatẽ cum externis ſacrificiis. quibus ego quidẽ permitto ſenſu ſuo frui: ſed vereor ne parum ſolidũ ſit quod volũt. Hieronymus vertit, Recipies: intelligẽs Deũ mercedẽ promittere puro & legitimo cultui, qualẽ exigit. Recitatis aliorum ſententiis, nunc mihi liceat proferre quod melius cõuenire iudico. Primò, verbũ נשׂא tantundẽ valet atque acceptio: opponitúrq; reiectioni. Deinde quãdo de re ſubiecta habetur ſermo, de ſacrificiis dictum interpretor, quòd Deus illa ſuſcipiet, vbi ritè oblata fuerint. Agnoſcũt Hebraicæ linguæ periti nihil hîc eſſe vel coactũ, vel à genuina verbi ſignificatione remotum. Iã ipſa rei ſeries eodẽ nos ducit: quòd pronũtiet Deus repudiari ſacrificia, & quaſi abiici, vt nullius pretii ſint, dum perperã offeruntur: ſuſceptũ verò iri, vt grata ſint boníque odoris, ſi pura ſit & legitima eorũ oblatio. Nunc tenemus quàm iniuſtè ſuccenſeat Cain nõ haberi ſuis ſacrificiis honorẽ, quæ Deus obuiis manibus ſuſcipere paratus eſt, modo vitioſa eſſe deſinãt. Simul tamẽ memoria repetendũ quod prius dixi, præcipuum bene agẽdi caput eſſe, vt pii Chriſto mediatore freti, & gratuita recõciliatione per ipſum parta ſincerè & abſque fuco Deum colere ſtudeãt. Itaque duo iſta mutuo inter ſe nexu cohærẽt: quòd fideles, quoties prodeunt in Dei cõſpectum, ſola Chriſti gratia cõmendet, abſterſis eorum ſordibus: & tamen verã cordis munditiẽ illuc afferant. *Et ſi bene egeris.* Exaduerſo pronũtiat Deus horribilẽ ſententiã aduerſus Cain, ſi animum in malitia obſtinet, ſibíq; indulgeat in ſuo vitio. Eſt autẽ valde emphatica oratio: quia Deus nõ modo refellit iniuſtã querimoniã, ſed oſtẽdit nihil fore ipſi Cain magis aduerſum, quàm proprium peccatũ quod intus alit. ſic breuibus & cõciſis verbis ſtringit hominẽ impium, vt nullum effugiũ inueniat: acſi diceret, Nihil tua obſtinatione proficis. nam vt nihil tibi ſit mecũ negotii: peccatum tuum nihil relaxationis dabit, quin te acriter exagitet, perſequatur, vrgeat, neque patiatur elabi. Hinc ſequitur nõ modò fruſtrà, nulóque profectu eum tumultuari, ſed intus proprio ſenſu teneri reum, etiamſi nullus accuſet. Nam quod dicitur, *Peccatum ad fores cubare*, ad interius cõſcientiæ iudicium refertur, quod hominẽ conuictũ ſui peccati vndique obſeſſum premit. Fingãt licet impii Deũ in cælo torpere, luctentur quãtum poſſunt in repellẽdo iudicii illius metu: peccatũ tamẽ inuitos & fugitãtes ſubindè ad tribunal illud retrahet, cui ſe ſubducere conati ſunt. Quod ne profanis quidem hominibus ignotum fuiſſe teſtantur editæ ab illis voces: nec dubium eſt, quum dicunt conſcientiam mil-

le teſtium inſtar eſſe,ſæuiſſimo carnifici eã comparant, nullum eſſe grauius vel atrocius,quàm quod inde ſentitur tormentũ,quin Deus eiuſmodi confeſſiones expreſſerit. prima eſt(inquit Iuuenalis)hæc vltio,quòd ſe Iudice nemo nocens abſoluitur,improba quanuis Gratia falla cis Prætoris vicerit vrnam. ſed loquutio Moſis ſingularẽ energiã continet.Cubare dicitur peccatum,ſed ad fores. neque enim protinus iudicii metu torquetur peccator, ſed quaſcunque poteſt delicias accerſens ad ſe fallendum,quaſi in libero ſpacio obambulat,imò laſciuit tanquam in pratis amœnis.ſed quum ad exitum venitur, illic peccatum occurrit, ſuas excubias agens. tunc deprehenditur conſcientia, quæ ſe prius ſolutã putabat, & duplices moræ pœnas ſoluit.

Et *ad te erit appetitus eius.* Omnes ferè interpretes ad peccatũ referunt, putántque hac admonitione cohiberi prauas libidines, quæ hominis animum ſolicitant ac impellunt. Ergo ſecundũ eos talis erit ſenſus,Si peccatum inſurgit, vt te ſubiiciat:cur indulges, ac non magis laboras in eo cohibendo & frænando? Tuum enim erat domare, & ad obſequium cogere quos ſentis Deo immorigeros & rebelles eſſe in carne tua affectus. Sed ego Moſen prorſus aliud velle arbitror. Omitto quòd in Hebraico peccati nomine,apponitur fœminei generis nota:hæc autẽ relatiua duo maſculina ſunt. Certè Moſes nõ de ſcelere ipſo propriè, ſed de culpa quæ inde cõtrahitur, & reatu agit. Nunc quomodo verba hæc conuenient, *Sub te erit appetitus eius?* Cæterum non longa refutatione opus erit, vbi germanum ſenſum protulero. Potius mihi videtur eſſe obiurgatio, qua Deus impium hominem ingratitudinis inſimulat,quòd pro nihilo ducat primogenituræ honorem. Vt quiſque noſtrum maioribus Dei beneficiis ornatus eſt,niſi autorem gratiæ, cui obſtrictus eſt, impenſius colere ſtudeat, impietatem ſuam prodit. Quũ Abel fratri poſthabitus foret,ſtudioſus tamen erat Dei cultor. Primogenitus verò neglectim & defunctoriè colebat Deum, cuius beneficio in tantam dignitatem peruenerat: atque ita peccatum eius amplificat Deus,quòd non ſaltem imitetur fratrem,quem vt gradu honoris, ita & pietate longè ſupera re debuerat. Porrò loquutio eſt Hebræis trita appetitum minoris ad eum reſpicere, cuius arbitrio ſubiectus eſt. Ita de muliere dixit Moſes,ca.3.c.16, quòd eius appetitus eſſet ad virum. Pueriliter autem ineptiunt,qui hunc locum torquent ad probandum liberum arbitrium. nam vt demus officii ſui Cain moneri,vt ſubigendo peccato incumbat, nulla tamen inde hominis virtus elicitur: quia certum eſt non aliter quàm Spiritu ſancti gratia mortificari affectus carnis, ne præualeant. Nec certè quoties præcipit aliquid Deus, vires ad præſtandum nobis ſuppetere colligendum eſt:quin potius tenendum eſt Auguſtini dictũ,Da quod iubes,& iube quod velis.

8 Et *loquutus eſt Cain ad Abel fratrem ſuum.* Quidam indefinitè accipiunt iſtud Dicere,quòd iracũdiam perfidè diſſimulãs,fraternè loquutus ſit. Hieronymus expreſſit habitũ ſermonem, Veni, egrediamur foras. Meo quidem iudicio, oratio eſt defectiua,& aliquid ſubaudiendum:quid tamen ſit illud incertum eſt. Interea non diſplicet Moſen conciſè perſtringere ſceleratam hypocritæ perfidiam,qui familiariter loquendo,ſpeciẽ fraternæ concordiæ præ ſe tulerit,donec nefandæ cædis perpetrandæ occaſio daretur. Atque hoc exẽplo docemur nunquam magis timendos eſſe hypocritas,quàm dum ad colloquium, amicitiæ prætextu,deſcendunt:quia vbi aperta vi, quantum cuperent, nocere non datur, ſubitò ad pacis ſimulationem ſe conuertunt. Atqui minime ſperandum eſt, vt ſincerè cum hominibus fidem amicitiæ colãt, qui truculentæ ſunt in Deum beſtiæ. Expendat tamen lector annon potius intellexerit Moſes,quanuis à Deo correptus eſſet Cain, nihilominus litigaſſe cum fratre ſuo. átque ita iſtud Dicere, penderet ex ſuperioribus. Ego certè in hanc ſententiam magis inclino,quòd non continuerit intra ſe malignũ affectum, ſed in fratris accuſationẽ proruperit,atque illi ſtomachoſè expoſuerit triſtitiæ ſuæ cauſam. *Quum eſſent in agro.* Hinc colligimus,quanuis domi conqueſtus eſſet Cain de fratre, ſic tamen diabolicum texiſſe furorem quo ardebat,vt nihil deterius ſuſpicatus ſit Abel. vindictam enim differebat in tempus idoneum. Vnũ porrò hoc facinus luculẽtè oſtendit,quo præcipitet homines Satan, vbi animum in malitia obſtinarunt, vt certè extremis quibuſque pœnarum exemplis digna eſt eorum contumacia.

9 *vbi eſt Abel?* Qui fingunt patrem de filio ſuo Abel ex Cain ſciſcitatum, eneruãt totam vim doctrinæ quam hîc tradere inſtituit Moſes: nempe quòd Deus tũ arcana inſpiratione,tum inuſitato aliquo modo parricidam citauerit ad ſuũ tribunal, & quaſi de cælo intonuerit. Nã quod prius dixi,mordicus tenendũ eſt: quemadmodũ nũc per Scripturas nobiſcũ loquitur Deus,ita ſe olim per oracula patribus manifeſtaſſe, & eodẽ quoque modo patefeciſſe ſua iudicia reprobis ſanctorũ filiis. Sic Agar poſtquam ab Eccleſia deſciuerat, cõpellat in ſylua Angelus: vt videbimus cap. 16.b. 8. Fieri quidem poteſt vt tacito conſcientiæ examine Deus interrogauerit Cain, & ipſe viciſſim fremẽs intus & obmurmurãs reſpõderit. Statuendũ tamẽ eſt nõ externa tantũ hominis voce examinatũ fuiſſe: ſed diuinitus, vt ſentiret cũ Deo ſibi eſſe negotiũ. Cæterũ quoties ad reputãda peccata nos arcanæ cõſcientiæ pũctiones ſolicitãt,meminerimus Deũ

nobiſcum loqui. Interior enim ille ſenſus, quo de peccatis coarguimur, propriũ eſt Dei forum, vbi iuriſdictione ſua fungitur. Cauendum ergo ne exemplo Cain, qui ſibi malè conſcii ſunt, ad contumaciã ſe confirment. Hoc enim eſt verè aduerſus Deũ calcitrare, & reſiſtere eius Spiritui, dum eas cogitationes repellimus, quæ nihil aliud ſunt quàm pœnitẽtiæ incitamenta. Atqui vitium eſt nimis cõmune, ad priora peccata tãdem addere peruicaciã, ne Deo cedat, qui peccatum velit nolit, cogitur in animo ſuo ſentire. Vnde apparet quãta ſit humani ingenii prauitas, quòd conuicti, & proprio ſenſu damnati, nõ tamen deſinimus iudici noſtro vel illudere, vel obſtrepere. Prodigioſus eſt ſtupor, quòd Cain tanto ſcelere perpetrato, Dei obiurgationẽ ferociter repudiat, cuius tamen nõ poterat manũ effugere. Sed idem omnib⁹ quotidie impiis accidit, quorum nemo non affectat videri in captandis excuſationibus ſubtilis. nam tam flexuoſis latebris inuolutũ eſt cor humanũ, vt facile ſit impiis obſtinatum Dei contẽptum addere ad ſua ſcelera. non quòd ad repellendum Dei iudicium ſatis dura ſit eorũ contumacia (quantunuis enim abditi in profundos quos dixi receſſus, occultis nihilominus cauteriis ſemper vrũtur) ſed quia cæca obſtinatione callum ſibi obducunt. Inde enim clarè Diuini iudicii vis perſpicitur: quæ ſicin ferreos ſceleratorũ animos penetrat, vt cogãtur intus ſui eſſe iudices: neque patitur eos delere, quẽ extorſit culpæ ſenſum, quin litura maneat, vel cauterii cicatrix. Quũ ſe negat fuiſſe cuſtodẽ vitæ fratris, etſi ferociter inſurgens violento impetu Dei iudiciũ repellere nititur, hoc tamen cauillo elapſum ſe putat, ne ſibi de occiſo fratre reddenda ſit ratio, quia non habebat expreſſum cuſtodiæ mandatum.

10 *Quid feciſti: ſanguis fratris.* Oſtẽdit Moſes quàm nihil profecerit Cain tergiuerſando. Prius ſciſcitabatur Deus vbi eſſet frater: nunc preſſius ipſum ſtringit, vt inuito ſceleris cõfeſſionem extorqueat. nullis enim equuleis, nudis fidiculis vel tormẽtis quibuſlibet tãtum ineſt violẽtiæ ad vrgendos maleficos, quàm fuit efficax iſtud Diuinæ vocis fulmen ad feriendũ Cain, vt cõfuſus iaceret. Neque enim amplius inquirit Deus an fecerit: ſed vno verbo feciſſe pronuntiãs, ſceleris atrocitatẽ amplificat. Cæterùm ſub vnius hominis perſona docemur, quàm infœlix eos maneat cauſæ euentus, qui cum Deo litigando ſe expedire tentãt. Neque enim longo circuitu inquiſitionis opus habet ille cordiũ cognitor ſed verbo vno ſic fulminat in ſuos reos, vt ſatis ſupérque ſit ad damnationẽ. Rhetores primũ defenſionis genus ſtatuunt in negatione facti. vbi negari factũ nõ poteſt, ad ſtatũ qualitatis cõfugiunt. Vtroque præſidio depellitur Cain. nam & cædẽ ipſum patraſſe Deus pronũtiat, & ſimul definit quàm nefariũ ſit ſcelus. Et eius exẽplo monemur fruſtrà coaceruari prætextus & ſuffugia, vbi rei ad Dei tribunal citãtur qui peccarunt.

Sanguis fratris tui clamat. Primùm oſtendit Deus ſe de factis hominũ cognoſcere, vtcunque nullus queratur vel accuſet: deinde ſibi magis charã eſſe hominum vitã, quàm vt ſanguinem innoxium impunè effundi ſinat: tertiò, curã ſibi piorum eſſe non ſolum quandiu viuunt, ſed etiam poſt mortẽ. Dormiunt vt plurimũ terreni iudices, niſi eos accuſator ſolicitet: Deũ autem ad ſumendas pœnas, etiã vbi tacet qui læſus eſt, ipſæ iniuriæ ſatis per ſe prouocãt. Hæc bonis, qui iniuſtè vexãtur, mirè ſuauis cõſolatio eſt, dum audiunt ſua mala, quæ taciti perferũt, vltrò ad vindictã poſcẽdã in cõſpectum Dei prodire. Obmutuit Abel quũ iugularetur, vel alio quouis modo necaretur: poſt mortem magis clamoſa eſt vox ſanguinis, quàm vlla rhetorũ facundia. Ita oppreſſio & ſilentium Deo nõ obſtat quominus de cauſa iudicet, quã mũdus ſepultã exiſtimat. Hæc conſolatio vberrimã patientiæ materiã nobis ſuppeditat, quũ nihil ex iure noſtro decedere audimus, ſi moderatè & æquis animis feramus iniurias: imò Deũ ad nos vindicãdos eo fore promptiorẽ, quo modeſtius ad omnia ferenda nos ſubmiſerimus: quia validos clamores excitat placidũ animæ ſilentiũ, qui cælum & terrã impleant. Neque tantum ad præſentis vitæ ſtatum ſpectat hæc doctrina, vt ſciamus inter innumera pericula quibus circundatur, Dei præſidio tutam eſſe, ſed in ſpem vitæ melioris nos erigit: quia ſtatuendũ eſt poſt mortem eſſe ſuperſtites, quorũ Deus curã gerit. Iam & hoc terrorẽ violentis & improbis incutiat, quod pronũtiat Deus deſertas hominũ patrocinio cauſas nõ alieno ſe impulſu, ſed ſuapte natura ſuſcipere, certúmque fore ſcelerũ vindicem, quãuis nõ queratur qui læſus eſt. Exultãt quidẽ ſæpe homicidæ, quaſi pœnã euaſerint: ſed tandẽ oſtendet Deus nõ fuiſſe mutũ innoxiũ ſanguinẽ, nec ſe fruſtrà dixiſſe pretioſam eſſe in oculis ſuis ſanctorũ mortẽ. Ergo quãtũ leuationis affert hæc doctrina fidelibus, ne ſint de ſua vita nimis anxii, pro qua Deũ excubias agere audiũt: tã violentũ eſt fulmen contra impios, qui violare & ſceleratè perdere nõ dubitant quos Deus ſeruandos ſuſcepit. *Pſal.115.a.15*

11 *Nunc itaque maledictus eris è terra.* Poſtquã ſceleris cõuictus fuit Cain, nunc de ipſo fertur iudicium. Ac primùm Deus terrã vindictæ ſuæ miniſtrã cõſtituit, quia impio & nefando parricidio inquinata fuerat: acſi dixiſſet, Tu iam mihi cædẽ abs te perpetratã negabas, atqui bruta ipſa tellus pœnã exiget. Hoc verò ad exaggerandã ſceleris atrocitatem facit, quãſi quædã eius cõtagio peruenerit vſque ad terrã, cui pœnæ exequutio mãdatur. Quòd hîc terræ ſæuitiam affingi

nonnulli putãt, acſi eã cõferret Deus feræ beluæ,quæ ſanguinẽ Abel hauſerit, à vero ſenſu alienũ eſt.Potius clemẽtia illi meo iudicio καὶ φειδωλίας tribuitur,quòd fœditatẽ exhorrẽs,os ſuũ tegendo ſanguini aperuerit, qui fraterna manu effuſus erat. Eo enim magis deteſtabilis eſt hominis crudelitas,qui proximi ſanguinẽ fundere nõ horret,cui receptaculũ eſt ſinꝰ terræ.Nec tamen miraculũ aliquod fingendũ eſt,quaſi inſolito terræ hiatu abſorptus fuerit ſanguis:ſed figurata eſt locutio,quæ plus fuiſſe humanitatis in terra ſignificat,quàm in ipſo homine. Cæterùm quòd aliis verbis nunc maledicitur Cain,quàm prius Adã, qui mitius cũ primo homine actum eſſe exiſtimãt,quia Deus humano generi parcere voluerit: nõnihil coloris habẽt. Audiuit Adã, *Maledicta erit terra propter te.* nũc verò fulmen vltionis Diuinæ in perſonã Cain vibratur ac defigitur.Quòd autẽ pœnã tẽporalẽ alii notari putãt,quia dictũ ſit A terra,potius quàm E cælo,ne poſteri Cain, præciſa ſpe ſalutis,audacius in ſuam damnationẽ ruerent: mihi nõ ſatis firmũ videtur. quin potius terræ mandari iudiciũ interpretor, vt intelligat Cain non procul vocandũ eſſe iudicẽ,ac ne opus quidem eſſe,vt Angeli è cælo prodeant,quum terra ſponte ſe vltricem offerat.

12 *Quum excoluerís eam.* Expoſitio proximi verſus. clarius enim exprimit quid ſit maledici è terra:nempe quũ ſuos cultores terra fraudat laboris fructu. Siquis obiiciat pœnã hanc cunctis pariter mortalibus in Adæ perſona fuiſſe antè inflictã:reſpõdeo, mihi nõ eſſe dubiũ quin ex reſidua benedictione aliquid nũc quoq; homicidæ fuerit detractũ, vt terrã priuatim ſibi infeſtam ſentiret.Nã etſi cõmuniter ſolem ſuũ oriri quotidie facit Deus ſuper bonos & malos:pluuiis tamen,& grãdinibus,&nebulis nunc gentis vnius,nunc certorũ hominum(quoties viſum eſt)interim vlciſcitur peccata,quatenꝰ ſcilicet ad ſtatuendũ futuri iudicii documẽtum vtile eſt:deinde vt talibus exemplis cõmonefiat mundus,irato aduerſõque Deo nihil fœliciter ſuccedere.In primo autẽ homicida Deus ſingulare edere ſpecimen maledictionis voluit, cuius memoria ſeculis omnibus extaret. *Inſtabilis & profugus.* Altera nũc quoque pœna infligitur,quòd nuſquã poterit ſecurus cõſiſtere,quocunque veniat locorũ.Duas voces poſuit Moſes,quæ parũ inter ſe differunt:niſi quòd prior à נוע deducitur quod eſt vagari,altera à נדד, quod fugere ſignificat.Diſtinctio quã afferunt nonnulli,quòd נע ſit qui nuſquãhabet fixam ſedem,נד verò qui neſcit quò ſe vertere debeat: quia probatione caret, nullius apud me eſt momenti. Genuinus ergo ſenſus eſt,quocunque venerit Cain,fore inſtabilẽ & profugũ:vt ſolent latrones,quibus nulla eſt quieta nec fida ſtatio.nulla eſt enim hominis facies, quæ non illis terrorem incutiat: ſolitudo verò ipſa rurſum eſt horrori.Atqui videtur minimè homicidis congruere hoc in pœnã, quũ potius fatalis ſit conditio filiorũ Dei:nam omnium maximè ſe peregrinos in mundo eſſe ſentiunt,Et Paulus ſe & conſortes ſuos inſtabiles eſſe cõqueritur.Reſpondeo,non corporali tantum exilio Cain damnari,ſed grauiori ſubiici pœnæ:quòd ſcilicet nullam terræ plagã inueniet,vbi nõ ſit vago & trepido animo.nã vt bona conſcientia meritò vocatur murus aheneus,ita impios nec centum muri nec totidẽ propugnacula inquietudine liberabũt. Inquilini ſunt fideles in terra, at tranquillo nihilominus hoſpitio fruuntur. ſæpe neceſſitate coacti aliò migrant:at quocunque eos ferat tempeſtas, ſedatũ animum afferunt: denique locum ſubinde mutãdo ita per mundum diſcurrunt ac tranſeunt,vt in perpetua manus Dei fultura vbique cõſiſtant. Talis impiis negatur ſecuritas, quibus minantur omnes creaturæ: & ſi arrideant, animus tamen ſic turbulentus eſt, vt eos quieſcere non ſinat. In hunc modum Cain,etiam ſi locum non mutaret,trepidationem quam eius animo Deus infixerat,excutere non potuit. Nec obſtat, quòd primus hominum vrbem condidit,quin ſemper vagatus ſit in ſuo nido.

Matth.5.g.45.

1.Cor.4.c.11.

13 *Maior eſt pœna mea.* In hoc ferè cõſentiunt interpretes vocẽ deſperationis eſſe: quia Cain iudicio Dei cõfuſus,nihil ſibi veniæ reliquũ faciat.Atque hoc quidem verum eſt, reprobos ſua mala nunquam ſentire niſi cum præſenti exitio, vnde emergere illis non licet:nempe vbi peccator ad extremum vſque cõtumax, Dei patiẽtiæ illuſit,iuſta hæc ſeræ pœnitentiæ merces eſt, horribile tormentũ abſque remedio ſentire: ſi modò pœnitentia cenſeri debet cæca & attonita pœnæ formido ſine vllo odio peccati,vel reſipiſcẽdi affectu. Sic & Iudas peccatum fatetur,ſed metu obrutus fugit quantum poteſt, Dei cõſpectum.Et certè verùm eſt,reprobos nihil habere medium.quandiu aliquid laxationis illis cõceditur, ſecurè torpent: vrgente autem eos ira Dei, franguntur magis,quàm corriguntur.Eos ergo exanimat ſuus pauor, vt nõniſi æternum exitium & inferos cogitent. Ego tamen non dubito quin alius ſit verborum ſenſus. nam vocem נשׂא potius accipio in propria ſignificatione: & verbũ נשׂא pro ſuſtinere poſitũ eſſe interpretor. Maior,inquit,pœna mihi iniũgitur, quàm vt ſim ferendo. Hoc modo Cain quanuis nõ excuſet peccatum, quia ab omni tergiuerſatione depulſus eſt, tamen de iudicii atrocitate conqueritur. ſic& diaboli quanuis ſe iuſtè plecti ſentiant, non tamen deſinunt obſtrepere Deo iudici, & illi crudelitatẽ obiicere.Et cõtinuò pòſt ſequitur expoſitio, *Ecce repulisti me à facie terræ,& à facie tua abſcondar.* Quibus verbis cũ Deo apertè expoſtulat,quòd durius quàm par ſit,& nulla clemen-

tia, vel moderatione adhibita tractetur. Perinde enim est acsi dixisset, Si mihi negatur tuta in orbe habitatio, nec me tua cura dignaris, quid mihi facis reliquũ? annon semel mori præstaret, quàm assiduè mille mortibus esse obnoxiũ? Vnde colligimus, reprobos vtcunque cõuicti sint, nullum facere tumultuãdi finem: adeóque ex sua impatientia & furore captare rixandi ansam, quasi ex malorum suorũ grauitate cõflare Deo inuidiam queãt. Hic etiam locus clarius docet, qualis fuerit illa vagandi conditio, vel illud exilium, cuius Moses nuper meminit: nempe quòd nullus illi terræ angulus in domiciliũ à Deo relictus fuerit, vbi placidè quiesceret. Exclusus enim cõmuni hominum iure, ne amplius censeatur inter legitimos terræ incolas, dicit se à facie terræ eiectum: ideóque profugum fore, quia terra illi hospitium negabit: vt necesse habeat quasi latrocinio occupare, quod iure non possidet. Abscõdi à Dei facie, est non respici à Deo, vel eius custodia non protegi. Testis est autem cõfessio hæc, quam Deus impio homicidæ extorsit, nullam esse hominibus pacem, nisi in Dei prouidentia acquiescant, suámque vitam illi curæ esse sibi persuadeãt: nec placidè frui vllis Dei beneficiis, nisi dum statuũt hac lege se in mundo locatos esse, vt vitam sub eius manu trãsigant. Misera ergo impiorũ instabilitas, qui nullum terræ pedem agnoscunt sibi à Deo concessum esse.

14 *Quicunque me inuenerit.* Quia Dei præsidio non amplius tegitur, omnium iniuriis, ac violentiæ se fore expositum concludit: & meritó. sola enim Dei manus inter tot pericula nos mirabiliter cõseruat. Et prudenter loquuti sunt, qui non tantùm vitam nostram dixerunt è filo pendere, sed nos in caducam vitã ex vtero à centum mortibus excipi. Quanquam non modò se nudatum Dei tutela Cain hoc loco reputat, sed omnes creaturas diuinitus esse armatas ad sumendam de impia cæde vindictam. Hæc ratio est, cur vitæ suæ ab obuio quoque tanto pere metuat, nam quũ sociale animal sit homo, & naturaliter mutuos cõgressus appetant omnes: hoc certè portenti loco habendum est, quòd homicidæ formidabilis fuit omniũ hominum congressus.

15 *Propterea qui occiderit Cain.* Qui hoc fuisse votum Cain putant, vt morte vna statim defunctus, nõ trepidaret in continuis periculis, ac vitæ prorogationem illi in pœnã cessisse: nõ video qua ratione adducti sic loquantur. Multò autẽ absurdius est, quòd multi ex Iudæis sententiam hanc mutilant: & in hoc membro ἀποσιώπησιν fingunt, postquam aliquid subaudiendum sit: deinde nouam sententiam inchoãt, Septuplum punietur; quam referri volunt ad Cain. quanquam necdum inter eos de sensu cõuenit. Quidã nugãtur de Lamech, vt paulo pòst dicemus. Alii exponũt de diluuio, quod incidit in septimam generationem. Id verò friuolum est: quũ minimè fuerit priuata vnius familiæ, sed communis generis humani vltio. Verùm hæc sententia vno contextu legi debet, Propterea septuplum punietur quisquis occiderit Cain. Et particula cauſalis כי, Deo indicat fore curæ ne quisquã adeò facile in cædem prorumpat. non quòd in gratiam homicidæ priuilegium statuerit Deus, vel exaudierit eius votum: sed quia posteris consultum esse voluit, in humani generis conseruationem. Prodigiosè violatus fuerat naturæ ordo. Quid postea futurum erat, crescẽte hominum malitia & audacia, nisi violenta manu cohibitus fuisset aliorum furor? Scimus enim quàm pestilens & mortiferum venenũ propinet in malis exemplis Satan, nisi protinus adhibeatur remediũ. Pronuntiat ergo Dominus, Si qui imitabuntur Cain, nõ solùm minimè fore excusabiles eius exemplo, sed grauius plectendos: quia in eius persona agnoscere debeant, quàm detestabile sit scelus corã Deo. Quare multum falluntur, qui mitigari putant iram Dei peccandi consuetudine, quæ inde magis inflammatur. *Posuit itaque Deus signum* Nuper dixi, nihil concessum fuisse homicidæ in eius fauorem, sed vt crudelitati & iniustæ violentiæ in posterum obuiam iretur. Ideo nunc dicit Moses, signum fuisse positum in Cain, quod omnibus terrorem incuteret: quia tanquã in speculo cernere licuit, tremendum esse Dei iudicium cõtra homines sanguinarios. Quale autem signum fuerit, quia non exprimit Scriptura, diuinarunt interpretes corpus eius fuisse tremulum. Nobis sufficiat visibile aliquod symbolum extitisse, quod nocendi libidinem & audaciã in spectatoribus reprimeret.

16 *Et egressus à facie Domini.* Dicitur Cain egressus à conspectu Dei, quia quũ hactenus egisset in terra quasi in Dei hospitio, nũc tanquã exul procul amotus à Dei cõspectu, oberrat extra eius præsidium. Vel certè (quod non minus probabile est) intelligit Moses stetisse illum ad tribunal iudicis, donec foret damnatus: nunc verò, postquam cessauit Deus cum ipso loqui, excusso præsentiæ eius sensu aliò se proripere, & nouã habitationem quærere, vbi Dei oculos fugiat. Terra Nod, nomen haud dubiè à suo inquilino sortita est. Quòd locatur ad Orientem Paradisi, hinc colligere licet verum esse quod prius diximus, certum locũ amœnitate, & vberrima fructuum copia præstantem, Adæ fuisse datum, quem incoleret. finitus enim locus sit oportet qui oppositos habet respectus ad varias mundi plagas.

17 *Cognouit autem Cain uxorem.* Ex contextu Mosis colligere licet, Cain priusquam fratrem occideret, vxorem duxisse: alioqui nunc de coniugio aliquid narraret, quia res erat memora-

bilis inuentã esse vnam ex ſororibus, quæ ſe in eius manum tradere nõ horreret, quem fraterno ſanguine pollutum nouerat, & exulem ac profugum ſponte ſequi mallet,quũ adhuc libera daretur optio, quàm in paterna familia manere. Quinetiam portenti loco recitat, excuſſa formidine,cuius meminit,Cain ad ſobolem gignendam animũ applicuiſſe.nam qui ſibi totidem fingebat hoſtes,quot erant homines in mundo, mirum eſt quòd non ſe potius in aliquam ſolitudinem procul abdiderit.Hoc quoque præter naturam eſt, quod pauore attonitus,& Deum ſibi aduerſum ſentiens, vllam admittere voluptatem potuit. Iam verò mihi dubium eſt, alióſne liberos antè procreaſſet. nihil enim abſurdi erit, ſi dicamus peculiariter referri qui geniti ſunt poſt admiſſum ſcelus,quaſi deteſtabile ſemen, & quod ſanguinarium patris ingenium moréſque efferatos referret. Hoc quidem controuerſia caret, complures tam maſculos quàm fœminas omitti:quia Moſis conſilium fuit,vnam tantùm lineam proſequi, donec ad Lamech veniret.Fuit ergo magis populoſa domus,quàm exprimat Moſes:ſed propter memorabilem,quam mox ſubiiciet,hiſtoriam de Lamech,vnũ tantũ ordinem attingẽs,reliquum numerum ſilentio præterit. *Condidit urbem.* Videtur hoc prima ſpecie,& Dei iudicio, & ſuperiori ſententiæ valde contrarium.Adam enim & reliqua eius familia,quibus Deus fixam ſtationem conceſſit,ſub tuguriis agunt,vel etiam ſub dio & arboribus quærũt fortuita hoſpitia: exul Cain,quem Deus fugitiuum vagari iuſſerat, non contentus priuata domo, vrbem ſibi extruit.Sed probabile eſt, hominem ſibi male conſcium, quũ priuatis domus ſuæ parietibus ſe tutum minimè cõfideret, nouum excogitaſſe munitionis genus. non enim alia de cauſa per agros diſperſi viuunt Adam & reliqui,niſi quia minus metuunt. Quare trepidi & obnoxii animi ſignũ eſt, quòd vrbis condendæ libido Cain inceſſit, vt ſe à reliquis hominibus diſiungat: diffidentiæ tamen & anxietudini admixtam fuiſſe ſuperbiam inde apparet,quòd vrbem à filio denominat. Ita ſæpe in cordibus impiorum diuerſi inter ſe affectus confligunt.Eum formido ex ſcelere intra muros compellit,vt præter morem vſitatum ſe muniat: ex aduerſo ebullit faſtuoſa vanitas. Certè optare debuerat,nomen ſuum perpetuò ſepultum eſſe.quorſum enim memoria,niſi in execrationem? Ambitio tamẽ impellit,vt generi ſuo in vrbis nomine monumentũ ſtatuat.Quid hîc dicemus, niſi eum ad pœnam occalluiſſe, vt contumaciæ ſuæ tumorem Deo opponeret? Porrò quanuis vrbium arciúmque propugnaculis tueri vitam noſtram liceat: notãda eſt tamen prima earum origo:quia vtile eſt vitia noſtra ſemper in ipſis remediis conſpicere. Quod per ludibrium rogant naſuti homines, vnde architectos & opifices conduxerit Cain ad vrbem extruendam: & vnde ciues accerſiuerit,qui eam colerent: ego viciſſim ab illis quæro,quo autore credãt vrbem ex quadratis lapidibus fuiſſe extructam,& magno artificio,multíſque ſumptibus & longi temporis opera ædificium hoc cõſtitiſſe. nihil enim aliud colligere licet ex verbis Moſis,quàm muros ex rudi materia Cain ſibi & poſteris circundediſſe.Quantum ad incolas pertinet: inter illa humanæ fœcunditatis primordia,quum ad abnepotes ventum foret,iam excreuerat eius ſoboles in tantum numerum,vt corpus vrbis vnius facile efficeret.

19 *Acæpit ſibi Lamech duas uxores.* Habemus hîc polygamiæ originem in gente peruerſa ac degenere:primum verò eius autorem hominem ſæuũ,& omnis humanitatis expertem.Cæterùm immodicóne propagandæ domus ſuæ ſtudio,vt elati homines & ambitioſi ſolent: an libidine impulſus fuerit, parum ad rem attinet: quia vtroque modo violauit ſanctam coniugii legem, quæ à Deo prodita fuerat.Statuerat Deus vt eſſent duo in carnẽ vnã : atque iſte perpetuus erat naturæ ordo. Lamech beluino Dei cõtemptu,naturæ iura corrumpit. Dominus ergo legitimi coniugii corruptelam ex domo Cain prodire,& à perſona Lamech incipere voluit,vt polygamos exempli puderet.

20 *Abel ipſe fuit pater habitantium.* Inter mala quæ prodierunt ex familia Cain aliquid boni fuiſſe admixtum nunc Moſes commemorat. Artium enim & aliarũ rerum inuentio,quæ ad communem vitæ vſum & commoditatem valent, donum eſt Dei minimè ſpernendum, & virtus laude digna. Mirum ſanè eſt, gentem illam quæ magis ab omni integritate deſciuerat,non pœnitẽdis dotibus præ aliis Adæ poſteris excelluiſſe.Ego verò interpretor nominatim loquutum fuiſſe Moſen de artibus iſtis inuentis in familia Cain: vt ſciremus non ita fuiſſe maledictum à Domino,quin eximia quædam dona ſparſerit inter eius poſteros. nam probabile eſt, aliorum ingenia interim non ceſſaſſe,ſed fuiſſe inter Adæ filios homines induſtrios & ſolertes,qui ſuam induſtriam in artibus inueniendis & excolendis exercuerint. Reſiduam verò Dei benedictionem Moſes diſertè in ea gente commendat, quæ alioqui bonorum omnium credita fuiſſet vacua & ſterilis. Sciamus ergo,ita priuatos fuiſſe regenerationis ſpiritu filios Cain, vt tamen præditi fuerint non contemnendis dotibus. ſicuti omnium ſeculorum experiẽtia docet, quantum ad cultum vitæ præſentis, ſemper fulſiſſe in gentibus incredulis Diuinæ lucis radios: & hodie videmus vt diffuſa ſint præclara Spiritus dona per totum genus humanum. Quinetiam libe-

rales artes & ſcientiæ à profanis hominibus nobis fluxerunt. Aſtrologiam & reliquas philoſophiæ partes, medicinam, rationem politici ordinis acceptam illis ferre cogimur. Nec dubium eſt quin illos tam liberaliter ditauerit Dominus excellentibus gratiis, quo minus excuſationis haberet eorum impietas. Nos autem ſic miremur quas Deus in illos gratiæ ſuæ diuitias effudit, vt longè pluris ſit nobis regenerationis gratia, qua ſuos Electos ſibi peculiariter ſanctificat. Quanuis autem citharæ, & ſimilium organorum muſices inuentio deliciis magis & voluptati ſeruiat quàm neceſſitati, non tamen prorſus ſuperuacua cenſeri debet, ac multominus per ſe damnari meretur. Damnãda quidem eſt voluptas, niſi cum Dei timore, & communi humanæ ſocietatis vtilitate ſit coniuncta. ſed muſicæ talis eſt ratio, vt pietatis officiis accommodari, & hominibus prodeſſe queat. abſint modò vitioſæ illecebræ: abſit etiam inanis oblectatio, quæ homines à melioribus exercitiis abductos, in vanitate occuper. Cæterùm vt demus citharæ inuentum minimè in laude ponendum eſſe, quàm longè latéque pateat artis fabrilis vtilitas, abundè notum eſt. In ſumma, docere meo iudicio Moſes voluit, floruiſſe variis & egregiis dotibus gentem illam quæ & ipſam inexcuſabilem redderent, & luculenta eſſent Diuinæ bonitatis teſtimonia. Pater habitantium in tentoriis dicitur primus inuentor eius commodi, quod alii poſtea imitati ſunt.

23 *Audite uocem meam uxores Lamech.* Conſilium Moſis eſt, exprimere truculentiam huius viri, qui tamen quintus erat à fratricida Cain: vt ſciamus adeò non fuiſſe territum Diuinæ vindictæ exemplo, quod in atauo ſuo cernebat, vt magis occalluerit. Talis eſt impiorum durities: efferantur enim ad Dei flagella, quæ ſaltem manſuefacere eos debuerant. Obſcuritas loci, quæ diuerſas interpretationes nobis peperit, inde maximè profecta eſt, quòd quum Moſes loquatur quaſi ex abrupto, non reputarunt interpretes quorſum eius oratio tenderet. Iudæi inſulſam fabulam ſuo more commenti ſunt: quòd Lamech venator fuerit & cæcus, puerum verò ducem habuerit manus ſuæ. Cain dum inter ſyluas latitaret, fuiſſe ab eo ſagitta confoſſum: quia puer feram eſſe exiſtimans, eius manũ direxerit. Deinde vltionem ſumpſiſſe de puero, qui cædis cauſa per imprudentiam fuerat. Et rei ignorantia fecit vt ſibi quiſque aliquid diuinare permitteret. Mihi autem vera & ſimplex videtur eſſe eorum ſententia, qui verbum præteriti temporis in futurum reſoluunt, & indefinitè accipiunt: acſi iactaret ſibi ſatis eſſe roboris & violentiæ ad fortiſſimum quenque hoſtem occidẽdum. Ego igitur textum ita lego, *Occidero uirum in uulnus meum, & aduleſcentem in liuorem meum.* Vel in liuore & vulnere. Notanda autem eſt illa quam dixi, habendi cum vxoribus talis colloquii occaſio. Scimus homines ſanguinarios, vt aliis ſunt terrori, ita paſſim omnibus eſſe exoſos. Meritò itaque terrebat vxores Lamech mariti violentia toti humano generi intolerabis: ne facta conſpiratione, omnes eũ opprimerent, vt dignus erat publico odio & execratione. Nunc Moſes vt deſperatam barbariem exprimat, quum ſæuos & feroces viros ſæpe mitigare ſoleant vxorũ blanditiæ, dicit Lamech in vxorum ſinum euomuiſſe crudelitatis ſuæ virus. Summa eſt, quòd ſatis animi ſibi & virium eſſe iactat ad quoſlibet ſternendos, ſiqui ipſum aggredi audeant. In viro & aduleſcente repetitio eſt ſecundum phraſin Hebraicam: nequis diuerſos notari putet: niſi quòd furioſam ſuam audaciam ſecundo membro amplificat, quum gloriatur, aduleſcentes in medio ætatis flore ſibi non fore pares ad reſiſtendum: acſi diceret, Prodeat validiſſimus quiſque: nemo erit quem non conficiam. Tantum ergo abeſt, vt ſpe humanioris vitæ demulceat vxores ſuas, vt meras & promiſcuas cuiuſque ſtrages inſtar rabioſæ beluæ eructet. Vnde facile apparet, quũ truculentia delibutus eſſet, nihil humanis retinuiſſe. Variè legi poſſunt nomina Plagæ & Liuoris. ſi vertere libeat, in vulnus & liuorẽ: ſenſus erit, Ego in caput meum ſecurè recipio ſiquid eſt periculi: meo diſpendio accidat quidquid poterit: quia mihi in promptu eſt ratio qua euadam. Vno verò contextu legendum erit quod ſequitur, Septuplo grauius vindicabitur Cain, &c. Si magis placeat ablatiuus caſus, in vulnere & liuore: duplex adhuc erit expoſitio: prior eſt, Etiamſi eſſem vulneratus, occiderẽ tamen virum. quid ergo facturus ſum integer? Altera, quæ meo iudicio, ſanior eſt, ac magis congruit, Siquis me iniuria laceſſat, vel conetur vim afferre, ſentiet cum viro forti & ſtrenuo ſibi eſſe negotium. neque enim impunè euadet qui me læſerit. Docet autem exemplum hoc, ſemper in deterius prolabi homines. Fuit quidem nefarium ſcelus Cain: ſed crudelitas Lamech paſſim graſſata eſt, vt ſanguini humano non parceret. Adhæc, quũ videt vxores metu perculſas, adeò non manſueſcit, vt magis ſe ad crudelitatem acuat & confirmet. Ita magis inſoleſcit feritas hominum crudelium, dum ſe exoſos haberi ſentiunt: adeò pœnitentia non tanguntur, vt cædem vnam decem aliis ſepelire parati ſint. Vnde fit, vt nullus illis ſit fundẽdi & hauriendi ſanguinis modus, poſtquam ſemel eo imbuti ſunt.

24 *Septuplo uindicabitur Cam.* Mihi non eſt propoſitum referre ſingulorum deliria vel ſomnia: nec volo hoc à me expectent lectores. alicubi breuiter attingam & parcè: maximè ſiquis erit

ad fallendum prætextus: vt ſibi, aliquoties admoniti, perpetuò cauere diſcant lectores. Ergo quantum ad hunc locũ ſpectat qui variè diſcerptus fuit, non referã quid hic vel ille tradiderit: ſed germana expoſitione cõtentus ero. Deus voluerat Cain horribile aliis fugiendi homicidii eſſe exemplum. in hunc finem eum fœdo ſtigmate notauerat. Nequis tamen eius ſcelus imitaretur, ſeptuplo grauius puniendum eſſe dixerat, quiſquis eum occideret. Hanc Dei ſententiã impiè peruertẽs Lamech, illius ſeueritati illudit: nam inde arripit maiorem peccandi licentiam: acſi Deus homicidas ſingulari aliquo priuilegio donaſſet. non quòd ſeriò ita ſentiat, ſed quia vacuus omni pietatis ſenſu impunitatem ſibi promittit, ac interea per iocum obtendit Dei nomen: vt Dionyſius ille, quum deos fauere ſacrilegis iactaret, diluendæ quam contraxerat, infamiæ cauſa. Cæterùm ſicut numerus ſeptenarius in Scriptura multitudinẽ deſignat: ita ſeptuplicatio pro ingenti incremẽto capitur. Talis eſt illa Chriſti ſententia, Nõ dico vt ſepties remittas offenſam fratri tuo, ſed ſeptuagies ſepties. *Cognouit Adã uxorem.* Colligũt hinc quidã orbatos fuiſſe tunc ſobole primos homines: quũ alter ex filiis eſſet occiſus, alter procul in exiliũ eiectus foret. Atqui nequaquam credibile eſt, quũ maximè vigeret Dei benedictio in propagatione humani generis, Adã & Heuã per tot annos fuiſſe ſteriles. Quin potius antequã occideretur Abel, continua prolis ſucceſſio iam populoſam Adæ domum effecerat. nam in ipſo præſertim & vxore ſententiæ illius effectum fulgere oportuit, Creſcite, & multiplicamini, donec repleatis terram. Quid igitur ſibi vult Moſes? Nempe primos homines nefandæ cædis horrore perculſos, à thoro coniugali aliquandiu abſtinuiſſe. neque certè aliter fieri potuit, quin illum pluſquam triſtem & acerbum ſuæ à Deo apoſtaſiæ fructum colligendo, ferè exanimes iacerẽt. Quòd autem alios nunc præterit, ratio eſt, quia piorũ generationem ex linea Seth proſequi inſtituerat. Proximo autem capite, vbi dicet Adam genuiſſe filios & filias: cõplectitur hauddubiè plurimos qui ante Seth nati erant: quorum tamen non magna habetur ratio, quoniam ſeparati fuerunt ab ea familia quæ purè Deum coluit, & verè cenſeri potuit Dei Eccleſia. *Poſuit mihi Deus ſemen alterum pro Abel.* Semẽ aliquod intelligit ſingulare. Diximus enim procreatos fuiſſe alios qui iam ante mortem Abel adoleuerant. Verùm vt procliue eſt hominum genus ad mala, tota ferè domus ſe variis modis corruperat. Ideo exiguam ſpem de reliqua turba conceperat Heua: donec excitauit illi Deus nouum ſemen, de quo melius ſperauit. Quare non vno tantùm filio, ſed tota ſobole orbatam ſe fuiſſe ducit in perſona Abel.

Matth. 18. c. 22

25 *Tunc cœptum eſt inuocari.* Synecdoche eſt in verbo inuocandi: quia generaliter complectitur totum Dei cultum. Aptè autem denominatur à præcipua ſui parte religio. Nam Deus omnibus ſacrificiis præfert hoc pietatis & fidei officiũ: vt Pſal. 50. c. 14 habetur: imò hic ſpiritualis eſt Dei cultus quẽ producit fides. quod in primis notatu dignũ eſt: quia nihil maiore ſtudio molitur Satan, quàm vt purã Dei inuocationem adulteret quibus poteſt vitiis, vel ab vno Deo nos ad creaturas inuocãdas traducat. Imò lapidem hunc mouere non deſtitit ab initio mundi, vt ſe miſeri homines fruſtrà in præpoſtero Dei cultu fatigarent. Nos verò ſciamus totã adorationis pompã nihili eſſe, niſi teneatur præcipuum hoc caput Dei ritè colendi. quanquã ſimplicius etiã exponere licet, tunc celebratũ rurſus fuiſſe Dei nomen. Sed prior ſenſus quia plenior eſt, vtilémq; doctrinã continet, tum etiã conuenit vſitatæ Scripturæ phraſi, mihi probatur. Infulſum verò cõmentum eſt, tũc alienis nominibus cœpiſſe vocari Deum: quum hìc prauas ſuperſtitiones nõ taxet Moſes, ſed pietatem familiæ vnius commendet, quæ religione inter alios vitiata aut collapſa, purè ſanctéque Deũ coluit. Neque tamen dubium eſt quin Adam & Heua, paucíque alii ex eorũ liberis, veri fuerint ipſi Dei cultores. Verùm intelligit Moſes, tale iam tũc fuiſſe impietatis diluuiũ in mundo, vt religio ferè ad interitũ tenderet: quia reſidua tantum erat in paucis hominibus, non autem florebat in vna aliqua gente. Colligere promptũ eſt, Seth probum & fidelẽ fuiſſe Dei ſeruũ. Poſtquam verò filium genuit ſui ſimilem, & familiã habuit rectè compoſitam, extare cœpit diſtincta Eccleſiæ facies, erectúſque eſt Dei cultus, qui duraret ad poſteros. Talis & noſtro tempore facta eſt religionis inſtauratio: non quòd prorſus extincta foret, ſed quia nullus erat certus populus qui Deum inuocaret, nuſquam ſyncera fidei profeſſio, nuſquam religio integra conſpici poterat. Vnde nimis clarè apparet, quanta ſit hominum vel in craſſum Dei contemptum, vel in ſuperſtitionem propenſio: quando vtrunque malum paſſim tunc graſſari oportuit, quum miraculi loco referat Moſes vnam tũc fuiſſe domum in qua emergeret Dei cultus.

Cap. V.

1 ISte eſt liber generationum Adam: in die qua creauit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum.

2 Maſculum & feminam creauit eos, & benedixit eis: & vocauit nomen eorum

hominem, in die qua creati ſunt.
3 Et vixit Adám triginta & centum annos: & genuit ad ſimilitudinem ſuam, ad imaginem ſuam *filium*, & vocauit nomen eius Seth.
4 Et fuerunt dies Adám, poſtquam genuit Seth, octingenti anni: & genuit filios & filias.
5 Fuerunt itaque omnes dies Adám quibus vixit, nongenti anni & triginta anni, & mortuus eſt.
6 Et vixit Seth quinque annos & centum annos, & genuit Enós.
7 Et vixit Seth poſtquam genuit Enós, ſeptem annos & octingentos annos: & genuit filios & filias.
8 Fuerunt itaque omnes dies Seth, duodecim anni & nongenti anni: & mortuus eſt.
9 Et vixit Enós nonaginta annos, & genuit Kenán.
10 Et vixit Enós poſtquam genuit Kenán, quindecim annos & octingentos annos: & genuit filios & filias.
11 Fuerũt igitur omnes dies Enós, quinque anni & nõgenti anni: & mortuus eſt.
12 Et vixit Kenán ſeptuaginta annos, & genuit Mahalaleél.
13 Et vixit Kenán poſtquam genuit Mahalaleél quadraginta annos & octingentos annos: & genuit filios & filias.
14 Fuerunt itaque omnes dies Kenán, decẽ anni & nõgenti anni, & mortuus eſt.
15 Et vixit Mahalaleél quinque annos & ſexaginta annos, & genuit Iéred.
16 Et vixit Mahalaleél, poſtquam genuit Iéred, triginta annos & octingentos annos: & genuit filios & filias.
17 Fuerunt igitur omnes dies Mahalaleél quinque anni & octingenti anni: & mortuus eſt.
18 Et vixit Iéred duos & ſexaginta annos & centum annos, & genuit Hanóch.
19 Et vixit Iéred poſtquam genuit Hanóch, octingentos annos: & genuit filios & filias.
20 Fuerunt ergo omnes dies Iéred duo & ſexaginta anni, & nongenti anni: & mortuus eſt.
21 Et vixit Hanóch quinque & ſexaginta annos, & genuit Methuſélah.
22 Et ambulauit Hanóch cum Deo, poſtquam genuit Methuſélah, trecentos annos: & genuit filios & filias.
23 Fuerũt itaque omnes dies Hanóch quinque & ſexaginta anni, & trecẽti anni.
24 Et ambulauit Hanóch cum Deo, & non fuit, quia tulit eum Deus.
25 Et vixit Methuſélah ſeptem & octoginta annos & centum annos, & genuit Lémech.
26 Et vixit Methuſélah poſtquam genuit Lémech, duos & octoginta annos, & ſeptingentos annos: & genuit filios & filias.
27 Fuerunt igitur omnes dies Methuſélah nouem & ſexaginta anni & nongenti anni: & mortuus eſt.
28 Et vixit Lémech duos & octoginta annos & centum annos, & genuit filium.
29 Et vocauit nomen eius Nóah, dicendo, Iſte cõſolabitur nos ab opere noſtro, & à dolore manuum noſtrarum de terra cui maledixit Dominus.
30 Et vixit Lémech poſtquã genuit ipſe Nóah, quinque & nonaginta annos & quingentos annos: & genuit filios & filias.

31 Fuerũt itaque omnes dies Lémech ſeptem & ſeptuaginta anni: & ſeptingenti anni, & mortuus eſt.

32 Et erat Nóah quingentorum annorum, & genuit ipſe Nóah, Sem, Cham, & Iépheth.

1 *Iſte eſt liber generationum Adam.* Hoc capite breuiter recitatur quantum interceſſerit temporis à mundi creatione vſque ad diluuium, & ſimul ex eius temporis hiſtoria aliquid delibat Moſes. Quanquam autem conſilium Spiritus non tenemus, cur res magnas & valde memorabiles ſilentio tranſmiſerit: noſtrum tamen eſt multa reputare quæ ſubticentur. Speculationes quidem quas ſibi quiſque ex leuibus coniecturis fabricat, minimè probo: nec autor ero vt ſibi hac in parte indulgeant lectores: ſed ex nuda & velut arida narratione, vtcunque colligi poteſt qualis fuerit illorum temporũ ſtatus, quemadmodum ſuis locis videbimus. Liber, ſecundum phraſin Hebraicæ linguæ pro catalogo ſumitur. Generationes continuam ſucceſſionem generis, vel continuã progeniem ſignificant. Porrò finis huius catalogi texendi fuit, vt ſciamus in magna, vel potius ingenti hominum turba ſemper fuiſſe aliquem numerum, licet exiguum, qui Deum coleret, eúmque cæleſti præſidio mirabiliter ſeruatum fuiſſe, ne prorſus aboleretur Dei nomen, & Eccleſiæ ſemen deficeret. *In die quo creauit Deus.* Nõ reſtringit generationes ad diem creationis, ſed principium tantùm deſignat: & ſimul primos homines à reliquis diſcernit, quos Deus ſingulari modo in vitam produxit: quum alii ex altiori ſtirpe & parẽtibus geniti fuerint. Porrò iterum repetit Moſes quod antè docuerat, fuiſſe Adam formatũ ad imaginem Dei: quia non poteſt ſatis laudari huius gratiæ excellentia & dignitas. Homini principem locum dari inter creaturas, iam magnum erat. ſed iſta nobilitas multo præſtãtior, quòd fictorem ſuum, quaſi filius patrem, ſimilitudine referat. Nec verò liberalius cum eo agere Deus poterat, quàm illi gloriam ſuam imprimẽdo, vt eſſet quaſi viua Diuinæ ſapientiæ & iuſtitiæ effigies. Valet etiam hoc ad coarguendas impiorum calumnias, qui libenter malitiæ ſuæ culpam in opificem conferrent, niſi diſertè expreſſum eſſet, alium natura conditum fuiſſe hominem, quàm nunc ſit factus proprio defectionis vitio.

2 *Maſculum & fœminam.* Hæc particula ſanctum coniugii vinculum & indiuiduam mariti & vxoris ſocietatem commẽdat. Poſtquã enim Moſes vnum nominauit, continuò pòſt duos includit ſub vno nomine. Et nomen cõmune attribuit promiſcuè ambob⁹, quo ſanctius inter ſe poſteri colere diſcerent ſocietatem, quũ viderent primos parentes conſtitui ſub vna perſona. Quòd nugantur Iudæi, ſolos coniuges vocari Adam, refellitur ex creationis hiſtoria. nec ſanè aliud voluit Spiritus hoc loco, quàm poſt ordinatum coniugium, fuiſſe virum & vxorem inſtar vnius hominis. Porrò benedictionis meminit, vt in eo admirabilẽ reputemus Dei gratiam quòd cõtinuata fuit: ſciamus tamen hominũ prauitate & malitia fuiſſe aliquatenus interruptã.

3 *Et genuit ad ſimilitudinem ſuam.* Diximus nuper, Moſem tantum in linea Seth proſequi Adæ ſobolem, vt ſeriem Eccleſiæ nobis conſiderãdam proponat. Quòd autem dicit genuiſſe ad imaginem ſuam: refertur quidem ex parte ad primam originem naturæ: ſimul tamen notanda eſt corruptio & vitioſitas, quæ ab ipſo contracta per defectionem, ad omnes poſteros defluxit. Si manſiſſet integer, daturus erat filiis ſuis omnibus quod acceperat. Nunc verò Seth vnà cũ aliis vitiatum legimus, quia Adam qui ab origine ſua deſciuerat, non potuit niſi ſui ſimiles gignere. Siquis obiiciat, fuiſſe peculiari Dei gratia Seth cum domo ſua electũ: facilis eſt ac prompta reſponſio: ſupernaturale remedium non obſtare quin generatio carnalis ſapiat peccati corruptelam. Ergo ſecundum carnem natus eſt Seth peccator: deinde renouatus eſt Spiritus gratia. Hoc tam triſte exemplum ſancti Patriarchæ, amplam nobis deplorandæ miſeriæ noſtræ materiam ſuppeditat.

4 Et *fuerunt dies Adam poſtquam genuit Seth.* In numero annorum qui hic refertur, in primis conſiderandum eſt, quandiu ſimul vixerint ſancti Patriarchæ. Nam per ſex cõtinuas ætates quum iam familia Seth in magnum populũ creuiſſet, quotidie reſonare potuit vox Adæ ad renouandam creationis & lapſus & pœnæ memoriam, ad teſtandam ſpem ſalutis, quæ poſt caſtigationem relicta fuerat: & ad recitãda dei iudicia, quibus omnes erudirentur. Poterant quidẽ eo more tuo tradere filii nepotibus quaſi per manus, quod didiciſſent. ſed longè efficacior fuit doctrina ex eius ore, qui oculatus fuerat omnium teſtis. Mira autem, adeóque mõſtroſa peruicacia, quòd ne ſic quidem ſanior pars generis humani in Dei obſequio & timore retineri potuit.

5 *Et mortuus eſt.* Clauſula iſta quæ de cuiuſq; morte apponitur, minimè ſuperuacua eſt. admonet enim non fruſtra denuntiatã fuiſſe mortem hominibus: & iam nos maledictioni cui addictus ille fuit, eſſe obnoxios, niſi aliunde liberemur. Interim reputanda nobis eſt luctuoſa noſtra

conditio: quòd deleta in nobis,vel ſaltem obliterata Dei imagine,vix tenuem retinemus vitæ vmbram,ex qua ad mortem properandum eſt.Ac vtile eſt,in tot ſeculorum pictura cernere vno intuitu cõtinuum Diuinæ vindictæ curſum ac tenorem: quia alioqui Deum quodammodo obliuioſum fingimus:& nihil procliuius eſt,quàm immortalitatem in terra ſomniare,niſi mors ſubinde ante oculos nobis occurrat.

22 *Ambulauit Henoch cum Deo.* Non dubium eſt quin peculiari laude ornetur Henoch inter ætatis ſuæ homines, vbi dicitur cum Deo ambulaſſe. Viuebant tamen & Seth & Enos & Cainan, & Malaleel,& Iared:quorum pietas ſuperiori capite laudata fuit.Nec verò rude fuit aut barbarum ſeculum, quod complures habuit præſtantiſſimos doctores. Vnde colligimus,raram & prope vnicam huius ſancti viri fuiſſe probitatem, quem à communi ordine Spiritus ſanctus eximit.Interea ne abripiant nos peruerſi eorum mores quibuscum verſamur, hîc nobis oſtenditur cauendi ratio.Eſt enim publica conſuetudo violẽta tempeſtas:quia & facile patimur à multitudine nos huc illuc abduci: & quod vſu receptum eſt quiſque rectum ac licitum eſſe putat. nempe ita porci alii ex aliis pruriginẽ cõtrahũt:nec vlla deterior eſt vel magis ſontica cõtagio quàm ex malis exemplis. Quo diligentius notanda eſt breuis iſta integræ vitæ definitio, quòd Henoch cum Deo ambulauerit. Nunc glorientur qui volent,ſe ex aliorum conſuetudine viuere. At ſpiritus Dei benè ritéque viuendi regulam conſtituit,vbi ab hominum exemplis diſceditur,qui vitam ſuam ac mores ad Dei Legem non formant. Nam qui poſthabito Dei verbo,ad imitationem mundi ſe proſtituit, cum diabolo viuere cenſendus eſt. Porrò vt nuper attigi, non ſpoliantur alii omnes iuſtitiæ laude: ſed exemplum ſingulare nobis in perſona vnius hominis ſtatuitur,qui in horrenda diſſipatione firmus ſtetit:vt diſcamus in Deum magis,quàm in homines eſſe intenti, ſi vitam rectè & ordine cõponere libeat. Nam perinde valet loquutio qua vtitur Moſes,acſi dixiſſet,ne hominum corruptelis abduceretur,habuiſſe vnius Dei reſpectum,vt pura conſcientia tanquam ſub eius oculis, probitatem coleret. *Et non fuit: quia tulit ipſum Deus.* Impudenter contentioſus erit, qui non fatebitur aliquid extraordinarium hîc notari. Tolluntur quidem omnes è mundo per mortem:ſed clarè exprimit Moſes, Henoch inſolito modo, & præter conſuetum morem fuiſſe à Domino receptum. Nam לקח Hebræis aſſumere non minus, quàm tollere ſignificat. Cæterùm omiſſa voce,rem ipſam tenere ſufficit:Henoch in medio vitæ curſu repentè,& inuſitato exemplo euanuiſſe ex hominum conſpectu: quia Dominus eum abſtulit: quemadmodum & de Helia factum legimus. Quũ in raptu Henoch editum fuerit ſpecimen immortalis vitæ: non dubium eſt quin Sanctorum animos erigere voluerit Deus certa fiducia ante mortem:& hac cõſolatione mitigare terrorem,quem concipere ex morte poterant: quia ſcirent meliorem vitam alibi repoſitam eſſe. Mirum autem eſt, hoc fiduciæ & conſolationis ſubſidio priuatum fuiſſe Adam. nam quum eius auribus aſſiduè inſonaret terribile illud Dei iudiciũ, Morte morieris: ſolatio aliquo magnopere egebat, vt in morte aliud conciperet,quàm maledictionem & interitum. Atqui annis poſt eius mortem quinquaginta, vel circiter,accidit raptus Henoch, qui futurus erat quaſi viſibile ſpeculum beatæ reſurrectionis:quo illuſtratus,æquo animo ad migrationẽ ſe accingeret. Sed quum Dominus pœnam infligens moderatus eſſet rigorem ſuum,atque ex ore eius audiſſet ipſe Adam quod eum non mediocriter leuare poterat:hoc remedii genere cõtentus, debuit patienter ferre tũ crucem continuam in mundo,tum acerbum & triſtem exitum: ſed quum alii nõ perinde inſtructi eſſent manifeſto oraculo ad ſperãdam ex ſerpente victoriam, cõmunis fuit in raptu Henoch piis omnibusdoctrina, ne ſpem ſuam haberent incluſam vitæ mortalis finibus.Nam teſtimonium Diuini erga eum amoris fuiſſe hunc raptum demonſtrat Moſes,dum piæ & integræ eius vitæ coniũgit. Atqui vita priuari,non eſt per ſe optabile. Sequitur ergo meliore hoſpitio fuiſſe exceptum: imò quum eſſet inquilinus in mũdo, receptum in cæleſtem patriam fuiſſe.Quod etiam ſatis clarè docet Apoſtolus ad Hebræos 11.a.5. Porrò ſi quæratur,quorſum tranſlatus fuerit Henoch, & qualis ſit nunc eius conditio:reſpondeo,priuilegio ſingulari talem eius fuiſſe trãſitum, qualis aliorum hominum futurus erat. Etſi enim ipſum exuere oportuit quod corruptibile erat, exemptus tamen fuit à violenta ſeparatione quam natura refugit.In ſumma, eiuſmodi raptus placida fuit lætáque migratio ex mundo.Neque tamen in cæleſtem gloriam receptus eſt, ſed tantum præſentis vitæ miſeriis ſolutus, donec veniret Chriſtus reſurgentium primitiæ. Et quum vnum fuerit ex Eccleſiæ membris,expectare eum neceſſe eſt donec prodeant omnia ſimul Chriſto obuiam,vt totum corpus capiti vniatur.Siquis illud Apoſtoli obiiciat,Conſtitutum eſſe omnibus ſemel mori: facilis eſt ſolutio, quòd mors non ſemper diuortium ſit animæ à corpore: ſed mori dicuntur, qui corruptibilem exuunt naturam,qualis erit mors eorum, quos dies vltimus ſuperſtites inueniet. *Heb.9.g.27*

29 *Vocauit nomen eius Noah,dicens,Iſte conſolabitur nos ab oper.* In lingua Hebraica etymologia verbi

נחם, nomini מנ non respondet: nisi literam ה superuacuam esse dicamus, vt interdum in compositione quædam literæ redundant. מנ significat quietem dare: נחם verò consolari. A priore verbo deducitur nomen Noah. Quare vel est literæ vnius in alteram transmutatio, vel allusio est duntaxat vbi dicit Lamech, Iste nos consolabitur ab opere nostro. Quãtum ad rem pertinet, nulla est dubitatio quin sibi leuationem aut solatium à laboribus promittat. Sed quæritur, vnde spem istam de filio conceperit, cuius nullam adhuc indolem cernebat. In eo non male sentiunt Iudæi, quòd vaticinium esse docẽt: sed nimis crasse ad agriculturam restringũt, quod ad omnes vitæ huius ærumnas patet, quæ ex Dei maledictione procedunt, & fructus sunt peccati. Equidem sic statuo, anxiè gemuisse Sanctos patres, quum tot molestiis circundati, assiduè reminiscerentur primæ omnium malorum originis, Deúmque sibi infestum reputarent. Ergo in labore manuum est synecdoche: quia sub vna specie comprehendit miserum statum, in quem deciderat humanũ genus. Tenebant enim proculdubio, quod suprà Moses retulit de laboriosa, tristi, & solicita vita, cui addictus fuerat Adam. quandoquidẽ in dies crescente hominũ malitia, nulla sperari poterat mitigatio, nisi ex insperato Dominus succurreret. Probabile est ipsos ad Dei misericordiã valde fuisse intentos. Vigebat enim fides in illis, & necessitas vrgebat, vt auxilii desiderio arderent. Temerè verò non fuisse impositũ nomen ex eo colligere licet, quòd Moses quasi rem memoratu dignam diserte notat. Aliis certè patrũ nominibus suberat aliqua ratio: præterit tamen cur ita vocati fuerint, & in solo Noah insistit. Hinc itaque non cõtentioso lectori iudicium facere licebit, in Noah esse aliquid peculiare, quod aliis prioribus non conueniat. Proinde mihi non dubium est quin rarum aliquid & insolitũ Lamech à filio suo sperauerit, atque id Spiritus instinctu. Putant nonnulli deceptũ fuisse, quia Christum esse crederet. sed eius rei nullam afferunt idoneam coniecturã. Magis probabile est, quum de filio magnum aliquid promissum foret, non se tenuisse quin suum cõmentum oraculo misceret, vt solent interdum Sancti quoque modum reuelationis excedere. ita fit vt neque cælum neque terram attingant.

32 *Noah verò quum annorum esset.* De patribus quod hactenus recensuit Moses, non facilis est diuinatio, an singuli primogeniti fuerint: tantum enim prosequi voluit cõtinuam Ecclesiæ seriem. Atqui Deus sæpenumero, ne se efferrent homines inani carnis fiducia, qui posteriores erãt naturæ ordine, sibi delegit. An igitur eorum catalogum recensuerit Moses, quos aliis prætulit Deus, vel qui iure primogenituræ præcipuum gradum tenuerunt inter fratres, mihi incertum est. similiter quot quisque filios habuerit. Quantum ad Noah spectat, satis constat, filios illi non fuisse plures tribus: idque sæpius Moses consultò inculcat, vt sciamus totam eius familiam fuisse seruatã. Cæterùm falluntur meo iudicio, qui prædicari hoc loco existimant castitatem Noah, quia cælibẽ vitam per quinque ferè secula transegerit. Neque enim tunc primùm narratur duxisse vxorem: ac ne illud quidem alterum, quoto ætatis suæ anno pater esse cœperit. Sed dum tempus simpliciter notatur, quo admonitus fuit de futuro diluuio: simul addit Moses, patrem eodem ferè tempore, vel circiter, fuisse trium filiorũ: non quòd iã tunc eos habuerit, sed quia non multo pòst nati sunt. Superasse quidem annum quingentesimum, antequam illi Sem nasceretur, patebit ex vndecimo capite. de reliquis duobus nihil habetur certi, nisi quòd Iapheth minor natu fuit. Mirum autem est, ex quo horribilem nuntium de humani generis interitu acceperat, non fuisse ingenti mœrore prohibitum à congressu vxoris: sed oportuit aliquas reliquias superesse, quia destinata erat domus illa in secundi mundi instaurationem. Quo tempore eius filii vxores acceperint tametsi non legimus, multò tamen ante diluuium id existimo factum esse: sed Dei prouidentia fuisse steriles, qui octo solùm animas seruare statuerat.

Cap. VI.

1 ET fuit, quũ cœpissent homines multiplicari in superficie terræ, filiæque natæ essent eis:

2 Tunc viderunt filii Dei filias hominum quòd pulchræ essent: & acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant.

3 Et dixit Dominus, Non disceptabit Spiritus meus cum homine in seculum, eo quòd sit etiam ipse caro: & erunt dies eius centum & viginti anni.

4 Gigantes fuerunt in terra in diebus illis: & etiam postquam ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, genuerunt eis: isti sunt potentes, qui à seculo *fuerunt* viri nominis.

5 Et vidit Dominus quòd multa esset malitia hominum in terra, & *quòd* omne figmentum cogitationum cordis eorum, tantummodo esset malum omni die:

6 Tunc pœnituit Dominum quòd feciſſet hominem in terra, & doluit in corde ſuo.

7 Et dixit Dominus, Delebo hominem quem creaui, à ſuperficie terræ, ab homine vſque ad iumentum, vſque ad reptile, & vſque ad volatile cæli: quia pœnitet me quòd fecerim ea.

8 Et Noah inuenit gratiam in oculis Domini.

9 Iſtæ ſunt generationes Noah. Noah vir iuſtus, perfectus fuit in generationibus ſuis: cum Deo ambulauit Noah.

10 Genuit verò Noah tres filios, Sem, Cham, & Iepheth.

11 Et corrupta erat terra coram Deo: repleta erat terra iniquitate.

12 Et vidit Deus terrã, & ecce corrupta erat: nam corruperat omnis caro viam ſuam ſuper terram.

13 Dixit itaque Deus ad Noah, Finis vniuerſæ carnis venit coram me: quia repleta eſt terra iniquitate à facie eorum, & ecce ego diſperdam eos cum terra.

14 Fac tibi arcã è lignis gópher, manſiunculas facies in arca, & bitumina bis eam intrinſecus & extrinſecus bitumine.

15 Et hæc *menſura* qua facies eam: trecentorum cubitorum erit longitudò arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo eius, & triginta cubitorum altitudo eius.

16 Feneſtram facies arcæ, & in cubito conſummabis eam ſupernè: oſtium verò arcæ in latere eius pones: inferiora, & ſecunda, & tertia facies in ea.

17 Et ego ecce *ego* adduco diluuium aquarum ſuper terram, vt diſperdam omnem carnẽ in qua eſt ſpiritus vitæ ſub cælo: omne quod eſt in terra morietur.

18 Et ſtatuam pactum meum tecum, & ingredieris arcam tu, & filii tui, & vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum.

19 Et ex omni viuente, ex omni carne, bina ex omnibus introduces in arcam, vt viua ſeruentur tecum, maſculus & fœmina erunt.

20 Ex volatili ſecundum ſpeciem ſuam, & ex animali ſecundum ſpeciem ſuam, ex omni reptili terræ ſecundum ſpeciem ſuam bina ex omnibus ingredientur ad te, vt viua conſeruentur.

21 Et tu cape tibi ex omni eſca quæ comeditur, & congregabis tibi, erítque tibi & illis ad veſcendum.

22 Et fecit Noah iuxta omnia quæ præceperat ei Deus, ſic fecit.

1 *Quum cœpiſſent homines multiplicari.* Poſtquam decem Patriarchas ordine recenſuit Moſes, apud quos integer manebat Dei cultus, iam narrat eorum quoque domos fuiſſe adulteratas. Hæc autem narratio altius repetenda eſt, quàm ab anno quingẽteſimo Noah. Nam vt ſibi trãſitum ad hiſtoriam diluuii faciat, totum mundum præfatur fuiſſe corruptum: vt nihil ferè ex vaſta diſſipatione, Deo reſiduum foret. Quod vt melius pateat, tenendum memoria eſt illud principium, tunc mundum quaſi diuiſum fuiſſe in duas partes: quia domus Seth cultum Dei foebat purum & legitimum, à quo alii deſciuerant. Etſi autem ad Dei inuocationem conditum fuerat totũ genus hominũ, ideóque regnare vbique debebat ſincera religio: quia tamen maior pars ſe vel ad Dei contẽptum, vel ad prauas ſuperſtitiones proſtituerat: decebat exiguam illã partem quã ſibi eximio priuilegio adoptauerat Deus, ſegregatã ab aliis manere. Turpis ergo ingratitudo fuit, quòd poſteritas Seth Cainitis & aliis profanis gentibus ſe permiſcuit, quia ſe vltrò priuauit inæſtimabili Dei gratia. Id etiã ſacrilegiũ minime tolerabile fuit, poſitũ à Deo ordinẽ peruertere & confundere. Videtur prima ſpecie friuolum eſſe, quòd formoſas ſibi vxores delegerint filii Dei ex filiabus hominũ, tam ſeuerè dãnari. Atqui ſciendũ eſt nõ leue eſſe crimẽ, poſitũ à Domino diſcrimen violare. Deinde quòd à profanis gentibus ſeparati erant Dei cultores, ſacrum fuiſſe ordínem, & reuerenter colẽdum, vt aliqua Dei Eccleſia extaret in terris,

Tertiò morbos fuisse desperates,quum remedium diuinitus sibi ordinatum respuerẽt. In summa,extremam dissipationem designat Moses, quũ degeneres essent piorum filii, quos sibi Deus quasi peculiarem & reconditum thesaurum ab aliis segregauerat. Vetus illud commentum de Angelorũ concubitu cũ mulieribus, sua absurditate abũdè refellitur: ac mirum est, doctos viros tam crassis & prodigiosis deliriis fuisse olim fascinatos. Frigida etiam Chaldæi interpretis sententia,dãnari promiscua coniugia inter filios magnatum & plebeias vxores. Filios itaq; Dei à filiabus hominum nõ ideo discernit Moses,quasi dissimilis fuerit natura,vel diuersa origo: sed quia adoptione filii Dei erant quos sibi ipse segregauerat: aliis manebat sua conditio. Siquis obiiciat, indignos esse qui censeantur in Dei filiis qui turpiter defecerant à fide & Dei obsequio: solutio facilis est, non illis tribui honorem, sed Dei gratiæ, quæ adhuc in illis domibus fulgebat. Nam quum de filiis Dei loquitur Scriptura, aliquando ad æternam electionem respicit,quæ non extenditur nisi ad legitimos hæredes: aliquãdo ad externam vocationem, secundũ quam multi intus lupi sunt:& quum reipsa sint alieni,filiorum tamen obtinent nomen,donec abdicet eos Dominus. Imò tam honorifico titulo ingratitudinẽ illis exprobrat Moses,quòd relicto Patre cælesti,tanquam transfugæ se prostituerint.

2 *Quòd essent pulchræ.* Non damnat præcise Moses,spectatam fuisse formam in deligendis vxoribus: sed quòd mera libido regnauerit. Est autem res sanctior coniugium, quàm vt oculis ferri homines debeãt ad voluptatẽ coitus. Nam indiuidua est vitæ societas,quæ omnes vitæ partes continet: sicuti prius habuimus, creatam esse mulierem, vt sit viro adiutrix. Ergo beluinus est appetitus ille, quum illecebris formæ sic rapimur, vt quæ præcipua sunt,nullum locũ habeãt. Et clarius Moses exprimit,quàm violẽtus fuerit libidinis impetus,quũ dicit sumpsisse ex omnibus quæ placuerant. quo significat, non habitum fuisse delectum ex necessariis dotibus, sed promiscuè vagatos esse filios sanctorũ quum pro sua cupidine ruerẽt. Docemur autem his verbis,colendam esse temperantiam in sancto coniugio: & eius profanationem nõ leue crimen esse coram Deo. Neque enim hîc reprehenditur scortatio in filiis sanctorum, sed quòd sibi in vxoribus ducendis nimium indulserint licentiæ. Et certè fieri non potest quin temporis successu degenerent filii Dei, quum ita eodem se iugo cum infidelibus implicant. Atque hæc fuit extrema vafrities Bileam: quum illi ablata esset maledicẽdi facultas,quòd subornari iussit mulieres à Madianitis,quæ populũ Dei ad impiam defectionẽ pellicerent. Ita quũ in Patriarcharum filiis, de quibus nunc differit Moses, graue per se malũ fuerit gratiæ sibi diuinitus collatæ obliuio, dum sua libidine feruntur ad illicita coniugia: deterior fuit accessio, quòd se impiis miscendo,profanarunt Dei cultum, & à fide exciderunt: sicuti hæc corruptela semper ferè consequi solet.

Num. 31. b

3 *Non disceptabit Spiritus meus.* Etsi iam prius ostẽdit Moses, eò scelerũ & impietatis progressum fuisse mundum,vt non debuerit diutius tolerari: quo tamen certius pateat, non minus iustam quàm atrocem fuisse vindictam illam,qua totus orbis est absorptus: Deum ipsum loquentem inducit. Plus enim grauitatis habet sententia,quum ore suo pronunciat Deus,magis deploratam esse malitiam hominum,quàm vt spes vlla sanationis appareat: ideóque non esse cur illis parcatur. Porrò quum horribile fuerit iræ Dei exemplum,cuius solo auditu nũc quoque expauescimus,necesse fuit exprimi,Deum nõ iracundiæ feruore impulsum nimis properasse,vel durius sæuisse quàm par erat: sed necessitate ferè coactũ fuisse vt totum mundum funditus deleret, excepta duntaxat vna domo. Neque enim se plerunque continent homines, quin Deum vel inimiæ festinationis accusent,dum vlciscitur hominum peccata,vel crudelem imaginentur. Ergo nequis obmurmuret, hîc in persona Dei pronũtiat Moses intolerabilem fuisse mundi prauitatem, & magis obstinatam, quàm vt remediis vllis sanabilis esset. Cæterum variè exponitur hic locus. Primùm quidam ex Hebræis verbum quo vtitur Moses, deriuant à radice נד quod nomen vaginam significat. Hunc verò sensum eliciunt, quòd Deus Spiritum suum nolit amplius teneri captiuum in corpore humano, quasi inclusum in vagina. Sed quia violẽter detorta est expositio: & Manichæorum delyrium resipit,quasi hominis anima pars esset diuini Spiritus: repudianda nobis est. Magis etiam inter Iudæos recepta sententia est,verbum de quo agitur,esse à radice דין. Sed quia sæpe pro iudicare,interdũ etiam pro litigare capitur, hinc adhuc nascũtur diuersæ interpretationes. Quidã enim exponũt quòd Deus amplius dignari hominesnolit Spiritu sui gubernatione: quia iudicis partes agit in nobis Dei Spiritus,quũ nos ratione illustrat vt sequamur quod rectũ est. Luther suo more ad externã spiritus iurisdictionẽ trahit,quã Prophetarũ ministerio exercet: acsi vnus quispiã ex Patriarchis dixisset in cõuentu, Cõuenit facere clamãdi finẽ: quia indignũ est vt Spiritus Dei per nos loquẽs,amplius se fatiget in mũdo arguẽdo. Argutè hoc quidẽ dicitur: sed quia ex incertis cõiecturis nõ est petẽdus Scripturæ sensus,simpliciter interpretor, Dominũ quasi defessum obstinata mũdi peruicacia præsẽ

tem vindictam denũtiare quam hactenus distulerat. Quantisper enim pœnã suspẽdit Dominus, quodammodo disceptat cum hominibus: præsertim si vel minis, vel leuium castigationum exẽplis eos ad resipiscentiam solicitet. sic rixatus fuerat iam aliquot seculis cum mundo, qui tamen subinde deterior fiebat. Nũc quasi tædio affectus, declarat sibi non esse animum litigandi diutius: acsi Gallicè quis diceret, C'*est trop plaider*. Nam quum Deus incredulos ad resipiscẽtiam inuitans, diu cum illis rixatus foret: diluuium finem controuersiæ imposuit. Interea non prorsus repudio Lutheri sententiam, quòd Deus deploratam hominum malitiam expertus, noluerit Prophetas suos frustra operã consumere. Sed generalis sententia ad speciem illam restringi nõ debet. Quòd autem dicit Dominus, Non contendam perpetuò: exprobrationem nimiæ & incurabilis contumaciæ exprimit: ac simul testimonium longæ Dei tolerantiæ: acsi diceret, nullum fore vnquam litigandi finem, nisi ansam semel insolita vindicta præcidat. Græci vnius literæ similitudine decepti, perperam legerũt, Non permanebit. quod vulgo interpretati sunt, quasi tunc homines sana rectáque intelligentia priuati fuerint. Sed hoc nihil ad præsentem locum. *Eo quòd sit etiam ipse caro.* Additur ratio, quia nihil ex disceptatione sperãdum sit profectus. Videtur autem hîc Dominus Spiritum suum exponere carnali hominum naturæ. Qua ratione tradit Paulus, animalem hominem non percipere ea quæ sunt spiritus, & esse illi stultitiam. Sensus ergo est, Spiritum Dei frustra cum carne disputare, quæ rationis capax non est. Carnis autẽ nomine, per ignominiam homines Deus appellat, quos tamen formauerat initio ad imaginem suam. Et hic loquendi modus Scripturæ familiaris est. Qui hoc nomen restringunt ad inferiorem animæ partem, longè falluntur. Nam quum omni ex parte vitiata sit hominis anima, nec minus cæca sit eius ratio, quàm peruersi affectus, meritò tota vocatur carnalis. Ideo sciamus totum hominem naturaliter carnem esse, donec per gratiam regenerationis, spiritualis esse incipiat. Iam quòd ad Motis verba spectat: non dubium est quin tristem Dei querimoniam vnà cum exprobratione contineãt. Debebat homo præcellere cunctis animantibus, propter mentem illi inditam. nunc ratione alienatus, ferè iumẽtis est similis. Inuehitur ergo Deus in degenerem & corruptam hominum naturam, quia sua culpa eò dementiæ ceciderint, vt iam bestiis sint propiores, quàm veris hominibus, quales esse decebat ex creatione. Cæterum accidentale esse vitium significat, quòd nihil quàm terram sapit: & quòd extincta intelligentiæ luce, suas cupiditates sequatur. Ac miror, emphasin quæ subest in particula בשגם ab interpretibus neglectam fuisse. sic enim sonãt verba, Propterea quòd ipse quoque est caro. Vbi conqueritur Deus, tãtopere turbatum esse ordinem à se positum, vt imago sua in carnem transformata fuerit. *Erunt dies eius centum & viginti anni.* Nimis crasse hallucinati sunt quidam antiqui scriptores, vt Lactantius, & alii, cursum vitæ humanæ fixisse, quòd hominum malitia fatigatus, adhuc tamen supremæ vindictæ exequutionem vltra seculum differt. Verùm hîc emergit species repugnantiæ. Noah enim completis nongentis quinquaginta annis, è vita decessit. Dicitur autem vixisse à diluuio annos trecentos & quinquaginta. Ergo sexcẽtorum erat annorum quo die arcam ingressus est. Vbi nunc reperientur viginti anni? Respondent Iudæi crescente hominum malitia fuisse rescissos. Cæterùm isto effugio nihil opus est: quando Scriptura, vbi de quingentesimo ætatis illius anno loquitur, non affirmat, eo vsque iam tunc pertigisse. Atque hic modus loquendi plusquam tritus est, tam initium temporis quàm finem in numeris notari. Quia ergo maior pars quinti centenarii transacta erat, vt quingẽtis annis propinquus foret, dicitur eius fuisse ætatis.

1.Cor.3.d.19

4 *Gigantes fuerunt super terram.* Inter plurimas corruptionũ species quibus referta erat terra, vnam peculiariter hoc loco Moses commemorat: quòd violenter & tyrannicè grassati sunt Gigantes. Cæterùm non arbitror de cunctis illius seculi hominibus haberi sermonem, sed de certis quibusdam, qui aliis valentiores quum essent, robore & potentia sua freti, sine lege & modo se extulerunt. Quãtum ad nomen Hebraicum spectat נפלים, nota quidem est origo illius à verbo נפל quod est cadere: sed de etymologia non consentiunt Grammatici. Quidam putant sic vocatos quia excidissent à communi statura: alii quòd ab eorum conspectu caderet vulgus hominum ob vastam corporis molẽ, vel quòd terrore suæ magnitudinis omnes alios prosterneret. Verior mihi videtur eorum sententia, qui similitudinem esse dicunt sumptã à labe vel impetuosa procella: nempe quòd sicut tẽpestas & labes violẽter cadens agros vastat & perdit: ita suis irruptionibus latrones isti perniciem & vastationem mundo intulerint. Nec verò inusitata fuisse corporis altitudine exprimit Moses: sed tantũ fuisse robustos. Alibi (fateor) eadẽ voce notatur staturæ proceritas, quæ formidabilis erat exploratoribus terræ Chanaã. Sed Moses eos de quibus in præsenti loco disserit, nõ tam corporũ mole à reliquis discernit, quàm latrociniis & grassãdi libidine. Cæterũ in cõtextu empha

Iosue. 13.g.34

ſim habet particula גם,quæ interponitur.Et locũ hũc peſſimè reddidit Hieronymus, poſtquẽ hallucinati ſũt alii quidã interpretes.Sic enim habetur adverbũ,Atq; etiãex quo filii Dei ingreſſi ſunt ad filias hominum:acſi dictum eſſet,Quin etiam: vel,atque adeó. nam primò narrat Moſes fuiſſe tunc Gigãtes: deinde ſubiicit nonnullos quoque fuiſſe ex ſobole illa promiſcua,ex quo ſe filii Dei miſcuerant filiabus hominum. Mirum non fuiſſet ſi talis immanitas regnaſſet in poſteris Cain: ſed vniuerſalis illuuies inde clarius patet, quòd ſanctum genus eadem corruptela inquinatũ fuit. Tanta contagio quæ occupauerat paucas familias quæ Dei ſacraria eſſe debebant,non parum amplificat grauitatem mali. Altior itaque Gigantum origo fuit. Sed deinde eorum ſectã imitati ſunt qui erant ex promiſcuis connubiis geniti. *Iſti potentes à ſeculo.* Seculum ferè pro vetuſtate capitur: acſi dixiſſet Moſes, primos exercuiſſe tyrannidem in mundo, vel potentiam,& nimis licentioſam ac effrænem dominãdi cupidinem ab illis cœpiſſe.Sunt tamen qui exponant,A ſeculo,coram mundo. nam hoc quoque ſignificat vox Hebraica עולם. Nonnulli prouerbiali figura dictum hoc fuiſſe exiſtimant:quia poſterior ætas,quæ diluuium ſequuta eſt,ſimiles non protulerit. Prima expoſitio ſimplicior eſt.ſumma tamen eſt, fuiſſe viros impotenter ferocientes, qui ſe à communi aliorum ordine exemerint. Primum in illis vitium fuit ſuperbia, quòd robore ſuo freti, plus ſibi arrogauerint quàm fas erat.Contemptum Dei peperit ſuperbia:quia faſtu inflati,iugum omne excutere cœperunt. Simul etiam in homines fuerunt contumelioſi & ſæui : quia fieri non poteſt vt ſe modeſtè gerant erga homines,qui parere Deo non ſuſtinent. Addit Moſes, *fuiſſe viros nominis.* quo ſignificat,gloriatos eſſe in ſuis ſceleribus,& fuiſſe honorificos latrones,vt loquuntur.Nec verò dubium eſt quin aliquid habuerint vulgo excellentius,quod illis conciliaret gratiam in mũdo & gloriam . Interea tamen ſub magnifico heroum titulo crudeliter dominati ſunt,& ex fratrũ iniuriis ac oppreſſione ſibi acquiſierunt potentiam ac nomen. Atque hæc prima fuit mundi nobilitas:nequis longa & fumoſa imaginum ſerie nimium ſibi placeat:ea inquam nobilitas quæ nonniſi ex aliorum deſpectu & contumelia in ſublime ſe attollit. Nominis celebritas per ſe non damnatur:vt neceſſe eſt eminere præ aliis quos Dominus præcipuis dotibus ornauit:& vtile eſt diſtinctos eſſe ordines in mundo.Sed quum ſemper vitioſa ſit ambitio, tum verò vbi accedit tyrannica ferocia,vt potentior minoribus inſultet, malum eſt non tolerabile: multò autem indignius, dum ſibi ex ſceleribus dignitatem comparant improbi : & quo quiſque audacior eſt ad nocendum, eo inſolentius inanes titulorum fumos iactat. Cæterum vt ingenioſus artifex eſt Satan ad fabricãda mendacia, quibus Dei veritatem adulteret, hócque modo ſuſpectam reddat: multa fabulati ſunt Poetæ de Gigantibus:quos tamẽ filios Terræ ideo ab illis dici arbitror, quia nullo maiorum exẽplo ad dominationem proruperint.

5 *Et vidit Dominus quòd multa malitia.* Proſequitur Moſes quod iam attigerat, non fuiſſe Deum in exigenda de mundi ſceleribus pœna nimis durum vel præcipitem. Deum autem humanitus loquentem inducit per ἀνθρωποπάθειαν: quia exprimere aliter nõ poterat quod operæpretium fuit cognoſci:Deum ſcilicet nec leui de cauſa,nec ſtatim fuiſſe accenſum vt mundum perderet.Nam verbo Videndi,longam patientiam notat:quaſi diceret,Deum nonniſi re bene perſpecta & diu cõſiderata,poſtquam deploratos vidit homines, ſententiã de illis delendis protuliſſe. Emphaſin quoque nõ paruam habet quod ſequitur,malitiam fuiſſe multam in terra.Mediocribus peccatis ignoſci poterat. ſi in aliqua tantum orbis parte regnaſſet impietas, poterant aliæ regiones à pœna immunes eſſe.Nunc quum iniquitas ad ſummum excreuit,& peruaſit totam terram, vt nullum angulum amplius poſſideat integritas:ſequitur pluſquã maturum fuiſſe pœnæ tempus.Malitia igitur ingens paſſim regnabat, vt tota terra cooperta foret. Vnde videmus non antè aquarum diluuio perditam eſſe,quàm ſcelerum colluuie ſubmerſam. *Omne figmentum cogitationum cordis.* Cauſam diluuii oſtendit Moſes in externis ſceleribus:nunc altius conſcendit,fuiſſe ſcilicet nõ habitu modo,& male viuendi conſuetudine peruerſos, ſed interiorem malitiam altius infixam fuiſſe eorum cordibus,quàm vt ſpes vlla reſipiſcentiæ eſſet.Nõ potuit certè magis ad viuum exprimere talem fuiſſe prauitatem, quæ nullo mediocri remedio eſſet ſanabilis. Poteſt quidem fieri vt ſe interdum proiiciant homines ad peccandum, in quibus tamen aliquid ſanæ mentis reliquum manebit. ſed Moſes docet ita penitus imbutum fuiſſe eorum,de quibus loquitur, ingeniũ malitia, vt tota mens nihil niſi damnabile proferret. Valde autem emphatica locutio eſt qua vtitur. ſatis erat dixiſſe vitioſum eſſe cor ipſorum:non contentus hoc verbo,diſertè ponit,Omne figmẽtum cogitationum cordis.& addit Tãtummodo:acſi negaret guttam boni eſſe admixtam. *Omni die.* Quidam exponunt hanc particulam A prima infantia : acſi diceret, Ingenitam eſſe prauitatem hominibus ex quo naſcuntur.Sed verior ſenſus eſt,Mundum tunc obduruiſſe in ſua malitia, & adeò non redire ad bonam frugem, vel aliquem pœnitentiæ affectum concipere, vt continuo temporis progreſſu deterior fiat. Denique nõ eſſe paucorum dierum inſaniam,ſed obſtinatam prauitatem,quã

filii quasi hæreditario iure acceptam, à parentibus ad nepotes transmitterent. Cæterum quanuis hîc de malitia loquatur Moses, quæ tunc in mundo inualuerat, bene tamen & congruenter hinc elicitur generalis doctrina: nec locum perperam detorquent qui extendunt ad totum humanum genus. Sic Dauid quũ dicit omnes desciuisse, inutiles esse factos, neminẽ esse qui bonitati studeat, non vsque ad vnum: sepulchrum patens esse guttur eorum, non esse Dei timorem illis ante oculos: seculi quidem sui impietatem deplorat. Paulus tamen trahere non dubitat ad Romanos 3.b.12. ad omnes omnium ætatum mortales. & meritò: neque enim simplex est de paucis hominibus querimonia, sed humani ingenii descriptio, vbi Spiritu Dei vacuum sibi relinquitur. Optimè ergo conuenit damnari his verbis hominum peruicaciam, qui Dei bonitate nimis diu abusi erant. Simul tamen in medium proponi qualis sit hominum natura, vbi Spiritus gratia destitutitur. *Psal. 5.c.10 & 14.a.3*

6 *Tunc pœnituit Dominum quòd fecisset hominem in terra.* Pœnitentia quæ tribuitur Deo, nõ prior in ipsum competit, sed ad sensum nostrum refertur. Quia enim eum apprehendere non possumus qualis est: necesse est vt se quodãmodo nostra causa transfiguret. Quòd non cadat in Deum pœnitentia, hoc vno facile constat, quia nihil illi inopinatum, vel non præuisum accidit. Eiusdem rationis, ac notæ est quod sequitur, affectum fuisse Deum mœstitia. Certè non mœret Deus, vel tristatur, qui in cælesti, & beata sua quiete perpetuò sui similis manet. Sed quia aliter percipi non potest quantum sit odium peccati in Deo, & quanta detestatio, ideo se Spiritus ad captum nostrum formar. Quare nihil opus est spinosis & arduis quæstionibus nos inuoluere, quãdo perspicuum est quorsum spectent voces istæ pœnitentiæ & doloris: nempe vt sciamus Deum, hominem, ex quo tantopere corruptus est, nõ censere inter creaturas suas. ac si diceret, Non est hoc opus meum, nõ est homo ille qui ad meam imaginem formatus, & tam egregiis dotibus à me ornatus fuerat: hũc degenerem & adulterinũ pro meo iam agnoscere dedignor. Huic affine est quod de tristitia secũdo loco ponitur: nempe atrocibus hominũ peccatis non secus Deũ offendi, quàm si lethali dolore cor eius vulnerarent. Subest igitur tacita antithesis inter naturã integram, qualis à Deo condita fuerat: & corruptionem, quæ ex peccato orta est. Interea nisi Deum prouocare libet, & mœrore afficere, discamus odio habere, & fugere peccatum. Quinetiam hæc tam paterna bonitas, & indulgentia non parũ retrahere nos debet à peccandi libidine, quòd Deus, vt efficacius penetret in corda nostra, affectus nostros induit. Figuram hanc ἀνθρωποπάθειαν vocarunt, quoties in se transfert Deus quod humanæ naturæ proprium est.

7 *Delebo homines quos creaui, à superficie terræ, ab homine usque ad iumentum.* Deũ rursus deliberantem inducit, vt melius sciremus non fuisse nisi maturo Dei consilio deletum orbem. Nam hac de re voluit Spiritus Domini nos diligẽter admonitos, vt ansam præcideret impiis querelis, ad quas nimis facile alioqui prorumpimus. Loqui autem, accipitur pro decernere: quia nullam vocem emisit Deus, sed intus statuit quid facturus esset. Adde quòd opus non habuit nouo consilio, hominum more, vt quasi de re nuper cognita iudicium ferret. Verùm hoc totum infirmitatis nostræ respectu dicitur, vt nunquam cogitemus de diluuio, quin subinde occurrat iustam fuisse Dei vindictam. Porrò Deus hominum pœna non contentus, vsque ad bestias & pecora, & aues, & omne animantiũ genus procedit. Qua in re videtur modum excedere. quantumuis enim illi odiosa sit hominũ impietas, quorsum attinet in animalia innoxia sæuire: Sed quæ in hominis gratiam creata erant, & viuebant in eius vsum, non mirum est cum eius interitu misceri. nihil promeriti erãt asini & boues, nihil reliqua animalia: sed quia homini subiecta erant, ipso cadente, in eandem ſitate bene instructa. Nunc quia homo & terram ipsam inquinauit suis sceleribus, & omnes quibus referta erat, diuitias fœdè corrupit, illic quoque pœnæ monumentum extare voluit Dominus: quemadmodum si iudex de homine maxime scelerato & nefario pœnam sumpturus, maioris ignominiæ causa, domum eius funditus dirui iubeat. Atque hoc totum ad incutiendum nobis peccati horrorem spectat. quanta enim sit eius atrocitas, colligere promptum est, cuius pœna ad brutas vsque creaturas effunditur.

8 *Noah inuenit gratiam in oculis Domini.* Hebraica est phrasis, quæ significat Deum illi propitiũ fuisse, & fauentem. Sic enim loqui solent Hebræi, Si inueni gratiam in oculis tuis: pro eo quod est, Si tibi gratus sum, vel me dignaris beneuolentia, & fauore. Quod ideo notandum est, quia futili argutia colligũt indocti quidam, Si coram Deo gratiam inueniunt homines: sua igitur industria, & meritis eam quærere. Fateor quidem hîc narrari gratũ fuisse Noah Deo: quia probè, & sanctè viuens, purum se à communibus mundi inquinamentis seruabat. sed vnde talis illi integritas, nisi quia iam præuctus erat Dei gratia: Initium ergo fauoris, gratuita misericordia fuit. Postea Dominus illum semel complexus, sub manu sua continuit, ne cum reliquo mundo pessum iret.

9 *Istæ sunt generationes Noah* Vox Hebraica, תולדות, hoc proprie significat. Quanquam ali-

quando latius extenditur, nempe ad totam vitæ hiſtoriam. atque hic videtur eſſe præſentis locì ſenſus. Nam quum præfatus eſſet Moſes vnum hominem repertum eſſe, quẽ Deus, perdere totum mundũ inſtituens, ſeruare vellet, breuiter exponit qualis fuerit ille. Ac primò dicit fuiſſe iuſtum & integrum inter ætatis ſuæ homines. nam aliud eſt Hebraicum nomen, דור, quod ſeculum, vel ætatem ſenat. תמים, pro quo vetus interpres perfectum ſolet reddere, tantundem valet atque integer, vel ſincerus: & duplici, vel fucato, ac vano opponitur. Nec temerè ſimul hæc duo connectit Moſes. Mundus enim vt ſemper ducitur externo ſplendore, iuſtitiam æſtimat non ab affectu cordis, ſed à nudis operibus. Atqui ſi cupimus nos Deo probari, & iuſti coram ipſo cenſeri, non manus tantùm, & oculos, & pedes componere oportet in Legis obſequium, ſed cordis integritas in primis requiritur, & in vera definitione iuſtitiæ priorem locum tenet. Sciamus tamen iuſtos vocari, & integros, non qui abſoluti ſint omni ex parte, & quibus nihil deſit, ſed qui rectitudinem purè & ex animo colunt. Scimus enim Deum non agere ſummo iure cum ſuis, vt ad perfectam Legis normam eorum vitam exigat: nam modò ne in illis regnet hypocriſis, ſed vigeat purum recti ſtudium, & eorum corda occupet, iuſtos pro ſua indulgentia pronuntiat. Particula, *in ſuis generationibus*, emphatica eſt. Iam enim ſæpius dixit, & mox iterum repetet, nihil fuiſſe corruptius illo ſeculo. Itaque mirabile fuit conſtantiæ exemplum, quod vndique ſcelerum fœtore circundatus, contagionẽ inde nulla contraxit. Scimus quãta ſit vis conſuetudinis, vt nihil difficilius ſit, quàm ſanctè verſari inter impios, nec malis eorum exemplis abduci. Vix cẽteſimus quiſque eſt qui non in ore habeat diabolicum illud prouerbium, Vlulandum eſſe inter lupos: & maior pars legem ſibi ex communi vſu ſtatuens, licitum eſſe iudicat quicquid vulgo receptum eſt. Cæterum vt hîc laudatur ſingularis virtus Noah, ita meminerimus nobis præſcribi quid agendum ſit, toto mundo in perniciem ſuam ruente. Si hodie adeò vitiati ſunt hominum mores, & tota vitæ ratio tam confuſa, vt rariſſima ſit probitas: magis fœda, & horribilis fuit confuſio tempore Noah, vt ne vnum quidem haberet in Dei cultu & recti ſtudio ſocium. Si potuit ille contra totius mundi corruptelas, & tam denſos ac violentos iniquitatis impetus eniti: nulla nos manet excuſatio, niſi eadem animi fortitudine per innumera vitiorum obſtacula rectũ curſum proſequimur. Nec à veriſimilitudine abhorret, Ætates dixiſſe Moſen plurali numero, quo meliꝰ exprimeret quàm ſtrenuus & inuictus athleta fuerit Noah, quem tot ſecula non mutarunt. Adhæc quem tenuerit colendæ iuſtitiæ modum exponitur in contextu, nempe quòd ambulauerit cum Deo: quam virtutem etiã in ſancto patre Enoch laudauit proximo capite, vbi diximus quid hoc valeret. Quum tanta eſſet morum corruptio in terra, ſi hominum reſpectũ habuiſſet Noah, abreptus eſſet in profundum labyrinthum. Vnicũ ergo remedium videt, ſi poſthabitis hominibus, ſenſus omnes ſuos ad Deum colligat, & eum ſibi conſtituat vitæ arbitrum. Vnde apparet quàm ſtultè clamitent Papiſtæ, ſequendos eſſe patres: quũ diſertè ſpiritus ab hominum imitatione reuocet, niſi quatenus ad Deum nos ducũt. Quòd iterũ tres eius filios nominat Moſes, huc reſpicit vt ſciamus in maxima triſtitia, qua ferè cõſumi potuit, datum tamen illi fuiſſe animũ gignendæ ſobolis, vt Deus ſemen poſitum aliquod haberet exiguum ſemen.

11 *Et corrupta erat terra coram Deo.* Priore membro deſignat Moſes impiũ Dei contemptum, quòd nulla amplius religio fuerit in mundo: ſed extincta iuſtitiæ luce, omnes ad peccãdum proiecti fuerint. Secundo membro declarat graſſatam eſſe nocendi libidinem, fraudes, iniurias, rapinas, omnéque genus iniuſtitiæ. atque hi ſunt impietatis fructus, vt homines poſtquàm à Deo defecerint, mutuæ inter ſe æquitatis obliti, ad immanem truculentiam, ad rapinas, & quaſvis oppreſſiones ferantur. Ac rurſus inculcat Deum hoc vidiſſe: vt longam eius tolerantiam nobis cõmendet. Terra hîc pro incolis ſumitur: & mox ſequitur expoſitio, Quòd omnis caro corruperit viam ſuam. Carnis verò nomen non ſonat in malam partem, vt prius: ſed abſque ſiniſtra denotatione pro hominibus accipitur, quemadmodum aliis Scripturæ locis, Videbit omnis caro gloriã Domini. Item, Sileat à facie Domini omnis caro.

Eſaiæ 40.b.5
Zach.2.d.13

13 *Dixit itaque Deus ad Noah.* Hîc narrare incipit Moſes qualiter ſeruatus fuerit Noah. Ac primò dicit patefactum illi fuiſſe Dei conſilium de mundo perdẽdo. Secundò, datum fuiſſe extruendæ arcæ mãdatum. Tertiò, promiſſam illi eſſe ſalutẽ, ſi Deo obſequutus, in arcam ſe abderet. Hæc capita diſtinctè notanda ſunt: ſicuti Apoſtolus, quum fidem Noah prædicat, timorem & obedientiam cum fiducia coniungit. Certum eſt autem eo conſilio admonitum fuiſſe Noah de horribili vindicta quæ inſtabat, nõ ſolum vt confirmaretur in ſancto propoſito, ſed vt timore coactus oblatam ſibi gratiam ardentius expeteret. Scimus vt malorum impunitas ſit interdum bonis quoque peccandi illecebra: pœnæ igitur futuræ denuntiatio valere debuit ad frænandum ſancti viri animum: ne paulatim labendo, penitus tandem in eandem laſciuiam deflueret. Alterum tamen illud præcipuè ſpectauit Deus, vt terribile mundi exitium aſſiduè ſibi ante oculos ponens, ad meditũ, & ſolicitudinẽ magis ac magis ſtimularetur. Neceſſe enim erat vt deſperatione alibi cõfuſus,

Hebr.11.b.7

ſalutem ſuam fide in arcam includeret. Quandiu enim vitam ſibi pollicitus fuiſſet in terra, nunquam ad ædificium arcæ, vt decebat, intentus fuiſſet. tremefactus autem Dei iudicio, promiſſionem vitæ ſibi datã cupidè amplectitur. Non ſubſiſtit amplius in naturalibus vitæ cauſis, vel mediis: ſed recũbit in ſolum Dei fœdus, quo mirabiliter ſeruandus erat. Nullus illi moleſtus, vel difficilis eſt labor, nullo tædio frangitur. Acrior enim ad eum pungẽdum eſt iræ Dei ſtimulus, quàm vt carnis deliciis indormiat, vel fatiſcat ſub tentationibus, vel remorã illi vanæ ſpes afferãt: quin potius ſeipſum tam ad fugiẽda peccata, quàm ad quærendum remedium ſolicitat. Atque hanc fidei eius non minimam fuiſſe partem Apoſtolus docet, quòd ſcilicet ab his quæ non videbãtur, metuens, arcam aptauit. Quum ſimpliciter de fide agitur, tantùm in rationem veniunt miſericordia, & gratuita promiſſio. ſed quum exprimere volumus omnes eius partes, totámque vim, & naturam eius excutere, neceſſe eſt timorem quoque adiungi. Et ſanè nemo vnquam ſeriò ad Dei miſericordiam confugiet, niſi qui Dei minis tactus, iudicium æternæ mortis quod illæ denuntiant, horrebit, vt ſibi in peccatis diſpliceat, nõ indulgeat ſecurè vitiis ſuis, neque torpeat in ſordibus: ſed ad malorum ſuorum medicinam anxius ſuſpiret. Et ſingulare fuit gratiæ priuilegiũ, quòd Deus Noah de futuro diluuio admonuit. Minas quidem communiter electis & reprobis plerũque proponi iubet, vt ad pœnitentiam vtroſque inuitãs, priores humiliet, hos verò reddat inexcuſabiles. Sed dum maior pars ſurdis auribus reſpuit quidquid dicitur, peculiariter ad ſuos qui ſunt adhuc ſanabiles, conuertit ſermonẽ, vt iudicii ſui metu eos ad pietatem erudiat. Videri tunc poterat optabilis impiorum conditio, præ anxietate ſancti Noah. Illi ſibi in ſuis deliciis ſecurè blandiebãtur. ſcimus enim quid de illius temporis luxuria pronuntiet Chriſtus. Sanctus vir interea, quaſi *Luc.17.c.26* ſingulis momẽtis obruenda eſſet terra, anxius & mœſtus gemebat. Verùm ſi finẽ expendas, Deus inæſtimabili beneficio ſeruum ſuum dignatus eſt, quũ illi periculum denuntiauit à quo caueret.

Repleta eſt terra iniquitate à facie eorum. Significat Deus è medio tollendos eſſe, vt purgetur terra, quam homines tam ſcelerati ſua præſentia inquinãt. Porrò non ideo ſolam iniquitatẽ cõmemorat, & violentiam, fraudes, rapinas quas inter ſe exercebant, quia ius ſuum remittere velit, ſed quia craſſior erat hæc, & quaſi palpabilis ſcelerum demonſtratio.

14 *Fac tibi arcam è lignis gopher.* Sequitur mandatũ extruendæ arcæ, in quo Deus mirificè ſerui ſui fidẽ & obedientiã probauit. Sed de ſtructura non eſt cur anxiè laboremus: niſi quatenus ad ædificationem noſtram intereſt. Primùm, de ſpecie ligni non conuenit, etiã inter Iudæos. Gopher enim alii cedrum, alii abietẽ, alii pinũ interpretantur. Variant etiã in tabulatis, quia putant multi ſentinã fuiſſe quarto loco, quæ excrementa, & alias immunditias reciperet. Alii in triplici contignatione quinque manſiones faciunt, quarum ſummã auibus deſtinant. Sunt qui putent non vltra tres ordines fuiſſe in altitudinem, ſed qui mediis tabulatis inter ſe diſtincti fuerint. Præterea de feneſtra non conſentiunt. quibuſdam enim videtur non vnã tantùm, ſed plures fuiſſe. Sunt etiam qui dicant fuiſſe apertas ad recipiendum aerem. Alii autem contendunt tantùm lucis cauſa fuiſſe compoſitas, ideóq; obductas fuiſſe cryſtallo, & illitas bitumine. Mihi videtur magis probabile vnam fuiſſe duntaxat, neque lucis cauſa exciſam, ſed quæ clauſa maneret, niſi quũ poſcebat vſus, eam aperiri, vt poſtea videbimus. Deinde triplicem fuiſſe contignationem, & ſeparatas domunculas, ratione nobis incognita. Difficilior obiicitur quæſtio de magnitudine. Nam olim profani quidam homines ſuis ſannis Moſen vexarũt, quòd tam anguſto ſpatio ingentem animalium turbã incluſam finxiſſet: cuius pars tertia vix quatuor elephantos caperet. Hanc obiectionem ſoluit Origenes, cubitum geometricũ à Moſe notari dicẽs, qui ſexcuplo maior eſt quàm vulgaris: in cuius ſentẽtiam deſcendit Auguſtinus lib. de Ciuitate Dei 15; & lib. 1 Quæſtionum in Geneſin. Fateor equidem quod obtendunt, Moſen qui edoctus fuerat in omni ſcientia AEgyptiorũ, non fuiſſe geometriæ expertẽ. Sed quum ſciamus vbique craſſa Minerua ad captum vulgi loquutum eſſe, & conſultò abſtinuiſſe à diſputationibus acutis, quæ ſcholam, & interiores literas ſaperent, mihi nequaquam perſuadeo, hoc loco præter ſuũ morẽ geometrica ſubtilitate vſũ eſſe. Certè capite primo, nõ diſſeruit argutè de aſtris, vt philoſophũ decebat: ſed populariter ex rudium aſpectu potius, quàm ex re ipſa, ſolem & lunam duo luminaria magna vocauit. Ita vbiq; perſpicere licet, vſitatis nominibus res omnis generis fuiſſe ab eo deſignatas. Cæterùm quis tunc fuerit cubiti modus ignoro: quia mihi ſufficit non latuiſſe Deum (quem ſine controuerſia primarium arcæ fabrum agnoſco) quarum rerũ capax eſſet locus quem ſeruo ſuo deſcripſit. Si extraordinariã Dei potentiam excludas ab hac hiſtoria, meras fabulas narrari dices. Nobis verò qui fatemur incredibili miraculo ſeruatas fuiſſe mũdi reliquias, adeò abſurdum videri nõ debet, multa hîc referri prodigia, vt potius inde melius refulgeat arcana illa; & incomprehenſibilis Dei virtus, quæ ſenſus omnes noſtros longè ſuperat. Hoc Porphyrius, vel quiſpiam alius canis fabuloſum eſſe obgãniet: quia non apparet ratio, vel quia eſt inſolitum, vel quia repugnat communis ordo naturæ. Ego contrà regero, totam hanc Moſis nar-

rationem,nisi miraculis referta esset,frigidam,& ieiunam,& ridiculā fore dico.Qui verò immensam Diuinæ omnipotētiæ abyssum in hac historia reputabit vt par est, reuerēter potius stupebit, quàm proteruè rideat. Quod allegoricè ad Christi corpus Augustinus figurā arcæ trahit,tam lib. 15 de Ciuitate Dei,quàm 12 aduersus Faustum:consultò prætereo:quia nihil illic ferè reperio solidi. Origenes etiam audacius allegoriis ludit : sed nihil vtilius est quàm in genuina rerū tractatione insistere. Arcam fuisse Ecclesiæ imaginem certum est teste Petro. verùm singulas eius partes ad Ecclesiam aptare,minimè consentaneum est,vt suo loco iterum attingam.

1. Petr. 3. d. 21

18 Et *statuam pactum meum tecum.* Quia plusquam difficilis erat arcæ fabrica,& innumera subinde obstacula superuenire poterāt quæ abrumperent incœptum opus, addita promissione seruum suum Deus confirmat. Ita animatus fuit Noah ad parendum Deo, dū eius promissione fretus,nō irritum fore suum laborem confidit. Tunc enim demum libenter amplectimur Dei mādata,vbi accedit promissio,quæ non frustrà nos operam consumere doceat. Vnde apparet quàm stultè desipiant Papistæ,qui homines nugantur abduci fidei doctrina à rectè agendi studio. Qualis enim erit nostra alacritas ad rectè agendum,nisi præluceat fides? Sciamus ergo solas esse Dei promissiones quæ nos viuificant,& singulis membris nostris inspirant vigorem ad parendū Deo: sine ipsis verò nos non modò ignauos torpere,sed propè exanimes: vt neque pedes,neque manus suum faciant officium. Ac proinde quoties languemus , vel remissiores sumus quàm oporteat ad bona opera, nobis occurrant promissiones Dei, quæ tarditatem nostram corrigant. Sic teste Paulo, ad Colos. 1. a. 5, viget in sanctis charitas propter spem in cælis repositam. Præsertim verò ne deficiant in medio itinere fideles,necesse est verbo Dei confirmari: vt certò statuant se non aerem verberare,vt loquuntur:sed in promissione sibi data acquiescentes, securi de successu,vocantem Deū sequantur. Tenenda igitur est hæc connexio, quòd postquā præcepit Deus seruo suo Noah,quid facere ipsum velit,quo illum sibi obsequentem habeat, testatur se nihil frustrà ab eo exigere. Summa autem pacti huius,de quo loquitur Moses, erat, Noah futurum incolumē, quāuis totus mundus diluuio periret. Tacita enim subest antithesis,quòd toto mundo reiecto,peculiare sancire fœdus velit Dominus cum vnico Noah. Quare hanc Dei promissionem,vel hoc pactum instar muri ferrei opponere debuit Noah contra omnes mortis terrores, sicuti consilium Dei fuit vitam à morte hoc solo verbo discernere. Pactum verò hac lege cum eo sancitur,vt in eius gratiam seruetur eius familia : deinde bruta animalia ad reparandum nouum mundum . Qua de re plura dicturus sum capite 9.

19 Et *ex omni uiuente.* Animalia omnis carnis vocat cuiuscunque sint generis. Bina autem dicit, non quòd vnum par solum ex singulis speciebus receptum fuerit in arcam. Paulo pòst enim videbimus terna fuisse paria: & vnum præterea animal ex generibus mundis,quod Noah postea in sacrificium offerret. Sed quia hic tātùm de sobole fit mentio, numerus diserte nondum exprimitur:sed tantùm mares copulantur cū fœminis,vt inde concipiat Noah totius mundi reparationē.

22 Et *fecit Noah.* Breuibus quidem verbis,sed plusquam magnificè hîc Moses commendat fidē Noah. Mirantur imperiti,quòd Apostolus ad Hebr. 11. b. 7,illū iustitiæ quæ secūdum fidē est,faciat hæredē. Quasi verò nō prodierit ex hoc fōte quidquid virtutū,& quidquid laude dignū in sancto viro fuit. Venire enim in mentē debet quibus tētationū machinis assiduè cōcussum fuerit eius pectus. Primùm ipsa moles arcæ potuit obruere omnes eius sensus, vt ne digitū quidē ad opus inchoādum tolleret. Quanta arborū cōgeries cædenda fuit, sibi proponant lectores: quantus fuerit vecturæ labor,quanta difficultas coagmentandi. Iam res in longum tempus differebatur. Sanctū enim virum vltra annos centum in labore molestissimo occupari oportuit . Nec verò putādum est tam stupidum fuisse,quin venerint illi in mentem eiusmodi obstacula. Adde quòd vix sperandum fuit passuros esse eius seculi homines,vt cum eorum ignominia sibi priuatim salutem promitteret. Prius de immani eorum truculentia dictum fuit. Minimè ergo dubium est quin homines modestos,& simplices sine causa quotidie lacesserent. Hæc verò plausibilis insultandi occasio fuit , quòd Noah passim arbores cædendo terram nudaret , ac illos fraudaret variis commodis. Vulgare prouerbiū est, De vmbra asini proteruos homines,& iurgiosos litigare. Quid igitur pro tot arborum vmbris facturos putasset Noah sæuos illos Cyclopes,qui ad omnē violētiam excitati,ferociendi ansam vndique captabant? Sed hoc ad inflammādam eorum rabiem præcipuū fuit,quòd sibi asylum fabricans,omnes exitio addiceret. Certè nisi cohibiti fuissent robusta Dei manu,centies lapidassent sanctum virum. probabile tamen est,non vsque eò repressam fuisse immanem temperiem,quin scommatibus , & ludibriis subinde eum incesserent , adeóque lacerarent multis probris,& atrocibus minis impeterent. Imò non arbitror abstinuisse manus ab opere turbando. Ergo quannis alacriter mandatum sibi opus aggressus foret, potuit tamen quotānis plus millies labascere eius constantia,nisi valde firmas egisset radices. Adhæc quum res esset per se impossibilis,vnde vnius anni annona? vnde tot animalibus pabulum? Reponere iubetur quod toti fami-

liæ,pecoribus,& feris beſtiis, auibus denique in victum decem menſium ſufficiat. Hoc verò ridiculum,poſtquam ab agricultura traductus erat ad arcæ fabricam,illi mandari vt duplicẽ prouẽtũ colligeret:ſed in pabulo animaliũ multo plus erat negotii.Ergo ſuſpicari poterat Deũ ſibi illudere. Poſtremũ erat,vt animalia omnegenus cõgregaret. Quaſi verò ad manum haberet ſyluestres belluas,vel cicurare poſſet: vt in ergaſtulo lupi cũ agnis, tigres cũ leporibus,leones cũ bobus, tanquam oues in ſuo ſtabulo habitarent.Sed tentatio omnium grauiſſima fuit,quòd vitæ petẽdæ cauſa iubetur in ſepulchrum deſcendere,& ſe vltrò priuare aere,& ſpiritu vitali. ſolus enim ſterco rum fœtor obſtructus vt erat in loco referto,ſtatim poſt triduum enecare poterat quicquid illic animantium fuit. Veniant nobis in mentem tam graues,& multiplices,& diuturni Sancti viri conflictus:vt ſciamus quàm heroica fuerit virtus,ad extremũ proſequi quod Deus mandauerat.Dicit quidem vno verbo Moſes ipſum feciſſe:ſed cogitandum eſt quanto iſtud facere, ſuperius humana virtute fuerit:vt præſtaret centies mori, quàm ſuſcipere tam laborioſum opus, niſi aliquid altius præſenti vita ſpectaſſet.Singulare ergo obedientiæ exemplum nobis hîc deſcribitur : quia Noah totum ſe Deo permittens,debitum illi honorem reddidit. Scimus in hac naturæ prauitate quàm prompti ſint homines ad quærenda effugia,& ingenioſi ad comminiſcẽdos prætextus,ne Deo pareant. Quare diſcamus & nos per omnegenus impedimenta perrumpere, nec locum dare prauis cogitationibus, quæ ſe Dei verbo opponunt, & quibus mentes noſtras implicare conatur Satan, ne pergant quò Deus vocat.Hunc enim ſibi honorem haberi maximè flagitat Deus,vt eum ſinamus pro nobis ſapere.Atque hæc vera eſt fidei probatio,quum vno eius mãdato contenti, ad opus nos accingimus, nec curſum reflectimus, quicquid obſtaculi nobis ingerat Satan,ſed alis fidei ſupra mundum euehimur.Exprimit etiam Moſes non vna tantum in parte Noah paruiſſe Deo,ſed in omnibus fuiſſe obedientem.Quod diligenter notandum eſt: quia inde maximè oritur horribilis in vita noſtra confuſio: quòd non poſſumus ſine exceptione nos in totum Deo ſubiicere, ſed parte aliqua defuncti, affectus noſtros eius verbo ſæpe miſcemus. Hoc autem nomine laudatur obedientia Noah,ꝙ integra fuerit,nõ dimidia:vt nihil eorũ quæ Dominus iuſſerat,prætermiſerit.

Cap. VII.

1 ET dixit Dominus ad Nóah, Ingredere tu, & omnis domus tua arcam: quia
te vidi iuſtum coram me in generatione iſta.
2 Ex omni animali mundo capies tibi ſeptena ſeptena, virum & fœmellam e-
ius:& ex animali quod non mundum eſt,bina,virum & fœmellam eius.
3 Etiam ex volatili cæli ſeptem ſeptem,maſculũ & fœmellam : vt viuum cõ-
ſeruetur ſemen in ſuperficie omnis terræ.
4 Quia poſt dies adhuc ſeptem ego pluam ſuper terrã quadraginta dies & qua-
draginta noctes,& delebo omnem ſubſtantiam quam feci,à ſuperficie terræ.
5 Et fecit Nóah iuxta omnia quæ præceperat ei Dominus.
6 Nóah autem erat ſexcentorũ annorum, quando diluuium fuit aquarum ſu-
per terram.
7 Et ingreſſus eſt Nóah,& filii eius,& vxor eius,& vxores filiorum eius cum eo
in arcam,propter aquas diluuii.
8 Ex animali mundo, & ex animali quod non erat mundum, & ex volatili, &
ex omni quod reptat ſuper terram,
9 Bina bina ingreſſa ſunt ad Nóah in arcam, maſculus & fœmella,quemadmo
dum præceperat Deus ipſi Nóah.
10 Et fuit,poſt ſeptem dies aquæ diluuii fuerunt ſuper terram.
11 In anno ſexcenteſimo annorum vitæ Nóah,in menſe ſecundo,in ſeptimade
cima die menſis,in die hac,rupti ſunt omnes fontes voraginis magnæ,& fene-
ſtræ cæli apertæ ſunt.
12 Et fuit pluuia ſuper terram quadraginta dies & quadraginta noctes.
13 Ipſo eodem die ingreſſus eſt Nóah,& Sem,& Cham,& Iépheth filii Nóah,&
vxor Nóah,tréſque vxores filiorum eius cum illis in arcam,
14 Ipſi,& omnis beſtia iuxta ſpeciem ſuam,& omne animal iuxta ſpeciem ſuã,

& omne reptile quod reptat ſuper terram ſecũdum ſpeciem ſuam, & omne volatile iuxta ſpeciem ſuam, omnis auis & omne alatum.

15 Ingreſſa ſunt igitur ad Nóah in arcam bina bina ex omni carne in qua erat ſpiritus vitæ.

16 Et quæ ingreſſa ſunt, maſculus & fœmina ex omni carne ingreſſa ſunt, quémadmodum præceperat ei Deus: & clauſit Dominus ſuper eum.

17 Et factum eſt diluuium quadraginta dies ſuper terram, & multiplicatæ ſunt aquæ, eleuauerúntque arcam, quæ eleuata eſt à terra.

18 Et præualuerunt aquæ, & multiplicatæ ſunt valde ſuper terram, & fluitabat arca ſuper faciem aquarum.

19 Roborauerunt itaque ſe aquæ valde ſuper terram, & operti ſunt omnes mõtes excelſi qui erant ſub vniuerſo cælo.

20 Quindecim cubitis ſupernè roborauerunt ſe aquæ, ita vt operti ſint mõtes.

21 Et mortua eſt omnis caro quæ reptabat ſuper terrã, tam de volatili, quàm de animali, & beſtia, & omni reptili quod reptat ſuper terram, & omni homine.

22 Omnia in quorum nare erat anhelitus ſpiritus vitæ, ex omnibus quæ erant in ſicco, mortua ſunt.

23 Et deleuit omnem ſubſtantiam viuam, quæ erat ſuper faciem terræ, ab homine vſque ad iumentum, vſque ad reptile, & vſque ad volatile cæli, & deleta ſunt è terra, & remanſit tantùm Noah, & qui cum eo erant in arca.

24 Et roborauerunt ſe aquæ ſuper terram quinquaginta & centum dies.

1 *Et dixit Dominus ad Noah.* Mihi nõ dubiũ eſt quin repetitis oraculis ſæpius confirmatus fuerit Noah, vt certè neceſſe erat. Iam maximos totis centum annis, & tempeſtuoſos inſultus ſuſtinuerat, & inuictus athleta retulerat memorabiles victorias: ſed hoc fuit acerrimũ certamen, vale dicere mundo, & communi vitæ renuntiare, vt ſe in arcam abderet. Integra erat tunc terræ facies, & Moſes anni tempus deſignat, quo herbæ virere, & arbores florere incipiunt. Tranſacta erat Hyems, quæ cæli & terræ lætitiam aſpero, & ſqualido rigore cõtrahit. Articulum perdendi mundi elegit Dominus in ipſa veris tẽperie. Initium enim diluuii Moſes fuiſſe tradit menſe ſecundo: quanquam ſcio de hac re diuerſas eſſe ſententias. Sunt enim qui annum inchoant ab æquinoctio Autumnali. ſed ratio illa anni ordinãdi magis recepta eſt, vt à mẽſe Martio incipiat. Vtcunque res habeat, non leuis fuit tentatio, vitã cui aſſueuerat Noah per ſexcentos annos, ſpõte relinquere, & nouũ viuendi modum quærere in abyſſo mortis. Iubetur migrare è mundo, vt in ſepulchro viuat, quod ſibi laborioſè fodit per annos plus centũ. Cur iſtud? quia paulo pòſt aquarum illuuie mergenda ſit terra. Atqui nihil tale apparet: indulgent omnes conuiuiis, nuptias celebrant, ſumptuoſas extruunt domos: denique paſſim lautitiæ & luxuria: quemadmodum teſtatur Chriſtus, ſeculum illud in voluptatibus ſuis ebrium fuiſſe. Quare non abs re factũ eſt, quòd Dominus ſerui ſui animum noua promiſſione rurſus de integro erexit & armauit, ne ſuccumberet. quaſi diceret, Hactenus fortiter laboraſti inter tot ſcandala: ſed nunc res maximè poſtulat vt animum colligas, vt fructũ percipias laboris tui: neque expecta dum apertis terræ venis aquæ vndique ebulliant, & apertis cæli cataractis oppoſito impetu concurrant ſuperiores aquæ: ſed rebus adhuc tranquillis, arcam ingreſſus illic ad ſeptem dies quietus mane: tunc ſubitò diluuium emerget. Etſi autem nunc non afferuntur è cælo oracula, ſciamus continuam verbi meditationé non ſuperuacuã eſſe. nam vt nouæ ſubinde oriuntur nobis difficultates, ita Deus aliis atque aliis promiſſionibus fidem noſtram inſtaurat: vt collecto vigore tãdem perueniat vſque ad metam. Noſtrum verò eſt cupidè audire loquentem Deum: nec prauo faſtidio exercitia reiicere, aut negligere quaſi ſuperuacua quibus fidem noſtram vel fouet, vel excitat, vel confirmat, prout eam vel teneram adhuc, vel lãguidam, vel debilem eſſe nouit. *Quia te uidi iuſtum.* Quum Dominus hanc ſibi cauſam fuiſſe aſſignat ſeruãdi Noah, quia iuſtum cognouerit, videtur meritis operum tribuere ſalutis laudem. nam ſi ſeruatus eſt Noah, quia iuſtus erat, ſequitur nos vitam bonis operibus promereri. Sed hîc prudenter expendere conuenit Dei conſilium: nempe quòd opponere voluit hominem vnum toti mũdo: vt in illius perſona, omnium iniuſtitiam damnaret. Iterum enim teſtatur iuſtam eſſe quam de mundo vindictam ſumpturus eſt: quia vnus tãtùm reliquus fuerit homo, qui tunc iuſtitiam coleret, in cuius gratiam propitius eſt toti familiæ. Siquis tamé

Luc. 17. c. 26

excipiat,probari ex hoc loco Deum in ſeruandis hominibus habere hominũ reſpectum: ſolutio in promptu eſt, non pugnare hoc cum gratuita acceptione: quòd dona quæ ſeruis ſuis contulit, accepta habet.Notandum eſt primò,gratis eum amare homines, dum nihil in illis reperit niſi odio dignum: quãdoquidem naſcuntur omnes filii iræ,& æternæ maledictionis hæredes.Hoc reſpectu eos ſibi adoptat in Chriſto,& mera miſericordia iuſtificat.Poſtquã hoc modo ſibi eos reconciliauit, Spiritu quoque regenerat in nouam vitam, & iuſtitiam. Hinc fluũt bona opera, quæ neceſſe eſt Deo ipſi placere.Ita non modò fideles amat,ſed eorum quoque opera.Notandũ tamen eſt,quia ſemper aliquid vitii hæret in operibus, non poſſe probari niſi cum indulgẽtia. Gratia igitur Chriſti eſt, quæ pretium operibus conciliat, non propria ipſorum dignitas, vel meritum.Non tamen negamus quin veniant in rationem coram Deo:quemadmodum hîc agnoſcit,& acceptat iuſtitiam Noah, quæ ex ſua gratia profecta erat. atque hoc modo ſicuti loquitur Auguſtinus,dona ſua coronet.Notandum etiam quod dicit, Vidi te iuſtum coram me. Quo verbo non tantùm redigit in nihilum omnes iuſtitiæ laruas, quibus non ſubeſt interior ſinceritas cordis, ſed ius ſuum ſibi vẽdicat: acſi diceret, ſe ſolum eſſe idoneũ iudicem æſtimãdæ iuſtitiæ. Particula,*In generatione hac*, ſicuti dixi,ad amplificationẽ addita eſt. Adeò enim deplorata fuit ſeculi illius prauitas,vt prodigii loco habitus fuerit Noah à cõmuni labe integer.

2 *Ex omni animali mundo.* Iterum repetit quod prius de animalibus dixerat:nec fruſtrá. Neque enim parum difficile fuit ex ſyluis, montibus, & luſtris colligere tãtam ferarum multitudinẽ, quarũ multæ forſan ſpecies ignotæ erant: & erat in pleriſque eadẽ,quã nũc cernimus ferocia. Quare ſanctum virum animat Deus,ne ea difficultate territus,& ſpe ſucceſſus abiecta,deficiat. Hîc tamẽ aliqua primo intuitu repugnantiæ ſpecies apparet:quia quũ bina prius dixiſſet,ſeptẽ nũc ponit.Solutio in prõptu eſt:quia antehac numerũ nõ expreſſit Moſes, ſed tãtùm dixit maſculis addẽdas fuiſſe fœminas ſuas comites: acſi dixiſſet, iuſſũ fuiſſe ipſum Noah nõ promiſcuè coaceruare animalia,ſed paria ex illis deligere ad propagandã ſobolem. Nunc autẽ de numero ſermo eſt. Porrò ſeptem & ſeptem, intellige non totidem paria ex ſingulis generibus, ſed terna, quibus ſuperadditur animal vnum ſacrificii cauſa. Voluit autẽ Dominus triplo maiorẽ reſtare mundorũ animalium numerum,quòd maior futurus erat hominibus illorum vſus.In quo reputanda eſt paterna eius erga nos bonitas:qua inducitur vt noſtri in omnibus rationem habeat.

3 *Vt vnum conſeruetur ſemen.* Hoc eſt vt inde naſcatur ſoboles.Cæterùm hoc refertur ad ipſum Noah.Etſi enim ſolus Deus propriè loquẽdo viuificat,reſpicit tamẽ Deus quas ſeruo ſuo partes iniunxerit: & miniſterii reſpectu iubet eum animalia colligere,vt ſemen viuificet.Nec mirum, quũ Euangelii miniſtri dicantur vitam ſpiritualẽ cõferre. In particula quæ proximè ſequitur, *Super faciem omnis terræ*, duplex ineſt conſolatio, quòd aquæ poſtquam ad tempus terram operuerint, rurſus ſint ceſſuræ, vt appareat ſuperficies terræ arida. Deinde, quòd non tantùm ſuperſtes futurus ſit Noah: ſed Dei benedictione augendus ſit animaliũ numerus,vt ſe longè, latéque diffundat per totum orbem.Ita in medio interitu futura inſtauratio illi promittitur.Multus in eo eſt Moſes,vt oſtendat Deum modis omnibus curaſſe retinẽdum Noah in verbi ſui obſequio, & ſanctum virum prorſus acquieuiſſe.Vtilis ſanè doctrina, præſertim quũ aliquid incredibile promittit Deus,vel minatur: quũ nõ libẽter recipiunt homines,niſi quod illis videtur probabile.Iam nihil minus carnis iudicio cõſentaneum erat,quàm mundũ à ſuo opifice deleri: quia hoc erat totum naturæ ordinẽ ab eo ſancitũ euertere. Quare niſi probè admonitus fuiſſet Noah de hoc terribili Dei iudicio,nunquã auſus fuiſſet credere:ne Deum ſibiipſi contrariũ fingeret. Vox מבול,qua hîc vtitur Moſes, originẽ habet à ſtãdo:ſed propriè ſignificat quidquid viuit,ac viget.

5 *Et fecit Noah iuxta omnia.* Non eſt nuda repetitio prioris ſentẽtiæ:ſed eundem & perpetuum obedientiæ tenorẽ laudat Moſes in ſeruandis omnibus Dei mandatis: acſi diceret,quacunque in parte placuit Deo eius obedientiã probare,illum ſemper fuiſſe conſtantẽ Nec certè vni,vel alteri Dei mandato parere decet,vt mutila obedientia defunctus,deinde te ſubducas. Tenendũ eſt enim illud Iacobi,Qui vetuit occidere,furari etiam,& mœchari vetuit. *Iacob.2.b.10*

6 *Erat ſexcentorum annorum.* Non ſine cauſa iterum deſcribit ætatem Noah. Hoc enim vitio inter alia laborat ſenectus, quòd homines reddit magis ſegnes,ac moroſos. quo magis perſpicuè apparet fides Noah,quæ in ætate illa non defecit. Sicuti autem magna fuerat virtus per cõtinuos centum annos non langueſcere: ita non parum laudis meretur eius promptitudo,quòd arcam ingredi iuſſus,extemplò paret. Quum paulo pòſt ſubiicit Moſes ingreſſum fuiſſe propter aquas diluuii:non exponi debet,quaſi irruentibus aquis coactus ſit in arcã fugere: ſed quia verbo tremefactus,diluuium quod ridebant omnes alii,fide cernebat.Quare rurſus laudatur eius fides in hac particula,quòd ſcilicet ſupra cælum & terram oculos extulerit.

8 *Ex animali mundo.* Nunc exprimit Moſes quod dubium adhuc erat,quomodo ſcilicet collecta fuerint animalia in arcam. dicit autem ſponte veniſſe. Hoc ſicui videtur abſurdum, me-

moria repetat quod prius dictum fuit,initio omne genus animalia se obtulisse Adæ,vt illis nomina imponeret. Nec sanè alia de causa horremus ferarum aspectum, nisi quia excusso Dei iugo imperium illud perdidimus, quo præditus erat Adam. Fuit autē illa quædam naturæ prioris restitutio, quum Deus ad Noah adduxit quæ eius opera, & ministerio seruari volebat. Neq; enim secus indomitas belluas in sua arca cōtinuit Noah, quàm in corte aluntur gallinæ, & anseres. Nec verò superuacuum est quod additur, Venisse ipsi animalia sicut Deus ipsi Noah præceperat. significat enim Deum benedixisse obsequio Noah, ne irritus esset eius labor. Impossibile erat secundum hominem, vt momento vno talis fieret omnium animalium concursus. Sed quia Noah simpliciter Deo euentum commendans,quod sibi iniunctum est exequitur: vicissim Deus virtutem addit præcepto suo, ne effectu careat. Imò propriè loquendo, hæc erat promissio Dei mandatis annexa. Ideo statuendum est, fidem Noah plus valuisse omnibus plagis, & retibus ad capturam animalium. Eandem quoque ianuam fuisse, qua leones, & lupi, & tigres cum bobus, & agnis placidè se in arcam reciperent. Atque hæc vna ratio est, qua difficultates omnes vincamus, dum facile esse Deo persuasi, quod nobis impossibile est,alacritatem ex spe concipimus. Quomodo bina ingressa sint animalia,prius dictū est. De mense quoque, diuersas interpretum opiniones retulimus. Nam quum Hebræi annum in rebus sacris à Martio incipiant:in negotiis autem terrenis à Septembri: vel quod idem est duo æquinoctia duplex apud illos efficiant anni exordium: quidam putant sacrum annum hîc notari: alii verò politicum. Cæterùm quia prior annorum ratio diuinitus ordinata fuit, & naturæ etiam magis consentanea est,probabilius videtur circa vernum tempus cœpisse diluuium.

11 *Rupti sunt omnes fontes.* Reuocat nos Moses ad memoriam primæ creationis. Terra enim naturaliter aquis operta erat: & singulari Dei beneficio factū est vt loco cesserint, quo vacuum aliquod spatium animantibus daretur. Et hoc fateri coguntur Philosophi, præter naturam esse, vt aquis infrà subsidentibus aliqua terræ portio emineat. Scriptura autem inter Dei miracula hoc recenset,quòd maris impetum arcet quasi repagulis, ne partem terræ submergat, quæ hominibus in habitationē concessa est. Dixit etiam primo capite Moses,alias aquas sursum in cælo fuisse suspensas:quemadmodum & Dauid tradit,teneri inclusas tanquam in vtre. Denique in regione terræ habitabili Deus theatrum hominibus erexit, & fit arcana eius virtute, ne aquæ subterraneæ ad nos mergendos ebulliant & simul conspirent aquæ cælestes. Nunc autem dicit Moses,quum Deus mundum perdere vellet diluuio, metas illas fuisse reuulsas. Atque hîc nobis considerandum est mirabile Dei consilium. poterat enim tantum aquarum certis alueis, aut terræ venis includere, quod ad humanæ vitæ vsus sufficeret: sed consultò inter duo sepulchra nos posuit,ne securè contemnamus eius gratiam,vnde vita nostra dependet. Nam elementum aquæ,quod vnum ex vitæ principiis constituunt Philosophi,mortē nobis sursum ac deorsum minatur,nisi quatenus retinetur Dei manu. Quòd dicit ruptos fuisse fontes,& apertas cataractas, metaphoricæ sunt locutiones, quibus intelligit non fluxisse aquas vsitato more,nec stillasse pluuiam è cælo:sed sublata distinctione quam vidimus à Deo fuisse positā, nullas amplius fuisse feras quæ violentum impetum cohiberent.

12 *Et fuit pluuia.* Quanquā aquarum claustra fregit Dominus,non tamen vult vno momento erumpere,vt terram protinus absorbeant:sed pluuiam diebus quadraginta continuat:partim vt Noah longa meditatione altius memoriæ suæ infigat quod prius verbo edoctus didicerat: partim vt impii ante mortem sentirent non inanes fuisse, quas ludibrio habuerant,minas. Qui enim tādiu illuserant Dei patientiæ digni erant qui paulatim iusto eius iudicio se perire sentirēt, quod illis instar fabulæ per cētum annos fuerat. Atque ita Dominus plerunque iudicia sua temperat,vt per otium melius expendant homines,quæ subitò transitu possent eos attonitos reddere. Sed hîc se profert mira ingenii nostri prauitas: quòd si repentè ira Dei se effundit, sine sensu obstupescimus: si autem progreditur certo modo, vilescit ipsa consuetudine: quia nec Dei manum libenter agnoscimus sine miraculis: & facilè quasi obducto callo, ad conspectum operum Dei obdurescimus

31 *Ipso eodem die ingressus est Noah,& Sem.* Sequitur repetitio satis verbosa præut historiā diluuii breuiter perstringit Moses: sed tamen minimè superflua. Consilium enim Spiritus fuit,nos rebreuiter perstringit Moses: sed tamen minimè superflua. Consilium enim Spiritus fuit,nos retinere in cōsideratione tam horrendæ vltionis, cui nulla verborū atrocitas par futura erat. Adhæc, nihil hîc narratur non difficile creditu. quare eadem sæpius inculcat Moses, vt quantūuis remota sint à sensu nostro,fidem tamen apud nos obtineant. Ita narratio de animalibus huc spectat,fide sancti Noah è syluis,& latibulis attracta esse:ex vagis suis discursibus collecta in vnū locū,acsi Dei manu adducta forēt. Videmus ergo vt non frustrà in hac parte insistat:vt sciamus nō fortuitò, nec hominum industria seruatas fuisse singulas animalium species: sed quia Dominus quidquid voluit saluum manere,de manu,quod aiunt,in manum ipsi Noah porrexit,& obtulit.

16 *Et clausit eum Dominus.* Neque hoc temerè additum est,nec leuiter præteriri decet. Oportuit amplam esse ianuã quæ elephantem caperet. Nec sanè vlla tam firma, & tam tenax picatio, nulla etiam tam solida compactio esse potuit:vt non saltem multis rimis immensa vis aquæ penetraret: præsertim in tam violenta irruptione, & iactatione tam sæua. Ergo Moses,vt ansam præcidat vanis speculationibus,quas nobis curiositas nostra suggerit, vno verbo pronũtiat non humano artificio,sed diuino miraculo factum esse vt immunis fuerit arca à diluuio. Dubiũ quidem non est quin tũc nouo ingenio,& perspicacia donatus fuerit Noah, nequid deesset ad structuram arcæ:sed ne successu careret hæc ipsa gratia,necesse fuit accedere aliquid maius. Quare ne sensus nostri captu metiamur modum seruandæ arcæ,docet Moses non pice, vel bitumine tantùm, sed magis arcana Dei virtute,& opposita eius manu cohibitas fuisse aquas ne irrumperent.

17 *Et factum est diluuium.* Copiosus etiam in eo est Moses,vt totum orbem aquis submersum fuisse demonstret. Porrò huc narratio referenda est, ne tribuamus fortunæ diluuium quo periit mundus:quemadmodum hominibus solenne est velum aliquod obtendere Dei operibus,quod eius vel bonitatem,vel iudicia in illis obscuret. Atqui dum clarè exprimitur deletum fuisse quicquid in terra vigebat,hinc colligimus certum, & illustre fuisse Dei iudicium: præsertim quũ solus Noah residuus maneat:propterea quòd verbum in quo continebatur salus, fide amplexus sit. Deinde in memoriam reuocat quod prius diximus,quàm desperata scilicet fuerit hominum impietas,& quàm grauia scelera quibus ad totum orbem delendum inductus est Deus:qui certè pro sua ingenti clementia opificio suo pepercisset,si mitiori remedio vidisset fore locum. Hæc autem duo eregione inter se opposita, simul coniungit: quòd deletum fuerit totum humanum genus: interim verò Noah cum sua familia saluus euaserit. Hinc discendum est, quid illi profuerit Deũ vnum sequi posthabito mundo:quod non tam facit Moses laudandi hominis causa,quàm vt nos ad eius imitationem inuitet. Cæterum ne à Deo nos abducat peccãtium multitudo,patienter ferendum est quòd nos ludibrio habent impii,nobisque insultant: donec exitu ipso ostendat Dominus sibi obedientiam nostram probatam esse. Hoc sensu Petrus baptismi figuram fuisse docet quòd Noah ex diluuio vniuersali emersit. acsi diceret,modum salutis, quam per baptismum cõsequimur, congruere cum liberatione illa Noah: quoniam hodie quoque mundus plenus est incredulis:sicuti illo tempore terram occupabant: ideóque nos à maiori turba segregare necesse sit, vt nos Dominus ab interitu eripiat. Eadem ratione aptè, & meritò arca,Ecclesiæ confertur. Sed tenenda est similitudo,qua inter se mutuò respondent:ea autem in solo Dei verbo consistit: quia sicuti Noah Dei promissionem sequutus, collegit se cum vxore & liberis, vt sub quadam mortis specie à morte emergeret:sic nos mundo renuntiare,& mori conueniat,vt nos verbo suo Dominus viuificet. neque enim alibi tuta est salutis custodia. Ridiculi verò sunt Papistæ,qui arcam nobis sine verbo fabricant. 1. Pet. 3. d. 21

Cap. VIII.

1 REcordatus est autem Deus Nóah,& omnis bestiæ, & omnis animalis quæ erant cum eo in arca,& transire fecit Deus ventum super terram,& quieuerunt aquæ:

2 Et clausérunt se fontes abyssi, fenestræq; cæli,& prohibita est pluuia de cælo.

3 Et reuersæ sunt aquæ à superficie terræ, eundo, & redeundo, & defecerunt aquæ in fine quinquaginta & centum dierum.

4 Et requieuit arca in mense septimo,in septima decima die mensis super mõtes Araráth.

5 Et aquæ ibant & deficiebant vsque ad mensem decimum: in decimo, in prima mensis visa sunt cacumina montium.

6 Et fuit,in fine quadragĩta dierum,aperuit Nóah fenestrã arcæ,quã fecerat.

7 Et misit coruum,& egressus est,egrediendo, & redeundo, donec siccarentur aquæ quæ erant super terram.

8 Et misit columbã à se,vtvideret an extenuatæ essent aquæ à superficie terræ.

9 Et non inuenit columba requiem plantæ pedis sui,& reuersa est ad eum in arcam:quia aquæ erant in superficie omnis terræ. Et misit manum suam, & accepit eam introduxítque eam ad se in arcam.

10 Et expectauit adhuc septẽ dies alios,& addidit vt mitteret columbã ex arca.

11 Et venit ad eum columba tempore veſpertino, & ecce folium oliuæ raptum erat in ore eius: & cognouit Nóah ꝙ extenuatæ eſſent aquæ à ſuperficie terræ.
12 Et expectauit adhuc ſeptem dies alios, & miſit columbam: & non addidit vt reuerteretur ad eum amplius.
13 Et fuit primo & ſexcenteſimo anno, in primo, in prima menſis, ſiccatæ ſunt aquæ à ſuperficie terræ. remouit autem Nóah operimentum arcæ: & vidit, & ecce ſiccata erat facies terræ.
14 Et in menſe ſecundo, in ſeptima & viceſima die menſis, aruit terra.
15 Loquutus eſt autem Deus ad Nóah, dicendo,
16 Egredere ex arca, tu, & vxor tua, & filii tui, & vxores filiorum tuorum tecum.
17 Omnẽ beſtiam quæ eſt tecum, ex omni carne, tam de volatili, quàm de animali, & omni reptili quod reptat ſuper terram, educ tecum, & ſe moueãt in terra, & creſcant, multiplicentúrque ſuper terram.
18 Et egreſſus eſt Nóah, & filii eius, & vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo.
19 Omnis beſtia, omne reptile, & omne volatile, omne quod mouetur ſuper terram, ſecundum familias eorum egreſſa ſunt ex arca.
20 Et ædificauit Nóah altare Domino, & tulit ex omni animali mundo, & ex omni volatili mundo, & obtulit holocauſta in altari.
21 Odoratúſque eſt Dominus odorẽ quietis. Et dixit Dominus in corde ſuo, Nõ addam vt maledicam vltrà terræ propter hominem: quia cogitatio cordis hominis mala eſt à pueritia ſua: nec addam vltrà vt percutiam omne viuens quemadmodum feci.
22 Poſthac omnibus diebus terræ ſementis & meſſis, & frigus & æſtus, & æſtas & hyems, & dies & nox non ceſſabunt.

1 *Recordatus eſt autem Deus Noah.* Nunc peculiariter deſcendit Moſes ad illam alteram partẽ, Noah ſpe ſalutis ſibi diuinitus promiſſæ non fuiſſe fruſtratum. Recordatio iſta de qua loquitur Moſes, non modò ad externam rei apparentiam, vt loquuntur, ſed ad ſancti quoque viri affectũ referri debet. Certum quidem eſt, Deum ex quo ſemel Noah in ſuũ præſidium receperat, nunquam fuiſſe illius immemorem. imò nõ minore miraculo factum eſt ne ſuffocatus in ergaſtulo periret, quàm ſi in aquis demerſus vixiſſet ſine ſpiritu. Et paulo antè dixit Moſes arcana Dei clauſura retentas fuiſſe aquas, ne in arcam penetrarent. Sed quũ vſque ad quintum menſem fluctuaret in aquis arca, mora illa qua paſſus eſt Dominus ſeruum ſuum anxiè, ac miſerè cruciari, quædam videri potuit obliuio. Nec dubium eſt quin cor eius variè æſtuauerit, quum ſe tam diu protrahi cerneret. potuit enim colligere, ſibi lõgius prorogatam fuiſſe vitam, quo reliquis omnibus miſerior foret. Scimus autem quàm nobis vſitatũ ſit, Deum fingere abſentem, niſi quum eius præſentiam clara experientia ſentimus. Etſi autem promiſſionem quam ſemel amplexus erat, mordicus ad finem vſque retinuit: grauiter tamen variis tentationibus cõcuſſum fuiſſe credibile eſt: & Deus proculdubio data opera ſic exercuit eius fidem & patientiam. Cur enim non triduo extinctus eſt mundus? Et quorſum attinuit aquas, poſtquam ſummos montes texerant, quindecim cubitis altius ſurgere: niſi vt Noah, & eius domeſtici, ad meditãda Dei iudicia melius aſſuefierent: periculo autem defuncti, agnoſcerent ſe ex mille mortibus ereptos? Diſcamus ergo hoc exemplo recumbere in Dei prouidentiam, dum maximè obliuioſus videtur. tandem enim ipſa auxilii declaratione teſtabitur ſe fuiſſe noſtri memorem. Quòd ſi nos ad diffidentiam ſolicitat caro, non tamen eius inquietudini cedamus: verùm ſimulac obrepet hæc cogitatio, Deum abiecta noſtri cura, vel dormire, vel procul abeſſe, ſtatim cũ hoc clypeo occurramus, Dominus qui opem ſuam pollicitus eſt miſeris, in tẽpore nobis aderit, vt reipſa ſentiamus illum habuiſſe curam noſtri. Nec parum habet ponderis quod additur, Deum animalium quoque fuiſſe recordatum. nam ſi propter ſalutem hominibus promiſſam, ad brutas pecudes, feráſque beſtias extenditur eius gratia: qualem erga filios ſuos futurum putamus, vbi fidem ſuam tam liberaliter, ſanctéque obſtrinxit? *Et tranſire fecit Deus uentum.* Hinc clarius liquet, Moſen de effectu memoriæ loqui: nempe quòd reipſa, certóque experimento cognouerit

Noah vitam ſuam curæ eſſe Deo. Cæterùm quum arcana ſua virtute ſiccare poſſet Deus terram, vento vſus eſt: eandem quoque rationem tenuit in ſiccãdo Mari rubro. Atque ita teſtatum eſſe voluit, quemadmodum aquas præſtò ad obſequium habuerat ad iram ſuam exequendã, ſic nunc ad præſtandum remedium in manu ſua eſſe ventos. Quanquam autem hîc ſingularis refertur hiſtoria à Moſe, docemur tamen non fortuitò ſurgere ventos, ſed Dei iuſſu excitari, ſicuti etiam dicitur Pſal. 104. a. 4, celeres eſſe Dei nuntios. & ibidẽ, Deum ſuper alas eorũ equitare. Denique elemẽtorum varietas ac contrarii motus, mutuíque cõflictus ad præſtandũ Deo obſequium conſpirant. Subiicit etiam Moſes alia adminicula quibus factum eſt vt minuerentur aquæ, ac in ſuã ſtationem redirent. Summa eſt, Deum, vt ordinem prius à ſe poſitum reſtitueret, aquas reuocaſſe ad fines præſcriptos: vt aquæ cæleſtes, quaſi concretæ, in aere penderent: aliæ laterent in ſuis gurgitibus: aliæ fluerent diſtinctis alueis: mare quoque in ſua mole conſiſteret.

3 *In fine centum quinquaginta dierum.* Quidã totũ tempus notari putãt, ab initio diluuii vſque ad aquarum diminutionem: atque ita comprehendunt quadraginta dies, quibus Moſes continuam fuiſſe pluuiam retulit. Ego autem ſic diſtinguo, quòd vſque ad diem quadrageſimũ, nouis ſubinde incrementis aquæ ſeſe extulerint: deinde eundem ferè ſtatum tenuerint centum & quinquaginta diebus. vterque enim numerus, menſes ſex & paulo plus dimidio efficit. Dicit autem Moſes circiter finem ſeptimi menſis ſic apparuiſſe aquarum diminutionem vt arca ſubſideret in ſummo cacumine montis, vel fundũ aliquem attingeret. Ac toto illo temporis ſpatio clarius oſtendere voluit Dominus horrendam illam mundi vaſtitatem, non caſu fortuito terris incubuiſſe, ſed illuſtre eſſe iudicii ſui documentũ: liberationem verò Noah, magnificum fuiſſe, & æterna memoria dignum gratiæ ſuæ opus. Quanquam ſi menſem ſeptimum à principio anni numeres (quod nonnulli faciunt) non autem ex quo arcam ingreſſus eſt Noah, reſidentia de qua loquitur Moſes, citius cõtigit, nempe quum iam à quinque menſibus fluctuare cœpiſſet arca. Si hæc ſecũda ſententia recipitur, eadẽ erit decem menſium ratio: ſenſus enim erit, octauo poſt cœptum diluuium menſe, extitiſſe montium cacumina. De nomine Ararat, ſequor quod magis receptum eſt. Nec ſanè video cur quidam Armeniam eſſe negent: cuius altiſſimos eſſe montes, à vetuſtis ſcriptoribus vno ferè conſenſu proditum eſt. Chaldæus etiam Paraphraſtes ſpeciem deſignat, quòd fuerint montes Cardu, quos alii Carduenos vocant. Quòd autem Ioſephus arcæ fragmenta ſuo tempore illic reperta fuiſſe tradidit, & Hieronymus ſuo quoque tempore reſidua mãſiſſe, verúm-ne ſit, in medio relinquo.

6 *In fine quadraginta dierum.* Hinc coniicere licet quanta anxietate conſtrictum fuerit ſancti virri pectus. Poſtquam in ſolido loco arcam hærere ſenſerat, non tamen ante diem quadrageſimum audet feneſtram aperire: non quòd exanimis torperet, ſed quòd tam formidabile vindictæ Dei exemplũ tanto eum metu ſimul & mœrore percuſſerat, vt omni conſilio deſtitutus, in arcæ ſuæ latibulo tacitus quieſceret. Tandem coruum amittit, à quo certius indicium ſiccatæ terræ accipiat. Sed coruus nõniſi fœdas paludes cernens, circumuolitãs receptum ſtatim quærit. Nec verò dubito quin deinduſtria coruum elegerit Noah, quem ſciebat cadauerũ odore allici poſſe, vt longius euolaret, ſi iam animalibus patuiſſet terra: atqui coruus obuolitans, non longius diſcedit. Miror autẽ vnde negatio, quæ in Hebraico Moſis textu nõ habetur, in Græcam & Latinam verſionem obrepſerit: quũ ſenſum prorſus mutet. Inde nata eſt fabula, Retentũ fuiſſe coruũ inuẽtis cadaueribus, vt hoſpitem ſuum negligeret. Poſtea ſequutæ ſunt futiles allegoriæ: vt ſemper nugari appetit hominum curioſitas. Atqui primo egreſſu columba imitata eſt coruum: quia reuolauit in arcam: deinde ramum oliuæ in roſtro ſuo attulit. Tertiò, quaſi manumiſſa, libero cælo, & libera terra fruitur. In ramo oliuæ quidam philoſophantur: quia pacis inſigne erat apud veteres: ſicut laurus, victoriæ. Sed potius exiſtimo, quòd olea non naſcatur in montibus, nec valde procera ſit arbor, Dominum dediſſe aliquod ſignum ſeruo ſuo vnde colligeret amœnas regiones, & feraces bonarum frugum iam aquis purgatas eſſe. Quia Hieronymi verſio habet ramum fuiſſe virentibus foliis, qui putarunt diluuium cœpiſſe menſe Septembri, opinionis ſuæ confirmationem inde ſumunt. Atqui verba Moſis nihil tale ſonant. Et fieri poteſt vt Dominus volens Noah animam recreare, columbæ ramum obtulerit, qui ſub aquis non prorſus emarcuerat.

15 *Loquutus eſt autem Deus ad Noah.* Etſi non parum expauefactus erat Noah Dei iudicio, laudatur tamen hac in parte eius tolerantia, quòd terram habens ante oculos, quæ domicilium offert, non audet tamen exire. Nimiæ timiditati, atque etiam ignauiæ hoc tribuerent prophani hominnes: ſed ſancta eſt timiditas, quæ ex fidei obedientia naſcitur. Sciamus ergo ſancta modeſtia retentum fuiſſe Noah, ne ſibi frui permitteret naturæ beneficio, donec præeuntem haberet Dei vocem. Paucis quidem verbis hoc perſtringit Moſes: ſed ad rem ipſam attendere conuenit. Sponte autem hoc in mentem venire omnibus debet, quantæ virtutis fuerit, poſt incredibile

vnius anni tædium, vbi diluuium ceſſauit, & illuxit noua vita: nō tamen ex ſepulchro pedem mouere ſine mandato Dei. Ita videmus cōtinuo fidei tenore obſecutum eſſe Deo ſanctum hominem. quia Deo iubente ingreſſus erat arcam: illic continetur donec exitum Deus patefaciat: & in ſuo fœtore iacere mauult, quàm liberum ſpiritum colligere, donec migrationem ſuam ſentiat placere Deo. In rebus etiam minutis hanc moderationem nobis Scriptura commendat, nequid tentemus niſi certa conſcientia. Quo minus in feriis negotiis ferenda eſt hominum temeritas, ſi Deo inconſulto facere ſibi concedant quod viſum eſt. Non eſt quidem expectandum vt ſpecialibus oraculis in ſingula momenta pronuntiet Deus quid facto opus ſit: pendere tamen nos ex ore eius decet, vt certò perſuaſi ſimus nihil nos aggredi, niſi eius verbo conſentaneum. Petendus eſt etiam Spiritus prudentiæ, & conſilii, quo nunquam eos deſtituit, qui ſe dociles & morigeros eius mādatis præbent. Hoc ſenſu refert Moſes Noah egreſſum eſſe ex arca, poſtquam cæleſti oraculo fretus, cognouit nouam ſibi habitationem in terra dari.

17 *Creſcant, multiplicentúrque.* His verbis erigere voluit Dominus animum Noah, vt confideret ſeruatam fuiſſe in arca ſobolem, quæ ad totum mundum replendum excreſceret. In ſumma, promittitur ipſi Noah mundi reparatio: vt ſciat mūdum in arca fuiſſe incluſum: nec perpetuam fore, cuius conſpectu exanimis concidere poterat, ſolitudinem ac vaſtitatem. A *Edificauit altare Domino.* Sicut multis documentis obedientiam ſuam teſtatus fuerat Noah: ſic gratitudinis ſuæ ſpecimen nunc edit. Docet autem hîc locus inſtituta fuiſſe ab initio ſacrificia in hunc finem, vt ſe homines talibus exercitiis ad celebrandam Dei bonitatem, & gratias illi agendas aſſuefacerent. Sufficeret quidem Deo nuda linguæ confeſſio, imò tacita agnitio cordis: ſed ſcimus quàm multis incitamentis indigeat noſtra pigrities. Ergo quum olim Sancti patres ſuam erga Deum pietatem ſacrificiis profeſſi ſunt, minimè ſuperuacuus fuit eorum vſus. Adde quòd ſemper illis ante oculos ſymbola proponi oportuit, quibus admonerentur nihil ſibi eſſe cum Deo abſque mediatore. Nunc Chriſti exhibitio vmbras illas veteres ſuſtulit. Quare adminiculis vtamur quæ Dominus præſcripſit. Porrò quū dico ſacrificia celebrandis Dei beneficiis in vſu fuiſſe ſanctis patribus, de vna tantum ſpecie loquor. nam hæc oblatio Noah, pacificis reſpondet, ac primitiis. Sed hîc quæritur quo inſtinctu obtulerit Noah Deo ſacrificium: quia nullum habebat mandatum. Reſpondeo, quanuis diſerte non exprimat Moſes Deum iuſſiſſe vt id faceret, poſſe tamen ex conſequentibus certum iudicium fieri, adeóque ex toto contextu, ſubnixum fuiſſe Noah Dei verbo, eiúſque mandato fretum, cultum hunc præſtitiſſe, quem illi placere indubie ſciebat. Diximus antehac ex vnaquaq; ſpecie ſeruatū fuiſſe ſeorſum vnū animal. diximus quorſum id fieret. Porrò deſtinari in ſacrificium animalia, inutile erat, niſi cōſilium hoc Dei patefactum eſſet ſancto Noah, qui Sacerdos erat futurus ad mactandas victimas. Adhæc dicit Moſes delecta fuiſſe ſacrificia ex mundis animalibus. Atqui certum eſt Noah non finxiſſe ſibi diſcrimen: ſicuti non eſt in hominū arbitrio. Vnde conficitur, nihil niſi Deo authore ſuſceptum ab eo fuiſſe. Cōtinuo etiam pòſt ſubiicit Moſes odorem ſacrificii gratum fuiſſe Deo. Tenēda autem eſt generalis regula, fœtere corā Deo cultus omnes, qui fidei odore perfuſi non ſunt. Sciamus ergo altare Noah fundatum fuiſſe in Dei verbo. Et idem verbum inſtar ſalis fuiſſe eius ſacrificiis, ne inſipida eſſent.

21 *Et odoratus eſt Dominus odorem.* Odorem quietis nominat Moſes, quo placatus fuit Deus, ac ſi ritè litatum eſſe dixiſſet. Cæterum nihil abſurdius eſt, quàm Deum imaginari putido viſcerum & carnis fumo fuiſſe placatum. Sed Moſes hîc ſuo more Deum humana perſona induit, vt ſe ad rudis populi captum accommodet. Neque etiam putandum eſt ipſum ſacrificandi ritum per ſe gratum fuiſſe Deo tanquam meritorium opus: ſed finem operis inſpicere conuenit, non autem hærere in extrema larua. Quid ſibi aliud voluit Noah, quàm profiteri ſuam, & animalium vitam vnius Dei miſericordiæ ſe acceptam referre? Hæc pietas bonum, ſuauémque odorem coram Deo ſpirauit, quemadmodum habetur Pſalmo 116. c. 12, Quid rependam Domino pro omnibus quæ contulit? Calicem ſalutis accipiam, & nomen Domini inuocabo. *Dixit Dominus in corde ſuo.* Senſus eſt, Deo fuiſſe hoc decretum, ne poſthac terræ malediceret. Ac magnum pondus habet locutio. quanquam enim non retractat Deus quod palàm ore protulit, magis tamen afficimur quum audimus aliquid eſſe illi fixum apud ſe: quia tale interius decretum nullo modo à creaturis pendet. Sūma eſt, quòd certò ſtatuerit Deus mundū poſthac diluuio nunquā perdere. Neque enim Maledicendi verbum generaliter accipitur: quia ſcimus quantū perierit ex terræ fœcunditate, poſtquā corrupta eſt hominis peccato, & quotidie variis modis ſentimus eā maledici. Et ſeipſum exponit paulo pòſt, dicens, *Non percutiam ultrà animam uiuentem.* Neque enim his verbis quamlibet vindictā deſignat: ſed quæ deleat orbem terrarū, & interitū afferat tam humano generi, quàm reliquis animalibus. acſi diceret, ſe mundum reſtituiſſe hac lege, vt poſthac diluuio nō pereat. Sic quū Dominus Ieſa. 54. c. 9, pronūtiat ſe vna populi captiuitate fore contentū, eā cōparat aquis Noah, quibus ter-

rã nõnisi semel submergi voluit. *Quia cogitatio cordis humani.* Videtur parũ cõgruere hæc ratio. nam si tanta est hominis prauitas quæ irã Dei prouocare non desinat, necesse est vt accersat mundo exitium. Imò videtur secũ pugnare Deus, qui prius arguebat perdendum esse mundũ, quia desperata erat eius peruersitas. Sed hîc altius eius consilium expendere oportet. Vult Deus aliquã esse hominum societatem, quæ in terra habitet. Atqui si tractãdi sint pro meritis, quotidianis diluuiis opus foret. Quare ita se pœnas sumpturum docet de sceleribus secundi mundi, vt tamen conseruet aliquã terræ faciem, nec absumat creaturas quibus eam ornauit. Vt videmus talem adhiberi modũ tam publicis quàm specialibus Dei iudiciis, vt cõstet tamen mundi vniuersitas, & natura cursum suum retineat. Porrò quum hîc pronuntiet Deus quales vsque ad finem mundi futuri sint homines, palàm est totum genus humanum prauitatis & malitiæ damnari. Nec tantum de corruptis moribus fertur sententia: sed ingenita illis vitiositas esse dicitur, vnde nihil quàm mala scaturiãt. Miror autem vnde obrepserit adulterina illa versio, quòd cogitatio prona sit ad malũ: nisi quòd credibile est locũ sic fuisse ab his corruptũ, qui de naturæ humanæ corruptione nimis philosophicè disputarũt. Durum illis videbatur, hominem quasi diaboli mancipium subiicere peccato. Ergo mitigandi causa, propensum esse ad vitia dixerunt. Sed quum è cælo detonat cælestis Iudex, malas esse cogitationes: quid lenire iuuat, quod nihilominus fixum manet? Agnoscant igitur homines, se vitiosum esse figmentum, quales ex Adam nascuntur: ideóque nonnisi prauas cogitationes se fingere, donec fiant nouum Christi opificium, ac eius Spiritu in aliam vitam formentur. Nec dubium est quin Dominus ipsam mentem hominis prauam, & vitio prorsus infectam esse dicat, vt omnes, quæ inde prodeunt, cogitationes malæ sint. Si talis est in ipso fonte defectus, sequitur affectus omnes esse malos: & opera iisdem sordibus aspersa esse: quia necesse sit vt suam sapiant originem. Non enim tantùm dicit homines malè interdum cogitare: sed indefinita est oratio, quæ arborem cum fructibus complectitur. Nec obstat quòd carnales & profani homines generoso sæpe ingenio pollent, consilia suscipiant in speciem honesta, & quædam virtutis documenta edant. Nam quia mentem habẽt Dei contemptu, superbia, amore sui, ambitione, hypocrisi, fraudibus, vanitate corruptam, fieri non potest quin omnes eorum cogitationes talibus vitiis sint implicitæ. Rursus tendere nequeũt in rectum finem. vnde fit vt obliquæ, & contortæ, sicuti sunt, iudicẽtur. Omnia enim quæ sub virtutis colore placent, instar vini sunt fœtido vasis odore corrupti. Nã sicuti prius dictũ est, ipsi quoque naturæ affectus, qui per se sunt laudabiles, originali tamen peccato vitiati sunt, ac propter intemperiem à sua natura degenerãt: quales sunt mutuus amor inter coniuges, paternus amor erga liberos, & similes. Et particula quæ additur, *A pueritia*, melius exprimit homines nasci malos: vt ostendat, simul ac per ætatem cogitationes formare incipiunt, se habere corruptam mentis radicẽ. Philosophi quod naturæ hîc Deus adscribit, in habitum transferentes, inscitiam suam produnt. Nec mirum: placemus enim nobis, ac blandimur: ita non perspicimus quàm lethalis sit peccati contagio, & quãta prauitas sensus omnes nostros occupet. Acquiescendum tamen est Dei iudicio, vbi hominem pronuntiat sic peccato esse mancipatum, vt nihil sani, nec finceri proferat. Quanquam simul tenendum est, culpam in Deum reiici non posse: cuius origo est in defectione primi hominis qua ordo creationis euersus est. Deinde huius seruitutis prætextu non eximi à culpa & reatu homines: quia etsi toti ad malum ruunt, non tamen extrinseca vi trahuntur, sed proprio cordis sui motu: denique nonnisi voluntariè peccant.

22 *Posthac omnibus diebus.* His verbis iterum restituitur mundus in integrum. Tanta enim rerum omnium confusio & deformitas terram obruerant, vt quadam renouatione opus esset. Qua ratione Petrus veterem mundum appellat qui diluuio periit. Denique ordinis naturæ interruptio fuerat diluuium. Desierant enim Solis & Lunæ vices: nulla hyemis & æstatis distinctio. Quare testatur Dominus sibi placere vt omnia recuperent suum vigorem, & redeant ad suas functiones. Perperam Iudæi annum in sex partes diuidunt, quia Moses æstatem hyemi opponẽs, popular more totum annum sic partitur. Nec dubium est quin per frigus & calorem eadem tempora designet. Sub nominibus sementis & messis, commoda notat quæ ex cæli & aeris temperie ad homines perueniunt. Siquis obiiciat, non cerni quotannis æquale temperamentum: respondeo in promptu est, Turbari quidem nostris vitiis mundi ordinẽ, vt multi sint inæquales motus, sæpe Sol iustum calorem neget, niues aut grandines in roris locum succedant, aer variis temperatibus misceatur. Sed quanuis non ita temperetur mundus, vt perpetua sit æqualitas: cernimus tamen prævalere naturæ ordinem, vt quotannis recurrant hyems & æstas, continua sit dierum & noctium successio, terra suas fruges æstate & autumno pariat. Dicit autem *cunctis diebus terræ*, pro eo quod est, quandiu durabit terra. 2. Pet. 3. d 6

Cap. IX.

1 ET benedixit Deus Nóah,& filiis eius, & dixit ad eos,Creſcite,& multiplicamini,& replete terram:
2 Et timor veſter, & pauor veſter erit ſuper omnem beſtiam terræ, & ſuper omne volatile cæli, cum omnibus quæ gradiuntur in terra, & omnibus piſcibus maris:*quia* manui veſtræ tradita ſunt.
3 Omne reptile quod viuit, vobis erit ad veſcendum : ſicut virentem herbam dedi vobis omnia.
4 Veruntamen carnem cum anima eius,*quæ eſt* ſanguis eius,non comedetis.
5 Et profectò ſanguinem veſtrum,qui vobis eſt in animas,requiram,de manu omnis beſtiæ requiram illum, & de manu hominis, & de manu viri fratris eius requiram animam hominis.
6 Qui effuderit ſanguinẽ hominis in homine,ſanguis eius effundetur : quia ad imaginem Dei fecit hominem.
7 Et vos creſcite,& multiplicamini,& generate in terra,& multiplicemini in ea.
8 Et dixit Deus ad Nóah & ad filios eius qui cum eo erant,dicendo,
9 Et ego,ecce ego ſtatuo pactum meũ vobiſcũ,& cum ſemine veſtro poſt vos,
10 Et cum omni anima viuente quæ eſt vobiſcum, tam cum volatili, quàm cũ animali, & omni beſtia terræ vobiſcum, ab omnibus quæ egreſſa ſunt ex arca, cum omni *inquam* beſtia terræ.
11 Et ſtatuam pactum meum vobiſcum,& non excidetur omnis caro vltrà aquis diluuii,& non erit vltrà diluuium vt diſperdat terram.
12 Et dixit Deus,Hoc eſt ſignum fœderis quod ego do inter me & vos & omnẽ animam viuentem quæ eſt vobiſcum in generationes ſeculi:
13 Arcum meum ponam in nube,& erit in ſignum fœderis inter me & terram.
14 Et erit,quũ obnubilauero nubẽ ſuper terram,tunc apparebit arcus in nube.
15 Et recordabor fœderis mei quod eſt inter me & vos,& omnem animam viuẽtem cũ omni carne:& non erit vltrà aqua ad diluuiũ,vt diſperdat omnẽ carnẽ.
16 Et erit arcus in nube,& videbo illum, vt recorder pacti perpetui inter Deum & omnem animam viuentem cum omni carne quæ eſt ſuper terram.
17 Et dixit Deus ad Nóah, Hoc eſt ſignum fœderis quod ſtatui inter me & omnem carnem quæ eſt ſuper terram.
18 Erãt autem filii Nóah qui egreſſi ſunt de arca,Sem,Cham,& Iépheth: & Chã eſt pater Chenáan.
19 Tres iſti, filii Nóah:& ab iſtis diſperſa eſt vniuerſa terra.
20 Cœpit verò Nóah colere terram,& plantauit vineam:
21 Et bibit de vino,& inebriatus eſt,& diſcooperuit ſe in medio tabernaculi ſui.
22 Et vidit Cham pater Chenáan, turpitudinem patris ſui, & nuntiauit duobus fratribus ſuis in platea.
23 Et tulerunt Sem & Iépheth veſtimentum,& poſuerunt ſuper humerum ambo ipſi:& euntes retrorſum,operuerunt turpitudinem patris ſui: & facies eorũ erant retrorſum,& turpitudinem patris ſui non viderunt.
24 Expergefactꝰ autẽ Nóah àvino ſuo,cognouit quod fecit ſibi filiꝰ ſuus minor.
25 Et dixit,Maledictus Chenáan,ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.
26 Et dixit,Benedictus Dominus Deus Sem,& ſit Chenáan ſeruus eis.
27 Dilatet Deus Iépheth,& habitet in tabernaculis Sẽ:& ſit Chenáan ſeruus eis.

28 Et vixit Nóah poſt diluuium trecentos annos & quinquaginta annos.
29 Fuerunt autem omnes dies Nóah nõgenti anni & quinquaginta anni: & mortuus eſt.

1 *Benedixit Deus Noah.* Hinc coniicimus, quanto metu proſtratus fuerit Noah, quòd Deus toties, ac tam prolixè in eo confirmando inſiſtit. Nam quum hîc dicit Moſes Deum benedixiſſe Noah, & filiis eius, non ſimpliciter intelligit redditã illis fœcunditatis gratiã eſſe: ſed patefactum ſimul Dei conſilium de noua inſtauratione mundi: nam vox Dei, qua ipſos alloquitur, benedictioni annexa eſt. Scimus bruta animalia nonniſi Dei benedictione ſobolem procreare: ſed hîc priuilegium commemorat Moſes quod in ſolos homines competit. Ergo ne viri iſti quatuor cum vxoribus trepidatione correpti, quorſum fuerint erepti, dubitent, vitæ conditionem Dominus illis in futurum præſcribit, vt ſuſcitẽt genus humanum ex morte in vitam. Ità non ſolum eodem verbo mundum renouat, quo ipſum prius creauit: ſed verbũ hominibus deſtinat, vt legitimum coniugii vſum recuperent: ſciant curam gignendæ ſobolis placere Deo: oriturum ex ſe progeniem confidant, quæ ſe per omnes terræ plagas diffundat, vt iterum habitetur: tametſi vaſta & deſerta fuerit. Nec verò promiſcua generatio hominibus conceſſa fuit, ſed de integro ſanxit legem coniugii quam ſtatuerat. Etſi autem ad vagos concubitus quodammodo extenditur Dei benedictio, vt inde naſcatur ſoboles: eſt tamen illa adulterina fœcunditas: legitima autem nonniſi ex vocali Dei benedictione manat.

2 *Pauor ueſter.* Hoc quoque ad mundi reſtitutionem maximè ſpectabat, vt maneret penes homines imperiũ in reliqua animalia. Etſi autẽ beſtiæ poſt lapſum hominis induerãt nouã ferociã: manebãt tamen eius dominii reliquiæ, quod Deus initio cõtulerat. Eundẽ nũc quoque ſtatũ fore promittit. Videmus quidẽ feras beſtias violenter irruere in homines, diſcerpere multos, ac laniare: ſed niſi earũ truculentiã mirabiliter compeſceret Deus, protinus actũ eſſet de genere humano. Ergo quod de aeris intemperie, & temporum inæqualitate diximus, in hac etiam parte locum habet. Graſſantur quidẽ ſanæ beſtiæ, & in homines multis modis ſæuiunt. Non mirũ. nam quum proteruè laſciuiamus aduerſus Deũ, cur non in nos beſtiæ inſurgerent? Interim Dei prouidentia arcanũ eſt frænũ ad cohibẽdos earũ impetus. Vnde enim fit vt ſerpentes nobis parcãt, niſi quia illorum virulẽtiam comprimit? Vnde fit vt non lanient, diſcerpant, ac deuorent quidquid eſt hominum tigres, elephanti, leones, vrſi, lupi, & aliæ innumeræ feræ, niſi quòd iſta ſubiectione tanquã aliquo repagulo continẽtur? Quòd ergo manemus ſalui, hoc ſingulari Dei præſidio & tutelæ acceptum ferri debet. Quid enim aliàs futurum putamus, quum videãtur in perniciem noſtram natæ, & furioſa nocẽdi libidine ardeant? Porrò frænũ quo Dominus beſtiarum ſæuitiam compeſcit, ne ſe in homines profundat, eſt quidam timor & pauor, quẽ illis Deus inſculpſit, vt reuereantur cõſpectum hominum. Hoc peculiariter de regibus Daniel prædicat, eos ſcilicet imperio potiri, quòd metum eorum, & formidinem Dominus tam hominibus, quàm beſtiis incutiat. Verum vt ille primus eſt timoris gradus ad tuendã generis humani ſocietatem: ita quatenus generale imperiũ in beſtias Deus hominibus tradidit, in ſummis & infimis viget neſcio quæ occulta nota, quæ non patitur ferarum ſæuitiã ſuo impetu graſſari. Alia tamen hîc notatur vtilitas, & quæ latius patet: nempe vt in ſuum cõmodũ animalibus fruantur homines, & in varios vſus pro ſua induſtria, & neceſſitate applicẽt. Ergo quòd boues ferẽdo iugo aſſueſcũt, quòd domatur equorum ferocia vt ſeſſores admittant, vel portandis oneribus clitellas recipiãt: quòd lac ſuppeditãt vaccæ, ſéque mulgeri patiũtur: quòd ſub manu tõſoris oues obmuteſcunt, pẽdet ex iſto dominio, quanuis imminutum ſit magna ex parte, nõ tamen prorſus abolitum eſt.

3 *Omne reptile quod uiuit, uobis erit ad ueſcendũ.* Vltrà progreditur Dominus, & animalia in cibũ hominibus concedit, vt eorum carne paſcantur. Quia autẽ nunc primũ Moſes hoc iuris hominibus datum fuiſſe refert, colligunt omnes ferè interpretes, homini ante diluuium fas non fuiſſe veſci carnibus, ſed natiuos tantũ fructus terræ illis fuiſſe pro cibo. Sed argumentũ non ſatis firmũ eſt. Ego enim principiũ illud teneo, Deũ hîc non plus largiri hominibus, quàm dederat: ſed tantũ reddere quod fuerat ablatũ, vt poſſeſſionẽ bonorũ, vnde fuerãt depulſi, iterũ cernant. Nam quum prius mactarẽt Deo victimas, & iugulare illis feras liceret, ex quarum corio, pellibus veſtes ſibi, & tabernacula conficerent: non video quænam eos ab eſu carnium religio impedierit. Cæterũ quia nõ magni refert vtrũuis ſententias, nihil affirmo. Hoc meritò pluris nobis eſſe debet, quòd carne animalium veſcimur, id nobis Dei beneficio conceſſum eſſe: nos non rapere more prædonum, quod libido noſtra appetit: nec tyrãnicè fundere innoxium ſanguinem pecudũ: ſed tantùm ſumere quod manu Domini oblatum eſt. Audiuimus quid Paulus dicat, liberum eſſe veſci quibuſlibet, modo adſit cõſciẽtiæ certitudo: immundũ autẽ eſſe quidquid ſibi quiſque immundũ fingit. Vnde autem hoc homini, vt tranquillo animo non temerè, nec per effrenem li- Rom. 14. c. 14

centiã,ſed coram Deo quibuſlibet veſcatur cibis,niſi quia iure donationis,ſibi diuinitus in manũ eſſe traditos cognoſcit? Quare eodẽ Paulo teſte,verbũ Dei nobis creaturas ſanctificat,vt purè illis,&licitè veſcamur. Tollatur verbũ illud è medio,nulla panis buccella quiſquam corpus ſuũ paſcet,ac reficiet,quin ſimul animam inquinet. Ergo nõ dubiũ eſt quin fidei noſtræ cõſulere voluerit Dominus,quũ diſertè teſtatus eſt per Moſen liberum ſe carnium vſum feciſſe hominibus,ne dubia & trepida conſcientia illis veſcamur. Simul tamen nos ad gratiarũ actionẽ inuitat. Ideo & Paulus verbo precationẽ addit, modum ſanctificationis definiens, illo quẽ nuper citaui,loco. Iam verò hæc nobis à Domino data libertas,quã publicis tabulis conſignatam eſſe voluit,conſtanter nobis retinẽda eſt. Poſteros enim Noah omnes hac voce alloquitur,vt beneficiũ ſuum cõmune omnibus ſæculis faciat. Quorſum hoc,niſi vt ſibi fortiter vẽdicent fideles, quod à Deo authore profectum eſſe norunt? Tyrannis enim minime ferenda eſt,poſtquã Deus omnium opifex terrã & aerẽ nobis aperuit, vt inde tanquã ex eius promptuariis alimenta ſumere liceat, nobis ab homine mortali claudi,qui ne limacem quidem, vel muſcã creare poteſt. De externa prohibitione non loquor:ſed atrocẽ Deo iniuriam fieri dico, quum tantum licentiæ damus hominibus,vt illicitũ eſſe pronuntient quod Deus licere voluit,& conſcientias verbo Dei ſolutas fictitiis ſuis legibus obſtringant. Quod autem Deus veterem populum ab immundis animalibus prohibuit:quia temporalis fuit illa exceptio,hîc tacetur à Moſe.

1 Tim.4.b.5

4 *Veruntamen carnem in anima ſua.* Quidam ita exponũt,Mẽbrum ex viuo animali abſciſſum ne comedatis. Quod nimis ieiunũ eſt. Cæterũ quũ copula nulla ſit inter duas iſtas voces media, ſanguinis & animæ: nõ dubito quin Moſes de anima loquutus, ſanguinẽ exegeticè addiderit: quaſi diceret,carnẽ cum ſua vita quodãmodo vorari,vbi ſanguine ſuo imbuta comeditur. Quare vita &ſanguis,nõ ponuntur tanquã res diuerſæ,ſed vnũ ſignificant. non quòd ſanguis per ſe vita ſit: ſed quia in eo præcipuè vigent ſpiritus vitales,quoad ſenſum noſtrum, quaſi teſſera vitã repræſentat. Et hoc diſertè expreſſum eſt,quo magis abhorrerent homines ab eſu ſanguinis. Nã ſi immane & barbarũ eſt animas vorare,aut deglutire viuas carnes,feritatẽ ſuã produnt homines ſanguinẽ edẽdo. Porrò minime obſcurũ eſt quorſum tẽdat hæc prohibitio, nempe voluit Dominus in abſtinentia pecuini ſanguinis, homines ad manſuetudinẽ aſſuefacere: ne ſi in victu fero &effræni nimiũ audaces eſſent,non parcerẽt etiã tandẽ ſanguini humano. Tenẽdum tamen eſt,reſtrictionẽ hãc partẽ fuiſſe pædagogiæ veteris. Quare ſuperſtitione nõ caruit quod refert Tertulianus,ſuo tẽpore nefas fuiſſe apud Chriſtianos pecudũ ſanguinẽ guſtare. Nam quòd Apoſtoli Gentes ad breue tempus iuſſerunt ſeruare hunc ritum, non ideo factum eſt vt ſcrupulũ iniicerẽt cõſcientiis, ſed ne offendiculũ apud rudes & infirmos pareret ſancta alioqui libertas.

Act.15.d.20

5 *Et utique ſanguinem ueſtrum.* His verbis clarius teſtatur Dominus ſe non animaliũ reſpectu vetare vſum ſanguinis: ſed quia pretioſam habeat hominum animam: & Legis ſuæ finem vnicum eſſe, vt communem illis inter ſe humanitatem commendet. Melius ergo Hieronymus pro particula אך, reddidit enim, vt ſit cauſæ redditio: quàm qui aduerſatiue legunt, Alioqui ſanguinem veſtrum &c. Ad verbum tamen optime ſic vertere licet, Et ſanè ſanguinem veſtrũ. Totus autem contextus meo iudicio ita legendus eſt,Et vtique ſanguinem veſtrũ,qui eſt in animas veſtras,vel in animabus veſtris,vel qui vobis eſt in animas,hoc eſt qui vos viuificat & vegetat quãtum ad corpus,requiram:de manu cũctorum animalium requirã eum:de manu hominis,de manu inquam viri fratris eius requiram animam hominis. Diſtinctio qua conſtituunt Iudæi quatuor homicidii ſpecies,friuola eſt. nam ſimplicẽ & genuinum ſenſum expoſui, quòd Deus tanti vitam noſtram faciat,vt inultas paſſurus non ſit cædes. Hanc verò rem pluribus verbis inculcat, quo magis deteſtabilem reddat eorum ſæuitiam, qui vim & manus proximis ſuis afferunt. Eſt autem hoc non vulgare Diuini in nos amoris teſtimonium, quòd tutelam vitæ noſtræ ſuſcipit, & ſe mortis fore vindicem declarat. Quòd pœnas ſe de animalibus ſumpturũ dicit,pro violata hominum vita: ad exemplum pertinet. Nam ſi in hominum gratiam iraſcitur brutis animalibus,quæ cæco impetu feruntur ad paſtum: quid futurum de homine putamus, qui iuſtè,& crudeliter,ac præter naturæ ſenſum,in fratrem ſuum irruit?

6 *Qui effuderit ſanguinem hominis.* Particula quæ mox ſubiicitur, *in homine*, ad amplificationem valet. Quidam exponunt Coram teſtibus. Alii referunt ad ſequentia, Quòd per hominem fundetur ſanguis. Sed omnes iſtæ interpretationes coactæ ſunt. Tenẽdum ergo quod iam dixi, ſceleris atrocitatem magis exprimi hac locutione, quòd quiſquis hominem occidit, ſanguinem & vitam fratris ſui haurit in ipſo. Quòd ad ſummam rei ſpectat, falluntur,meo iudicio, qui putant ſimpliciter legem politicam hîc ferri, vt plectantur homicidæ. Equidem non nego, in hac Dei ſententia fundatam eſſe pœnam, quam & leges ſtatuunt, & iudices exequuntur. Sed verba plus complecti dico. Scriptum eſt, Viri ſanguinum non dimidiabuntdies ſuos. Et videmus alios in compitis,alios in lupanaribus,pleroſque in bellis mori. Ergo vt conniueãt Magiſtratus,

Pſal.55.d.25

aliunde immittit Deus carnifices, qui ſanguinariis hominibus mercedem ſuam rependant. Sic autem Deus vindictam minatur ac denuntiat homicidis, vt armet etiam gladio Magiſtratus ad cædes vlciſcẽdas, ne impunè fundatur ſanguis hominũ. *Quia ad imaginem Dei fecit hominem.* Quo magis ſuperiorem doctrinam confirmet Deus, ſe nõ temerè, nec de nihilo tam ſolicitũ eſſe admonet de hominum vita. Indigni quidem ſunt homines ſi eorum dũtaxat habetur ratio, quos curet Deus: ſed quia ferunt imaginem Dei inſculptam, violari ſe exiſtimat in eorum perſona. Ita quum nihil proprium habeãt homines, vnde ſibi cõcilient Dei gratiam, ſua in illis dona reſpicit, quibus prouocetur in eorum amorem & curam. Sedulò autem notanda eſt doctrina, neminem poſſe fratribus ſuis eſſe iniurium, quin Deum ipſum lædat. Quæ ſi probè in animis noſtris infixa eſſet, longè tardiores eſſemus ad inferẽdas iniurias. Siquis obiiciat imaginem illam deletam eſſe: ſolutio facilis eſt, manere adhuc aliquid reſiduum, vt præſtet non parua dignitate homo. Deinde ipſum cæleſtem fictorem, vtcunque corruptus ſit homo, finẽ tamen primæ creationis habere ante oculos: cuius exemplo reputare nos decet quorſum homines condiderit, & qua excellentia eos dignatus ſit præ animantibus reliquis.

7 *Et uos creſcite.* Sermonem ſuum iterum conuertit ad Noah, & eius filios, vt ad ſtudium propagandæ ſobolis eos hortetur: acſi diceret, Videtis me intentum eſſe fouendo, & tuẽdo humano generi. Vos itaque in eius propagationem operam mihi veſtram impendite. Interim ſeminis conſeruationem illis commendans, à cædibus, & iniuſtis violentiis deterret. Præcipuus tamẽ finis fuit ille quem prius attigi, vt animos expauefactos erigeret. Neq; enim in his verbis nudum eſt præceptum, ſed promiſſio etiam cõtinetur. *Dixit Deus ad Noah.* Ne memoria diluuii nouos ſubinde terrores incutiat, quoties cælum nubibus obductum fuerit, quaſi iterum mergenda ſit terra, eximitur hæc anxietas. Et certè ſi reputamus quanta ſit ad diffidẽtiã humani ingenii prora, & incomparabili fide vſque ad miraculum præditus: ſed nullum potuit eſſe tantum cõſtantiæ robur, quod nõ illa tam triſtis, & horribilis Dei vindicta percelleret. Ergo quoties maior aliquis, & continuus imber diluuium terris minari videbitur, opponitur fultura, in quam ſanctus vir recumbat. Etſi autem magis indigeant hac confirmatione eius filii, quàm ipſe: Dominus tamen potiſſimùm in eius gratiã loquitur. Atque huc referẽda eſt particula, *Et ad filios eius qui cum ipſo erant.* Quî fit enim vt Deus cum filiis Noah fœdus ſuum paciſcens, eos bene ſperare iubeat? Nempe quia cõiuncti ſunt patri ſuo, qui fœderis eſt quaſi ſtipulator, vt ſecundo loco in ſorte cõſulere. Non ergo priuatum fœdus cum vna tantùm domo ſancitum fuit: ſed omnibus populis commune, & quod ſeculis omnibus vſque ad finem mundi vigeat. Et ſanè quum hodie nõ minus exundet impietas, quàm ætate Noah, pluſquam neceſſe eſt hoc Dei verbo tanquam mille ſeris & clauſtris cohiberi aquas, ne ad nos perdendos erũpant. Quare nos hac promiſſione freti, expectemus diem extremum, quo ignis cælum & terram abſumens purgabit.

9 *Cum omni anima uiuente.* Tametſi gratia quam Dominus promittit, ad animalia quoque extẽditur: non tamẽ fruſtrà Dominus ſolos compellat homines, qui fidei ſenſu percipere poſſunt hoc beneficium. Communiter fruimur cælo & aere cum beſtiis, & eundẽ haurimus vitalẽ ſpiritum: ſed hoc nõ vulgare priuilegium eſt, quòd nobis verbũ ſuũ deſtinat, vnde diſcamus paternum, quo nos proſequitur, amorẽ. Ac tres hîc notandi ſunt gradus. Deus enim quaſi in re præſenti, paciſcitur cum Noah & eius familia, ne ſibi à diluuio metuãt. Deinde fœdus ſuum ad poſteros tranſmittit, non tãtùm vt continua effectus ſucceſſio ad alias ætates perueniat, ſed vt fide quoque apprehẽdant hoc teſtimonium, qui poſtea naſcẽtur, & idẽ ſibi quod filiis Noah promiſſum eſſe ſtatuant. Tertiò declarat ſe brutis quoque animalibus fore propitium: tantùm vt effectus ſine ſenſu & intelligentia, ad tuẽdam illorũ vitam pertineat. Vnde refelli poteſt Anabaptiſtarum inſcitia, qui Dei fœdus infantibus cõmune eſſe negãt, quia præſenti fide carẽt. Quaſi verò vbi Deus ſalutẽ promittit in mille generationes, nõ ſint intermedii patres infãtium, quorũ officium eſt de manu (quod aiũt) in manum acceptã à Deo promiſſionẽ illis tradere. Quotquot autẽ ab hoc Dei præſidio vitam ſuam retrahũt (vt bona pars hominũ hoc Dei fœdus vel cõtemnit, vel ridet) hac ſola ingratitudine digni ſunt qui mergantur in ignem æternum. Nam etſi terrena eſt promiſſio, voluit tamẽ ſuorum fidem exerceri Deus, vt agnoſcant ſingulari eius beneficio certum in terra ſibi fore hoſpitium, donec in cælum colligantur.

11 *Hoc eſt ſignum fœderis.* Additur ſymbolum quod promiſſionẽ obſignet, in quo refulget admirabilis Dei indulgentia: qui vt ſolidam verbo ſuo fidem apud nos aſſerat, talibus adminiculis vti non grauatur. Quanquam autẽ de ſignorum vſu plenius diſſeruimus capite ſecundo, breuiter tamen hîc ex verbis Moſis tenẽdum eſt, ſigna perperam à verbo ſeparari. Verbum appello, non quale iactãt Papiſtæ, quo panẽ, vinum, aquã, olcũ magicis ſuſurris incantãt, ſed quod

fidem ædificet, quemadmodum hîc Dominus clarè alloquitur ſanctum Noah, & eius filios. Deinde ſigillum annectit certitudinis cauſa. Quare ſi auellitur Sacramentum à verbo, definit eſſe quod vocatur. Sit inquam vocale ſignum oportet, vt vim ſuam retineat, nec degeneret à ſua natura. Nec tantum inanis eſt, ac ludicra Sacramentorum adminiſtratio vbi verbum Dei ſilet: ſed meras Satanæ præſtigias ſecum trahit. Inde etiam colligimus, hoc fuiſſe proprium Sacramentis ab initio, vt ad fidei confirmationẽ valerent. Nam certè in fœdere incluſa eſt promiſſio, cui fides reſpondere debet. Videtur quibuſdam abſurdum eſſe, fidem talibus adminiculis fulciri. Sed qui ſic loquuntur, primùm quanta ſit ruditas mentis noſtræ, & imbecillitas non expendunt. Deinde quam debent arcanæ Spiritus virtuti operandi laudem non tribuunt. Dei quidem vnius eſt fidem inchoare & perficere: ſed quibus viſum fuerit organis, quorũ libera eſt penes ipſum electio.

13 *Arcum meum ponam in nube.* His verbis magni quidem Theologi inducti ſunt vt iridem negarent fuiſſe ante diluuium. quod friuolum eſt. Neque enim Moſis verba ſonant fabricatum fuiſſe arcum qui prius non eſſet: verum notam fuiſſe illi inſculptam, quæ Diuinæ gratiæ ſignum hominibus daret. Id vt clarius pateat, memoria repetere cõuenit quod alibi diximus, quædã naturalia eſſe ſigna: quædam verò præter naturæ ordinẽ. Atque huius ſecundæ claſſis quanquã multa paſſim exẽpla in Scripturis extãt, ſingularia tamen ſunt, neque ad communẽ pertinent ac perpetuum Eccleſiæ vſum. Terrenis enim elementis vti placuit Domino, quæ vehicula eſſent tollendis ſurſum hominum mentibus. Ita arcum cæleſtem, qui naturaliter prius fuerat, hîc conſecrari puto in ſignum & pignus: atque ita nouum illi munus imponi, quando ex ſeipſo rei potius contrariæ ſignum foret. diuturnam enim pluuiam minatur. Sit ergo hic verborum ſenſus, Quoties vos terrebit pluuia, arcum reſpicite. Nam quãuis pluuiam videatur cogere ad obruendas terras: vobis tamen futuræ ſiccitatis teſtis erit: atque ita maiore vos fiducia ſtare tunc decet, quàm liquido ac ſereno cælo. Proinde non eſt quod rixemur cum Philoſophis de iride. nam etſi ex naturalibus cauſis oriuntur colores illi: ſacrilegi tamen ſunt qui Deo ius, & arbitrium, quod in creaturas habet, eripere conantur.

15 *Recordabor fœderis.* Moſes Deum toties loquentem inducens, admonet præcipuas eſſe verbi partes, & inde æſtimãda ſigna. Humanitus autem loquitur Deus, quum ſe iridis aſpectu rediturum dicit in fœderis ſui memoriam. Sed hoc ad fidem hominum referri debet, vt Deum cogitent non eſſe oblitum ſui fœderis, quoties arcum ſuum tetenderit in nubibus.

18 *Erant filii Noah.* Filios Noah enumerat Moſes non modo ſibi trãſitũ facturus ad ſequentẽ hiſtoriam: ſed vt vim illius promiſſionis magis illuſtret, Replete terrã. Nos enim quàm efficax fuerit Dei benedictio, melius inde cõcipimus, quòd ex tã paucis hominibus breui prodiit immẽſa hominum multitudo: & quòd domus vna, & quidẽ exigua, in tot numeroſas gentes excreuit.

20 *Cæpit uerò Noah.* Non ita interpretor, quaſi tunc primum colendis agris operam dare cœperit: ſed potius, meo iudicio, ſignificat Moſes, Noah collecto animo, quantumuis eſſet ſenex, rediiſſe ad agrorum culturam, & priſtinos ſuos labores. Cæterum an vinitor fuerit, incertum eſt. Vulgò creditur nullum fuiſſe vini vſum ante id tempus. Ac eo libentius recepta fuit opinio, quòd honeſtus eſſet prætextus ad extenuandum peccatum Noah. Atqui fructum vitis, qui præ aliis omnibus excellit, neglectum iacuiſſe, & inutilem, mihi non eſt probabile. Neque etiam dicit Moſes, quo primum die vinum guſtauit Noah, fuiſſe ebrium. Ergo hoc in medio relinquens, potius ex ebrietate Noah diſcendum eſſe arbitror, quàm fœda, & deteſtabilis res ſit ebrietas. Sanctus Patriarcha, inſigne frugalitatis & tẽperantiæ exemplar, turpem, ac pudendum in modum ſui oblitus, nudum ſe in terram proiicit, vt pateat omnium ludibrio. Quanto igitur ſtudio colenda nobis ſobrietas, nequid ſimile, vel etiam deterius contingat? Dixit olim profanus ille philoſophus, Vinum eſſe terræ ſanguinem: ideo quum ſe intemperanter ingurgitant homines, meritò pœnas terræ matri luere. Sed meminerimus potius, quia nobile & pretioſum Dei munus homines turpi abuſu prophanant, ipſum eſſe vltorẽ. Ac ſciamus Dei iudicio Noah productum fuiſſe in theatrum, vt aliis omnibus documento eſſet ne ſe largiore potu inebrient. Poterat certe venia vtcũque dari ſancto viro, qui labore defunctus, vini potu ſe exhilarãs, iuſtam ſe mercedem capere putat. Atqui Deus æternã illi probri maculã inurit. Quid igitur otioſis ventribus, & gurgitibus inexhauſtis futurum putamus, quibus hoc vnum propoſitum eſt certamen quomodo quamplurimum vini abſumant? Etſi autem durum fuit correctionis genus, bene tamen cũ ſeruo Dei actum eſt, dum ad ſobrietatem reuocatus fuit, ne vitio, cui ſemel ſuccubuerat, indulgere pergens ſe ipſum perderet: quemadmodũ ebrioſos homines videmus cõtinua intemperie tandem obruteſcere.

22 *Cham pater Chanaan.* Accedit ad augendũ mœrorẽ Noah hæc circũſtantia, quòd à proprio filio illuditur. Tenendũ ſemper memoria eſt, diuinitus fuiſſe inflictã illi hanc pœnam, partim quia nõ leue erat eius delictum: partim vt in eius perſona, tẽperantiæ documentũ omnibus

ſeculis Deus ſtatueret. Hoc per ſe meretur ebrietas, vt filiis ſuis ludibrio ſint, qui Patris cæleſtis imaginẽ deformant. Nã certè, quantũ in ſe eſt, mentem ſuã obruunt ebrioſi, ſéque ratione priuãt vt in pecudes degenerent. Meminerimus autem, ſi tam grauiter vltus eſt Dominus vnicũ ſancti viri lapſum, nõ minus ſeuerũ fore vltorem aduerſus eos qui ſe quotidie inebriãt, & eius rei ſatis multa exempla verſãtur ante oculos. Interim Cham, patrem cõtumelioſe ſubſannans, prauũ ac malignũ ingeniũ prodit. Scimus parentes ſecundum Deum reuerenter colendos eſſe: atque vt nulli ſint libri, nec conciones, hoc nobis aſſiduè dictat natura: & vno omniũ conſenſu receptũ eſt, pietatẽ etiam erga parentes, matrem eſſe omniũ virtutũ. Nequam ergo & peruerſi, contortíq; ingenii fuiſſe oportet iſtum Cham, qui non modo ex patris dedecore voluptatẽ cepit, ſed eam traducere voluit apud fratres. Eſt autem hoc non paruum ſcandalum: primò quòd Noah ſalutis humanæ miniſter, & reparationis mundi princeps, in tam graui ſenectute domi ebrius procũbit. Deinde quòd Cham impius & ſcelerat⁹, ex Dei ſanctuario prodiit. Octo animas ſelegerat Deus quaſi ſacrũ, & penitus omni ſorde purgatũ ſemẽ ad renouandã Eccleſiã. ſed peccatũ Noah ſatis oſtendit quã neceſſe ſit retineri homines Dei fræno, quantalibet virtute excellãt. impietas Cham nobis demõſtrat quã profunda ſit malitiæ radix in hominib⁹, quæ aſſiduè pullulat, niſi vbi vis Spirit⁹ potentior eſt. Quòd ſi in ſacro Dei aſylo inter tã paucos diabolus vnus ſeruatus eſt, ne miremur ſi hodie in Eccleſia, vbi longè maior eſt turba hominũ, permixti ſint bonis improbi. Nec dubium eſt quin grauiter vulnerati fuerint animi Sem & Iapheth, quum tale ludibrii portentum in fratre ſuo cernerent, & ex altera parte turpiter humi proſtratus iaceret pater. Tam fœda certè mẽtis alienatio in principe noui mũdi, & ſancto Eccleſiæ Patriarcha non aliter eos reddere attonitos potuit, quàm ſi arcam fractam & illiſam rimas agere ac diſſilire vidiſſent. Hoc tamen ſcandalum nõ minore animi magnitudine ſuperant, quàm modeſtia tegũt. Vnus Cham ridendi patris & inſectandi anſam cupidè arripit: quemadmodum ſolent præpoſteri homines ſcandala captare quæ ad peccandi licentiam obtendant. Ac ætas eo minus excuſabilem reddit: non enim erat laſciuus aliquis puer, qui inconſideratè ridendo, ſtultitiam ſuam proderet: annum iam centeſimum exceſſerat. Ergo probabile eſt ita proteruè inſultaſſe patri, vt ſibi impunè peccandi licentiam acquireret. Tales hodie videmus permultos qui vitia pluſquam ſtudioſe conquirunt in ſanctis & piis hominibus, vt ſine pudore ad omnem nequitiam ſe proiiciãt: imò ex hominum vitiis quærunt quomodo ſe obdurent ad Dei contemptum.

23 *Et tulerunt Sem & Iapheth.* Hic duorũ fratrum tam pietas quàm modeſtia laudatur: ne apud eos vileſcat maieſtas patris, ſed quã illi debent, reuerẽtiam ſemper foueãt, & integram cõſeruent, à probri eius conſpectu auertũt oculos. Atque ita teſtãtur ſibi verè curæ eſſe honorem patris, dum oculos ſuos violari putant, ſi ſponte nuditatem eius aſpexerint quæ probroſa erat: ſimul etiam verecundiæ ſuæ conſulunt. Namvt capite tertio dictum fuit, adeò pudendũ neſcio quid habet hominis nuditas, vt vix quiſque aſpicere ſe audeat ſine teſte. Fratri etiam ſuo exprobrant impiam proteruiã, quòd patri nõ pepercisſet. Hinc verò diſcamus quàm grata Deo ſit pietas, cuius exemplũ quod hic refertur, pro inſigni Spiritus elogio habẽdum eſt. Quòd ſi pietas erga terrenũ patrem, tam eximia & laude digna fuit virtus: quanto maiori pietatis ſtudio colenda eſt ſacra Dei maieſtas? Ridiculi verò Papiſtæ qui fœtidas idoli ſui, imò totius impuri cleri ſpurcitias, pallio Sem & Iapheth tegere volunt. Quantũ inter probrum Noah & execrandas tot ſcelerũ fœditates interſit, quæ cælum & terram cõtaminant, dicere ſuperſedeo. Sed patres ſe probent oportet Antichriſtus & cornuti Epiſcopi cum tota illa colluuie, ſiquid honoris ſibi deferri volunt.

24 *Expergefactus autem Noah.* Videri poſſet Noah quanuis iuſtam excãdeſcendi cauſam habeat, parũ tamen modeſtè, & grauiter ſe gerere. Debuit ſaltem coram Deo tacitus deflere ſuum peccatũ: & pudore quoque apud homines pœnitentiã teſtari. Nũc quaſi nihil ipſe deliquerit, in filium ſuum pluſquam ſeuerè fulminat. Atqui nõ refert hîc Moſes conuitia quæ bile & iracundia percitus euomuerit: ſed loquentem potius inducit prophetico ſpiritu. Quare non eſt quod dubitemus, ſanctum virum verè, vt par erat, culpæ ſuæ ſenſu humiliatum eſſe, & probè reputaſſe quid meritus eſſet: nunc verò venia donatum, & abolito reatu prodire Diuini iudicii præconem. Nec verò dubiũ eſt quin ſanctus vir, miti alioqui ingenio præditus, & vnus inter optimos patres, cum acerbiſſimo animi dolore protulerit hãc ſententiam in filiũ. Videbat eum mirabiliter ſeruatũ eſſe inter paucos, & locum habuiſſe in ſelectiſſimo flore generis humani. Nunc ergo quum ore ſuo eum abdicare ab Eccleſia Dei cogitur, nõ dubium eſt quin maledictioni filii graviter ingemuerit. Sed hoc exẽplo moneri nos Deus voluit, retinendã eſſe fidei cõſtantiã, ſiquando videmus eos deficere qui nobis coniuncti erant: nec frangi nos debere: imò ſic exercendam eſſe quam Deus ſeueritatem mandat, vt ne viſceribus quidem noſtris parcamus. Quum autem nõniſi Dei inſtinctu tam duram ſententiã pronuntiet Noah, ex pœnæ atrocitate colligere decet quàm abominabilis ſit Deo impius parentum contemptus: vt ſacrum naturæ ordinẽ peruertit, & ma-

ieſtatem,imperiúmque Dei in eorum perſona violat,quos ſuo loco præeſſe iuſſit.

25 *Maledictus Chanaan.* Quæritur primo loco cur Noah à filio maledicendo abſtinẽs,ſeueritatẽ pœnæ, qua ille erat dignus, in nepotem innoxium ſtringat. neque enim Dei iuſtitiæ conſentaneum eſt, parentum delicta reiicere in filios. Sed reſponſio ſatis nota eſt, Deum etiamſi iudicia ſua in filios & nepotes impiorum proſequitur, nunquam tamen ſæuire cõtra inſontes: quia reperientur etiam illi in culpa. Quare nihil abſurdi eſt,ſi patrum ſcelera vlciſcitur in reprobis filiis: quando eius iræ ſubiectos eſſe neceſſe eſt, quoſcunque Spiritu ſuo deſtituit. Sed mirum eſt quòd Noah nepotem maledices,filium Cham authorem ſceleris ſilentio prætereat. Iudæis videtur habita fuiſſe gratiæ Dei ratio: & quia tanto eum honore dignatus fuerat Dominus,reiectam fuiſſe maledictionem in filium. Sed futilis eſt hæc coniectura. Mihi certè dubium non eſt, quo magis appareat pœnæ grauitas, tranſferri vſque ad poſteros: acſi Dominus palàm teſtatum feciſſet,non ſibi ſufficere vnius hominis pœnam, ſed maledictionem ſuam eius quoque poſteris affixam fore,vt per cõtinuas ætates ſerpat. Interim non eximitur ipſe Cham,quũ Deus filium eius ſimul inuoluens,iudicium ſuum exaggerat. Alia etiam quæſtio obiicitur,Cur ex pluribus filiis Cham Deus vnum feriendum deligat. Sed ne hìc ſibi nimium permittat noſtra curioſitas, meminerimus non fruſtrà Dei iudicia vocari profundam abyſſum: & indignum eſſe, vt Deus, ad cuius tribunal nos omnes ſemel ſtare neceſſe erit, iudiciis noſtris, vel potius ſtultæ temeritati ſubiaceat. Eligit quos viſum eſt, in quibus gratiæ, & manſuetudinis ſuæ ſpecimen edat: alios deſtinat in finem diuerſum,vt ſint iræ & ſeueritatis documenta. Hîc tametſi cæcutiunt humanæ mentes: quiſque tamen noſtrum ſuæ infirmitatis ſibi conſcius, tribuere potius Deo laudem iuſtitiæ diſcat, quàm vt ſe inſana audacia in profundam abyſſum præcipitet. Quum totum ſemẽ Cham Deus maledictioni obnoxium haberet,Chananitas ſibi nominatim ſumpſit quos præ aliis malediceret. Et hinc colligimus profectum à Deo fuiſſe hoc iudicium: quod ipſo tandem euentu comprobatum fuit. Qualis certè futura eſſet Chananæorum conditio,Noah humanitus non tenebat. Quare in rebus obſcuris, & reconditis Spiritus direxit eius linguam. Reſtat adhuc alia difficultas: nam quum Scriptura Deum peccata hominum vlciſci docet in tertiam & quartam generationem, videtur hunc iræ Dei modum præfigere. atqui vindicta, cuius nunc fit mentio,in decimam vſque generationem ſe expandit. Reſpondeo, Scripturæ verbis non præſcribi Deo legem,quam illi tranſgredi non liceat,ne liber ſit in puniendis peccatis vltra quatuor generationes. Spectanda eſt tantùm pœnarum & gratiæ comparatio: qua docemur ſic Deũ eſſe iuſtum ſcelerũ vindicẽ,vt tamẽ magis ad miſericordiã propenſus ſit. Maneat interim illi ſua libertas,vt ſuam vindictam quouſque viſum fuerit,extendat. *Seruus ſeruorum erit.* Phraſis hæc Hebraica, Chanaan poſtremum fore,vel infimum inter ſeruos ſignificat: acſi dictum eſſet, Non tantùm ſeruilis erit eius conditio,ſed vulgari ſeruitute deterior. Videtur tamen inerme, ac luſorium fuiſſe tam ſeueri & horribilis vaticinii fulmen, quum Chananæi robore, diuitiis,& opibus præſtiterint, longéque, & latè fuerint dominati. Vbi ergo iſta ſeruitus? Primùm reſpondeo, Deum ſic minari hominibus, vt non ſtatim exequatur quod denuntiat: nunquam tamen inanes, & ſine effectu eſſe eius minas. Deinde iudicia Dei non ſemper expoſita eſſe oculis noſtris, nec carnis ſenſu apprehendi. Chananæi excuſſo ſeruitutis iugo, quod illis diuinitus erat impoſitum, etiam imperiũ ad ſe rapuerunt. Cæterũ quanuis ad tẽpus inſultent,non tamen corã Deo cenſetur libera eorum conditio. Sicuti quum iniuſtè premuntur fideles, ac tyrannicè vexantur ab improbis: non tamen coram Deo extincta eſt ſpiritualis eorum libertas. Hac autem Diuini iudicii probatione contentos eſſe nos oportet, quòd Deus ſeruo ſuo Abrahæ dominium terræ Chanaan promiſit,& tandem Chananæos excidio deuouit. Cæterùm quia Papa tantopere contendit ſe interdum prophetare, ſicut fecit Caiaphas: ne omnia illi negare videamur,titulum quo ſe ornat, à Spiritu ſancto dictatum eſſe non nego. Sit igitur ſeruus ſeruorum, quemadmodum Chanaan.

Iohan.11.g.51

26 *Benedictus Dominus Deus Sem.* Noah reliquis filiis benedicit,ſed diuerſo modo. Locatur enim Sem in ſummo honoris gradu. Atque hæc ratio eſt cur Noah in benedictione eius prorumpat in laudem Dei, nec hæreat in hominis perſona. Hebræi enim,quum de rara aliqua, nec mediocri excellentia ſermo habetur, ad Deum conſcendunt. Ergo ſanctus vir, quum vberrimam Dei gratiam ſentiret filio ſuo Sem deſtinatam eſſe, in gratiarum actionem aſſurgit. Vnde colligimus non ex carnis ſenſu loquutum eſſe,ſed de arcanis Dei beneficiis eum diſſerere, quorum euentus in longum tempus differendus erat. Denique his verbis Diuina,vel cæleſtis notatur futura benedictio Sem.

27 *Dilatet Deus Iapheth.* In vocibus Hebraicis cõcinna alluſio eſt Iaphthe Iépheth. Origo autẽ verbi eſt פתה quod Hebræis ſignificat lactare blandis verbis: vel allicere in hanc,vel illam par-

tem. Hîc tamẽ ferè omnes interpretes pro dilatare accipiunt. Quæ expoſitio ſi recipitur, ſenſus erit, Poſteros Iapheth, vbi ad tempus diſſiti, & remoti fuerint à tabernaculis Sem, expanſum tandem iri, vt propius accedant, & ſimul habitent quaſi in communi domicilio. Mihi tamen magis probatur altera verſio, Blandè reducet, vel inclinabit Deus Iapheth. Porrò vtrunuis ſequamur, prædicit Noah temporale fore diſſidium inter Sem & Iapheth: quanuis ambos domui ſuæ retineat, & ambos nuncupet legitimos hæredes. Deinde venturum tempus, quo rurſus coaleſcant in vnum corpus, & commune habeant domicilium. Certo verò certius eſt, vaticinium hîc de rebus ſecundum hominem incognitis proferri, cuius non alium fuiſſe authorem quàm Deum, euentus demum oſtendit. Duo annorum millia & aliquot ſecula fluxerunt, antequam Gentes & Iudæi in vnam fidem aggregarentur. Tunc filii Sem, quorum maior pars diffluxerat, & ſe abſciderat à ſancta Dei familia, ſimul collecti ſunt, vt ſub eodem tabernaculo agerent. Gentes etiam ex Iapheth progenitæ, quæ diu palantes, ac vagæ fuerant, in idem tabernaculum receptæ ſunt. Deus enim noua adoptione vnum populum ex diuerſis effecit, & fraternam vnitatẽ ſanciuit inter alienos. Atque id factum eſt ſuaui & blanda Dei voce, quam in Euangelio protulit: & quotidie adhuc impletur vaticinium hoc, quum diſperſas oues inuitat Deus ad ſuum gregem, & hinc inde colligit qui recumbant cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum. Hæc verò non vulgaris fidei noſtræ fultura eſt, quòd Gentium vocatio non tantùm æterno Dei cõſilio decreta, ſed palàm ore Patriarchæ teſtata fuit: ne repentè, vel fortuitò putemus eſſe factum, quòd vitæ æternæ hæreditas communiter omnibus propoſita fuit. Cæterùm loquutio hæc, *Habitabit Iapheth in tabernaculis Sem*, mutuam, quæ eſſe & coli debet inter fideles, ſocietatẽ nobis commẽdat. Nam quia Deus ex progenie Sem Eccleſiam ſibi elegerat, hac lege poſtea cooptauit Gentes, vt ſe ad populum illum conferrent, penes quem erat vitæ fœdus.

28 *Et uixit Noah.* Tametſi nudis verbis breuiter perſtringit Moſes ætatem ſancti viri, annales autem & memorabiles rerum euẽtus non recenſet: venire tamen nobis in mentẽ debent quæ certa ſunt, & alibi commemorat Scriptura. Intra annos centum & quinquaginta tam numeroſa ex tribus filiis ſoboles excreuit, vt ſatis, ſupérque expertus ſit quid illa valeret Dei benedictio, Creſcite, & multiplicamini. Non videt vrbem vnam duntaxat ſuis nepotibus refertam, nec ſemen ſuum in trecentas familias diffuſum eſſe: ſed populos ex vno complures ortos, qui amplas regiones habitent. Hæc mirifica propagatio, quum viſibile eſſet Diuini erga eum fauoris ſpeculũ, ingẽti haud dubiè eum lætitia perfudit. Quinquagenarius enim ferè erat Abrahã quũ mortuus eſt atauus eius Noah. Interim multa videre coactus eſt, quæ ſanctum eius pectus incredibili mœrore cruciarent. Vt alia omittam, vidit in familia Sem dirutum, vel ſaltem mutilum ac lacerum Dei ſanctuarium, quò recipiẽdi erant filii Iapheth. Nam quum ipſe pater Abrahæ deſerta ſtatione, prophanum ſibi tabernaculum erexiſſet, perquam exigua reſtabat eorũ portio qui vno puræ fidei conſenſu Deum colerent. Quibus dolorum tormentis eum confecerit horrenda iſta diſſipatio, nullis verbis ſatis exprimi poteſt. Quare ſciendum eſt, pluſquam acutos illi fuiſſe fidei oculos, qui Dei gratiam in ſeruanda Eccleſia, præſenti hominum malitia obrutam, procul intueri non deſinerent.

Cap. X.

1 ET iſtæ ſunt generationes filiorum Nóah, Sem, Cham & Iépheth: quibus nati
2 ſunt filii poſt diluuium.

Filii Iépheth, Gómer, & Magóg, & Madái, & Iauán, & Thubál, & Méſech, & Thirás.

3 Et filii Gómer, Aſchenás & Ripháth & Thogarmáh.

4 Et filii Iauán, Eliſáh & Tharſís, Chitthím & Dodaním.

5 Ab iſtis ſeparatæ ſunt inſulæ Gentium ſecundum terras ſuas, ſingulæ ſecundum linguam ſuam, ſecundum familias ſuas in gentibus ſuis.

6 Et filii Cham, Chus & Miſráim & Phut & Chenáan.

7 Et filii Chus, Sebá & Hauiláh & Sabtháh & Rahamáh & Sabthechá. Filii autem Rahamáh, Sebá & Dedán.

8 Et Chus genuit Nimród: ipſe cœpit eſſe potens in terra:

9 Ipſe fuit potens in venatione coram Domino: idcirco dicitur, Sicut Nim-
10 ród potens venatione coram Domino.

Et fuit principiũ regni illi⁹ Babél & Erech & Achád & Chalnéh in terra Sinhar.

11 E terra illa egreſſus eſt Aſſúr, & ædificauit Nineuéh & Rehobóth ciuitatem, & Chélah.
12 Et Réſen inter Nineuéh, & inter Chélah: ipſa eſt ciuitas magna.
13 Et Miſráim genuit Ludím & Hanamím, & Lehabím, & Naphthuhím.
14 Et Pathruſim, & Caſluhím, vnde egreſſi ſunt Peliſtím & Chaphthorím.
15 Et Chenáan genuit Sidón primogenitum ſuum, & Heth,
16 Et Iebuſi, & Emorí, & Girgaſi,
17 Et Hiuuí, & Arcí, & Siní,
18 Et Aruadí, & Semarí, & Hamathí: & poſtea ſparſæ ſunt familiæ Chenaanæi.
19 Et fuit terminus Chenaanæi à Sidón ingrediente te Gerár vſque ad Hazzáh, donec ingrediaris Sedóm & Hamoráh, & Admáh, & Seboím vſq; ad Láſah.
20 Iſti filii Chã per familias ſuas, per linguas ſuas, in terris ſuis, in gentibus ſuis.
21 Ipſi quoque Sem natus, etiam ipſe *fuit* pater omnium filiorum Eber, frater Iépheth maior.
22 Filii Sem, Helám & Aſſúr, & Arphachſad, & Lud, & Arám.
23 Et filii Arám, Hus & Hul, & Géther, & Mas.
24 Et Arphachſad genuit Sélah, & Sélah genuit Eber.
25 Et ipſi Eber nati ſunt duo filii, nomen vnius Péleg: quia in diebus eius diuiſa eſt terra: & nomen fratris eius Ioctan.
26 Et Ioctan genuit Almodád, & Séleph, & Haſarmáueth, & Iarah,
27 Et Hadorám, & Vzál, & Dicláh,
28 Et Hobál, & Abimael, & Sebá.
29 Et Ophír, & Hauilah, & Iobab. omnes iſti filii Ioctan.
30 Et fuit habitatio eorũ à Meſáh, donec ingrediaris Sephár montem Orientis.
31 Iſti filii Sem per familias ſuas, per linguas ſuas, in terris ſuis, in gẽtibus ſuis.
32 Iſtæ familiæ filiorum Nóah per generationes ſuas, in gentibus ſuis: & ab iſtis diuiſæ ſunt gentes in terra poſt diluuium.

1 *Iſtæ ſunt generationes.* Sicui accuratius excutere genealogias libeat, quæ hoc capite & proximo referuntur à Moſe, diligentiam non improbo. Et quidam interpretes non infœliciter ſuam induſtriam & ſtudium hîc poſuerunt. Fruantur ergo per me licet laborum ſuorũ mercede. Mihi tamen ſatis erit breuiter attingere quæ obſeruatu magis vtilia cenſeo, & quorum cauſa iſtos catalogos à Moſe ſcriptos eſſe arbitror. Primùm in nudis iſtis nominibus, habemus tamẽ fragmentum aliquod hiſtoriæ mundi: & proximũ caput oſtendet quot anni à diluuio vſque ad tẽpus illud quo Deus fœdus ſuũ pepigit cũ Abrahã, interceſſerint. Eſt autẽ in primis digna cognitu ſecũda hæc origo generis humani: & deteſtabilis eſt eorũ ingratitudo, qui quú ex patrib⁹ & auis ſuis audiſſent, quàm mirifica fuiſſet intra breue tempus mundi inſtauratio: ſponte tamẽ gratiæ Dei, & ſalutis obliti ſunt. Sepulta fuit à maiori parte diluuii memoria. Quomodo, vel in quem finẽ ſeruati eſſent, pauciſſimis curæ fuit. Multis pòſt ſeculis, quia Dei iudicio, & miſericordiæ caliginẽ induxerat impia hominum obliuio, ianua Satanæ mendaciis aperta fuit: cuius artificio factum eſt vt profani Poetæ futiles, adeóque noxias fabulas ſpargerent, quibus veritas operũ Dei adulterata fuit. Mirè ergo certauit cum hominũ malitia Dei bonitas, quòd tam ingratis, & feris, & barbaris prorogata lõgius fuit vita. Iam naſutis hominibus, quibus abſurdũ nõ eſt nullũ agnoſcere mundi cõditorẽ, tã ſubita mũdi propagatio incredibilis videtur, atq; ideo quaſi fabuloſã ridẽt. Fateor equidẽ, ſi ſenſu noſtro æſtimare libeat quod tradit Moſes, pro fabula haberi poſſe. Sed nimis peruerſè faciũt qui nõ attẽdũt Spiritus ſancti cõſiliũ. Quid enim obſecro, voluit Spiritus, niſi inſolita Dei potẽtia, non autem naturaliter, nec vulgari more ſic auctam fuiſſe trium virorum ſobolem, vt terram lõgè, latéque impleret? Quibus hoc Dei miraculum propter ſuam magnitudinem fabuloſum eſt, multo minus credent Noah, eiúſque filios & vxores inter aquas ſpiraſſe, ſine ſole & aere vixiſſe animalia ferè per integrum annum. Hîc ergo Cyclopicus eſt furor, quod de reparatione generis humani dicitur, ludibrio habere: quia illic inæſtimabilis Dei potentia refulget. Quanto ſatius erat in earum rerum hiſtoria, quas

Noah non ſine ingenti admiratione oculis ſuis vidit, Deum ſuſpicere, mirari eius virtutem, bonitatem celebrare, & eius manum agnoſcere, myſteriis refertam non minus in reſtituendo, quàm creando mundo? Notandum verò eſt, in tribus Catalogis, quos deſcribit Moſes, non numerari ſingula capita: ſed in nepotibus Noah tantùm recẽſeri qui Gentium fuerunt principes. Nam vt quiſque inter fratres ingenio, virtute, induſtria, vel aliis dotibus excelluit, ſibi peperit nomen, & potentiã, vt alii ſub eorũ vmbra quieſcẽtes, primatum illis libenter concederent. Ergo in filiis Iapheth, deinde Cham, & Sem, tantùm eos qui celebres fuerunt, & ex quorum nominibus vocati ſunt populi, recenſet Moſes. Porrò cur à Iapheth incipiat Moſes, ſecũdo loco ad Chã deſcendat, quanuis non conſtet certa cauſa, probabile tamen eſt primam claſſem dari filiis Iapheth, qui multis regionibus peragratis, & mari etiam traiecto, longius à patria receſſerant. quia Iudæis minus notæ erant Gentes illæ, ideo curſim eas attingit. Secundum locum aſſignat filiis Cham, quorum notitiam magis familiarem Iudæis reddebat vicinitas. Quia autem continuo tenore hiſtoriam Eccleſiæ texere inſtituerat, progeniem Sem, vnde illa defluxit, in vltimum locum differt. Quare non ſpectanda eſt in ordine dignitas, quum primos omnium ſtatuat Moſes, quos volebat tanquam obſcuros leuius attingere. Cæterùm hoc quoque habendum eſt, eminere filios huius ſeculi ad tempus, vt in eorum gratiam conditus videri poſſit terrarum orbis, ſed gloriam eorum, vt fluxa eſt, euaneſcere: Eccleſiam verò ſub ignobili, cõtemptóque habitu quaſi humi ſerpendo, Diuinitus ſeruari, donec caput tandem ſuo tempore exerat. De nominibus iam præfatus ſum, anxiam eorum inueſtigationem me aliis relinquere. Quorundam ex Scripturis ratio manifeſta eſt, ſicuti Chus, Miſraiim, Magdai, Chanaan, & ſimilium: in aliis, coniecturæ ſunt veriſimiles: in aliis maior eſt obſcuritas, quàm vt certi aliquid excogitari queat: & quæ interpretes afferunt commenta, partim longè ſunt detorta & coacta, partim inſipida, & quæ nihil habent coloris. Certè friuolæ curioſitatis eſſe videtur, certos ac diſtinctos in ſingulis nominibus populos quærere. Quum dicit Moſes, à filiis Iapheth diuiſas eſſe Gentium inſulas, intellige partitos inter ſe tranſmarinas regiones. Nam Græcia & Italia, aliæque terræ continentes, Hebræis non minus quàm Rhodus, vel Cyprus, inſulæ dicuntur propter mare interpoſitum. Vnde colligimus, ex illis gentibus nos eſſe oriundos.

8 *Chus genuit Nemród.* Chus principem fuiſſe AEthiopum, certum eſt: de filio eius Nemrod peculiarẽ hiſtoriam refert Moſes, quòd cœperit ſupra vſitatũ morẽ emergere. Porrò ſic interpretor, mediocrem tunc fuiſſe hominum ſtatum, vt ſiqui aliis præeſſent, non tamen dominarentur, nec ſibi regium imperium ſumerent, ſed dignitate aliqua contenti, ciuilem in modum regerent alios, & plus authoritatis haberent, quàm potentiæ. Hunc enim vetuſtiſſimum fuiſſe mũdi ſtatũ Iuſtinus ex Trogo refert. Iam dicit Moſes Nemrod, quaſi oblitus foret ſe hominẽ eſſe, occupaſſe altiorẽ gradũ. Viuebat tunc adhuc Noah, magnũ & venerabilẽ omnibus fuiſſe certũ eſt. Erant & alii præſtantes viri: ſed talis eorũ erat moderatio, vt æqualitatẽ colerẽt cũ ſuis minoribꝰ, qui ſpõte magis eos reuerebãtur, quàm imperio coacti. Huius modeſtiæ fines turbauit, ac pregit ambitio Nemrod. Porrò quũ ſatis cõſtet hoc Moſis elogio inuri tyrãno æternã probrino tã, hinc ſtatuere licet quantũ Deo placeat moderata adminiſtratio inter homines. Et certè quiſquis ſe hominẽ eſſe meminerit, lubẽs cum aliis ſocietatẽ colet. Quantũ ad verba ſpectat, priè venationẽ ſignificat, vt volũt Grammatici Hebræi. accipitur tamẽ ſæpe pro cibo. Siue autẽ dicat Moſes fuiſſe robuſtum in venatione, ſiue in rapiẽda præda, metaphoricè ſignificat truculẽtũ fuiſſe hominem, & belluis propiorem, quàm hominibus. Particula *Corã Domino*, exprimere mihi videtur quòd Nemrod eximere ſe conatus ſit è numero hominum, quemadmodũ ſuperbi homines ventoſa confidentia ſeſe efferunt, vt reliquos omnes quaſi ex nubibus deſpiciant. *Quapropter dicetur.* Quoniam verbum eſt futuri temporis, ita reſolui poteſt, Nemrod potens, & imperioſus fuit, vt dicere liceat, quemlibet fortem tyrannum eſſe alterum Nemrod. Placet tamen Hieronymi verſio, inde manaſſe prouerbium, de fortibus & violẽtis, eos ſimiles eſſe Nemrod. Nec dubito quin Deus primum tyrannidis autorem odioſe per omnium ora traduci voluerit.

10 *Principium regni illius* Babel. Sedẽ imperii Nemrod deſignat Moſes. Atque vrbes quatuor illi ſubiectas fuiſſe dicit: ſiue earũ fuerit cõditor, ſiue iuſtos inde dominos expulerit. Tãetſi autem ſit alibi Chalnéh mẽtio, celeberrima tamen fuit omniũ Babylõ: nec tamen ea fuiſſe amplitudine, & tã magna ſtructura fuiſſe arbitror, qualẽ prophani ſcriptores celebrãt. Sed fieri poteſt, quũ amœna in primis, & fœcũda eſſet regio, vt loci cõmoditas alios deinde inuitauerit ad vrbẽ ampliandã. Quare Ariſtoteles in Politicis eam ab vrbiũ ordine ſubductã prouinciæ cõparat. Hinc factũ eſt vt multi opus Semiramidis eſſe tradant: à qua alii non fuiſſe conditam, ſed ornatã duntaxat, & põtibus coniunctã docent. Terra Sinear addita eſt ad notã diſcriminis: quia altera quoque Babylon AEgypti fuit, quã hodie Cairũ vocãt. Sed quæritur quomodo Babylonicus tyrãnus fuerit Nẽrod quũ ſequenti tandẽ capite ſubiiciat Moſes incœptã illic fuiſſe turrim, quæ nomẽ à linguis cõfuſis

sortita est. Quidam ὕστερον πρότερον esse volunt, & quod postea de ædificio turris narrabit Moses, fuisse téporis ordine prius. Quinetiã addunt, quia male cesserat turris structura, mutatũ fuisse consiliũ vt vrbẽ conderent. Atqui ego magis existimo μετάληψιν esse, & nomen vrbi tribui à Mose, quod postea ex nouæ rei euentu fuit impositum. Hæc coniecturæ ratio est, quòd iam tunc multos fuisse eius loci incolas probabile est, qui tantam operis molem aggressi sunt. Fieri etiam potest vt Nemrod famæ & potentiæ suæ consulens, hoc prætextu insanam eorũ cupidinem accenderit, extruendũ esse præclarũ aliquod monumentum in quo æterna illorũ memoria extaret. Cæterùm quia Hebræis tritũ est, quæ breuiter attigerãt, fusius deinde persequi, priorẽ illam sentẽtiam prorsus non reiicio.

11 *E terra illa egressus est Assur.* Assur vnum fuisse ex posteris Sem credibile est. Vulgò autẽ obtinuit opinio hæc, per occasionem, hîc verba de eo fieri, quòd quum habitaret in vicinia Nemrod, violẽter inde expulsus fuerit. Hoc modo barbaram ferociam Nemrod notaret Moses. Et certè hi solent esse fructus magnitudinis, quæ modum non tenet: vnde prodiit vetus prouerbium, Magna regna esse magna latrocinia. Necesse quidem est alios aliis præesse: sed vbi grassatur ambitio, & libido altius emergendi quàm par est, non modo secum trahit maximas & multiplices iniurias: sed ad dissipationem quoque humanæ societatis prona vergit. Cæterùm potius amplector eorum sententiam, qui Assur, hoc loco non hominis, sed terræ sic ab ipso vocatæ, nomen esse dicunt: ita sensus erit, Nemrod amplo & opulento regno nõ contentum, longius sua cupiditate vagatũ esse, & protulisse imperii sui fines vsque in Assyriam, & illic quoque nouas condidisse vrbes. Obstat tantùm vnus Isaiæ locus, 23. c. 13, vbi ait, Ecce terra Chasdim, populus nõ fuit, Assur fundauit eam, quum deserta incolerent, & redegit in ruinam, &c. Videtur enim Propheta dicere vrbes ab Assyriis conditas fuisse in Chaldæa, quum prius eius incolæ vagi, ac dispersi forent, tanquã in deserto. Sed fieri potest vt de aliis regnorũ mutationibus, quæ postea secutæ sunt, loquatur Propheta. Nã quo tempore penes Assyrios erat monarchia, quũ ingenti copia florerent, credibile est Chaldæã, quam sibi subiugauerant, longa pace ornasse, & auxisse, vt videri posset ab illis fundata. Scimus autem quũ vicissim Chaldæi imperiũ rapuissent, Babylonẽ in altum euectã fuisse ruinis Nineues.

21 *Ipsi quoque Sem.* De filiis Sem verba facturus Moses breui procœmio vtitur: quod in aliis nõ fecerat. Neque id frustrà: quia enim hoc erat electum à Deo genus, voluit à cæteris Gentibus segregare speciali aliqua nota. Hæc etiam ratio est cur nominatim dicat patrem esse filiorum Eber, & fratrem Iapheth natu maiorem. Nam benedictio Sem non ad omnes promiscuè eius nepotes peruenit, sed resedit in vna familia. Quanuis autem ipsi quoque nepotes Eber desciuerint à vero Dei cultu, vt iure posset illos exhæredare Dominus, non tamen extincta fuit prorsus, sed tantum ad tempus sepulta benedictio: donec vocatus est Abraham, in cuius honorem singularis hîc nobilitas tribuitur generi Eber, ac nomini. Eadem etiam de causa fit mentio Iapheth, vt confirmetur illa promissio, Blandè alloquetur Deus Iapheth, vt habitet in tabernaculis Sem. Nõ vocatur hoc loco Sem frater Cham: quia resectus ex fratrum ordine, & iure suo abdicatus fuerat. Tantum inter Sem & Iapheth manet fraternitas: quia tametsi diuisi erant, facturum se tamẽ receperat Deus vt ex dissidio rursus coirent. Quantũ ad nomen Eber, qui gentile esse negant, sed deducunt à trãsitu, hoc vno loco satis supérque refelluntur.

Cap. XI.

1 ERat autem vniuersa terra labii vnius, & verborum eorundem.

2 Et fuit, quum proficiscerentur ipsi ab Oriente, inuenerunt planitiẽ in terra Sinhar, & habitauerunt ibi.

3 Et dixerunt quisque ad proximum suum, Agite, laterificemus lateres, & comburamus ad combustionem. & fuit eis later pro lapide, & bitumen fuit eis pro cæmento.

4 Et dixerunt, Agite, ædificemus nobis vrbem, & turrim, cuius caput *pertingat usque* ad cælum: & faciamus nobis nomen, ne fortè dispergamur in superficiem vniuersæ terræ.

5 Et descẽdit Dominus vt videret vrbẽ, & turrim quã ædificabãt filii hominũ.

6 Et dixit Dominus, En populus vnus, & labium vnũ est omnibus ipsis: & hoc *est* incipere eorum vt faciant, & nunc non prohibebitur ab eis quod cogitauerunt vt facerent.

7 Agite, descendamus, & confundamus ibi labium eorũ, vt non audiant vnusquisque labium proximi sui.

8 Et diſperſit Dominus eos inde ſuper faciem omnis terræ, & ceſſauerũt ædificare ciuitatem.
9 Propterea vocauit nomen eius Babél: quia ibi cõfudit Dominus labium vniuerſæ terræ,& inde diſperſit eos Dominus ſuper faciẽ vniuerſæ terræ.
10 Hæ ſunt generationes Sem. Sem filius centum annorum genuit Arphachſád duobus annis poſt diluuium.
11 Et vixit Sem poſtquam genuit Arphachſád, quingentos annos: & genuit filios & filias.
12 Et Arphachſád vixit quinque & triginta annos,& genuit Sélah.
13 Et vixit Arphachſád poſtquam genuit Sélah tres annos& quadringentos annos:& genuit filios & filias.
14 Et Sélah vixit triginta annos,& genuit Eber.
15 Et vixit Sélah poſtquam genuit Eber, tres annos & quadringentos annos: & genuit filios & filias.
16 Et vixit Eber quatuor & triginta annos, & genuit Péleg.
17 Et vixit Eber poſtquam genuit Péleg,triginta annos & quadringẽtos annos: & genuit filios & filias.
18 Et vixit Péleg triginta annos,& genuit Rehú.
19 Et vixit Péleg poſtquam genuit Rehú, nouem annos & ducentos annos: & genuit filios & filias.
20 Et vixit Rehú duos & triginta annos,& genuit Serúg.
21 Et vixit Rehú poſtquam genuit Serúg,ſeptem annos,& ducentos annos: & genuit filios & filias.
22 Et vixit Serúg triginta annos,& genuit Nachór.
23 Et vixit Serúg poſtq̃ genuit Nachór,ducentos annos:& genuit filios& filias.
24 Et vixit Nachór nouem & viginti annos,& genuit Tháre.
25 Et vixit Nachór poſtquam genuit Tháre, nouendecim annos & centum annos:& genuit filios & filias.
26 Et vixit Tháre ſeptuaginta annos,& genuit Abrám,Nachor,& Harán.
27 Et iſtæ ſunt generationes Tháre: Thare genuit Abrám,Nachór,& Harán: & Harán genuit Lot.
28 Et mortuus eſt Harán coram Tháre patre ſuo in terra natiuitatis ſuæ in Vr Chaſdím.
29 Et acceperunt Abrám & Nachór vxores: nomen vxoris Abrám,Sarái:& nomen vxoris Nachór,Milcháh,filia Harán patris Milcháh,& patris Iſcháh.
30 Et fuit Sarái ſterilis: non erat ei natus.
31 Tulit autem Tháre Abrám filium ſuum, & Lot filium Harán,filium filii ſui, & Sarái nurum ſuam,vxorem Abrám filii ſui:& egreſſi ſunt cum eis de Vr Chaſdím,vt pergerent in terram Chenáan: & venerunt vſque ad Charán, & habitauerunt ibi.
32 Et fuerunt dies Tháre quinque & ducẽti anni,& mortuus eſt Thare in Charã.

1 *Erat autem uniuerſa terra labii unius.* Quia prius vno verbo mentio facta fuerat Babylonis, nunc fuſius proſequitur Moſes vnde loco inditũ fuerit nomẽ. Eſt autem hiſtoria apprimè memorabilis, in qua perſpicimus quanta ſit hominũ contumacia aduerſus Deũ, & quàm male in iudiciis eius proficiant. Etſi autẽ prima ſpecie nõ apparet mali atrocitas: teſtatur tamen pœna quæ ſequuta eſt, quãtopere Deo quod iſti aggreſſi ſunt, diſplicuerit. Qui hoc conſilio extructã fuiſſe turrim diuinant, vt perfugium eſſet impiis, atque aſylum, ſiquãdo diluuio terrã Deus obruere vellet:

non video quid ſequãtur præter cerebri ſui ſomniũ. Verba enim Moſis nihil tale ſonant: ſed hîc tantùm inſana ambitio,& ſuperbus Dei contemptus notatur. Turrim extruamus(inquiunt)cuius ſummitas vſque ad cælos pertingat,& paremus nobis nomen. Videmus cõſilium,& ſuſcepti operis finem. Nam quicquid acciderit,volunt immortale habere in terra nomen:ita quaſi inuito Deo ædificant. Et certè ambitio nõ tantùm hominibus iniuria eſt,ſed aduerſus Deũ ipſum protẽua. Arcẽ extruere,nõ adeò magnũ per ſe crimen erat:ſed æternũ ſibi monumẽtũ ſtatuere,quod ſeculis omnibus duraret,id verò effrænem ſuperbiã vnà cum Dei contemptu ſpirat. Atque hinc nata eſt fabula Gigantũ,quos finxerũt Poetæ montes impoſuiſſe mõtibus, vt Iouem è cæleſti ſolio detraherẽt. Nec verò multũ remota eſt allegoria hæc ab impio conſilio quod Moſes perſtringit. ſimul enim ac mortales ſui obliti, altius q̃ par ſit, ſe efferunt, inſtar Gigantũ cum Deo ipſos bellare certũ eſt. Non profitentur id quidẽ ore:ſed aliter fieri non poteſt, quin rectà Deũ impetat quiſquis ſuas metas tranſgreditur. Quòd ad tẽpus attinet,extat Beroſi fragmentũ,(ſi tamen habẽdus eſt talium nugarũ autor Beroſus) vbi inter alia numerãtur anni centũ triginta à diluuio, quũ turrim extruere cœperũt. Cæterũ vt idoneo autore careat hæc ſententia, magis tamen quibuſdã probatur,q̃ quæ ferè apud Iudæos obtinuit,trecẽtos circiter& quadraginta ãnos diſtantiæ ponẽs inter diluuium & ſtructurã. Nec plus coloris habet quod tradunt iidem, architectos iſtos opus eſſe aggreſſos, quia iam longè latéque tunc diffuſi erant homines, & complures deductæ Coloniæ:vt viderent,præ ſoboleſcente in dies copia,breui ſibi eſſe lõgius migrandũ. Sed huic argumẽto opponitur ſingularis Dei benedictio in multiplicando humano genere. Quinetiam omnem controuerſiam dirimere videtur Moſes. Nam poſtquam Arphaxad recẽſuit tertium inter filios Sem, Peleg deinde abnepotem eius nominat,cuius tẽpore linguæ diuiſæ ſunt. Ex annorum verò ſupputatione quam ponit,certò patet vnum modò ſæculum interfuiſſe. Sed notãdum eſt nõ dici ſtatim poſt natum Peleg diuiſas fuiſſe linguas:nec vſquam tẽpus certum præfigi. Cæterùm ad ingentes miſerias Noah hîc cumulus acceſſit, quòd audiuit ſceleratum hoc conſilium à ſuis poſteris captum eſſe. Nec dubium eſt quin maximo dolore vulneratus fuerit,quum videret eos deuotis animis ruere in ſuam perniciem. Sed Dominus ſanctum virum extremo quoq; ſenio ita exercuit:ne continua pugnarum ſucceſſio nos exanimet. Sicui magis arrideat quod receptũ eſt vulgò apud Iudæos,diuiſio terræ ad primas tranſmigrationes referenda erit,quum cœperũt homines in varias regiones diſtribui: ſed repugnat quod ſimul habuimus proximo capite de monarchia Nemrod. Verùm mediam ſententiam tenere licebit: quòd ſub extremum fortè ſenium Peleg contigerit linguarum confuſio. Vixit autem ducentis ferè & quadraginta annis. Nec erit abſurdum,ſi dicamus imperium Nemrod duobus vel tribus ſeculis duraſſe. Ego certè, vt in rebus dubiis, libenter admitto longius temporis ſpatium à diluuio ad cõſilium turris extruendæ. Cæterùm quum dicit Moſes *terram fuiſſe labii unius*, raram Dei gratiam commendat: quòd inter homines procul diſperſos,ſacrum tamen ſocietatis vinculũ voluerat manere, vt cõmunem haberẽt inter ſe linguam. Et ſanè prodigii loco habẽda eſt linguarum diuerſitas. Nam quum mentis character ſit lingua,quî fit vt homines eiuſdem rationis participes,& nati ad ſocialem vitam,non eadem inter ſe lingua communicẽt? Ergo vitium hoc,quia cum natura pugnat, Moſes accidentale eſſe docet,pœnámque diuinitus eſſe hominibus inflictam,vt diſſiparẽtur eorum linguæ,quia impiè in Deum conſpirauerãt. Debuerat linguæ vnitas inter eos fouere pietatis conſenſum: atqui hæc turba de qua loquitur Moſes, poſtquam ſe à puro Dei cultu,& ſancto fidelium cœtu alienauerat, coaleſcit ad mouendum Deo bellum. Iuſta igitur Dei vindicta diuiſæ ſunt eorum linguæ.

2 *Inuenerunt planitiem in terra Sinhar.* Coniicere licet ex his verbis,Moſen loqui de Nemrod,& populo quem ſibi collegerat. Cæterùm vt demus Nemrod præcipuum fuiſſe ducem extruendæ tantæ molis,quo formidabile ſuæ tyrannidis monumẽtum ſtatueret: diſertè tamẽ narrat Moſes nõ vnius hominis conſilio,vel libidine ſuſceptũ fuiſſe opus, ſed omnes ſimul conſpiraſſe: vt culpa in vnum,vel paucos reiici non poſſet. *Dixit uir ad proximum ſuum*, Hoc eſt mutuò ſe cohortati ſunt:nec tantùm cupidè manum quiſque præbuit,ſed alios etiam impulit ad audendum.

3 *Laterificemus lateres.* Significat Moſes non facilitate operis,nec aliis cõmodis,quæ ſe ad manum offerrent, fuiſſe inductos:ſed potius cũ magnis & arduis obſtaculis luctatos eſſe. quo magis augetur ſceleris grauitas. Quî fit enim vt in opere difficili,& laborioſo ſe fruſtrà macerent, ac conficiant, niſi quia tanquam phrenetici ſe proiiciunt aduerſus Deum? Sæpe à neceſſariis operibus deterret nos difficultas:iſti autem quum lapidibus & cæmẽto careant, non tamẽ dubitant ædificiũ aggredi quod nubes tranſcendat. Monemur itaque hoc exemplo, quò ſe hominum libido proripiat, dum ambitioni ſuæ indulgent. Quod etiam non tacuit profanus Poeta, Audax omnia perpeti, Gens humana ruit per vetitum nefas. Et paulo pòſt, Nil mortalibus arduum eſt, Cælum ipſum petimus ſtultitia.

4 *Pertingat usque ad cælũ.* Hyperbolica est locutio, qua magnificè per iactantiã structuræ,quã moliuntur,altitudinem extollunt.Atque huc pertinet quod mox attexunt, *Paremus nobis nomen.* significant enim tale fore opus, quod miraculi specie non modò spectantium in se conuertat oculos , sed passim vsque ad vltimos terrarum fines celebretur. Hæc perpetua mundi demen- tia est,neglecto cælo immortalitatem quærere in terra,vbi nihil est nõ caducum & euanidum. Ergo nõ aliò spectant eorũ curæ,& studia,nisi vt sibi acquirant in terra nomen. Hæc tam cæca cupiditas meritò ridetur à Dauide Psal.49.a.7.Ac præsertim,quũ experiẽtia(quæ stultorũ ma gistra est)posteros maiorũ exemplis edoctos nõ reducat ad sanã mentem,sed furor serpat in om nes ætates.Notũ est illud Iuuenalis, mors sola fatetur Quãtula sint hominũ corpuscula.Atqui ne mors quidem corrigit nostrã superbiam: nec cõfessionem miseræ nostræ sortis seriò extor- quet.nam sæpe in sepulturis plus eminet superbiæ,quàm in pompa nuptiali. Exemplo tamen hoc monemur,quantopere nobis expediat humiliter viuere,& mori. Atque hæc pars est nõ vl- tima veræ prudentiæ,quũ in media vita mors nobis versatur ante oculos quæ nos ad modestiã assuefaciat. Nam quisquis magnus esse in terra appetit,vbi cõtumeliosus fuerit in homines,tan dem sacrilega eius audacia prorũpet contra Deum ipsum,vt Gigantũ more cælum oppugnet.

Ne forte dispergamur. Vertunt quidã interpretes,Antequam dispergamur.sed hoc non patitur linguæ proprietas. periculo enim,quod instare credibile erat, occurrere cogitant:acsi dicerent, Fieri nõ posse,vt crescẽte numero,omnes ipsos regio illa semper caperet:ideo extruendũ esse ædificium quod illic stabile & perpetuũ seruaret eorũ nomen,quanuis in diuersas plagas dispersi forent.Quæritur tamen vnde illis futuræ dispersionis memoria.Coniiciunt nonnulli à Noah fuisse monitos, qui mundũ ad priora scelera,& corruptelas reuolutũ cernens, Spiritu Prophe- tico horrendam aliquam dissipationem simul præuiderit. ac putant illi,Babylonios, quũ dire- ctè Deo obsistere non possent,obliquè conatos esse pœnam,quæ denuntiata erat, auertere. Alii putãt arcano Spiritus instinctu vaticinatos esse de sua pœna, idq; præter animi sensum.Atqui coactæ sunt istæ expositiones:nec vlla ratio cogit,ad maledictionẽ, quæ illis inflicta est,trahere quod dicunt. Sciebãt terrã esse conditã vt habitaretur,& vbique sua vbera ad homines alendos porrigere: & ipsa multitudo eos docebat , fieri non posse vt diu tam angustis finibus manerent incluſi.quare vbi aliò migrandum erit,turrim volunt originis suæ esse testem.

5 *Descendit Dominus.* Sequitur posterior pars historiæ,in qua docet Moses,quàm facilè Domi- nus vesanos illorum conatus euerterit,ac discusserit totum apparatũ. Neque enim dubium est quin strenuè aggressi sint quod animis præsumpserant.Sed prius admonet Moses,dissimulasse aliquantisper Deum,vt subita linguarum confusione incœptum opus abrumpens, clarius iu- dicii sui specimen ederet. Sic enim plerunque impios tolerat, vt non modò quietus , & cessanti similis,multa eos nefaria machinari sinat,sed læto etiã successu promoueat impios & peruersos eorum conatus,vt eos tandẽ altius præcipitet. Descẽsus enim, cuius meminit Moses, ad homi- nes refertur potius,quàm ad Deum,quem scimus loco non moueri. Verum subindicat,sensim & quasi lento gradu Deum apparuisse vltorem. Descendit ergo Dominus vt videret, hoc est re ipsa patefecit sibi non esse incognitum quid Babylonii tentarent.

6 *En populus unus.* Quidam ita exponunt,Deũ cõqueri de tam præfracta hominũ malitia,vt se iusto dolore ad vindictã extimulet.nõ quòd in ipsum cadãt vlli affectus:sed vt discamus non negligi ab ipso res humanas:& quẽadmodum inuigilat saluti fidelium,ita intentum esse ad ob- seruandam impiorũ malitiã,sicut habetur Psalmo 34.c.7, Vultus Domini super eos qui male- faciunt,vt succidat è terra memoriã eorũ. Alii putant cõparationẽ esse minoris & maioris: acsi dictum esset,Pauci adhuc sunt, & vna tantùm lingua vtuntur:quid igitur non audebunt,si ob multitudinem in varios populos dispersi fuerint? Sed mihi potius videtur subesse ironia: quasi Deus sibi difficultatem proponeret reprimendæ illorum audaciæ:vt sit sensus, Populus hic fir ma cõspiratione agglutinatus est:eadẽ inter se lingua cõmunicant.qua igitur ratione frãgi po- terũt? Cæterùm ironicè subsannat stolidã, & præcipitẽ eorũ confidentiã:quia dũ vires suas æsti mãt impii,nihil nõ sibi arrogãt. *Incipere* istud,de quo loquitur, sedulũ conatũ significat vnà cũ violẽto operãdi feruore. Ita per cõcessionem Deus nullam fore ædificii interruptionem dicit, rebus ita compositis.

7 *Agite descendamus.* Diximus per hypotyposin rem nobis depingi à Mose: quo illustrius sit Dei iudiciũ. Proinde nũc inducit loquentẽ Deum, qui pronuntiat absque negotio dissipatum iri quod illi nunquã putassent vllo modo tardari posse. Talis autem est verborũ sensus, Non v- tar multis machinis:sed tantũ sufflabo in eos,vt confusis linguis ridiculi dissiliant.Quẽadmo- dum autem numerosa manu collecta moliebantur vsque ad nubes cõscendere: ita ex opposito Deus suas copias aduocat,quarũ obiecto præsidio arceat illum furorem. Quæritur tamẽ quas- nam copias designet. Iudæi putant ad Angelos haberi sermonem. Sed quoniã nulla fit Angelo-

rum mentio:& Deus in pari ſecum gradu conſtituit quos alloquitur:coacta eſt illa expoſitio,& meritò reiicitur.Potius hic locus priori reſpõdet,quem habuimus in hominis creatione:quum dicebat etiã Dominus, Faciamus hominẽ ad imaginem noſtram. Aptè enim,& concinnè magno populo æternam ſuã ſapientiam,& virtutem Deus opponit:acſi diceret,Non opus ſibi eſſe alienis auxiliis,ſed intus ſibi ſuppetere quod ad eos delendos ſufficiat.Quare ex hoc loco nõ inepte probatur, ſubeſſe in vna Dei eſſentia tres perſonas. Porrò hoc vindictæ Diuinæ exẽplum ad omnes ætates pertinet: ſemper inſana libidine pruriunt homines plus audendi,quàm fas ſit. Teſtatur autẽ hæc hiſtoria Deum talibus cõſiliis, & ſtudiis ſemper aduerſum fore: adeóque hîc ante oculos depictũ cernimus quod dicit Salomon,Non eſt conſilium,non eſt prudentia,nó eſt robur contra Dominum.Niſi adſit Dei benedictio, à qua vna proſperum exitum ſperare licet, euaneſcere quidquid tentamus neceſſe erit.Quũ verò perpetuum ſibi bellum eſſe Deus pronuntiet cum immodica hominum audacia, infœliciter ceſſurũ eſt quidquid præter eius nutum aggredimur,etiamſi creaturæ omnes ſurſum & deorſum nobis certatim opem ſuã offerãt.Cæterùm quanuis adhuc hodie mundus hãc maledictionẽ ſubſtineat:in media tamen pœna & horribili iræ Dei aduerſus hominum ſuperbiã documento,mira refulget Dei bonitas, quòd diuerſis linguis Gẽtes vltrò citróque inter ſe communicant: præſertim verò quòd omnibus linguis vnum Euãgelium publicauit per totum orbem, & Apoſtolos dono linguarum inſtruxit.Quo factum eſt vt in vnitatem fidei coaleſcerent,qui prius miſerè diuiſi erãt. Hoc ſenſu dicit Ieſaias communem omnibus fore linguam Chanaan ſub regno Chriſti : quia etſi differant ſermonis ſono,vnum tamen idémque loquuntur,dum clamant Abba Pater.

Prouer.21.d.30.

Eſa.19.c.18.

8 *Et diſperſit eos Dominus.* Fuerant iã prius diſperſi homines:neque id loco pœnæ cẽſeri debuit, quũ ex Dei benedictione potiº,& gratia flueret. Sed quos prius honorificè diſtribuerat Dominº in varia hoſpitia,nũc cum ignominia diſſipat,huc & illuc eos diſpellẽs, quaſi laceri corporis mẽbra. Hæc igitur nõ ſimplex fuit diſperſio ad replẽdã terrã, vt ſuos vbiq; haberet cultores & incolas:ſed violẽta diſiectio:quia præcipuũ fouendæ inter eos cõiunctionis vinculũ exectũ fuit.

9 *Propterea uocauit nomen eius* Babel. En quid profecerint ſtulta ambitione parandi nominis. ſperabãt inſculptam fore in turri æternam originis ſuæ memoriam : Deus non tantùm vana fiducia eos fruſtratur,ſed inurit æternum dedecus,vt poſteris omnibus ſint execrabiles propter tantam cladem generi humano eorum culpa inflictam.Habent quidem nomen, ſed non quale optauerant. Sic Deus eorum ſuperbiam probroſe diſiicit,qui ſibi plus vſurpant, quàm liceat. Hinc autem refellitur eorum error qui Babylonem à Ioue Belo deducunt.

10 *Hæ ſunt generationes Sem.* De progenie Sem nõnihil dixerat Moſes proximo capite:ſed nũc hominũ nominibº annorũ ſpatiũ connectit:ne incognita nobis eſſet mũdi vita.Niſi enim breuis hæc deſcriptio extaret, hodie neſcirẽt homines quantũ tẽporis à diluuio interceſſerit ad eũ vſque diẽ quo fœdus ſuũ pepigit Deus cum Abrahã. Porrò notãdũ, quòd honoris cauſa Deus annos mũdi à progenie Sem numerat:quemadmodũ Annales ſuos inſigniũt hiſtorici,Regũ vel Conſulũ nominibus.Neq; tamẽ hoc tã dignitati,& meritis familiæ detulit,quàm gratuitæ ſuæ adoptioni.nam vt ſtatim videbimus,deſciuit magna ex parte poſteritas Sem à vero Dei cultu. Quare digni erãt quos Deus nó modò expũgeret è ſuis faſtis,ſed è mundo prorſus tolleret. Cæterùm pluris eſt illi ſua electio,qua familiã iſtam diſcreuit ab omnibus populis, quàm vt intercidere propter hominũ peccata ſinat.Ideo ex pluribus filiis Sem vnũ Arphaxad,ex filiis Arphaxad vnũ Sela,ab illo quoq; vnũ Eber deligit,vſque dũ ad Abrahã veniat:cuius vocatio,Eccleſiæ renouatio cẽſeri debet.Quantũ ad reliquos ſpectat, probabile eſt nõdum cõpleto ſæculo ad impias ſuperſtitiones dilapſos eſſe. Nã quũ Deus Iudæis exprobret patres eorũ Thare & Nachor ſeruiſſe diis alienis, Ioſue 24.a.2:ſciamus autẽ domũ Sem,in qua illi nati erant,fuiſſe peculiare Dei Sacrariũ,vbi vigere maximè debebat pura religio:quid putamus aliis cõtigiſſe,qui ab initio quaſi emãcipati videri poterãt:Hinc verò prodigioſa humani ingenii tã malitia & prauitas, quàm inflexibilis durities apparet. Viuebãt adhuc Noah,& filii eius oculati diluuii teſtes: narratio illius hiſtoriæ non minus timoris incutere illis debebat , quàm viſibilis Dei cõſpectus.ab infantia imbuti ſunt iſtis principiis: qualiter velit Deus coli,quàm reuerenter parendũ ſit eius verbo:quàm grauis eos omnes vltio maneat,qui ordinẽ ab eo poſitũ violauerint:retineri tamẽ nequeũt quin ſua vanitate corrupti diffluãt. Interea minimè dubiũ eſt quin ſanctus Noah pro ſingulari ſuo zelo & heroica fortitudine, modis omnibus dimicauerit pro aſſerẽda Dei gloria: quin acriter,& ſeuerè inuectus fuerit, imò fulminauerit contra perfidã nepotũ ſuorũ apoſtaſiã: quũ omnes ad ſolũ eius nutũ tremere par eſſet, nullis quamlibet clamoſis obiurgationibus mouentur,quin furore ſuo abrepti pergãt.Ex hoc potius ſpeculo,quàm inanibus Sophiſtarũ blanditiis,diſcamus quàm fœcũda ſit corruptio naturæ noſtræ.Quòd ſi Noah, & Sem,aliíque tanti doctores,pluſquã animoſè certando, cõſequi tamen nõ potuerunt quin prævaleret mundi im-

pietas:ne miremur ſi hodie quoq; contra omnia doctrinæ,admonitionũ,& minarũ obſtacula ſe proiiciat mũdi libido ad impios & peruerſos cultus. Interea notandũ eſt,quàm firmũ in ſanctis hominibus fuerit fidei robur,quàm infatigabilis patiẽtia,quàm infractũ pietatis ſtudiũ,qui tot ſcãdalis,quibuſcũ aſſiduè luctãdũ erat,nunquã ceſſerũt. Scitè ergo Lutherus incredibiles, quib⁹ cos torqueri neceſſe fuit,cruciat⁹,multis martyriis cõparat. Illa enim nepotũ alienatio à Deo nõ aliter eos affecit,quàm ſi ſua viſcera non modò diſcerpi ac laniari,ſed in Satanæ cloacas & ipſos inferos proiici vidiſſent. Quũ autem mundus ita refertus eſſet impiis,paucos Deus mirabiliter cõtinuit ſub verbi ſui obſequio, vt Eccleſiã ab interitu ſeruaret. Quanquã autẽ diximus patrẽ & auũ Abrahæ fuiſſe apoſtatas,& credibile eſt nõ ab illis primũ cœpiſſe defectionẽ:quia tamen in illo genere propter Dei electionẽ incluſa erat Eccleſia:& aliquos Deus ſuperſtites vſq; ad vocationẽ Abrahæ habuit,qui ipſum purè colerẽt:continuã lineã deducit Moſes,atque ita in ſanctorũ catalogo illos recẽſet. Vnde colligimus,quemadmodũ paulo antè monui,quanto in pretio habeat Deus Eccleſiam,quæ numero hominũ tam exigua, cũcto tamen mundo præfertur.

Sem filius centum annorũ. Quũ Moſes tertiũ ordine poſuerit Arphaxad inter filios Sem,quæritur quomodo nũc natũ eſſe cõueniat biẽnio poſt diluuiũ. Reſpõſio facilis eſt,Ex catalogis quos recitat Moſes,nõ poſſe exactè ſtatui, quo quiſque tẽpore natus ſit, quũ interdum priorẽ locũ vni aſſignet,qui tamen naſcẽdi ordine eſt poſterior. Alii reſpondent nihil eſſe abſurdi,ſi referat Moſes duobus annis cõpletis tertiũ filium genitũ eſſe. Sed ſolutio quam poſui,magis genuina eſt.

27 *Thare genuit Abram.* Hic quoque Abrã primus locatur inter fratres:nõ quia fuerit primogenitus,quantũ ego iudico:ſed quia Moſes intentus ad hiſtoriæ ſuæ ſcopũ,nõ admodũ ſolicitus fuit in ordinãdis Thare filiis. Ac fieri poteſt vt alios etiã filios genuerit. Nam quòd peculiariter de tribus meminit Moſes,ratio in prõptu eſt,propter Lot ſcilicet,ac vxores Iſaac & Iacob. Nũc cur Abram non fuiſſe primogenitum exiſtimem,breuiter reddenda eſt ratio. Thare paulo pòſt dicet Moſes in patria mortuũ eſſe, priuſquã relicta Chaldæa,pater Charras migraret:Abrã verò tũc quinque annis maiorẽ ſeptuagenario fuiſſe, dũ Charris egreſſus eſt,vt in terrã Chanaan concederet. Ac diſertè hîc annorũ numerus poſt mortem Thare ſubiicitur. Nunc ſi fingamus ſeptuageſimo patris anno fuiſſe natum,ſimul fatẽdum erit ex eius ætate nobis ſexaginta annos intercidere:quod abſurdiſſimũ eſt. Lutheri diuinatio,quòd Deus obliuione ſepelierit tempus illud,vt finẽ mundi nobis abſcõderet,primùm friuola eſt:deinde ſolidis & claris argumẽtis refelli poteſt. Alii ad priorem egreſſum violẽter torquẽt:ac putant eũ Charris vnà cum patre ſubſtitiſſe ad annos ſexaginta:quod minimè cõſentaneum eſt. Quorſum enim tantũ moræ in medio itinere traxiſſẽt? Sed hîc laborioſa diſputatione nihil opus eſt. Quoto ætatis ſuæ anno patriam reliquerit Abram,Moſes tacet: ſeptuageſimo quinto ætatis anno dicit in terrã Chanaan veniſſe,quum pater ducẽteſimo & quinto vitæ ſuæ anno eſſet mortuus. Quis nõ inde colliget,natum fuiſſe,quũ pater centeſimũ & triceſimum annũ attigiſſet? At primus inter tres nominatur quos dicitur genuiſſe Thare,quũ ipſe ſeptuaginta eſſet annorũ. Fateor:ſed talis recitatio nihil ad gradus naſcendi probãdos facit,quemadmodũ dictum eſt. Nec verò Moſes quoto vitæ anno filios genuerit Thare,exprimit:ſed tãtum ſuperaſſe ætatem illam,priuſquã tres gigneret filios de quibus agitur. Quare ætas Abrahæ ex altera cõparatione noſcenda eſt: dum ſcilicet ei ſeptuaginta quinquè annos attribuit quũ mortuus eſt pater,cuius vita vſque ad ducentos & quinque annos peruenit. Firmũ quoque & validum argumentũ ex ætate Sarai ducitur. Conſtat nõniſi decẽnio minorem fuiſſe natu quàm Abram. Si fratris iunioris eſſet filia,patrem ſuum neceſſariò annis æquaret. Qui vel priuignam fuiſſe Nachor, vel adoptione tantùm filiam excipiunt, nihil afferunt præter merum cauillum.

28 *Mortuus eſt Haran.* Dicitur Haran mortuus corã facie patris:quia eũ reliquit ſuperſtitem. Dicitur autẽ mortuus in patria,nempe Vr. Iudæi ex proprio loci nomine appellatiuũ faciunt, ac dicunt mortuũ eſſe in igne. Nam vt in fingendis fabulis ſunt audaces, nugantur ipſum cum fratre Abram,quia idololatriã fugerent,in ignem à Chaldæis raptos eſſe: Abram verò elapſum fuiſſe fidei conſtantia. Atqui viceſimũ quartũ caput Ioſue quod ſuprà citaui,palàm declarat totam domum non minus ſuperſtitionibus fuiſſe infectam,quàm eſſet ipſa regio. Fateor quidem ab igne ductum eſſe nomen,vt nomina vrbibus vel ex ſitu,vel ex euentu aliquo imponi ſolent. Fieri poteſt vt ſacrũ ignem illic fouerint, vel magis conſpicua fuerit Solis claritas. Alii ſic dicẽtã vrbem volunt,quòd in valle ſita eſſet. nam אורים Hebræi valles nominant. Sed non eſt quod de ea re valde ſimus anxii: ſufficiat quòd Moſes de Abræ patria loquutus, continuò poſt exprimit fuiſſe Vr Chaldæorum.

30 *Et fuit Sarai ſterilis.* Non modò liberis caruiſſe Abrã dicit,ſed cauſam ponit,vxoris ſterilitatẽ: vt ſciamus nonniſi inſigni miraculo factũ eſſe,quòd poſtea peperit Iſaac, quemadmodum ſuo loco plenius tractabimus, ita humiliare voluit ſeruũ ſuum Deus. Neque enim dubium eſt

quin acerbum ex orbitate ſenſerit dolorem. Videt ſine modo ſcaturire paſſim impios, qui terram operiant: ſolus priuatur liberis. Quanquam autem adhuc ignarus erat futuræ ſuæ vocationis, voluit tamen Deus in eius perſona, quaſi in ſpeculo, palàm facere vnde, & quomodo Eccleſia emergat. nam tunc quaſi in arido truncо ſub terra delituit.

31 *Tulit autem Thare filium ſuum.* Debuit hìc fieri capitis initiũ: quia vnũ ex præcipuis libri capitibus tractare incipit Moſes, nempe Abræ vocationẽ. Neque enim ſolũ refert Moſes Therah ſolum mutaſſe, ſed diſceſſus cõſilium: & finem ſimul exponit, relicto natali ſolo iter ingreſſum eſſe vt veniret in terrã Chanaan. Vnde colligere prõptum eſt, ipſum nõ tam ducẽ, vel autorem fuiſſe profectionis, quàm filii comitẽ. Nec obſtat q̃ primas ei aſſignat Moſes, quaſi ei⁹ auſpiciis, & ductu poti⁹, quàm Dei mãdato egreſſus fuerit Abrã. nã hoc honoris defertur patrio nomini. Nec dubito quin Abram quũ patrẽ videret ſpõte obſequi Dei vocationi, viciſſim ſe morigerũ illi præbuerit. Patri ergo authoritas tribuitur, quòd filiũ ſuũ tulerit. Prius enim vocatũ fuiſſe à Deo Abrã, quàm pedem ex natali ſolo moueret, pluſquã liquidò mox cõſtabit: patrẽ fuiſſe vocatum nõ legimus. Cõiicere ergo licet, illi patefactũ fuiſſe Dei oraculũ ex filii relatu. Neq; enim prohibebat migrãdi mandatũ, quin Abram patri ſuo teſtatũ faceret ſe nõ alia de cauſa ab eo diſcedere, niſi quia Dei imperiũ omnibus humanis officiis præferret. Hæc ſanè duo extra cõtroueꝛſiam colligimus ex verbis Moſis, Abrã diuinitus vocatũ eſſe, antequã Therah patriam relinquerit: deinde ipſum Therah nõ aliò ſpectaſſe, niſi vt in terrã Chanaan veniret, hoc eſt vt ſe filio adiungeret voluntariũ comitem. Ideo cõſtituo non longo tempore ante mortem patria ſua ceſſiſſe. Ridiculũ enim eſt, quũ patria egreſſus rectà peteret terrã Chanaan, ſexaginta annos hoſpitem in alieno oppido hæſiſſe. Magis veriſimile eſt, ſenem annis confectũ, morbo & laſſitudine fuiſſe abſumptũ. Et tamen fieri poteſt vt Deus ſuſpẽſos aliquãtiſper tenuerit: quia dicit Moſes habitaſſe in Charã. Verũ ex ſequẽtibus patet nõ fuiſſe tam diuturnã remorã, quũ ſeptuageſimoquinto ætatis anno inde egreſſus ſit Abrã, qui deuexa iã ætate, vtpote ſterilitatẽ vxoris expertus, illuc cõceſſerat. Porrò oppidum, quod Hebræis Charã vocatur, Scriptores omnes vno conſenſu tradunt eſſe Charras in Meſopotamia ſitas. Tametſi Lucanus poeticè magis, quàm verè in Aſſyria locat. locus fuit Craſſi interitu & clade Romani exercitus celebris.

Cap. XII.

1 DIxerat autem Dominus ad Abram, Abi è terra tua, & è cognatione tua, & è domo patris tui, ad terram quam oſtendam tibi.

2 Et faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictio.

3 Et benedicam benedicentibus tibi: & maledicentibus tibi, maledicam: & benedicentur in te omnes familiæ terræ.

4 Et abiit Abram quemadmodũ loquutus fuerat ad eum Dominus: & perrexit cum eo Lot: Abram autẽ erat filius quinque annorũ & ſeptuaginta annorum, quando egreſſus eſt de Charan.

5 Et cepit Abrám Sarái vxorem ſuam, & Lot filium fratris ſui, & omnem ſubſtantiam ſuam quam acquiſierant, & animas quas fecerant in Charán, & egreſſi ſunt vt pergerent in terram Chenáan, & venerunt ad terram Chenáan.

6 Et tranſiuit Abrám in terram vſque ad locũ Sechém, vſque ad quercum Moréh: Chenaanæus autem tunc erat in terra.

7 Et viſus eſt Dominus Abræ, & dixit, Semini tuo dabo terram hanc. & ædificauit ibi altare Domino qui apparuerat ſibi.

8 Et tranſtulit ſe inde ad montẽ ab Oriente ipſi Beth-el: tetendítque tabernaculum ſuum: Beth-el erat ab Occidente, & Hai ab Oriẽte: & ædificauit ibi altare Domino, & inuocauit nomen Domini.

9 Profectus eſt & Abrám, eundo & proficiſcendo ad Meridiem.

10 Et fuit fames in terra: & deſcendit Abrám in AEgyptum vt peregrinaretur ibi: quia grauis fames erat in terra.

11 Et fuit, quando appropinquauit vt ingrederetur AEgyptum, dixit ad Sarái vxorem ſuam, Ecce nunc noui quòd mulier pulchra aſpectu ſis:

12 Erit itaque, quũ viderint te AEgyptii, dicẽt, Vxor eius eſt: & occidẽt me, & te

seruabunt viuam.

13 Dic nũc,Soror mea es:vt bene sit mihi ꝓpter te,& viuat anima mea ꝓpter te.

14 Et fuit,quum ingrederetur Abrám AEgyptum,viderũt AEgyptii mulierem quòd pulchra esset valde.

15 Quum igitur vidissent eam principes Pharóh, laudauerunt eam Pharóni: & sublata est mulier in domum Pharóh.

16 Et ipsi Abrám benefecit propter eam:fuerũtque ei pecudes,& boues,& asini, & serui,& ancillæ,& asinæ,& cameli.

17 Percussit autem Dominus Pharóh percussionibus magnis, & domum eius, causa Sarái vxoris Abrám.

18 Vocauítque Pharóh Abrám, & dixit, Cur hoc feciſti mihi? vtquid non indicasti mihi quòd vxor tua esset?

19 Vtquid dixisti,Soror mea est? & tuli eam mihi in vxorem: & nunc ecce vxor tua,cape,& vade.

20 Et præcepit super eum Pharóh viris,& dimiserunt eum,& vxorem eius,& omnia quæ erant ei.

1 *Dixerátque Dominus ad Abram.* Ne lectores moretur insulsa capitũ diuisio,sententiã hãc cum duobus proximis versib⁹ vno tenore cõtexãt. Dixerat prius Moses egressos esse ex patria Therah & Abrã,vt in terrã Chanaã concederẽt. Iam exponit nõ leuitate fuisse impulsos, vt plerunque solent temerarii & vagi homines: nec patriæ fastidio, quod plerisque morosis cõtingit,aliò fuisse pertractos: nec maleficii causa profugos: nec inductos stulta aliqua spe, vel illecebris, vt multos sua cupiditas huc & illuc rapit: sed Abram diuinitus iussum fuisse egredi,nec pedẽ moueisse,nisi præeunte Dei verbo.Qui Deũ Abræ loquutũ esse exponũt post patris mortem,facilè refutantur ipsis verbis Mosis. nam si iã patria carebat Abrã, & inquilinus alibi degebat, superuacuũ foret Dei mandatũ,Exi è terra tua,de patria tua,& domo patris tui. Accedit & Stephani authoritas,qui certè idoneus cẽseri meretur huius loci interpres. ille verò clarè testatur Deum apparuisse Abrahæ quũ esset in Mesopotamia, priusquã moraretur in Charã. Deinde hoc oraculũ recitat quod nũc exponim⁹: ac tandẽ cõcludit hac de causa Abrahã ex Chaldæa migrasse. Nec verò negligẽdũ est quod postea ca.15 b.7,repetit Deus, Ego sũ Domin⁹, qui te eduxi de Vr Chaldæorũ. Nam inde elicimus,nõ tunc primò diuinitus porrectã illi fuisse manũ, postquam Charris habitauerat:sed quũ adhuc domi in Chaldæa maneret. Hoc verò Dei mandatũ de quo stultè ambigitur,sufficere nobis debet ad coarguendũ contrariũ errorẽ. Neque enim sic alloqui potuit Deus,nisi hominẽ adhuc nido suo affixũ rebus integris,& sine vlla vitæ mutatione intercognatos quietum & tranquillũ. alioqui ad manũ erat exceptio,Patriã reliqui:procul à cognatione mea absum. In summa,hoc oraculũ refert Moses,vt sciamus tam longinquã profectionẽ Dei mãdato ab Abrã & patre eius Therah susceptã esse. Vnde etiã apparet, Therah sic fuisse superstitionibus delusum,vt tamen Deũ timeret. Difficile fuit senẽ iam fractũ & caducum,ex patria sua auelli. Quædã igitur vera religio,licet suffocata,adhuc animo eius suberat. Ideo quũ madictũ esse locũ agnoscat ex quo iubetur egredi filius,non vult illic perire:sed ei se adiũgit sociũ quẽ Dominus eripit. Qualis,obsecro, hic futurus est testis extremo die ad damnandã nostram ignauiã:Facilis illi erat,& plausibilis ad manũ excusatio,se domi quiescere, quia nihil sibi præceptũ foret. Atqui in tenebris infidelitatis cæcutiẽs, ad trãsuersam tamen lucis scintillã oculos aperit. Nũc vbi directè nobis affulget Dei vocatio,nõ mouemur. Porrò hæc Abræ vocatio,insigne gratuitæ Dei misericordiæ exẽplum est. an aliquo operũ merito Deũ anteuerterat Abram? an ad eum accesserat:an eius fauorẽ sibi cõciliauerat:imò semper memoria repetendũ est(quod prius adduxi ex cõcione Iosua)in fæce idololatriæ fuisse demersum:nunc vltrò manũ porrigit Deus,vt errantẽ reducat. Sacrũ os suũ aperire dignatur, vt Satanæ præstigiis decepto viã salutis monstret. Ac mirum est,miserũ hominem,ac perditũ tot sanctis Dei cultoribus præferri,vt penes ipsum resideat vitæ fœdus,in eo suscitetur Ecclesia,ac statuatur fideliũ omniũ pater. Sed hoc consultò factum est,quo illustrior in eius persona esset gratiæ Dei commendatio. Est enim exemplar nostræ omniũ vocationis:in quo perspicimus, mera Dei misericordia ex nihilo suscitari quæ non sunt,vt esse aliquid incipiant.

Abi è terra tua. Videtur superuacua esse verborum congeries. Huc quoque accedit, quòd Moses alibi tam concisus,rem vnam planã,& facilem,tribus loquendi formis exprimit. Sed aliter

res habet.Nam quũ per ſe triſte ſit exilium, & dulcedo natalis ſoli omnes ſibi ferè deuinctos teneat,data opera inſiſtit Deus in mãdato relinquendæ patriæ,vt penitus Abræ animũ tranſfigat. Si vno verbo dixiſſet,Relinque patriam:nõ leuiter quidẽ pupugiſſet eius animũ:ſed tamen magis perfoditur,quũ audit, cognationi & domui paternæ eſſe renuntiandũ. Neque tamẽ putandũ eſt,Deum ex ſeruorum ſuorũ moleſtia crudelẽ voluptatem capere: ſed ita omnes eorũ affectus examinat,nequas latebras relinquat in eorũ cordib⁹. Multos videm⁹ ad breue tẽpus feruere, qui deinde cõgelaſcunt. vnde hoc, niſi quia ædificãt ſine fundamẽto?Ergo Deus probè excutere voluit omnes Abræ ſenſus,nequid temerè,vel incõſideratè ſuſciperet, ac ſtatim pœnitẽtia duct⁹ve la retrò flecteret.Quare ſi conſtãter cupimus Deũ ſequi,omnia incõmoda quæ nos manent,omnes difficultates,pericula omnia ſedulò meditari cõuenit:vt nõ tantũ ſubitus zelus flores emittat,ſed ex alta,& benè fixa radice pietatis fructus tota vita proferamus. *Ad terram quam oſtendam tibi.* Aliud examen ad probandam fidem Abræ. Cur enim nõ extemplo Deus terram deſignat, niſi vt ſeruum ſuum ſuſpendens,melius experiatur quàm verè addictus ſit verbo ſuo? acſi diceret,Iubeo te clauſis oculis egredi:ac inquirere veto quò te ſim ductur⁹,donec abnegata patria totũ mihi te dedideris. Atque hoc verum eſt obſequii noſtri experimentũ, quũ nobis nõ ſapimus, ſed cõmittimus nos Domino.Quoties ergo aliquid à nobis requirit,nõ oportet nos ita de euentu eſſe ſolicitos,vt metus & anxietas remoram nobis iniiciant. Nam Deum clauſis oculis ſequi ducem præſtat,quàm prudentia noſtra fretos,per flexuoſos circuitus,quos illa nobis finget, errare. Siquis obiiciat, pugnare hoc cum ſuperiori ſententia,vbi dicebat Moſes, profectos eſſe ex patria Therah & Abram,vt in terram Chanaan venirent:facilis eſt ſolutio,ſi prolepſin admittimus in ſermone Moſis,qualis hoc ipſo capite ſequitur in nomine Bethel:& frequẽter in Scripturis occurrit. Neſciebant quò venturi eſſent:ſed quia illis deliberatũ erat, venire quocunque Deus vocaret,Moſes in perſona ſua loquens,terram nominat,quæ nondum illis cognita, poſtea Abræ patefacta fuit. Verum eſt igitur eo conſilio profectos, vt venirent in terram Chanaan:quia accepta promiſſione de terra monſtranda, patiebantur ſe à Deo regi, donec quod pollicitus fuerat,reipſa præſtaret.Quanquam fieri poteſt vt Deus probato Abræ affectu,non multo pòſt illi dubitationem exemerit. Neſcimus enim quo temporis articulo innotuerit ei, quod ad tempus duntaxat abſconditum eſſe Deus voluit.Satis eſt quòd ſe Deo verè obedire teſtatus eſt Abram:quum ſuas in eius prouidentiã curas reiiciens,& quaſi in eius ſinum exonerãs quidquid eum tardare poterat,patriam relinquere nõ dubitauit,incertus vbi tandem fixurus pedem eſſet.nam hoc modo carnis prudentia in ordinem ſubacta fuit,& omnes ſimul affectus domiti. Quæri tamen poteſt,Cur Deus ſeruum ſuum potius in terram Chanaan tranſtulerit,quàm in Orientem, vbi cum aliquot ſanctis patribus victurus erat.Quidam ne videatur facta eſſe in deterius mutatio,illuc deductum fuiſſe volunt,vt cum atauo Sem habitaret,quem ipſi fuiſſe Melchiſedec imaginantur.Atqui minimè quadraret, ſi tale fuiſſet Dei conſilium, Abram aliò iter flexiſſe. imò non legimus congreſſum fuiſſe cum Melchiſedec, niſi dum redibat ex Sodomitico prælio.Quàm verò friuola ſit eorum diuinatio,quòd Melchiſedec fuerit Sem,ſuo loco videbimus.Quòd verò ad rem de qua nunc agitur,ſpectat,longè aliud fuiſſe Dei conſiliũ quàm putent,ex fine qui tandem ſequutus eſt,colligitur. Gentes illæ propter deploratã malitiam exitio deuotæ erãt. Voluit Deus inter eas ſeruum ſuum ad tempus peregrinari,vt terræ hæreditatem fide cerneret, cuius poſſeſſio longo demum tempore poſt eius mortem poſteros manebat. Quare non alia de cauſa traiicere in illam terram iuſſus eſt,niſi quia euacuanda erat ſuis indigenis, vt ſemini eius daretur poſſidenda. Magni autem interfuit,Abraham, Iſaac, & Iacob, in illa terra fuiſſe inquilinos, & eius dominium diuinitus ſibi promiſſum fide amplexos eſſe,vt maiore animo ad eam occupandam poſteri eorum ſe accingerent. *Faciam te in gentem magnam.* Hactenus retulit Moſes quid facere iuſſus fuerit Abram:nunc promiſſionem annectit Dei mandato, idque non leui de cauſa. Nam vt pigri ſumus ad parẽdum,fruſtrà præciperet Dominus, niſi ſimul addita gratiæ & benedictionis ſuæ fiducia nos animaret.quod tametſi prius attigi in hiſtoria Noah, non fruſtrà nunc iterum inculco.nam & hic locus poſtulat vt aliquid dicatur:& eius doctrinæ, cui tantum ineſt pondus,repetitio ſuperuacua videri non debet.Nam certũ eſt fidem non cõſtare,niſi fundata ſit in Dei promiſſionibus.Atqui ſola fides obedientiã generat.Ergo vt formentur animi ad ſequendũ Deũ,nõ ſufficit ſimpliciter mandare quid velit: niſi benedictionem ſuã ſimul promittat.Notanda verò promiſſio eſt,quòd futurus ſit Abrã in gentẽ magnam cuius ſterilis erat vxor. Poterat hæc valde eſſe efficax, ſi Deus ex re ipſa ſpem obtuliſſet: nunc verò quum vxoris ſterilitas perpetuã orbitatem illi minetur, frigida eſſet nuda promiſſio, niſi totus penderet Abrã ex ore Dei.quare vxoris vterũ ſterilẽ cernens,in verbo tamen Dei magnã gentem quæ promittitur,ſpe apprehendit. Atque hanc gratiã magnificè extollit Ieſaias,51.a.2, quòd Deus ſeruũ ſuũ Abram,quem vnicũ, & ſolitariũ reperit, ſua benedictione auxerit in tan-

tum populum. Nomen גוי, quũ detestabile sit Iudæis, honorificè hoc loco, sicuti multis aliis, capitur. Atq; hoc emphaticè dictũ est, quòd nõ modo posteros ex suo semine habiturus sit in magno numero: sed peculiarem, & ab aliis segregatum populum, qui censeatur proprio nomine.

2 *Benedicam tibi.* Hoc aliqua ex parte additum est ad expositionẽm proximæ sententiæ. Ne enim desperet Abram, benedictionem suam proponit Deus, quæ plus miraculo efficere poterat, quàm naturaliter in aliis fieri cernitur. Latius tamẽ patet hæc benedictio, quàm ad sobolẽ: nempe vt prosperos & lætos in omnibus suis negotiis habeat successus. Quod ex sequenti contextu patet, *Magnificabo nomen tuum, ut sis benedictio.* Fœlicitas enim promittitur, quæ omnes passim admiratione afficiat, vt sibi Abræ personam in formula benedicendi, quasi exemplar sumãt. Alii resoluunt in adiectiuum, Eris benedictio, id est omnes benedicent tibi. Sed prior sensus magis conuenit. Nonnulli etiam actiuè exponunt, acsi dictum esset, Non residebit in te mea gratia vt ea solus fruaris: sed longè manabit in omnes gentes. Sic igitur eam nunc apud te depono, vt redundet in totum mundum. Sed nondum ad istam communicationem Deus progreditur, vt mox dicam.

3 *Et benedicam benedicentibus tibi.* Hîc mira se profert Dei benignitas, quòd familiariter paciscitur cum Abram: quemadmodum solent homines cum sociis & paribus suis. Hæc enim solennis est fœderum inter reges, & alios formula, vt eosdem sibi fore hostes, & amicos mutuò promittãt. Hoc certè inæstimabile est rari amoris pign⁹, quòd Deus se eousque nostra causa demittit. Quanquam enim vnum hîc hominem compellat, alibi eundem erga suos fideles declarat affectum. Communem itaque doctrinam colligere licet, Deum ita nos fauore suo complecti, vt amicis nostris benedicturus sit, & vltionem de hostibus sumpturus. Monemur autem hac sententia, quantumuis paci studeant filii Dei, nunquam tamen illis hostes defore. Certè siquis vnquam tranquille se gessit inter homines, vt meritò esset amabilis omnibus, inter præcipuos numerari potest Abram. Neque tamen hostibus caruit: quia diabolum habuit sibi aduersarium, qui improbos habet in manu sua, quos ad inferendam bonis molestiam impellere non desinit. Non est igitur cur nos exanimet mundi ingratitudo, si multi nobis gratis infesti sint, & nulla iniuria prouocati nocere studeant: sed hoc vno solatio cõtenti simus, quòd commune Deus nobiscum bellum suscipit. Adhæc, suos Deus ad colendam cum omnibus bonis fidem & humanitatem hortatur: & rursum, vt ab omni iniuria abstineant. Est enim hoc non vulgare incitamentum ad fideles iuuandos, quòd siquid in eos officii contulerimus, Deus rependet: nec mediocriter nos terrere debet, quòd bellum nobis denuntiat, siquem ex suis lædimus. *Benedicentur in te.* Sicui locũ hunc restrictè accipere libeat, quòd prouerbiali figura sumpturi sint Abræ nomen, qui filiis, vel amicis benedicent: fruatur suo sensu. hoc enim patitur linguæ Hebraicæ phrasis, vt dicatur futurus Abram insigne fœlicitatis exemplar. Ego tamen latius extẽdo: quia idẽ promitti hoc loco arbitror quod Deus infrà, 22.d.18, clarius repetet. Atque huc me deducit Pauli autoritas, qui promissionẽ semini Abrahã, hoc est Christo, datam esse dicit quadringẽtis & triginta ante legẽ annis. Atqui supputatio annorũ flagitat, vt promissa sit in Christo benedictio, quũ veniret in terrã Chanaan. Ergo Deus meo iudicio, benedicendas pronuntiat Gẽtes omnes in semine suo Abrã: quia in lumbis eius inclusus erat Christus. Hoc modo non tantũ significat ipsum fore exẽplar, sed causam benedictionis: vt sit tacita ãtithesis inter Adam & Christũ. Nam quum nascamur omnes maledicti, ex quo alienatus est primus homo à Deo: hîc nouum remedium nobis offertur. Nec obstat quòd ab ipso Abram minimè petenda sit benedictio, quia dicitur hoc, Christi respectu. Hîc petulanter insurgunt Iudæi, ac multa Scripturæ testimonia coaceruant, ex quibus patet Benedicere, vel maledicere in aliquo, nihil esse aliud, quàm ad eius similitudinem bene, vel male precari. Sed eorum calumnia nullo negotio diluitur. Fateor, sæpe verũ esse quod dicũt, sed nõ semper. Nã quũ dicitur, Vt tribus Leui benediceret in nomine Dei, Deuteron. 10.b.8, Isaiæ 65.c.16, & similibus locis, satis constat Deum prædicari bonorum omnium fontem, ne aliunde vllã boni partem petat Israel. Quum igitur locutio sit ambigua, concedant necesse est hunc vel illũ sensum deligendũ esse, prout rei & causæ aptius conuenit. Sumpsit autem Paulus axioma, quod inter pios omnes receptum est, ac pro confesso haberi debet, Totum humanum genus obnoxium esse maledictioni: ideóque benedici sanctum populum sola Mediatoris gratia. Vnde constituit fœdus salutis, quod pepigit Deus cum Abram, non stabile, nec firmum esse, nisi in Christo. Sic igitur præsentem locum interpretor, quòd Deus benedictionem promittat seruo suo Abræ, quæ postea fluet ac manabit ad omnes populos. Sed quia alibi fusius hæc res explicanda erit, nunc tantùm breuiter perstringo.

Galat. 3.c.17

4 *Et abijt Abram.* Hæc verba arripiunt in erroris sui suffragium, qui Deum putant Abræ loquutũ esse in Charan. Sed facile refellitur cauillum. postquam enim profectionis causam interposuit, quia scilicet coactus esset Abram Dei mãdato natale solum relinquere: nunc redit ad hi-

ſtoriæ contextum. Cur ad tempus ſubſtiterit Charris Abram, neſcimus: niſi quòd illi manũ iniecit Deus, ne ſtatim conſpectu terræ potiretur, quam licet adhuc incognitã, patriæ tamen ſuæ prætulerat. Nunc dicitur Charris egreſſus, vt inceptum iter conficeret: quod etiam proximus verſus cõfirmat, vbi dicitur tuliſſe Sarai vxorem, & Lot nepotem ſuum. Quemadmodũ enim ductu & auſpiciis patris profecti erant ex Chaldæa: ita nunc dum eſt familiæ caput Abrã, quod à patre cœptum erat, exequitur & abſoluit. Quanquã fieri poteſt vt tunc quoque hortatus fuerit eum Dominus ad pergendum, quia mors patris interuenerat, & ſecundo oraculo priorem vocationem confirmauerit. Hoc verò certum eſt, laudari hoc loco fidei obedientiam: neque id ſimpliciter, ſed conſtãtem & perpetuũ tenorem. Neque enim dubito quin dicere voluerit Moſes non pœnitẽtia ſubſtitiſſe Charris Abram, quaſi à recto vocationis ſuæ curſu deflecteret: ſed habuiſſe ſemper infixum animo Dei mandatum. Itaque particulam hanc, *Sicuti loquutus erat Dominus*, ad primum oraculum referre malo, vt dicat Moſes in propoſito ſuo ſtetiſſe, nec morte patris abruptũ fuiſſe ſtudiũ obſequẽdi Deo. Cæterùm hîc nobis vno verbo præſcribitur totius vitæ formandæ regula: nequid ſcilicet aggrediamur niſi Deo autore. Quidquid enim de virtutibus, ac officiis diſputent homines, nullũ opus laude dignũ eſt, nec cenſeri inter virtutes meretur, niſi quod Deo placeat. ipſe autem teſtatur pluris ſibi eſſe obedientiã, quàm ſacrificia. Quare tunc ritè erit cõpoſita vita noſtra, ſi pẽdeamus ex Dei ore, nec quidquã ſuſcipiamus niſi ex eius verbo. Ac notandũ eſt, non de vno aliquo particulari opere hîc agi, ſed de generali piè, rectéque viuendi principio. Vocatio enim Abræ tractatur, quæ cõmunis eſt typus vitæ omniũ fidelium. Non omnes quidem promiſcuè iubemur patriam deſerere: atque hoc in Abram ſpeciale eſſe fateor: ſed communiter omnes vult Deus ſubeſſe verbo ſuo, & viuendi legem ex ore ſuo petere, ne ſuo arbitrio, vel hominũ placitis circunferantur. Ergo Abræ exemplo ſolida noſtri abnegatio præcipitur, vt viuamus, & moriamur vni Deo.

1. Reg. 15. v. 22.

5 *Animas quas fecerat in Charan.* Animæ, ſeruos & ancillas ſignificãt. Atque hîc primùm fit ſeruitutis mentio: vnde apparet non multo poſt diluuium malitia hominum accidiſſe vt libertas, quæ natura cõmunis erat omnibus, bonæ parti humani generis periret. Vnde autem habuerit initium ſeruitus, nõ facile dictu eſt: niſi quòd vulgo obtinuit opinio, à bellis ortam eſſe: quia victores quos bello ceperant, ſibi parêre coegerint. atque inde nomen mancipii deducunt. Siue autem belli iure oppreſſi fuerint, ſiue inopia coacti qui primi ſeruitutem ſeruierunt: hoc quidem certum eſt, violenter fuiſſe corruptũ naturæ ordinem: quia ideo creati erant homines, vt mutuam inter ſe ſocietatem colerent. Etſi autem aliis alios præeſſe vtile eſt, ſeruãda erat tamen, vt inter fratres, æquabilitas. Cæterùm, quanuis recto temperamẽto, quale optandũ eſſet, contraria ſit ſeruitus, & eius initiũ vitio non caruerit: non tamẽ propterea ſequitur, vſum qui deinde moribus receptus eſt, quem excuſat neceſſitas, eſſe illicitũ. Potuit igitur Abram ſeruos tam pecunia emptos, quàm ſibi domi natos vernas poſſidere. Vulgare enim illud dictũ, Quod ab initio non valuit, tractu temporis conualeſcere non poteſt: aliquas (vt ſatis notum eſt) exceptiones admittit: & eius rei exemplum habebimus infrà, cap. 48.

6 *Et tranſiuit Abram in terram.* Hîc oſtendit Moſes Abram, ex quo terram ingreſſus eſt, non ſtatim reperiſſe hoſpitiũ vbi quieſceret. Nomen enim trãſitus, & poſitus loci, longã fuiſſe itineris diſtantiam oſtendunt. Sichem non procul abeſt à monte Garizim verſus deſertum & plagam Meridionalem. Quare perinde eſt acſi diceret Moſes, rurſus probatam eſſe Abræ fidem, quãdo Deus eum vagãdo totam terrã peragrare paſſus eſt, priuſquã ſtationem aliquã ei daret. Quàm enim durum eſt, quũ Deus profeſſus ſit fore ſe eius hoſpitem, non exiguum ſaltem angulũ mõſtrari, in quo pedem figat? Verùm vt magis ac magis exerceatur ad ſui abnegationẽ, per circuitus errare cogitur. Elon quidã quercetũ, alii conuallem vertunt: alii putãt nomen eſſe propriũ loci. Ego Moreh propriũ eſſe loci nomen nõ dubito: ſed Elon vallem, aut quercum interpretor: non quòd vnica fuerit arbor, ſed mutatio eſt numeri. atque hoc poſterius mihi magis arridet.

Chananæus autem. Non temerè hoc de Chananæo additur: quia nõ leuis fuit tentatio in gentem illam perfidam, & improbam, omníſque humanitatis expertem incidere. Quid tunc in mẽtem venire potuit ſancto viro, niſi ſe proditum eſſe peſſimis hominibus, à quibus mox iugulandus eſſet, vel infeſtam ac miſeram inter continuas iniurias & moleſtias vitam acturus? Atqui vtile fuit talib⁹ eum rudimẽtis aſſuefieri ad ſpem meliorẽ. Nam ſi benignè & comiter exceptus eſſet in terra Chanaan, nihil melius ſperandum erat, quàm vt inquilinus illic degeret. Nunc altius erigit Deus eius animum, vt ſtatuat ſe terræ dominũ, & hæredem deletis incolis, aliquãdo fore. Adde quòd aſſidua inquietudine monetur reſpicere in cælum. Nam quũ terræ hæreditas præcipuè illi eſſet promiſſa: neque ad nepotes pertineret, niſi in eius gratiam: ſequitur nõ illi inſtar vltimæ metæ præfigi terram, in qua tam malè & inhumaniter tractatur, ſed cælum illi proponi vbi quieſcat.

7 *Et uisus est Dominus.* Nunc refert non fuisse prorsus destitutum Abram, quin Deus illi manum porrigeret. Notandũ tamen est quo subsidii genere eius tẽtationibus Deus succurrat. Nudum illi verbum offert: & quidẽ tale, vt reputare posset Abram se haberi ludibrio. Semini eius terram daturũ se pronuntiat: sed vbi semen, vel spes seminis, quũ orbus sit, ac senex, & sterilem habeat vxorẽ? Fuit igitur solatium hoc carni insipidũ. Sed alium gustũ habuit fides: cuius proprium est, omnes piorum sensus cõstrictos tenere verbi reuerẽtia, vt sufficiat vna Dei promissio. Interea etsi reipsa quoque subleuat Deus, & mitigat seruorum suorum mala: non tamen indulget pro carnis voto, sed quatenus expedit. Hinc discamus, vnũ hoc in malis remedium debere nobis sufficere, dum nos verbo suo compellat Deus, vt eum mentes nostræ propitiũ sentiant: nec laxanda esse fræna importunis carnis nostræ desideriis. ipse verò Deus partibus suis nõ deerit, quin gratiæ suæ testimonio erigat afflictos. *Et ædificauit altare.* Altare hoc, symbolũ fuit gratitudinis. Simulatque illi apparuit Deus, erigit altare. In quem finẽ? vt Dei nomen inuocet. Videmus ergo intentum fuisse agendis gratiis, & in beneficii memoriam altare ab eo positum. Siquis roget, annon potuerit absque altari Deum colere: respondeo, non sufficere interiorem cordis cultum, nisi accedat externa apud homines professio. Pietas habet quidem propriam in corde sedem: sed ex ea radice, confessio postea tanquam fructus emergit. Sumus enim creati in hunc finem, vt animã & corpus offeramus Deo. Erat sua Chananæis religio: altaria habebant offerendis sacrificiis: sed Abram, ne se misceat eorum superstitionibus, domesticum erigit altare vbi sacrificet: acsi domi suæ regium Deo solium poneret. Cæterum quia spiritualis est Dei cultus: & sine recto fine, ac legitimo, non modo inanes, ac nihili sunt omnes ceremoniæ, sed verum Dei cultum fucosa, mendacique specie adulterant: sedulò notandum est quod dicit Moses, extructum esse altare ad Deum inuocandum. Ergo altare forma est Diuini cultus: inuocatio autẽ, substantia & veritas. Hæc nota facilè à puris cultoribus hypocritas discernit, qui in externis pompis plus æquo sunt liberales, sed nudis ceremoniis defungi volunt. Ita vaga est tota eorum religio: quia in nullum scopum certò dirigitur. Intentio quidem illis finalis est (vt balbutiunt) Deum colere: sed propius ad Deũ accedit pietas: ideóque nõ ludit externis figuris, sed veritatem ac substantiã respicit. In summa, non aliter acceptæ sunt Deo ceremoniæ, quàm dum ad spiritualem Dei cultum referũtur. Inuocare nomen Domini, vel in nomine, bifariam exponitur: nempe Deum precari: vel eius nomen laudibus celebrare. Sed quia res coniunctæ sunt precatio & gratiarum actio: vtranque libenter complector. Diximus autem suprà capite quarto, non frustrà per synecdochen sub hac vna specie totum notari Dei cultum: quia nullũ pietatis officium pluris æstimat Deus: nec vllum sacrificium gratius habet nominis sui inuocatione, vt testatur Psal. 50. d. 23, & 51. d. 19. Porrò quoties occurrit altaris nomẽ, simul in mentẽ veniant sacrificia. nã ab initio testatum esse voluit Deus humano generi, nullũ ad se patere accessum absque sacrificio. Ergo Abram ex generali pietatis doctrina, sacrificiis cæleste sibi sanctuarium aperuit, vt Deum rite coleret. Atqui Deum scimus nunquam pecudum sanguine fuisse placatum. Quare sequitur, Abræ fidem in Christi sanguinem directam fuisse. Sed absurdum videtur, quòd suo arbitrio altare sibi extruit Abram, qui neque sacerdos erat, nec dissertum habebat Dei mandatum. Respondeo, Mosis contextu hunc scrupulũ eximi: non simpliciter Deo altare posuisse dicitur Abram, sed Deo qui apparuerat. Ergo altare in illa reuelatione fundatũ fuit: nec ab ea separari debet, cuius tantum pars est, atque appendix. Superstitio Deum, qualem libuerit, sibi fabricat: deinde varios illi cultus affingit. Vt hodie Papistæ magno supercilio colere Deum se iactant, quum ineptiũt lusoriis suis pompis. At laudatur Abræ pietas, quòd Deũ sibi patefactum erecto altari, coluit. Etsi autem docet Moses quo consilio altare erexerit Abrã quum refert illic inuocasse Deum: simul tamen innuit placuisse tale officium Deo. nam elogiũ Spiritus sancti hæc loquutio continet, quo pronuntiat Deũ rite ab illo fuisse inuocatum. Alii quidem ferociter se Deum colere iactabant: sed Deus solum Abram laudando, omnes Gentiũ ritus quasi fœdam nominis sui prophanationem repudiat.

8 *Et transtulit.* Quum audimus Abram ex eo loco mouisse vbi Deo altare extruxerat, dubiũ esse non debet quin aliqua necessitate compulsus fuerit. Illic expertus est hospites parum propitios. Ergo tabernaculum suum aliò transfert. Quòd si patienter tulit Abrã cõtinuos errores, nullo modo excusabiles sunt nostræ deliciæ, quum aduersus Deum fremimus, nisi quietum nidum nobis concedat. Certè quum Christus cælum nobis aperuerit, & illuc nos palàm quotidie ad se inuitet: non iniquè ferendum est, si nos in mundo inquilinos esse velit. Summa ergo huius loci est, Abram fuisse ἀστατύμβιον, id est instabilem: quem titulum Paulus tribuit Christianis. 1. Cor. 4. c. 11
Cæterum manifesta est prolepsis in voce Beth-el. Sic enim locum nominat, vt sermonem accommodet suæ ætatis hominibus. *Et ædificauit ibi altare.* Infatigabile pietatis studium in Abram laudat Moses. his enim verbis significat, quocunque locorum subinde venit, in externo

Dei cultu ſe exercuiſſe:tum ne communes haberet ritus cum impiis:tum vt familiam ſuam in ſincera pietate retineret. Probabile autem eſt non paruam inde inuidiam illi conflatã eſſe:quia nihil eſt quod impios magis vrat,quàm diuerſa religio,in qua non modo ſe contemni iudicãt, ſed cæcitatis prorſus dãnari. Et ſcimus ſæuos, ac ſuperbos fuiſſe Chananæos, qui ad vlciſcendas contumelias nimis prõpti eſſent. Atque hæc fortè ratio fuit toties migrandi, quòd in ſuũ probrum acciperent vicini quæ extruebat altaria. Imò quòd nõ ſæpius fuerit lapidatus,admirabili gratiæ Dei acceptum referri debet. Quia tamen ſanctus vir hoc à ſe meritò requiri cognoſcit, vt teſtetur ſe peculiarem habere Deum,nec fallaci ſimulatione eum abneget:Dei gloriam præferre vitæ ſuæ non dubitat.

9 *Profectus eſt & Abram.* Hæc tertia fuit ſancti viri migratio intra breue tẽpus,ex quo aliquod hoſpitium reperiſſe viſus eſt. Certum eſt non ſponte, neque animi cauſa (vt leues multi homines ſolent)huc illuc curſitaſſe:ſed fuerunt aliquæ neceſſitates quæ illum expellerent,vt diſceret continuo vſu ſe in ea terra,cuius erat dominus, non modo eſſe peregrinum, ſed quaſi miſerum erronem. Fructus autem ex tot mutationibus ſequutus eſt non vulgaris, quòd ſingulas terræ partes,ad quas acceſſit,quantum in ſe erat,conatus eſt dicare Deo,& fidei ſuæ odore perfudit.

10 *Orta autem eſt fames.* Iam longè acrior refertur tentatio, qua fides Abræ ad viuum examinata fuit. Neque enim tantum circumagitur per diuerſos terræ flexus,ſed in exilium profligatur ab ea terra quam Deus illi & poſteris dederat. Notandũ eſt,Chaldæam fuiſſe in primis fertilem: aſſuetus opulentiæ venit Charras, vbi ſatis commodè vixiſſe inde coniicitur,quia mancipiis & facultatibus auctus eſt. Nũc quum fame expellitur ab ea terra vbi ſibi fœlicẽ vitam, & omni bonorum copia refertam Dei verbo fretus deſponderat,quid ſecum cogitare poteſt, niſi probè munitus eſſet contra Satanæ machinas:Centies euerſa fuiſſet eius fides. Et ſcimus, quoties nos fruſtratur opinio,nec pro votis res ſuccedunt,cantilenam hanc ſubitò à carne nobis dictari,Deus te decepit. Atqui Moſes quàm fortiter vehementem iſtum impulſum ſuſtinuerit Abram, paucis oſtendit. Non verboſis quidem elogiis magnificè prædicat eius conſtantiam:ſed vna vocula ſatis demonſtrat vſque ad miraculũ inſignem fuiſſe, quum dicit veniſſe in AEgyptum,vt peregrinaretur illic. Nam ſignificat animo nihilominus retinuiſſe terræ ſibi promiſſæ poſſeſſionem, quanuis inde fame eiectus, victus quæritandi cauſa aliò fugeret. Monemur autem hoc exemplo,luctandum eſſe ſeruis Dei contra multa obſtacula, vt ſtadium vocationis ſuæ conficiant. Memoria enim ſemper repetendum eſt, Abram non vnum quemlibet eſſe ex fidelibus,ſed communem omnium patrem,vt ſe ad eius imitationem omnes formẽt. Ergo vt inſtabilis eſt præſentis vitæ cõditio, & innumeris mutationibus obnoxia, meminerimus quocunque nos impellant famis & bellorum æſtus,aliæque viciſſitudines, quæ ſubinde præter ſpẽ accidunt, rectũ tamen curſum tenendum eſſe:atque vt huc & illuc agitẽtur corpora, fidem debere inconcuſſam ſtare. Porrò non mirum eſt quũ Chananæi vitam vtcunque tolerarent, Abram priuatim conſulere ſibi coactum. non iugerum vnum agri habebat: negotium illi erat cum immani, & improbiſſimo populo, qui centies eum inedia perire paſſus eſſet, quàm opem tuliſſet laboranti. Tales circunſtantiæ, fidei laudem & fortitudinis in Abram amplificant: primùm,quòd famelicus,quoad corporis victũ, ſola Dei promiſſione ſe paſcit: deinde quòd nulla vi ab eo loco, vbi habitare iuſſus eſt, niſi ad breue tempus auellitur. In eo multum pleriſque diſſimilis,quos leuiſſima quæque occaſio tranſuerſum rapit,vt ſuam vocationem deſerant.

11 *Dixit ad Sarai uxorem ſuam.* Narrat quale conſilium ſeruandæ vitæ ceperit Abram, quum propinquus eſſet AEgypto. Quoniam autem locus hic inſtar ſcopuli eſt,ad quem multi impingunt,ſobrie,& reuerenter expendere conuenit quatenus excuſatione dignus ſit Abram, & quatenus culpandus. Primùm ſimulationi,ad quam inducit vxorẽ ſuam,videtur aliquid eſſe mendacii admixtum. Quanuis autem poſtea excuſet ſe nõ mentitum eſſe, nec aliud finxiſſe quàm res habebat: hoc tamen magno vitio non caruit, quòd per eum non ſtetit quo minus vxorem proſtitueret. Nam quum vxorem eſſe diſſimulat, denudat eius pudicitiam legitimo præſidio. Atque hinc latrandi materiam proterui quidam canes arripiunt, ſanctum Patriarcham lenonem fuiſſe propriæ vxoris: atque vt ſibi aſtute caueret, neque illius pudori, neque ſuo honori peperciſſe. Sed virulentam iſtam maledicentiam refellere promptum eſt: quòd ſcilicet altius reſpexerit Abram,quum tãta in aliis animi magnitudine præditus fuerit. Deinde quî factum eſt vt AEgyptum potius peteret, quàm rediret Charras, vel in patriam, niſi quòd migrando, Deum ante oculos habet,eiúſque promiſſionem animo ſuo radicitus infixam:Quum igitur à verbo Dei nunquam ſenſus ſuos deflexerit, inde etiam colligere licet, cur vitæ ſuæ tantopere metuat, vt eius periculum alio maiori effugere conetur. Centies hauddubiè mori præoptaſſet, quàm vxoris ſuæ famam ita proiicere,& eius,quã vnicè amabat,coniugio priuari. Sed dum in ſe reputat incluſam eſſe ſpem ſalutis,ſe fontem eſſe Eccleſiæ Dei,fruſtrà niſi viuat,ſibi & ſemi-

ni promissam esse benedictionem: nó iam priuato carnis affectu vitam suam æstimat, sed quia effectum Diuinæ vocationis euanescerenon vult in morte sua, tanta seruandæ suæ vitæ cura tãgitur,vt reliqua omnia posthabeat. Hucusque laudem meretur, quòd recto viuendi fine vitã quouis pretio redimere paratus est. Sed quòd obliquam hanc rationem excogitat,qua vxorem suam in adulterii periculum conicit, minime esse excusabilis videtur. Si de vita sua solicitus erat,quod iure licuit, saltem debuit suam curam reiicere in Deum. Non obstat quidem,fateor, Dei prouidentia quominus sibi prospiciant fideles:sed ita vt ne præfixas sibi metas transiliant. Hinc sequitur rectum fuisse Abræ finem, sed in ipsa via aberrasse: vt sæpe nobis contingit,etiã quum ad Deum tendimus, tamen ab eius verbo per incogitantiam captandis illicitis mediis deflectere. Id verò præsertim vsu venire solet in rebus perplexis: quia dum exitus nullus apparet,facile in varios circuitus abducimur. Quãuis ergo temerarii sint iudices, qui præcisè dãnant hoc factũ Abræ: particularis tamen lapsus non negãdus est, quòd ob mortem propinquã trepidans,discriminis euentum non commisit Deo,ne vxoris pudicitiam malè proderet. Quare hoc exemplo monemur, in rebus implicitis, & dubiis petendum esse à Domino consilii & prudentiæ Spiritum: & simul colendam esse sobrietatem, nequid temere præter eius verbum tentemus. *Noui quòd mulier sis pulchra aspectu.* Quæritur vnde ista Saræ pulchritudo,quæ iam erat vetula. Nam vt demus formæ elegantia prius excelluisse, anni certè gratiam detraxerant: & scimus quantum seniles rugæ deforment optimas,& pulcherrimas facies. Primò respõdeo, minime dubiũ esse quin tunc maior fuerit in hominibus viuacitas: scimus autem vt vigor sustineat formã. Deinde valuit eius sterilitas adseruandã formam integrã,totúmque corporis habitum:quia nihil est quod magis fœminas debilitet,quàm frequentes partus. Cæterũ non dubito quin formæ integritas in illa ætate singulare fuerit donũ Dei. Cur autẽ senio deteri sanctæ fœminæ formam tã cito noluerit, nescimus, nisi quòd magnæ, & duræ anxietatis causa marito fuit formæ illius decor. Et communis vsus docet,qui stata,& mediocri forma contenti non sunt, magno suo damno sentire quanti constet immodica pulchritudo.

12 *Erit itaque.* Videtur iniurius esse AEgyptiis Abram, quòd de illis malè suspicatur, à quibus nondum læsus fuerat. Certè quum charitas non sit suspicax, videtur iniquè facere quòd non modo libidinis eos insimulet,sed etiam suspectos habeat homicidii. Respõdeo,non frustrà sanctum virum ab ea gente sibi metuere,de qua multa sinistra audierat. Et iam alibi tantam hominum malitiam erat expertus,vt meritò quidvis timere posset à prophanis Dei cõtemptoribus. Neque tamen quicquam pronuntiat de AEgyptiis:sed vxorem in sententiam suam adducere volens,quid accidere possit,maturè admonet. Sic autem abstinere nos iubet Deus à malignis,sinistrísque iudiciis,vt tamen cauere ab ignotis hominibus permittat:idque fit citra fratrũ iniuriam. Neque tamen nego quin hæc trepidatio Abræ modum excesserit:ac fecit præpostera anxietas,vt se altero vitio implicaret,sicuti iam diximus.

15 *Laudauerunt eam Pharaoni.* Quanuis peccauerit Abram nimium timendo, & ante tempus, tamen euentus docet non frustrà eum timuisse:vxor enim illi erepta ducitur ad Regem. Primò autem de AEgyptiis in genere loquitur Moses:postea ad aulicos descẽdit.quo significat rumorem passim de forma Sarai vulgatum esse: cupidius verò ab aulicis fuisse exceptum, qui sibi plus licentiæ indulgent. Quòd autem subiicit eos nuntiasse Regi,hinc colligimus quàm vetus sit corruptela,quæ hodie sine modo grassatur in aulis Regum. Nam quum omnia blanditiis,& adulationibus illic plena sint: tũ verò proceres huc præcipue intendunt ingenium, vt subinde afferãt quod Regibus arrideat. Itaque videmus vt quisque gratia inter eos pollere cupit,nõ seruilibus modo blanditiis,sed lenociniis quoque esse deditum. *Et sublata est mulier.* Quum abducta fuerit, & in aula habitauerit ad tempus aliquod, multi à Rege corruptam putant. Neque enim credibile est,quum homo libidinosus eam haberet in manu, peperciisse eius pudicitiæ. Id quidem promeritus fuerat Abram,qui locum non dederat gratiæ Dei,nec vxoris castitatem in eius fidem & custodiam deposuerat: sed plaga, quæ mox sequuta est, satis ostẽdit habitam eius curam fuisse à Domino: & hinc colligere licet intactam stetisse. Tametsi autẽ hoc in loco nihil exprimit Moses, ex comparatione tamen similis historiæ coniicimus non defuisse tunc quoque illi Dei præsidium, quum in eodem esset periculo. Non passus est Deus eam violari à Rege Gerar: an Pharaonis libidini expositam putabimus? An pluris duxisset semel corruptam subiicere secundo probro,quàm seruare, quæ semper integra,castáque vixerat? Deinde si se Abræ tam propitium exhibuit, vt eius vxorẽ iterum ab ipso prostitutã ab ignominia eriperet,quomodo non iuisset obuiam priori periculo? Et fortè viguit adhuc illo seculo maior integritas, vt non tam profusæ essent Regum libidines. Deinde quum subiicit Moses, Abram Saræ causa fuisse liberaliter tractatum: hinc colligimus à Pharaone ipsam honorificè fuisse exceptam, Gen.20.d.a

& non habitam loco scorti. Quòd ergo dicit Moses deductam fuisse in palatium regis, non interpretor fuisse factũ, vt statim cum rege dormiret, sed vt rex solenni ritu eam duceret vxorẽ.

17 *Et percussit Dominus.* Si simpliciter narraret Moses Deum sumpsisse pœnam de Rege ob cõmissum adulterium, non tam apertè constaret consultum ab eo fuisse Saræ castitati. Sed quum disertè exprimit percussam fuisse domum regis propter Sarai vxorem Abræ, meo quidem iudicio omnis dubitatio tollitur, quòd Deus in gratiam serui sui manum suam armatam in tempore opposuerit, ne Sarai violaretur. Atque hic insigne habemus documentum, quàm solicitè seruos suos curet Dominus, qui contempti, & ignobilis aduenæ patrocinium suscepit contra potentissimum Regem: quemadmodum Psalmo 105. c. 12, celebratur hæc historia, & similes: quum essent numero pauci, & inquilini in terra, transeuntes de gente in gentem, vagantes inter diuersos populos, quòd Deus coarguerit pro ipsis Reges, prohibens ne tangerent Christos suos, & ne Prophetis suis nocerent. Vnde etiam sumi potest sententiæ nuper expositæ confirmatio. Nam si Deus Pharaonem coarguit, ne Abram læderet, sequitur illæsum seruasse Saræ honorem. Nos quoque talibus exemplis edocti, sciamus, vtcunque paucitas, & infirmitas nostra contempta sit corã mundo, nos tamẽ Deo pretiosos esse, vt Regibus, atque etiã toti mundo se hostẽ declaret nostra causa. Sciamus nos eius præsidio tegi, ne eorũ, qui plus possunt, libido & violentia nos opprimat. Sed quæritur an iustè Pharaoni inflicta fuerit hæc pœna, quum neque insidiari alterius thoro, neque per vim vxorem rapere in animo habuerit. Respondeo, Nó semper æstimanda esse nostro iudicio hominum facta: sed potius examinãda esse ad trutinam Dei: quia sæpe accidit vt reperiat Dominus quod iustè in nobis puniat, dum nobis videmur esse extra noxam, nósque omni reatu absoluimus. Potius discant reges ex hac historia, suam potentiam frænare, ac moderatè vti suo imperio: denique voluntariam sibi modestiæ legem imponere. Quanuis enim in Pharaone non palàm appareat culpa: quia tamen fidum monitorem non habet inter homines, qui eius licentiam compescere audeat, è cælo castigat illum Dominus. Quòd ad familiam, erat quidem innoxia: sed habet semper Dominus iustas causas, licet nobis occultas, cur ferulis percutiat qui nihil vidẽtur tale meriti. Quòd seruo suo Abræ pepercit, paternæ eius indulgentiæ adscribi debet.

18 *Vocauitque Pharoh.* Iustè Pharao expostulat cum Abram, penes quem præcipua erat culpa. Nulla hic legitur Abræ responsio: & fortè iustæ ac veræ reprehensioni subscripsit. Potest tamen fieri vt omissa fuerit excusatio à Mose: cuius consilium erat, Diuinæ prouidentiæ specimen ostendere in seruando Abram, & vindicando eius coniugio. Quanquam autem agnouit Abram se dare iustam stultitiæ suæ, vel præposteræ cautionis pœnam: secundò tamen in idem vitium relapsus est, vt suo loco videbimus.

20 *Præcepitque Pharoh.* Quòd fide publica deduci iubet Pharao Abram extra regnum, videri posset ideo factum esse vt periculo occurreret: quia sibi gentis odium conflauerat Abram, quasi Dei flagellum illuc secum attulisset. Sed quia hæc coniectura parum firma est, simplicius interpretor datam fuisse Abræ exeundi copiam, & custodes additos, ne prædæ pateret. Scimus enim quàm superbi fuerint AEgyptii, & crudeles: & obnoxius inuidiæ erat Abram, quòd illic repentè ditatus, tanquam spolia secum auferret.

Cap. XIII.

1 ET ascendit Abrám ex AEgypto, ipse & vxor eius, & omnia quæ erant ei, & Lot cum eo ad Meridiem.

2 Et Abrám diues erat valde pecore, argento, & auro.

3 Et perrexit per profectiones suas à Meridie vsque ad Beth-él, vsque ad locum vbi fuerat tabernaculum eius in principio, inter Beth-él & Hai,

4 Ad locum altaris quod fecerat ibi in principio: & inuocauit ibi Abrám nomẽ Domini.

5 Et etiam ipsi Lot ambulanti cum Abrám erant pecudes, & boues, & tabernacula.

6 Et non ferebat eos terra, vt habitarent pariter: quia erat substantia eorum multa, & non poterant habitare pariter.

7 Et fuit contentio inter pastores pecudum Abrám, & pastores pecudum Lot: & Chenaanæus & Pherizæus tunc habitabant in terra.

8 Et dixit Abrám ad Lot, Ne nunc ſit contentio inter me & te, & inter paſtores meos & paſtores tuos, quia viri fratres ſumus:
9 Nunquid nõ omnis terra eſt coram te? ſepara te nunc à me. ſi ieris ad ſiniſtrã, dextram tenebo: & ſi ad dextram ieris, ſiniſtram tenebo.
10 Et leuauit Lot oculos ſuos, & vidit omnem planitiem Iardén, quòd tota eſſet irrigua, antequam diſperderet Dominus Sedóm & Hamoráh, ſicuti hortus Domini, ſicut terra AEgypti, ingrediente te in Sóhar.
11 Et elegit ſibi Lot omnem planitiem Iardén, & profectus eſt Lot ab Oriente, & ſeparauerunt ſe alter ab altero.
12 Abrám habitauit in terra Chanaã, & Lot habitauit in vrbibus planitiei, & tetendit tabernaculum Sedóm vſque.
13 Viri autem Sedóm erant mali, & ſcelerati coram Domino valde.
14 Et Dominus dixit ad Abrám, poſtquam ſeparauit ſe Lot ab eo, Leua nunc oculos tuos, & vide à loco vbi es, ad Aquilonem, Meridiem, Orientem, & Occidentem.
15 Quia omnem terram, quam tu vides, tibi dabo & ſemini tuo vſque in ſeculũ.
16 Et ponam ſemen tuum ſicut puluerem terræ: quia ſi poterit quiſquam numerare puluerem terræ, etiam ſemen tuum numerabit.
17 Surge, ambula per terram in longitudinem eius, & in latitudinem eius: quia tibi dabo eam.
18 Et tetendit tabernaculum Abrám, & venit, & habitauit in Quercubus Mamré, quæ ſunt in Hebrón, & ædificauit ibi altare Domino.

1 *Et aſcendit Abram.* Initio capitis, Dei gratiam in protegendo Abram commendat Moſes: qua factum eſt vt non tantum reuerſus fuerit incolumis, ſed ſecũ traxerit magnas copias. Hæc enim circunſtantia notanda eſt, quum pecore & opibus grauis AEgyptum relinqueret, pacatum ei fuiſſe iter: quia mirum eſt paſſos fuiſſe AEgyptios aliò tranſferri quod apud ipſos acquiſierat Abram. Deinde oſtendit Moſes, Abræ ſuas diuitias non fuiſſe obſtaculo, quin ad finem propoſitum conſtanter reſpiceret, ac illuc pergeret indefeſſo curſu. Scimus quãtopere multos impediant modicæ facultates, ne in cælum caput attollant. qui verò abundant maiore copia, non modò pigri torpent, ſed prorſus in terra demerſi ſunt. Quare Abræ virtutem vulgari aliorum vitio opponit Moſes, quum narrat nullis impedimentis fuiſſe retentum quominus terrã Chanaan repeteret. Poterat enim, vt multi ſolẽt, ſibi delicias facere honeſto prætextu, nẽpe ſibi licere in AEgypto manere, fauente ac propitio Deo, cuius benedictionẽ illic nõ vulgarẽ ſenſerat. Atqui non obliuiſcitur quid ſibi diuinitus mandatum ſit. Ideo quaſi ſolutus, quò vocatus eſt properat. Quare diuitibus omnis excuſatio tollitur, ſi in terra defixi, ad Dei vocationem non attendunt. Quanquam duo hîc extrema cauenda ſunt. Multi perfectionẽ Angelicam conſtituunt in paupertate, acſi pietatem colere, & Deum ſequi non liceret, niſi abiectis diuitiis. Pauci quidem Cratem Thebanum imitantur, qui in mare proiecit opes ſuas, quòd ſe fore ſaluum, niſi illis perditis, nõ putaret. Multi tamen fanatici, diuites procul repellũt à ſpe ſalutis: acſi ſola paupertas, cælorũ eſſet ianua: quæ tamen pluribus impedimentis interdum homines inuoluit, quàm diuitiæ. Scitè autẽ Auguſtinus, qui diuites pauperibus aggregari admonet à Deo in eandem vitæ hæreditatem: quia Lazarus pauper in ſinum diuitis Abrahæ receptus fuerit. Rurſus cauendum eſt ab altero vitio, ne ſcilicet remoram iniiciant diuitiæ, vel nos aggrauent quominus expediti pergamus in regnum cælorum.

3 *Et perrexit per profectiones ſuas.* His verbis docet Moſes, non prius quieuiſſe Abram, quàm reuerſus eſſet in Bethel. Nam etſi tabernaculum tetendit multis in locis, nullibi tamen fixit pedem, vt firma illi eſſet ſtatio. De Meridie nõ loquitur reſpectu AEgypti: ſed intelligit veniſſe in partem Iudææ Auſtralem: itáque longo itinere, & moleſtiis pleno, in eum locum veniſſe, vbi manere ſtatuerat. Subiicit deinde Moſes, erectum fuiſſe illic prius ab eo altare, & tunc quoque inuocaſſe deintegro nomen Domini: vt ſciamus ſanctum virum in Deo colendo, & teſtanda pietate ſemper ſui fuiſſe ſimilem. Quòd exponunt quidam, loci incolas fuiſſe adductos ad purum Dei cultum: nec veriſimile eſt, nec ex verbis elicitur. Diximus autem alibi quid valeat

hæc locutio,Inuocare in nomine Domini,vel nomen Domini:nempe profiteri verum,ac purum Dei cultum. Neque enim duodecies solùm tota vita inuocauit Deum Abram: sed quũ illum celebraret, ac solenni ritu palàm faceret nihil sibi esse commune cum Gentium superstitionibus,tunc dicitur inuocasse Deum. Quanuis ergo Deum semper coluerit, & se exercuerit in quotidianis precibus: quia tamen nõ quotidie externa professione testatus est apud homines suam pietatem, hæc virtus specialiter laudatur à Mose. Ideò cum altari debet coniungi inuocatio:quòd scilicet oblatis sacrificiis testatus est quem Deum coleret, vt scirent Chananæi non esse deditum communibus idololatriis.

5 *Et etiam ipsi Lot.* Sequitur incõmoditas quam ex suis diuitiis passus est Abram, quòd scilicet à nepote suo, quem vnicè amabat, auulsus fuerit, non secus ac suis visceribus. Certè si data fuisset optio,maluisset diuitias abiicere, quàm discessionem ab eo facere, quem loco vnici filii habebat.non tamen aliud vitandis rixis remedium inuenit. An hoc mali vel nimiæ eius morositati,vel nepotis proteruiæ imputabimus? Atqui Dei potius consilium spectandum iudico. periculum erat ne sibi nimium placeret Abram in sua fortuna: quemadmodum res secundæ plurimos excæcant. Ergo opum dulcedinem quasi aceto temperat Deus: nec patitur serui sui animum illa nimium deliniri. Quum autem fallax opinio ad diuitias plus æquo appetendas nos impellat,quia nõ sentimus quantas incommoditates secum trahant: valeat huius historiæ memoria ad cohibendum illum immodicũ amorem. Deinde quoties aliquid molestiæ ex suis copiis sentiunt diuites, hac medicina purgare animos suos discant, ne præsentibus bonis vltra modum sint addicti.Et sanè nisi frænum subinde iniiceret Dominus,quò laberẽtur homines, quum prosperis rebus diffluunt? Rursus si in angustias cogimur, sciamus hoc quoque modo Deum occultis carnis nostræ vitiis mederi. Denique, qui abundant, spinis se circundatos esse meminerint,& caueant ne pungãtur.Quibus res sunt arctæ, & magis restrictæ,sciant diuinitus sibi prospici, ne malis & noxiis laqueis implicentur. Triste fuit hoc diuortium Abræ animo: sed multum potuit mali latentis corrigere, ne ardorem zeli eius suffocarent opes. Quòd si tali antidoto opus habuit Abram, ne miremur si Deus sæpe inflicta aliqua plaga,nostrã lasciuiam comprimat.Neque enim semper expectat dum lapsi fuerint fideles:sed illis in futurum prospicit.Sic Abræ serui sui nõ correxit auaritiam,vel superbiam:sed anticipato remedio effecit,ne quibus illecebris eius animum inficeret Satan.

7 *Et fuit contentio.* Quod iam attigi de diuitiis, de magno etiam famulitio sentiendum est. Videmus quàm ambitiose multi ingẽtem seruorum turbam, & quasi populum appetãt. Sed quũ tanti cõstiterit Abræ magna familia,discamus paucis famulis libenter contenti esse, vel etiam prorsus carere,si ita Domino visum fuerit.Fieri enim vix potest,quin magno strepitu misceatur domus in magno hominum numero. Et vsus comprobat verum esse prouerbium, Quòd turba ferè sit turbulenta.Iam si inæstimabile bonum est quies & tranquillitas:sciamus optimè nobis consuli, dum exiguam habemus domum, & famulis priuati extra tumultum degimus. Solicitè etiam cauendum esse monemur hoc exemplo, ne Satan obliquis artibus nos in certamen committat. Vbi enim mutua inter nos odia accendere non potest, alienis rixis nos inuoluit.Concordes erant inter se Lot & Abram: sed contentio inter pastores exorta,inuitos rapuit, vt cogantur alter ab altero discedere. Neque tamen dubium est quin suos fideliter instituerit Abram ad fouendam pacem: sed non tantum profecit suo studio, & conatu, quin illis tanquam flabellis, pessimum discordiæ ignem domi suæ accensum videat. Quare nihil mirum si sæpe in Ecclesiis exoriantur turbæ, vbi maior est hominum numerus. Habuit circiter trecentos seruos Abram: familiã Lot minimè fuisse parem verisimile est. quid igitur fiet inter quinque,vel sex millia, præsertim vbi inter se libera capita confligunt? Cæterum vt nos eiusmodi scandalis turbari non oportet, ita modis omnibus cauendum est ne contentiones efferuecant. Nisi enim maturè obuiam eatur, mox in pernicioſum dissidium erumpent. *Chananæus & Pherisæus.* Amplificandi mali causa hoc addidit Moses. Tantum enim contentionis ardorem fuisse admonet, vt ne præsentis quidem exitii metu restingui potuerit,vel sedari. Totidem cincti erant hostibus,quot habebant vicinos.Nihil ergo ad eos perdẽdos deerat,nisi occasio quam ipsi suis rixis præbebant. Sic homines dementat cæcus furor, vbi semel præualuit rixandi intemperies,vt mortẽ oculis subiectam securè cõtemnant.Cæterum etsi non semper obsidẽt nos Chananæi,versamur tamen inter hostes quandiu peregrinamur in mũdo. Quare siqua nostræ & fratrũ salutis cura tangimur,cauẽdæ sunt cõtentiones,quæ nos Satanæ iugulandos præbẽt.

8 *Et dixit Abram ad Lot.* Docet primùm Moses, vbi iurgium ortum esse videt Abram,agere officium boni patrisfamiliâs, quòd pacem cõponere studeat inter domesticos: deinde sua moderatione quærere tollendi mali remedium. Quanquam autem soli serui litigabant,nõ tamen frustrà dicit, Ne *nunc sit contentio inter me & te,* quia vix fieri potest quin à domesticis contagio rixæ

ad dominos perueniat, quanuis alioqui benè inter se consentiant: nec tandem posse integram manere amicitiam præuidet, nisi in tempore mederi studeat serpenti malo. Cæterùm vinculũ sanguinis commemorat: non quia hoc solùm valere debuerit ad fouẽdam inter eos pacem: sed vt magis flectat & molliat nepotis sui animum. nam vbi minus efficax est apud nos timor Dei quàm par esset, vtile est alia etiam adminicula colligere quæ nos in officio contineant. Iam verò quum hac lege adoptati simus omnes in Dei filios, vt alii aliis mutuò fratres simus, minoris est apud nos hæc sacra coniunctio quàm deceat, nisi ad sedandas contentiones sufficiat.

9 *Nunquid non omnis terra.* Hæc illa est quam dixi, moderatio: quòd Abram iurgii placandi causa iure suo sponte cedit. nam vt mater omnium certaminum est φιλονεικία, hoc est vincendi cupiditas, & ambitio: ita vbi quisque placidè, ac moderatè aliquid de proprio iure cedit, inuentum est optimum remedium omni amarulentiæ tollendæ. Poterat quidẽ honesto prætextu Abram ius suum quod remittit, pertinacius tueri: sed pacis redimendæ causa nihil detrectat: ideo optionem nepoti suo permittit.

10 Et *leuauit Lot oculos.* Sicuti nõ parua laude digna fuit Abræ æquitas, ita meritò culpãda est inconsideratio Lot, quam hîc describit Moses. Debuerat potius modestia certare cum patruo: atque ita naturæ ordo ferebat. verùm perinde acsi modis omnibus esset superior, priores sibi partes vsurpat: & regionẽ, quæ vberior videtur, ac magis amœna, sibi eligit. Ac profecto necesse est, quisquis cupidius intentus est in sua cõmoda, erga alios esse inhumanum. Nec dubiũ est quin hæc iniquitas pupugerit animum Abræ, sed tacitus deuorauit, nequam fortè nouæ offensioni occasionẽ daret. Atque omnino ita nobis agendũ est, quoties eos quibus cõiuncti sumus, videmus non satis officii esse memores: alioqui nullus erit turbarum finis. Quòd Paradiso Dei comparat planitiem Sodomæ vicinam: multi interpretes exponũt, quasi dixisset eximiam, ac in primis fertilem: quia Hebræi quicquid excellit, Diuinum appellãt. Ego tamen locum notari puto, vbi initio locatus fuit Adã. Neque enim generalis similitudo ponitur à Mose, sed dicit regionem illam fuisse irriguam: sicuti de primo hominis domicilio idem narrauit, quòd fluuius in quatuor partes diuisus illud irrigaret. idem etiã addit de parte AEgypti. Vnde clarius liquet, vna tantum in specie locum hunc cum aliis duobus conferri.

13 *Viri autem Sedom.* Putabat Lot se beatum esse, quòd tam opima contigisset habitatio: sed tandem discit electionem, ad quam temerè non minus quàm cupidè festinauerat, infœliciter sibi cessisse: quia negotium habet cum superbis peruersisque hospitibus, quorum mores ferre longè durius erat, quàm cum terræ sterilitate luctari. Ita dum sola prospectus amœnitate ducitur, dat pœnas stultæ suæ cupiditatis. Ac discamus hoc exemplo, non credendum esse oculis nostris, sed cauendas potius esse eorũ illecebras, ne incautos multis malis circumueniant: quẽadmodum Lot, quũ se putaret Paradisum incolere, vsque ad inferos propè demersus est. Sed videtur mirum, quũ extremis sceleribus dãnare velit Moses Sodomitas, cur eos dicat malos fuisse coram Domino: cur non potius, coram hominibus? nam quum ad Dei tribunal venitur, omne os obstrui oportet, ac totum mundum dãnationi esse obnoxium. quare videtur extenuandi causa sic loquutus Moses. Sed res aliter habet: intelligit enim non laborasse communibus vitiis, quæ passim grassantur inter homines, sed execrandis sceleribus fuisse deditos, quorum clamor ascẽderet vsque in cælum, vt postea videbimus, & vindictam à Deo exposceret. Quòd autem eos Dominus ad tempus tulit: neque id modò, sed fertilissimam regionem incolere passus est, qui tamen luce & vita plusquã indigni erant: hinc discamus, non esse cur sibi blandiantur impii, quum eos Dominus ad tempus tolerat: imò benignè, ac liberaliter eos tractãs, sua indulgentia certat cum eorum ingratitudine. Licet tamen ipsi in sua luxuria exultent, imò ferociant contra Deum, monentur filii Dei ne illorum fortunæ inuideant, sed paulisper expectent dum eos Dominus ab ebrietate excitans, ad horribile iudicium vocet. Ideo Ezechiel de Sodomitis loquens, causam exitii illis fuisse commemorat, quòd saturi pane & vino, ac deliciis referti, superbam crudelitatem in pauperes exercuerant. *Ezech. 16. f. 49*

14 Et *Dominus dixit ad Abram.* Nunc refert Moses postquam diuisus fuit Abram à suo nepote, placando eius animo adhibitum fuisse diuinitus solatium. Non dubium est quin acerbissimũ fuerit diuortii illius vulnus, quũ ablegare coactus est quẽ sua vita nõ minus charum habebat. Quũ ergo loquutũ esse Dominũ refert, notanda est temporis circunstantia: quasi diceret, allatã esse medicinã, quæ dolorem eius leniret. Atque ita docet optimum remedium mitigandæ, & curãdæ tristitiæ, in verbo Dei esse positũ. *Leua nunc oculos tuos.* Quũ semini Abræ Dominus terrã promittit, admirabile eius consiliũ in discessu Lot perspicimus. Terrã vni destinauerat: si cum eo Lot mansisset, permixti fuissent vtriusque liberi. Vitiosa quidem fuit dissidii causa: sed Dominus pro immensa sua sapientia in bonum finem cõuertit, nequã hæreditatis partem posteri Lot occupẽt. Hæc ratio est cur dicat, Quacũque terra patet, eam tibi, ac filiis tuis addico. Quare

nõ eſt cur tibi nimium triſtis, ac moleſta ſit iſta ſolitudo, & orbitas, cui præclara merces deinde conſtabit. Etſi enim idem iam Abræ promiſſum fuerat: Deus tamen ſuam promiſſionẽ nũc accõmodat ad præſentis triſtitiæ remedium. Atque ita tenendum eſt, non modò repetitã fuiſſe promiſſionem quæ Abræ fidem aleret ac ſtabiliret: ſed datum ſingulare oraculum vnde diſceret Abram ſemini ſuo fuiſſe cõſultum, dum Lot fuerat ab eo diuiſus. Lutheri ſpeculatio hîc, vt aliis locis, nihil habet ſolidi, quòd Deus per Prophetã quempiam loquutus ſit. Quum terra *in ſeculum* promittitur, non ſimpliciter notatur perpetuitas: ſed quæ finẽ accepit Chriſti aduentu. De ea voce עולם, inſcitè rixantur Iudæi: ſed quũ variè ſumatur in Scriptura, hoc loco (vt nuper attigi) totũ Legis tempus complectitur. ſicuti fœdus quod pepigit Dominus cũ veteri populo, pluribus locis vocatur æternum: quia officium Chriſti fuit mundum ſuo aduentu renouare. Atqui mutatio quam Chriſtus attulit, non abolitio fuit veterum promiſſionũ, ſed potius confirmatio. Quod ergo nunc Deus non populum vnum habet peculiarem in terra Chanaan, ſed vbique diffuſum per omnes mundi plagas, id non obſtat, quominus ritè promiſſa fuerit æterna terræ poſſeſſio ſemini Abræ vſque ad futuram renouationem.

16 *Et ponam ſemen tuum ſicut puluerem.* Ego omiſſis argutiis, in quibus alii de nihilo philoſophãtur, ſimpliciter pulueri ſemen Abræ conferri interpretor propter immenſam multitudinem. nec certè aliunde petendus eſt ſenſus, quàm ex verbis Moſis. Neceſſe autem fuit hoc adiungi, Deum illi ſemen ſuſcitaturum, quo adhuc carebat. Videmus autem vt Deus ſemper eum in verbo ſuo contineat, & ab ore ſuo pendere velit. Puluerem reſpicere iubetur Abram: ſed vbi oculos in domum ſuam conuertit, quid ſimile habet cum immenſo puluere orbitas? Hoc ergo iuris vendicat Dominus, & tribui vult verbo ſuo, vt ſolum nobis ſufficiat. Hoc etiam magis ridiculum videtur, quòd iubet Deus Abram peregrinari, donec luſtrauerit totam terram. Quorſum enim hoc facturus eſt, niſi vt clarius agnoſcat ſe inquilinum, & cõtinua inquietudine fruſtrà cõfectus, de ſtabili fixáque poſſeſſione deſperet? Quomodo enim ſibi perſuadeat, ſe eius terræ eſſe dominum, vbi vix aquam bibere licet, quanuis puteos magno ſudore effoderit? Verùm hæc ſunt fidei exercitia, vt in verbo cernat quæ procul abſunt, & ſenſus carnis latent. Eſt enim
Hebr. 11. 1 fides aſpectus rerum abſentium: & verbum habet inſtar ſpeculi, in quo abſcõditam Dei gratiã cernat. Nec hodie diſſimilis eſt piorum conditio. nam quum omnibus ſint odio, contemptui, & probris ſubiaceant, vagentur inſtabiles, pellantur etiam interdum huc & illuc, nuditate & inopia laborent: mundi tamen hæreditatem, quæ promiſſa eſt, apprehendere ipſos oportet. Ergo diſcamus ſic terram perambulare, vt omni quiete excluſis, vnicum ſuperſit refugium ad verbi ſpeculam.

18 *Et tetendit Abram tabernaculum.* Hîc Moſes narrat ſanctum virum noua Dei promiſſione erectum, terram magno animo peragraſſe, quaſi ſolo intuitu eam ſibi ſubiiceret. Itavidemus quãtum illi profuerit oraculũ: non quòd aliquid inſolitum audierit ex ore Dei: ſed quia aptã præſenti dolori medicinam, & tempeſtiuam habuit, vt collecto animo in cælum conſurgeret. Tandem ſanctum virum commemorat Moſes peracto circuitu reuerſum eſſe ad Quercetũ, aut vallem Mamre, vt illic habitaret. Sed rurſus pietatẽ eius cõmendat, quòd erecto altari, Deum inuocauerit. Porrò iam aliquoties expoſui quid hoc valeat. nã ferebat ipſe altare in corde ſuo: ſed quum prophanis altaribus plena eſſet terra, in quibus Chananæi, & aliæ gentes cultum Dei adulterabãt, profeſſus eſt Abram ſe verum Deum colere: neque id fortuitò, ſed quemadmodum ex verbo patefacta illi ratio erat. Inde colligimus altare, cuius fit mentio, non temerè eius manu erectum, ſed eodem Dei verbo conſecratum fuiſſe.

Cap. XIIII.

1 ET fuit, in diebus Amraphél Regis Sinhár, Arióch rex Elaſár, Chedor-lahómer rex Helám, & Thidál rex gentium,

2 Fecerunt bellum cum Bérah rege Sedóm, & Birſáh rege Hamoráh, Sináb rege Admáh, & Seméber rege Seboím, & rege Bélah, ipſa eſt Sóhar:

3 Omnes iſti coniuncti ſunt in valle Siddím: ipſa eſt *nallis* Maris ſalis.

4 Duodecim annos ſeruierant Chedor-lahómer, & decimo tertio anno defecerant.

5 Et decimoquarto anno venit Chedor-lahómer, & Reges qui erãt cum eo: & percuſſerunt Rephaím in Aſtheróth Carnáim, & Zuzím in Ham, & Emím in Sauéh Ciriatháim,

6 Et Horí in monte ſuo Sehír, vſque ad planitiẽ Pharán, quæ eſt iuxta deſertũ.

7 Reuersi sunt autẽ, & venerũt ad Hen-misphat, ipsa est Cádes: & percusserunt omnẽ agrum Amalecitæ, & etiam Emoræum habitantẽ in Hasesón-thamar.
8 Et egressus est Rex Sedóm, & Rex Hamoráh, & Rex Admáh, & Rex Seboím, & Rex Bélah, ipsa est Sóhar, & ordinauerunt cum eis prælium in valle Siddím
9 Cum Cedorlaómer rege Helám, & Thidhál rege gentium, & Amraphél rege Sinhár, & Arióch rege Elasár: quatuor Reges cum quinque.
10 Vallis autem Siddím plena erat puteis cæmẽti: & fugerunt Rex Sedóm & Hamoráh, proiecerúntque se illuc, & residui in montem fugerunt.
11 Et ceperunt omnem substantiam Sedóm & Hamoráh, omnémque escam eorum, & abierunt.
12 Cœperunt quoque Lot, & substantiam eius, filium fratris Abrám, & abierunt: & ipse habitabat in Sedóm.
13 Et venit quidam qui euaserat, & nuntiauit Abrám Ebræo, & ipse habitabat in Quercubus Mamré Emorí fratris Eschól, fratris Hanér: & ipsi erant fœderati cum Abrám.
14 Audiens autem Abrám quòd captiuus ductus esset frater suus, armauit à se institutos pueros domus suæ, octodecim & trecentos, & persequutus est vsque ad Dan.
15 Et diuisit se super eos nocte, ipse & serui eius, & percussit eos, persequutúsque est eos vsque ad Houáh, quæ est à læua Dammésec.
16 Et reduxit omnem substantiam, & etiam Lot fratrem suum, & substantiam eius reduxit, atque etiam mulieres & populum.
17 Et egressus est Rex Sedóm in occursum eius, postquam reuersus est ipse à cædendo Cedorlaómer, & Reges qui erant secum, ad vallem Sauéh: ipsa est Vallis regis.
18 Et Mélchi-sédec Rex Salém protulit panem & vinũ: & ipse *erat* sacerdos Deo altissimo,
19 Et benedixit ei, & dixit, Benedictus Abrã Deo excelso possessori cæli & terræ.
20 Et benedictus Deus excelsus, qui tradidit hostes tuos in manũ tuã. & dedit ei decimam de omnibus.
21 Et dixit Rex Sedóm ad Abrám, Da mihi animas, & substantiam tolle tibi.
22 Et dixit Abrám ad Regem Sedóm, Leuaui manũ meam ad Dominum Deũ excelsum, possessorem cæli & terræ,
23 Si à filo vsque ad corrigiam calceamenti, & si accepero ex omnibus quæ sunt tibi: ne dicas, Ego ditaui Abrám.
24 Præter ea tantum quæ comederunt pueri, & partem virorũ qui profecti sunt mecum, Anér, Eschól, & Mamré, ipsi accipient partem suam.

1 *Et fuit in diebus illis.* Historia quæ hoc capite refertur, tribus maximè de causis memoratu digna est, nempe quòd Lot Sodomitas leni castigatione hortatus sit ad pœnitentiam: nisi prorsus fuissent indociles, ac deploratæ in sua malitia peruicaciæ: Lot autẽ iisdem flagellis percussus fuerit, qui illectus & inescatus terræ pinguedine, sese impiis & sceleratis permiscuerat. Deinde quòd Deus eius misertus, Abram vindicem, & liberatorem illi excitauit, qui captiuum è manu hostium eriperet. vbi incredibilis Dei bonitas, & erga suos beneuolẽtia conspicuè relucet: quando in vnius hominis gratiam multos pluſquam indignos ad tempus seruat. Tertiò, quòd Abram diuinitus ornatus fuit insigni victoria, & ore Melchisedec benedictus, in cuius persona regnum & sacerdotium Christi adumbratum esse, ex aliis Scripturæ locis patet. Quòd ad summam historiæ pertinet, horribile speculum fuit humanæ tum auaritiæ, tum superbiæ. Habebat adhuc genus humanũ tres suos patres, Sem, Cham, & Iapheth: quorum aspectu admonebãtur omnes sibi ex vna domo & arca esse originem. Porrò originis memoria, fraternæ coniunctionis sacrũ erat pignus, vt mu-

tuis officiis alii alios iuuarẽt. Prævalet tamẽ ambitio, vt ferro, & armis vltrò citróque grassentur, ac quisque conetur alios subigere. Quare dum hodie videmus sine modo tumultuari principes, & terram cõcutere pro sua potentia, meminerimus vetus esse malum: quũ seculis omnibus dominãdi libido nimiũ regnauerit inter homines. Simul tamen notemus, nullũ esse deterius vitiũ animi altitudine, quã multi heroicũ affectum esse putant. Ambitio Cedorlaomer fax totius belli fuit. nã ipse incensus dominandi cupidine, tres alios attraxit in belli societatẽ: Sodomitas verò, & eorum socios superbia ad arma sumenda cõpulit, vt iugũ excuterent. Cæterùm quòd tot reges cõmemorat Moses, Sem adhuc superstite (quanquam à prophanis hominibus tanquã fabulosum ridetur) nihil habet absurdi, si modo reputamus tantã humani generis propagationẽ singulare fuisse Dei miraculũ. Nã quũ Dominus ipsi Noah, eiúsque filiis diceret, Crescite, & multiplicamini: ad spem instaurationis eos erigere voluit, quæ vsitato naturæ ordine lõgè esset excellẽtior. Perpetua quidẽ est illa benedictio, quæ vigebit vsque ad mũdi finẽ: sed vim eius extraordinariã tunc extare oportuit, vnde palàm agnoscerent primi illi patres nouum mũdum in arca diuinitus fuisse inclusum. A Poetis Deucalion fingitur cum vxore sua iactis post tergum lapidibus serere post diluuium homines. Sed talibus nugis deludi necesse est miseras animas, vbi à pura Dei veritate discesserint. & hoc artificio abusus est Satan ad fidem abrogandam Dei miraculis. Quia enim tam cito aboleri non poterat diluuii memoria, & insolita noui mũdi propagatio: nebulas, fumúmque iectis puerilibus figmentis sparsit, vt pro fabula haberetur quod prius certò constabat. Notandum tamen est, Reges vocari à Mose, quicunque in oppido aliquo, & mediocri hominum cœtu primatum tenébant. Quæritur an Reges isti, qui Cedorlaomer sequuti sunt, procul habitauerint: quia vocatur Thideal Rex gentium. Sunt qui longè latéque diuersis gentibus imperasse fingunt: quasi rex regum fuerit. Vetus etiam interpres Arioch ex Ponto accersit: quod valde absurdum est. Potius existimo hanc fuisse nominis rationem, quòd manum haberet collectitiam ex profugis & erronibus, qui se relicta patria ad eum contulerant. Ergo quia vnum, & natiuum nõ erat populi corpus, sed conflatum ex promiscua turba, regnum gentium aptè vocatum est. Quòd prælium dicit commissum in valle Sidim, vel campestri, quæ tunc erat Mare salis: non dubium est quin Mare mortuum, vel Asphaltites notet. Sciebat quibus destinatus esset magister, ideò verba ad rudem populi captum semper attemperat: & hoc ferè solenne habet in locorum nominibus, quemadmodum prius attigi. Tamen ante prælium commissum commemorat Moses cæsos passim fuisse regionis incolas. Verisimile est omnes fuisse dissipatos: quia nullum habebant ducem, cuius auspiciis bellarẽt, donec quinque Reges obuiam progressi sunt instructo exercitu. Etsi autẽ Cedorlaomer tyrannide magis, quàm iusto imperio tot sibi populos tributarios fecerat, atque ita improbanda est eius ambitio: iustè tamen plectuntur subiecti, quia temerè rebellauerant. Nam etsi minimè spernenda est libertas: subiectio tamen quæ semel nobis imposita est, sine obliqua aduersus Deum cõtumacia excuti nõ potest: quia Omnis potestas diuinitus est ordinata: etiamsi initio à libidine dominandi manauerit. Ergo alii ex rebellibus instar pecudum mactãtur: alii etiá si arma induerint, & parati sint ad resistendum, pelluntur tamen in fugã: ita infœliciter omnibus cedit contumax negatio tributi. Et notandæ sunt tales historiæ, vt inde discamus aduersõ Deo pugnare, quicunque anarchiam quærunt. *Fugerunt Rex Sodomæ &c.* Quidam exponũt cecidisse in puteos: quod verisimile non est: quum minimè locorum ignari essent: id potius externis hostibus accidisset. Alii dicũt seruandæ vitæ causa illuc delapsos esse. Ego autem, vt in vltima desperatione fieri solet, mortem vnam alia morte mutasse intelligo. acsi diceret Moses, tam formidabiles illis fuisse hostiũ gladios, vt non dubitarent se præcipites iácere in foueas. Subiicit enim continuò post, qui salui euaserãt, fugisse in montes. Vnde perisse colligimus qui in foueas corruerant. Tantùm sciamus non tam locorum ignorantia deceptos, quàm pauore exanimatos cecidisse.

Rom.1.32

12 *Ceperunt quoque Lot.* Dubium est, domine subtiterit Lot, quum egressi sunt alii ad pugnam, & illic deprehensus fuerit ab hostibus: an verò arma cum reliquo populo induere coactus fuerit. Quia autem eius non meminit Moses, nisi quum ad vrbis direptionem vẽtum est, probabilis est coniectura, confecto prælio domi captum esse inermem. Primùm autem hîc cernimus, communes esse bonis & malis ærumnas. Deinde quo propius cõiuncti sumus sceleratis & impiis, quum in ipsos Deus vindictam suam exerit, citius ad nos peruenire flagella.

13 *Venit quidam qui euaserat.* Hæc est secũda pars capitis, vbi exponit Moses, quũ Deus seruum suũ Lot respiceret, Abrã illi dedisse liberatorẽ, qui eum è manibus hostiũ eriperet. Sed hîc oriũtur variæ quæstiones, An Abræ homini priuato licuerit armare familiã cõtra Reges, & publicũ bellũ suscipere. Ego verò non dubito, sicuti Spiritus virtute instructus in bellũ descendit, sic cælesti mãdato fuisse munitum, ne vocationis suæ metas transiliret. Neque hoc nouũ videri debet, quũ special is esset eius vocatio. creatus iam erat rex illius terræ. Quãquã possessio in aliud tẽpus differebatur, Deus tamẽ singulare aliquod specimẽ eius potestatis dare voluit, quæ adhuc hominibus ignota erat. quale præludium legimus in Mose, dum AEgyptium occidit, priusquã se vindicẽ ac

liberatorem ſuæ gentis palàm profiteretur. Atque hoc ideo notandum eſt, ne ex hoc facto regu-
lam ſibi conſtituant qui ſe & ſuos cuperent manu armata defendere, quoties aliqua vis illata eſt.
Poſtea videbimus eundē Abram patienter, & molli animo tuliſſe iniurias, quæ non minus eius
animum exacerbare poterant. Porrò quod nihil temerè aggreſſus ſit Abrā, quin potius Deo pro-
batum fuit eius conſilium: paulò pòſt liquebit ex elogio Melchiſedec. Ideo ſtatuamus ſingula-
ri Spiritus directione ſuſceptū fuiſſe ab eo hoc bellum. Si quis excipiat, vlterius tamen progreſ-
ſum eſſe, quàm fas eſſet, quum victores præda & captiuis ſpoliauit, ac Sodomitas reſtituit in inte-
grum, qui eius tutelæ minimè cōmiſſi erant: Reſpondeo, vbi conſtat Deum illi ducē, & authorem
fuiſſe, quod ex approbatione colligitur, nō eſſe cur diſputemus de arcano illius iudicio. Sodomi-
tas perditis, ac deletis eorum vicinis, quia omnium deterrimi erant, ad iudicium atrocius deſtina
uerat. Excitat igitur ſeruū ſuum Abram, qui caſtigatione ſatis dura admonitos liberet, quo magis
inexcuſabiles reddantur. Itaque non magis in exēplum trahi debet hic peculiaris Spiritus ſancti
inſtinctus, quàm totum bellum quod geſſit. Quòd ad nuntiū pertinet, qui Abræ renuntiauit So-
domæ cladem: non recipio quod quidam fingunt, pium fuiſſe hominem. Cōiicere potius licet ho
minē domo profugum, & nudatum omnibus bonis, veniſſe ad Abram, vt aliquid humanitatis e-
liceret. Abram vocari Ebræum, interpretor non tranſfluuiatilem, vt quorundam fert opinio: ſed
quia progenitus erat ex Eber. Eſt enim gentilitiū nomen. Et Spiritus ſanctus benedictum illud à
Deo genus honorificè rurſus hîc prædicat. *Erant fœderati cum Abram.* Apparet Abrā temporis
ſucceſſu fuiſſe liberalius exceptum, vt fœdus & amicitiam haberet cum terræ principibus. fece-
runt enim heroicæ hominis virtutes, vt minimè ſpernendum ducerent. Imò quum tantam fa-
miliā haberet, potuit ipſe quoque inter reges habere locum, niſi fuiſſet extraneus, & hoſpes. Sed
Deus ita eius paci conſulere voluit per temporale fœdus, vt nunquam illis populis permixtus
fuerit. Porrò diuinitus totum hoc negotium fuiſſe gubernatum, vel inde coniicere promptum
eſt, quòd ſocii eius quatuor Reges, vt tunc erat temporum cōditio, ſatis validos, & victoriæ fiducia
inflatos, aggredi cum magno periculo non dubitarunt. Certè vix vnquam in gratiam aduenæ
conſque progreſſi eſſent, niſi arcano Dei impulſu.

14 *Quòd captiuus ductus eſſet frater.* Cauſam ſuſcepti belli breuiter exprimit Moſes, vt Abrā
è ſeruitute cognatū ſuum eriperet. Interim memoria tenendū eſt quod prius dixi, non temerè ar-
repta ab illo fuiſſe arma, ſed ſumpta ex manu Dei, qui eum terræ dominū conſtituerat. Quantū
ad verba attinet, neſcio cur verterit vetus interpres, Numerauit Abrā expeditos ſuos vernaculos.
Nam verbum ריק, euaginare, vel educere ſignificat. Vocat autem Moſes ſeruos iſtos חניכים, non
qui ad rem militarem edocti, formatíque eſſent, vt ſentiunt plerique: ſed potius meo iudicio, qui
educati fuerant ſub eius manu, & eius diſciplina à pueris imbuti, vt animoſius ſub fide, & auſpi-
ciis eius bellarent, & quidvis diſcriminis ſubire parati eſſent eius cauſa. In tanta verò familiæ co
pia præter induſtriam ſancti viri, Dei benedictio nobis conſideranda eſt qua præter vulgarem
& ſolitum morem auctus fuerat.

15 *Et diuiſit ſe.* Quidam exponunt quòd Abram ſolus cum domeſticis copiis in hoſtes ir
ruerit. Alii, quòd ipſe, & tres fœderati partiti fuerint ſuas turmas, vt hoſtibus incuterent plus
terroris. Alii Hebraicā eſſe phraſim putant, pro irrumpere in medios hoſtes. Ego ſecundā expo-
ſitionem magis amplector, quòd ex diuerſis partibus hoſtes inuadens, ſubitò illos perculerit. Nā
huc quoque valebat temporis circunſtantia, quòd noctu illos aggreſſus eſt. Quanquā autem eiuſ-
modi audaciæ exempla in prophanis hiſtoriis occurrunt: fidei tamē Abræ aſcribi debet, quòd exi
gua manu numeroſum exercitū, & victoria ſuperbū inuadere auſus eſt. Quòd autē paruo negotio
victor euaſit, ac intrepidè perſecutus ſit qui lōgè numero plures erāt, Dei gratiæ acceptū feremus.

17 *Et egreſſus eſt rex Sodomæ.* Quanquam ſciebat rex Sodomæ Abram nonniſi in nepotis ſui gra
tiam ſumpſiſſe arma, honoris tamen cauſa obuiam illi prodit, vt ſe gratum præbeat. Nam hu-
manitatis officium eſt, etiam quæ non ex profeſſo, ſed ex re nata, & occaſione, vel per accidens (vt
loquuntur) nobis collata ſunt beneficia, agnoſcere. Porrò hoc totum ceſſit in maiorem Dei glo
riam, quòd ita celebrata fuit Abræ victoria. Locum etiam deſignat vbi Abræ rex Sodomæ oc-
currit, nempe Vallem Regis: quam ſic vocatam fuiſſe potius exiſtimo à Rege aliquo, quàm quòd
animi cauſa reges illuc conuenirent.

18 *Et Melchiſedec rex Salem protulit.* Hoc tertiū eſt ex tribus præcipuis huius hiſtoriæ capiti-
bus, quòd Melchiſedec ſummum Eccleſiæ patrem Abram conuiuio exceptum benedixit ſacer-
dotii iure, & decimas ab eo recepit. Non dubium eſt quin huius quoque Regis occurſu Deus
celebrem, & ad poſteros memorabilem Abræ victoriam reddiderit. Sed altius & excellentius
myſterium ſimul adumbratum fuit. nam quum ſanctus Patriarcha quem in ſummum hono-
ris gradum extulerat Deus, ſe ſubmiſit ipſi Melchiſedec, non dubium eſt quin illum conſti-
tuerit vnicum totius Eccleſiæ caput. nam ſine controuerſia ſolennis benedictio quam ſibi vi-

ſurpat Melchiſedec, præcipuæ dignitatis ſymbolũ eſt. Siquis excipiat, fuiſſe ſacerdotẽ: annõ ſacerdos erat Abrãi: Ergo hîc nobis aliquid ſingulare commẽdat Deus in Melchiſedec, dum fideliũ omniũ patri eum præfert. Verùm ſingula verba ordine expendere ſatius erit, vt melius rei ſummam deinde colligamus. Quòd Abram excepit hoſpitio ac eius comites, regium fuit: benedictio autem propriè ad munus ſacerdotis ſpectat. Ideò ſic cõtexi debent Moſis verba, Melchiſedec rex Salem protulit panem & vinum: & quum eſſet ſacerdos Dei, benedixit Abræ. ſic diſtinctè quod ſuum eſt, vtrique perſonæ tribuitur. Laſſum & famelicum exercitũ regia liberalitate refecit: quia verò ſacerdos erat, ſolenni precationis ritu primogenitum Dei filium, & Eccleſiæ patrem benedixit. Porrò etſi hunc vetuſtiſſimum fuiſſe morem nõ nego, vt qui Reges erant, ſacerdotio ſimul fungerentur: hoc tamen in Melchiſedec fuiſſe extraordinariũ apparet illo ſeculo. Nec verò vulgari elogio ornatur, dũ Spiritus ratum habet eius ſacerdotium. Scimus quàm tũc corrupta vbiq; fuerit religio, quũ Abrã ipſe, qui ex ſacro genere Sem & Eber oriundus erat, in profundo ſuperſtitionũ gurgite cũ patre ſuo & auo demerſus fuerit. Ideò multi fuiſſe Sem diuinant: quibus ne ſubſcribam, multis cauſis impedior. neque enim Dominus virum æterna memoria dignum nouo tantùm & obſcuro nomine indicaſſet, vt maneret ignotus. Deinde probabile non eſt ex Oriente migraſſe in Iudæã, & ex Moſe nihil tale colligitur. Tertiò ſi habitaſſet Sem in terra Chanaan, nõ ita flexuoſis ambagibus vagatus eſſet Abram, vt antehac retulit Moſes, donec ſuum atauum ſalutaſſet. Plurimùm verò ponderis habet quod admonet Apoſtolus, hũc Melchiſedec, quiſquis fuerit, nobis ſine vlla origine, quaſi è nubibus delapſus eſſet, in mediũ proferri, & ſine mẽtione vlla mortis ſepeliri eius nomen. In homine autem ignoto clarius refulget mirifica Dei gratia, quòd inter mundi corruptelas, ſolus in terra illa integer ac ſincerus fuerit pietatis cultor & cuſtos. Omitto deliria quæ Hieronymus ad Euagrium coaceruat: ne lectoribus ſine fructu moleſtus ſim, adeóque putidus. Salẽ pro Hieroſolyma accipi libenter credo, atque hæc opinio magis recepta eſt. Quanquam ſiquis malit contrariam ſententiam amplecti, quòd oppidum fuerit in planitie ſitũ, non repugno. Hieronymus hac in parte varius eſt: quod tamen alicubi narrat, ætate ſua quædam adhuc veſtigia palatii Melchiſedec ſuperfuiſſe ex veteribus ruinis, mihi non fit veriſimile. Nunc videndum ſupereſt quomodo inſculptam habuerit Melchiſedec figuram Chriſti, & fuerit quaſi ἀπ' ἀντυπος. verba ſunt Dauidis Pſalmo 110. a. 4, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec. Prius eum in ſede regia locauerat, cui nũc vẽdicat ſacerdotii honorem. Conſtat autem ſub Lege ſic diſtincta fuiſſe duo hæc officia, vt Regibus nefas eſſet ſacerdotium arripere. Vt demus verũ fuiſſe quod narrat Plato, & paſſim occurrit apud Poetas, receptum olim fuiſſe communi Gentiũ vſu, vt Rex idem eſſet ac ſacerdos: in Dauidem & eius poſteros nullo modo quadrabat, quos Lex vetabat alterum munus prorſus attingere. Ergo quod veteri Lege diuinitus conſtitutum fuerat, in huius ſacerdotis perſona abrogari oportuit. Nec abs re Apoſtolus ſacerdotium vetuſto illo & vmbratili præſtantius notari cõtendit, quod iureiurando ſancitur. Porrò donec ad Chriſtum ventum fuerit, non reperietur iſte rex ac ſacerdos, qui inter omnes emineat. Quemadmodũ autem nemo extitit præter Chriſtum, qui Mechiſedec dignitate æquaret, nedũ præcelleret: ita hinc colligimus, in illius perſona oblatam fuiſſe patribus, Chriſti effigiem. Nec ſanè Dauid ſimilitudinem à ſe cõfictam profert: ſed quare diuinitus ordinatum fuerit Chriſti regnum, & quidem iureiurando interpoſito, teſtatur. nec dubium eſt quin idem per manus iam olim à patribus traditum foret. Summa eſt, Chriſtum ita fore ſecundum à Deo regem, vt etiam in ſacerdotem vngatur, & quidem perpetuum: quod nobis cognitu pluſquam vtile eſt, vt diſcamus regiam Chriſti potentiam coniungere cũ ſacerdotis officio. Idem ergo qui vnicus & æternus conſtitutus eſt ſacerdos, vt nos Deo reconciliaret, ac peracta expiatione intercederet pro nobis, Rex etiam immenſa virtute pollet ad tuendam ſalutem noſtrã, nóſque ſuo præſidio tuendos. Ita fit, vt eius patrocinio freti, intrepide nos ſiſtamus coram Dei facie, quem ſcimus fore nobis propitium, & inuicto eius brachio confiſi, ſecurè gloriemur contra omne hoſtium genus. Qui verò alterum munus ſeparant ab altero, Chriſtum lacerantes, fidem dimidia ſua fultura priuatã labefactant. Notãdum etiam quòd rex æternus vocatur Chriſtus inſtar Melchiſedec. Nam quum eius vitæ nullum aſſignet finem Scriptura, quaſi ſuperſtitẽ omnibus ſeculis relinquit: certè non tẽporalis, ſed æterni regni figuram nobis pingit, vel adumbrat in eius perſona. Quum verò Chriſtus morte ſua munus ſacerdotis peregerit, ſequitur vno illo ſacrificio ſemel placatum eſſe Deum, vt nõ aliunde iam petenda ſit reconciliatio. Quare atrocem illi iniuriam faciunt, ac honorem diuinitus illi iureiurando datũ nefando ſacrilegio eripiunt quicunque vel alia erigunt ſacrificia expiandis peccatis, vel alios ſacerdotes fabricant. Atque vtinam id prudenter expenſum fuiſſet à vetuſtis Eccleſiæ ſcriptoribus. Neque enim tam frigidè, imò tam inſcitè tranſtuliſſent ad panem & vinum ſimilitudinem Chriſti & Melchiſedec, quæ lõgè in aliis rebus conſiſtit. Putarunt imaginem eſſe Chriſti Melchiſedec: quia panem & vinum

Heb. 7. a. 3

obtulit. Addũt enim Christũ corpus suũ, qui panis est viuificus, & sanguinẽ, qui spiritualis est potus, obtulisse. Atqui Apostolus dum in epistola ad Hebræos exactissimè colligit, & sigillatim exequitur quidquid simile cum Christo habuit Melchidesec, de pane & vino verbũ non facit. Si vera esset Tertulliani, & similiũ argutia, nimiæ negligẽtiæ fuisset singulas partes, quæ leuis momẽti erãt excutiendo, præcipuũ caput ne vna quidẽ syllaba dignari. De sacerdotio autẽ quum tam prolixè & accuratè disputet Apostolus, quàm crassa esset ista obliuio, insigne sacrificium, in quo tota vis sacerdotii inclusa erat, non attingere? Ex benedictione, & decimis honorẽ eius probat: quanto illud ad rem aptius quadrabat, non agnos, aut vitulos, sed mundi vitam, hoc est Christi corpus, & sanguinẽ in figura obtulisse? His rationibus abundè refellitur veterum commentum. Quãquam ex verbis Mosis satis luculẽta refutatio sumi potest. Neque enim illic legitur quidquã fuisse oblatum Deo, sed vno cõtextu sic habetur, Obtulit panem & vinũ: & quũ esset sacerdos Dei altissimi, benedixit illi. Quis non videt vtrique verbo cõmune esse relatiuum: ideóque tam pane & vino refectũ esse Abram, quàm benedictione ornatum? Bis verò ridiculi Papistæ, qui oblationẽ panis & vini ad Missale suum sacrificium detorquẽt. Nam vt Melchisedec sibi conformẽ habeant, fateri necesse erit panẽ & vinũ in Missa offerri. Vbi igitur transubstantiatio, quæ præter nudas species nihil relinquit? Deinde qua audacia Christi corpus suis sacrificis immolãdum tradunt? quo prætextu, quũ vnicus vocetur successor Melchisedec Filius Dei, innumeros illi subrogãt? Videmus ergo quàm insulsè non modò deprauent hunc locum, sed absque vllo colore balbutiant. Hebr. 7. a. 1

19 *Et benedixit ei.* Nisi inter se cohæreant hæc duo membra, Sacerdos erat Dei, & benedixit, nihil hîc nisi vulgare referet Moses. Mutuo enim sibi benedicunt homines: hoc est, benè precantur alii aliis. Sed hîc nobis describitur Dei Sacerdos, qui pro iure officii minorẽ & sibi subiectum sanctificat. Neque enim vnquam fuisset ausus benedicere Abram, nisi se hac in parte excellere præ ipso nouisset. In hunc modum iubentur Leuitici sacerdotes populũ benedicere: atque id efficax ratúmque fore Deus promittit. Sic Christus in cælũ ascendens, sublatis manibus Apostolos benedixit, tanquã gratiæ Dei minister: ac tunc exhibita fuit huius figuræ veritas. Sibi enim testatus est iniunctum fuisse benedicendæ Ecclesiæ à Patre munus, quod in Melchisedec adumbratum fuerat. *Benedictus Abram Deo ex.* Huc tendit Melchisedec, vt confirmet, ratámque faciat Diuinæ vocationis gratiã sancto Abræ. Honorẽ enim designat, quo Deus ipsum peculiariter ornauerat, à reliquis omnibus segregans, & sibi adoptãs in filiũ. Et Deum, à quo electus fuit Abrã, possessorẽ vocat cæli & terræ: vt discernat à fictitiis Gentiũ idolis. Postea quidem aliis titulis se restituit Deus, vt propiore nota se familiarẽ redderet hominibus, qui pro sui ingenii vanitate, quum Deũ audiũt cæli & terræ opificẽ, vagari nõ desinunt, donec in suis figmentis euanescãt. Sed quia iam Abræ innotuerat Deus, multísque oraculis formata erat eius fides, satis habet Melchisedec creationis elogio testari verum esse, & vnicũ Deum quem colit Abram. Quanquam autem ipse quoque habebat sincerũ veri Dei cultum: Abram tamen benedictum Dei vocat, æterni fœderis respectu: acsi diceret, quasi hæreditario iure residere Dei gratiam in vna familia & gente, quia vnus Abram ex toto mundo selectus esset. Additur deinde specialis victoriæ gratulatio, non qualis inter prophanos homines volitare solet, dum alii alios vẽtosis encomiis efferunt: sed Melchisedec gratias agit Deo: & victoriam quam adeptus est sanctus vir, quasi sigillum facit gratuitæ eius vocationis. Numer. 6. d. 23 Luc. 24. g. 51

20 *Dedit ei decimas.* Sunt qui intelligãt datas fuisse decimas Abræ: sed aliter Apostolus, qui docet in lumbis Abræ decimatum fuisse Leui, quum Abram præstãtiori sacerdoti decimas obtulit. Et sanè absurdum esset quod illi priores volunt: quia si Dei sacerdos fuit Melchisedec, recipere decimas oportuit potius, quàm dare. Nec verò dubium est quin Deo in persona Melchisedec munus obtulerit Abram, vt in talibus primitiis sua omnia dicaret. Seipsum ergo sponte decimauit Abram in gratiam Melchisedec: vt honorem haberet eius sacerdotio. Porrò quum id non perperam, nec temerè actum fuisse constet, meritò colligit Apostolus, in hac figura sacerdotio Christi Leuiticum fuisse subiectũ. Aliis postea de causis decimas Leuitis dari iussit Deus sub Lege: Abræ autem seculo tantùm sacra oblatio fuit, gratitudinis pignus ac testimonium. Incertum tamen est, spoliorúmne decimas, an bonorum, quæ domi possidebat, obtulerit. Sed quia verisimile non est, liberalem fuisse de alieno, & prædæ decimam partem largitum esse, ex qua nefilum quidem attingere voluit: potius coniicio sumptas fuisse has decimas ex propriis eius facultatibus. Quanquã non admitto quotannis fuisse solutas, vt quibusdam placet: potius meo iudicio, semel illi dicauit hoc munus, vt summum Dei sacerdotem agnosceret: nec tunc potuit de manu (quod aiunt) in manum tradere: sed soleunis fuit nuncupatio, cuius paulo pòst sequutus est effectus. Hebr. 7. b. 8

21 *Dixit rex Sodomæ.* Quia Moses interposita obiter mentione Regis Salem, cõtextum sermonis sui de rege Sodomæ abruperat, illuc nunc redit: ac docet non tantùm gratulandi causa

regem Sodomæ veniſſe Abræ obuiam,ſed vt debito præmio ipſum afficeret. Totam ergo prædam illi remittit, exceptis hominibus: acſi diceret, Magnum eſt quòd homines recupero : tibi reliqua omnia cedant in beneficii præmium. Atque hoc quidem laude dignum eſt,quòd ſe gratum homini præbet:modo ne ingratus eſſet Deo,cuius nec ſeueritate,nec clementia redditus eſt melior. Fieri etiam poteſt, vt ſeruili modeſtiæ ſimulatione homo inops, & bonis omnibus nudatus,captauerit Abræ fauorem, vt ſaltem captiuos, & vacuam vrbem ſibi haberet. Certè poſtea videbimus Sodomitas accepti beneficii fuiſſe immemores,dum ſuperbè & cõtumelioſè ſanctum Lot vexarunt. Vetus hæc cæremonia ad vim & naturam iuriſiurandi exprimendam valde appoſita fuit. Manu enim ad cælum ſublata,oſtendimus nos Deum aduocare teſtem:& ſimul vltorem,ſi fallimus. Leuabant quidem olim manus in ſuffragiis, vnde Græcis verbum χειροτονεῖν, pro decernere:ſed in iurandi ritu alia fuit ratio. Teſtati enim ſunt ſe ad Dei præſentiam confugere,& quaſi accerſere tam præſidem veritatis,quàm periurii vindicem. Mirum tamen videri poteſt, cur tam facile ad iurandum proſiliat Abram. ſciebat enim hoc reuerentiæ habendum eſſe Dei nomini, vt eo parce, & tantùm pro neceſſitate vtamur. Reſpondeo,duas illi fuiſſe iurandi cauſas. nam quia ſolent flexuoſi homines alios metiri ſua vlna, raro fidem habent ſimplicibus verbis. Putaſſet igitur rex Sodomæ Abram nõ ſeriò ius ſuum remittere,niſi interpoſitum fuiſſet Dei nomen. Deinde magni interfuit vulgò omnibus patere,bellum mercenarium ab eo non fuiſſe geſtum. Satis declarant temporum omnium hiſtoriæ, etiam qui iuſtas habuerunt bellandi cauſas,fuiſſe tamen incitatos priuatis commodis. Atque vt acuti ſunt homines ad excogitandos prætextus, nunquam illis deſunt cauſæ, quanuis ſola eos cupiditas ſtimulet. Ergo niſi animoſe repudiaſſet Abram belli ſpolia, vulgatus ſtatim fuiſſet rumor, ſpecie recuperandi nepotis, prædæ aucupio fuiſſe intentum. Quod illi non tam ſua cauſa ſolicite cauendum fuit,quàm gloriæ Dei ſtudio,cui aliquid ſiniſtræ notæ aſperſum fuiſſet. Præterea munire ſe voluit Abram Dei nomine tanquam clypeo contra omnes auaritiæ illecebras. Variis enim modis tentare eius animum non deſiiſſet Rex Sodomæ,niſi maturè blandis captationibus præciſa fuiſſet anſa.

13 *Si à filo uſque ad corrigiam.* Eclipticam iurandi formam habent Hebræi,in qua ſubaudienda eſt pœnæ imprecatio. Alicubi plena expreſſio occurrit in Scripturis,Hoc faciat mihi Dominus,& hoc addat. Quia tamen horrendum eſt incidere in manum Dei viuentis,quo maior in iuramentis colatur religio,abrupta iſta loquutio homines admonet vt ſecum reputent quid agãt, perinde enim eſt acſi manum ſibi iniicerent, ac reſiſterẽt in medio ſermonis curſu. Hoc quidem fixum manet,nunquam temerè iurare homines quin Dei vindictam prouocent in ſuum caput, eúmque ſibi aduerſarium conſtituant. *Ne forte dicas.* Quanquam præ ſe ferunt hæc verba elatum animum, & famæ nimis deditum:quia tamen laudatur hac in parte Abram à Spiritu, ſancta hæc fuit animi magnitudo. Verũ exceptio additur, quòd nolit ſuam liberalitatẽ ſociis damnoſam eſſe,nec eos ſubiicere ſuis legibus. Nam & iſta eſt non minima pars virtutis,ſic rectè agere, vt alios non cogas ad tuum exemplum, quaſi ad regulam. Spectet igitur quiſque quid ferat ſua vocatio, quid officio conueniat,ne alii aliis ſuo arbitrio præiudicent. Nimis enim imperioſa eſt iſta moroſitas, quum aliis inſtar legis præſcriptum eſſe volumus quod ſequimur ipſi tanquam rectum,& officio noſtro conſentaneum.

1. Sam. 14. f. 444.

Cap. XV.

1 POſt hæc fuit verbum Domini ad Abrám in viſione,dicendo,Ne timeas Abrám,ego ſcutum *ero* tibi,merces tua multa valde.

2 Et dixit Abrám,Domine Deus,quid dabis mihi? & ego incedo orbus,& filius derelictionis domus meæ erit iſte Damméſec Elihézer.

3 Et dixit Abrám,Ecce mihi non dediſti ſemen, & ecce filius domus meæ hæres meus eſt.

4 Et ecce verbum Domini ad eum,dicẽdo, Non erit hæres tuus iſte, ſed qui egredietur de viſceribus tuis,ipſe hæres tuus erit.

5 Et eduxit eum foras,& dixit,Suſpice nũc cælum,& numera ſtellas,ſi poteris numerare eas. Et dixit ei,Sic erit ſemen tuum.

6 Et credidit Domino, & reputauit illud ei ad iuſtitiam.

7 Et dixit ad eum,Ego Dominus,qui eduxi te de Vr Chaſdím, vt darẽ tibi terram iſtam,vt hæredites eam.

8 Et dixit,Domine Deus in quo cognoſcam quòd hæreditabo eam?

9 Et dixit ad eum,Tolle mihi vitulam triennem,& caprã triennem,& arietem

triennem,& turturem:& pullum columbarum.
10 Et tulit ſibi omnia iſta,& diuiſit ea per medium,& poſuit quamlibet *partem* diuiſionis ſuæ eregione ſociæ ſuæ,ſed aues non diuiſit.
11 Et deſcenderunt aues ſuper cadauera,& abigebat eas Abram.
12 Et fuit,ſole occumbẽte ſopor cécidit ſuper Abrã:&ecce terror tenebroſus & magnus cadens ſuper eum.
13 Et dixit ad Abram,Cognoſcendo cognoſce quòd peregrinũ erit ſemen tuum in terra non ſua:& ſeruient eis,affligéntque eos per quadringentos annos.
14 Et etiam gentem cui ſeruierint,ego iudicabo:& poſtea egrediẽtur cum ſubſtantia magna.
15 Et tu ingredieris ad patres tuos in pace,ſepelieris in canitie bona.
16 Et generatione quarta reuertentur huc:quia nondum eſt completa iniquitas Emoræi.
17 Et fuit,ſole occũbente caligo erat,&ecce furnus fumans,& lampas ignis quæ tranſibat inter diuiſiones ipſas.
18 In die ipſo pepigit Dominus cum Abram fœdus,dicendo, Semini tuo dabo terram hanc,à flumine AEgypti,vſque ad flumen magnum,flumen Peráth.
19 Cenæum & Cenizæum & Cadmonæum,
20 Et Hitthæum & Perizæum & Rephaím.
21 Et Emoræum & Chenaanæum & Girgaſæum & Iebuſæum.

1 *Fuit uerbum Domini.* Videri poſſet rebus lætis,& ex voto fluentibus ſuperuacua fuiſſe hæc viſio:præſertim quum Dominus ſeruum ſuum quaſi triſtem,ac metu afflictum,bono animo eſſe iubeat. Ideo quidam diuinant Abram reuerſum à liberatione ſui nepotis, aliquo incommodo fuiſſe affectum, cuius nulla fit à Moſe mentio: ſicuti Dominus ſuos ſæpe humiliat, ne in rebus proſperis exultent. quum autem deiectus eſſet Abram,rurſus nouo oraculo fuiſſe erectum. Sed quia nihil tale coniicere licet ex verbis Moſis, aliã potius fuiſſe cauſam ſentio. Primò,quãuis illi vndique plauſus darentur, non dubium eſt quin variæ cogitationes in eius animum ſubierint. Tametſi prælio deuicti fuerãt Chedorlaomer,& eius ſocii,eos tamẽ prouocauerat Abrã, vt poſſent collectis nouis copiis & refectis viribus,rurſus terram Chanaan aggredi. Nec eius periculi metu vacabãt terræ incolæ. Deinde,vt rara fœlicitas comitem ferè inuidiam ſecum trahit,multis ſiniſtris ſermonibus obnoxius eſſe cœpit Abram,poſtquã cum victore exercitu quatuor Regum confligere auſus fuerat. Siniſtra etiam ſuſpicio oriri potuit,fore mox vt vires ſuas,quas expertus erat cõtra extraneos Reges,in vicinos, & hoſpites ſuos conuerteret. Ergo ſicut honori illi fuit victoria,ita non dubium eſt quin formidabilem,& ſuſpectum multis reddiderit,& conflauerit multorum odia:quum ſibi quiſque ex illius fortitudine,& fœlici ſucceſſu periculum fingeret. Nihil igitur mirum,ſi commotus fuerit, & anxiè multa agitauerit,donec illum Deus auxilii ſui fiducia de integro erexit. Potuit etiã alius eſſe finis oraculi: nempe vt Deus contrario vitio occurreret. Poterat enim Abram victoria elatus, ſuæ vocationis obliuiſci, vt principatum ſibi acquireret, & vitæ erraticæ, aſſiduæque vexationis tædio appeteret meliorem fortunam, & quietum vitæ ſtatum. Et ſcimus quàm procliue ſit hominibus, ſecundæ & ridentis fortunæ blanditiis ineſcari. Anticipat ergo Deus,& priuſquam ſancti viri mentem occupet illa vanitas, memoriam illi renouat ſpiritualis gratiæ,vt illic penitus acquieſcens,reliqua omnia deſpiciat. Quia tamen verbum hoc,Ne metuas,perinde ſonat quaſi Deus mœrentem, vel ſolicitum lenire aliquo ſolatio velit:probabile eſt eum tali confirmatione habuiſſe opus:quia videbat multos malignè obſtrepere ſuæ victoriæ,& ſenectutem ſuam duris moleſtiis fore expoſitam. Quantemnere,ac pro nihilo ducere totum mũdi fauorem, & terrenas opes diſcat:acſi dixiſſet, Modo quam fieri poteſt vt Deus nõ ideo ipſum timere vetet,quia metu ſit perculſus:ſed vt fortiter conme vnum habeas propitiũ,non eſt cur metuas. Me igitur vno contentus in mundo,vt hactenus cœpiſti, peregrinare: ac potius è cælo pendeas, quàm in terra ſis defixus. Quicquid ſit, Deus ad ſe reuocat ſeruũ ſuum,oſtendens longè maiora bona illi apud ſe repoſita eſſe,ne in victoria ſubſidat. Dicit autem Moſes *in uiſione loquutum eſſe Deum*: quo ſignificat additum verbo fuiſſe viſibile aliquod gloriæ Dei ſymbolum: quo maior authoritas oraculo conſtaret. Fuit autem hic vnus ex duobus ordinariis modis,quibus ſe Dominus olim manifeſtare Prophetis ſuis ſolebat,

ſicuti habetur Numerorũ cap.12.b.6. *Ne timeas Abram.* Tametſi poſterior in contextu eſt promiſſio,præcedit tamẽ ordine:quia ex ea pendet confirmatio,qua Deus cor Abræ à metu liberat. Hortatur Deus Abram, vt tranquillo ſit animo:ſed vbi fundata eſt talis ſecuritas, niſi dum fide apprehendimus nos curæ eſſe Deo,ac in eius prouidẽtiam recumbimus?Priorem igitur locum tenet promiſſio,quòd Deus ſit clypeus Abræ,& ſatis ampla mẽrces:cui annexa eſt quaſi appendix exhortatio, Ne metuat,tali ſalutis ſuæ præſide,& fœlicitatis authore fretus. Ideò quo magis perſpicuus ſit verborum ſenſus,inſerenda eſt cauſalis nota,Ne timeas Abram:quia ego ſum clypeus tuus. Porrò clypei nomine ſignificat tutum ſemper fore ſuo præſidio Abram. Mercedem ſe appellans,ſe vnũ illi debere ſufficere admonet. Sicuti autem illius reſpectu generalis fuit hæc doctrina, vt ſciret victoriam nõ ſummum, neque extremum bonorum eſſe,quibus ipſum proſequi Deus ſtatuerat: ſic idẽ nobis omnibus in vnius hominis perſona ſciamus promitti. Nam hac voce quotidie fideles ſuos Deus cõpellat,quia ſemel tuendos ſuſcepit, ſibi curæ fore, vt ſaluos conſeruet ſub manu ſua, virtutéque protegat. Quemadmodum verò clypei officium ac vicem ſibi Deus tribuit vt ſe ad defenſionẽ ſalutis noſtræ opponat:ita hæc promiſſio inſtar muri ahenei merito nobis eſſe debet, ne in vllis periculis vltrà quàm oportet trepidemus. Quia autẽ variis & innumeris carnis cupiditatibus circũacti homines ſubinde fluctuant: deinde nimium addicti ſunt præſentis vitæ deſiderio:ſequitur alterum membrum,quo Deus ſe vnum ad omnes beatæ vitæ numeros ſufficere fidelibus teſtatur. Merces enim tantundem valet ac hæreditas,vel fœlicitas. Id ſi animis noſtris probè infixum eſſet,in ſolo Deo ſummã ac plenam nobis eſſe bonorum perfectionem, facile modum ſtatueremus prauis deſideriis quæ nos miſerè ſolicitant. Senſus autem eſt,nos verè demum fœlices eſſe,vbi Deum habemus propitium.neque enim ſolùm nos cumulat omni benignitatis copia:ſed ſe nobis fruendũ offert. Iam quid vltrà eſt quod appetant homines, vbi Deo fruuntur? Sciebat Dauid quid valeret hæc promiſſio, qui gloriatur ſortem ſibi præclaram obtigiſſe,quia Dominus ſit ſua hæreditas. Cæterùm quia nihil difficilius eſt quàm frænare prauos carnis appetitus,&tam fœda eſt ac impia hominum ingratitudo,vt vix vnquam illis Deus ſatisfaciat: non ſimpliciter mercedem ſe Dominus ipſe vocat, ſed amplam valde,qua ſatis ſupérque contentos eſſe nos decet. Ea verò vberrima fiduciæ materia eſt,&ſolida fultura. Nam quiſquis ſibi perſuaſerit vitam ſuam protegi Dei manu, nec ſe vnquam miſerum fore illo propitio,&ad hunc portum in omnibus ſuis curis ac moleſtiis confugiet:optimum inueniet malis omnibus remedium. Non quòd omni prorſus timore & curavacui ſint fideles,quandiu inter diſcriminum & ærumnarum procellas iactantur:ſed quia ſedatur trepidatio in eorum animis:&quẽadmodũ pluris eſt Dei præſidiũ,quàm omnia pericula,ſic timorẽ fiducia exuperat.

Pſal.16.b.6

2 *Domine Deus.* Hebraicus textus habet, אדוני יהוה. Ex qua appellatione colligitur, notam aliquam Diuinæ gloriæ inſculptam fuiſſe viſioni, vt Abram nihil de authore ambigens, intrepidè in hanc vocem erumperet. Nam quum mirus fallendi artifex ſit Satan, ac tot præſtigiis ſub Dei nomine illudat:certum ac notabile diſcrimen conſtare oportuit veris &cæleſtibus oraculis quæ ſanctorũ patrum fidem ac mentes fluctuare non ſinerent. Ergo in viſione cuius ſit mentio, patefacta fuit Abræ Dei maieſtas, quæ ad fidei eius certitudinẽ ſufficeret. Nõ quòd Deus qualis eſt apparuerit: ſed quatenus capi poterat humano ſenſu. Sed parũ modeſtè ſe gerere videtur qui tam magnifica promiſſione poſthabita,de orbitate conqueritur:& Deo obſtrepit,quia nullũ hactenus dederit ſemen. Quid optabilius fuit,quàm recipi in Dei tutelam,& eius fruitione beatum eſſe? Parum igitur verecunda videtur obiectio,dum Abram, quaſi oblatum illud ſibi incomparabile bonum paruifaciens, non acquieſcit, donec ſobolem habeat. Sed excuſari primùm poſſet Abræ libertas,quòd curas,quibus angimur,& moleſtias quibus grauamur,in ſinum ſuum effundere Dominus permittit. Deinde conſiderandus eſt finis querimoniæ. neque enim ſimpliciter ſolitarium ſe eſſe docet: ſed quia omnium promiſſionum effectus à ſemine pendebat, non immeritò tam neceſſarium pignus ſibi dari poſtulat. Nam ſi mundi benedictio & ſalus non aliunde,quàm ex ſemine ſperanda eſt:vbi præcipuum iſtud caput ſibi deeſſe videt,non mirum eſt alia quaſi euaneſcere,ſaltem non placare eius animum, nec vota ſatiare. Atque hæc eadem ratio eſt cur Deus non modo æqui boni conſulat ſerui ſui querimoniam, ſed precationem ſtatim propitius exaudiat. Tribuit quidem Abræ Moſes affectum, qui naturaliter omnibus inſidet: ſed hoc non obſtat quin altius ſpectarit dum tantopere hæredem appetit ex ſe progenitum. Et certè non exciderant eius memoria promiſſiones illæ, Semini tuo dabo terram hanc. item, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. quarum prior ſic reliquis omnibus annexa erat,vt ſublata, illarum fidem labefactaret. poſterior verò totum gratuitum ſalutis pignus in ſe cõtinebat. Ideo ritè Abram quæcunque promittit Deus,illic includit.

Et ego inædo orbus. Loquutio eſt metaphorica. Vitam noſtram ſimilem eſſe ſtadio ſcimus. Abram quum prouectæ iam eſſet ætatis,dicit ſe couſque progreſſum,vt pauxillum ſibi ex cur-

ſu reſtet. Iam, inquit, propè ad metam peruentum eſt: cõfecto itaque vitæ curſu orbus moriar. Adiungit indignitatis augẽdæ cauſa hominem alienigenã ſibi hæredem fore. Neque enim dubito quin Dameſec gentile ſit patriæ nomen: non autem proprium matris, vt falſò putarunt quidam: acſi diceret, Ne vnus quidẽ ex conſanguineis meis hæres mihi obtinget: ſed homo Syrius ex Damaſco. Fortè enim eum Abrã in Meſopotamia emerat. Simul vocat filium Meſec: de qua voce non conuenit inter Grammaticos. Quidam à ppw deducunt, quod eſt diſcurrere, & vertunt œconomum, vel procuratorem: quia huc & illuc ad negotia diſcurrat qui amplæ dõmus curam ſuſtinet. Alii à piw, & pocillatorem vertũt: quod mihi videtur parum cõgruere. Diuerſam interpretationem magis amplector, quòd vocetur filius derelictionis: quia & pwn interdum pro relinquere ſumitur. Quanquam nõ intelligo ſic dici, cui omnia relicturus ſit Abram: ſed quia non alibi reſiduã ſpem habeat. Perinde eſt igitur meo iudicio, acſi vocaret filium orbitatis: quia hoc deſertæ & ſterilis domus teſtimonium erat, hæreditatem ad hominẽ extraneum deuolui, qui locum vacuum & derelictum occupet. Poſtea contemptim vocat ſeruum, aut vernam. *Filius*, inquit, *domus meæ hæres meus erit*. Contẽptim ita loquitur: acſi diceret, Miſera eſt mea cõditio, cui ne liber quidem homo ſuccedet. Quæritur tamen quomodo & Damaſcenus & verna Abræ fuerit. Solutio duplex eſt, filium domus vocari, non qui in ea natus ſit, ſed tantùm in ea educatus: vel ex Damaſco oriundum eſſe, quia ex Syro patre ortus erat.

4 *Nõ erit hæres tuus iſte.* Hinc colligimus probatũ fuiſſe Deo votũ Abræ. Vnde etiã ſequitur illud alterũ, nõ carnis affectu impulſũ fuiſſe Abrã ad hãc precationẽ: ſed pio, ſanctóq; benedictionis, quæ promiſſa erat, fruendæ deſiderio. Nec tãtùm illi promittit Deus ſemẽ: ſed ingentẽ populũ, qui numero & multitudine æquare poſſit ſtelias cæli. Qui allegoricè exponũt, cæleſte promitti ſemen quod ſtellis cõfertur, fruãtur ſuo ſenſu: nos verò teneamus quod magis ſolidũ eſt, ſtellarum cõſpectu adiutã fuiſſe Abræ fidẽ. Nã quo melius ſuos Dominus afficiat, & efficacius penetret in eorũ mẽtes, poſtquã aures pulſauit verbo ſuo, ſimul etiã externis ſymbolis excitat oculos, vt animũ Abræ, Deus qui ſolo verbo tã numeroſum exercitũ repẽtè produxit, quo cælũ prius inane & vaſtũ ornaret: nónne poterit vacuã domũ ſobole replere? Cæterùm neceſſe nõ eſt nocturnã viſionẽ, quia tunc apparuerint ſtellæ quæ interdiu oculos fugiunt. nã quũ hoc in viſione gereret, mirabile ſpeculũ habuit Abrã, quod res abſcõditas palàm mõſtraret. Itaque quãuis pedẽ nõ moueret, tamẽ extra tabernaculũ per viſionẽ educi potuit. Quæritur nũc de quo ſemine intelligẽda ſit promiſſio. Et certũ eſt neque poſteros Iſmaelis, neq; Eſau in hoc ordine cẽſeri: quia legitimũ ſemẽ à promiſſione cẽſetur, quam Deus reſidere voluit in Iſaac & Iacob. De poſteris tamẽ Iacob eadẽ oritur dubitatio: quia multi qui ab eo genus traxerũt ſecundum carnẽ, quũ degeneres eſſent, atque alieni à fide patrũ, ſeipſos abdicarũt. Reſpõdeo, ſententiã hanc promiſcuè ad totũ populum extendi, quem Deus ſibi adoptauit. Sed quia multos ſua infidelitas alienauit, veniendum eſt ad Chriſtum, qui veros & genuinos filios ab adulterinis diſcernit. Hoc modo Abræ poſteritas redigitur ad paucitatem, vt deinde magis augeſcat. Nam in Chriſto colliguntur etiam Gentes, & fide inſeruntur in corpus Abrahæ, vt locum habeant inter legitimos eius filios. Qua de re plura decimoſeptimo capite dicenda rurſus erunt.

6 *Et credidit Domino.* Quàm vberẽ & reconditã doctrinã cõtineat hic locus, nemo noſtrũ cõiiceret, niſi facẽ nobis prætuliſſet Paulus. Sed hoc mirũ eſt, ac prodigii ſimile, quòd quũ ſpiritus Dei tantã lucẽ accenderit, clauſis tamẽ oculis plerique interpretum, non ſecus atque in noctis tenebris vagentur. Iudæos omitto, quorũ nota eſt cæcitas. Sed qui Paulũ habebãt dilucidũ interpretem, tam inſipidè deprauaſſe hũc locũ, prodigii loco (vt dixi) habendũ eſt. Quanquã inde apparet nullã in rem ſeculis omnibus Satanã magis incubuiſſe, quàm vt gratuitã fidei iuſtificationẽ, quæ hîc diſertè aſſeritur, vel extingueret, vel ſuffocaret. Verba Moſis ſunt, Credidit Domino, & reputauit illi iuſtitiã. Laudatur priore loco fides Abræ, qua Dei promiſſionẽ amplexus eſt. Secũdò additur fidei elogiũ, quòd inde iuſtitiã adeptus ſit Abrã corã Deo, idq; imputatione. Nã verbũ awn, quo vtitur Moſes, relatiuè ad iudiciũ Dei poſitũ eſt, ſicuti Pſalmo 106.e.31, vbi dicitur, Zelus Phinees eſſe illi imputatus in iuſtitiã. Quid tamẽ hoc valeat, melius ex antitheto patebit. Leuit. 7.b.18, dicitur, Expiatione facta nõ imputabitur homini iniquitas. Rurſum 17.a.4, Sanguis imputabitur illi viro. Ita 2. Samuelis 19.d.19, dicit Semei, Nõ imputet mihi rex iniquitatẽ. Cui affine eſt quod habetur 2. Regũ 12.c.15, Non imputabãt viris quibus dabant pecuniã ad opus. hoc eſt, non exigebant rationẽ pecuniæ: ſed illos fide ſua ſinebant adminiſtrare. Nunc ad Moſen redeamus. Quẽadmodũ reos eſſe corã Deo intelligimus, quibus imputatur iniquitas: ita quibus imputat iuſtitiã, eos probat quaſi iuſtos. quare iuſtitiæ imputatione, in numerũ & ordinẽ iuſtorũ receptus fuit Abrã. Paulus enim vt vim ac naturã, vel qualitatẽ iuſtitiæ huius diſtinctè oſtẽdat, deducit nos ad cæleſte Dei tribunal. Ideo inſulsè nugantur, qui hoc ad famã probitatis trahunt, quaſi vir iuſtus, & rectus fuerit habitus Abrã. Nec minus inſcitè textũ corrũpunt, qui

Rom. 4. d. 3

dicunt Abrã tribuisse Deo gloriã iustitiæ, vt eius promissis tutò acquiescere auderet, fidelẽ illũ ac veracẽ agnoscens. quanuis enim non exprimat Moses nomen Dei tamen vsitata loquẽdi ratio in Scripturis omnẽ ambiguitatẽ tollit. Denique nõ minoris stuporis, quàm impudẽtiæ est quũ hoc illi imputatũ fuisse dicitur in iustitiam, aliũ sensum cõminisci, quàm fidẽ Abræ fuisse pro iustitia apud Deũ. Sed absurdũ esse videtur, iustificatũ esse Abram quòd æquè numerosum crediderit fore semẽ suũ, atque stellas cæli. Neque enim potuit esse nisi particularis fides, quæ ad integram hominis iustitiã minimè sufficit. Deinde quid terrena & tẽporalis promissio ad æternam salutẽ valuit: Respõdeo, istud Credere, cuius meminit Moses, nõ ad vnũ mẽbrum restringi, sed cõplecti totam promissionem quæ hîc refertur. Deinde Abrã nõ ex præsenti tãtùm oraculo æstimasse promissũ semẽ, sed ex aliis, vbi addita erat specialis benedictio. Vnde colligim⁹ nõ vulgare, nec quodlibet semẽ sperasse, sed in quo benedicẽdus erat mũdus. Siquis peruicacius insistat, coactè ad Christũ torqueri quod de liberis Abræ cõmuniter dictũ est: primùm negari non potest Deũ promissionẽ antè seruo suo factã, nũc rursus iterare, vt eius querimoniæ respõdeat. Dixim⁹ autem, & res ipsa clarè demõstrat, promissæ benedictionis intuitu cõpulsum fuisse Abrã, vt tantopere semẽ optaret. Vnde sequitur, hanc promissionẽ nõ arreptã ab illo fuisse seorsum ab aliis. Verùm vt hoc totũ remittã, cõsiderandũ esse dico quid hîc agatur, vt inde fiat de fide Abræ iudiciũ. Deus nõ hoc, vel illud tãtũ seruo suo promittit, qualiter specialibus interdũ beneficiis citra paterni sui amoris gustũ incredulos quoque aspergit: sed se propitium illi fore testatur, & præsidio, gratiáque sua fretũ in salutis fiducia cõfirmat. Nam cuius Deus est hæreditas, is nõ caduco gaudio exultat, sed quasi iam in cælũ sublatus, solido æternæ vitæ gaudio fruitur. Imò hoc axioma tenẽdũ est, Omnes Dei promissiones, quæ fidelibus destinãtur, ex gratuita Dei misericordia fluere, & testimonia esse paterni amoris, ac gratuitæ adoptionis, in qua fundata est eorũ salus. Ergo nõ dicemus iustificatũ esse Abrã, quia verbulũ vnum arripuerit de generãda sobole: sed quia Deũ in patrẽ amplexus est. Nec sanè alia de causa nos iustificat fides, nisi quia nos Deo recõciliat: neq; id suo merito, sed dum gratiã nobis in promissionibus oblatã recipimus, ac certò persuasi nos amari à Deo tanquã filios, de æterna vita nõ dubitamus. Ideo Paulus à cõtrariis ratiocinatur, nõ operibus iustificatũ fuisse, cui imputata est fides in iustitiã. Nã qui iustitiã operibus cõsequitur, illius merita in rationẽ veniũt corã Deo. Atqui fide iustitiã apprehẽdimus, dum nos sibi gratis Deus recõciliat. Vnde sequitur cessare operũ merita, dum ex fide iustitia quæritur. vltrò enim à Deo donari, & verbo offerri necesse est, vt eã quis fide possideat. Hoc vt clarius intelligatur, quũ dicit Moses, imputatã fuisse Abræ fidẽ pro iustitia, nõ significat istã fidẽ primã fuisse iustitiæ causam, quæ efficiẽs dicitur, sed formalẽ dũtaxat: acsi dixisset, iustificatũ ideo fuisse Abrã quia in paternã Dei beneuolentiã recumbẽs, meræ eius bonitati, nõ sibi, nec suis meritis cõfisus fuerit. Nã id præcipuè tenendũ est, fidẽ aliunde iustitiã mutuari qua apud nos destituimur. alioqui perperã opponeret Paulus operibus fidẽ, vbi de obtinẽda iustitia agitur. Et mutua inter promissionẽ gratuitã & fidẽ relatio, nihil dubitationis relinquit. Iam notãda est tẽporis circũstãtia. Fide iustificatus est Abrã multis pòst annis, ex quo à Deo vocatus, relicta patria volũtarius exul, insigne patiẽtiæ & cõtinentiæ speculũ fuerat, postquã se totũ sanctimoniæ dediderat, postquã se assiduè exercẽs in spirituali & externo Dei cultu ferè angelicã vitã meditatus fuerat. Sequitur ergo, vsque ad vitæ finẽ fidei iustitia nos in æternũ Dei regnum perduci. Qua in parte multi nimis crassè hallucinãtur. Cõcedunt illi quidẽ iustitiã quæ gratis peccatorib⁹ donatur, & indignis offertur, sola fide recipi: sed hoc ad momentũ tẽporis restringũt, vt iustus sit bonis operibus, qui ab initio fide iustitiã semel adeptus est Hoc modo fides nihil aliud est, quàm initiũ iustitiæ: cõtinuo autẽ vitæ decursu in operibus iustitia cõsistit. Atqui prorsus insanos esse oportet qui sic ineptiũt. Nam si angelica Abræ integritas per tot annos fideliter vno tenore culta, nõ obstitit quin ad fidẽ cõfugeret petẽdæ iustitiæ causa: vbi gentiũ reperietur tanta perfectio, quæ Dei cõspectum sustineat? Ergo ex ratione tẽporis certò colligimus nõ esse iustitiæ fidei subrogandã operũ iustitiã, vt quod illa inchoauerit, hæc perficiat: sed fide iustificari sanctos quãdiu in mũdo viuũt. Siquis obiiciat, credidisse prius Abrã Deo, quũ vocantẽ sequutus est, sẽq; eius tutelæ & custodiæ permisit: in prõptu est solutio, hîc nõ haberi sermonẽ quãdo primùm iustificari cœperit Abrã, vel Deo credere: sed vno in loco doceri, vel referri quomodo tota vita iustificat⁹ fuerit. Nã si statim à prima eius vocatione ita loquutus foret Moses, plus coloris haberet illa, quã dixi, cauillatio, fidei iustitiam initialẽ, vt ita loquar, tãtùm esse, nõ perpetuã. Nũc verò quũ post tantos progressus dicitur adhuc fide iustus esse: inde facilè apparet gratis iustificari sanctos vsq; ad mortẽ. Fateor quidẽ postquam Spiritu Dei regeniti sunt fideles, iustificandi modũ à priori nõ nihil differre. Nam qui tantùm ex carne nati sunt, eos omni bono vacuos Deus sibi recõciliat: & quũ nihil in ipsis inueniat præter horrẽdam malorũ colluuiẽ, imputatione iustos habet. Quibus autẽ Spiritũ sanctitatis & iustitiæ cõtulit, eos cum suis donis cõplectitur. Cæterùm vt bona eorũ opera Deo placeãt, ea quoque ipsa iustificari gratuita imputatione oportet: quia semper aliquid vitii subest. Manet tamen interea illud fixũ, credẽdo, non operando iustificari coram Deo homines, dũ gratiã fide

Rom. 4. 4. 4

obtinẽt,eo quòd mercedẽ operibus mereri nequeãt.Quòd autẽ inde Paulus contẽdit Abrã operib⁹ iuſtitiã nõ eſſe promeritũ,quã ante circũciſionẽ amplexus eſt,cũ ſuperiore doctrina nõ pugnat. Tale quidẽ eſt argumentũ Pauli, Circũciſio Abræ poſterior fuit iuſtitia ipſius,ordine tẽporis:ergo cauſa eſſe non potuit. neceſſariò enim effectũ ſuũ præcederet. Fateor etiã Paulũ hac ratione niti,quòd opera nõniſi ex pacto Legis meritoria ſint: cuius pacti circunciſio quaſi arrha & ſymbolũ ponitur. Sed quẽadmodũ Paulus vim & naturã circũciſionis non definit ex pura & genuina Dei inſtitutione, ſed potius diſputat ex eorũ ſenſu quibuſcũ habebat negotium: ita fœdus quod antè Deus pepigerat cum Abram,non attingit, eo quòd ad præſentem cauſam ſuperuacua erat eius mentio. Valet igitur vtrunque,quòd Abræ iuſtitia pacto Legis accepta ferri nequeat,quando circunciſionem præceſſit. Deinde quòd perfectiſſimi cuiuſque iuſtitia perpetuò in fide conſiſtat, quando Abram cum tota virtutũ ſuarum præſtantia poſt diuturnam, nec minus ſingularem Dei obſeruantiam,fide tamen iuſtificatus eſt. Nam hoc quoq; poſtremò dignũ eſt obſeruatu, tranſferri ad omnes Dei filios quod de vno homine hîc narratur. Nam quũ pater fideliũ non abs re vocatus fuerit:deinde nõ plures ſint conſequendæ ſalutis modi:iure Paulus realẽ,non perſonalẽ iuſtitiã hoc loco deſcribi docet.

7 *Ego Dominus qui.* Quia magnopere noſtra intereſt, Deũ habere totius vitæ noſtræ ducem,vt ſciamus non temerè dubia aliquam viam nos fuiſſe ingreſſos:ideo Dominus Abrã in curſu vocationis ſuæ confirmat,ac in memoriam reuocat primũ liberationis beneficiũ: acſi dixiſſet,Ego poſtquam manũ tibi porrexi, vt ex mortis labyrintho te educerẽ, gratiã meã hucuſque proſequutus ſum. Tu igitur mihi viciſſim cõſtanter pergẽdo reſpõde,& fidẽ tuam à principio ad finẽ vſq; conſolida. Imò nõ ſolius Abræ reſpectu hoc dictum eſt, vt Dei promiſſiones à prima fidei ſuæ origine colligẽs, corp⁹ vnum efficeret:ſed vt diſcant omnes pii vocationis ſuæ exordiũ ab ipſo vſque Abrã cõmuni patre fluere:atque ita cũ Paulo ſecurè iactent,ſcire ſe cui crediderint,ac Deum qui in Abræ perſona ſibi Eccleſiam ſegregauit,fidũ depoſitæ apud ſe ſalutis fore cuſtodem.Quòd autẽ in hũc finẽ cõmemoret Dominus ſe fuiſſe liberatorem Abræ, inde patet, quòd promiſſionem quam nunc daturus eſt, primæ redemptioni annectit: acſi diceret,Non incipio nunc primùm terram hanc tibi promittere. Nam hac de cauſa te ex patria eduxi,vt te eius dominũ & hæredem cõſtituerẽ.Nunc igitur in eandẽ formam tecum paciſcor,ne te fuiſſe deceptũ,vel inanibus verbis lactatũ putes:& memorẽ te primi pacti eſſe iubeo, quo meliore fultura nitatur noua promiſſio, quam nunc multis pòſt annis repeto. 2.Tim.2.19

8 *Domine Deus in quo cognoſcam.* Abſurdũ eſſe videtur quòd Abrã qui ſimplici Dei verbo fidẽ pri⁹ habebat,nec quæſtionẽ vllã mouebat de promiſſionib⁹ ſibi datis,nũc diſceptat verũne ſit quod audit ex ore Dei. Deinde parũ honoris tribuit Deo, qui nõ tantùm loquẽti obmurmurat,ſed aliunde ſponſionem ſibi dari exigit. Adhæc vnde fidei ſciẽtia,niſi ex verbo? Fruſtrà igitur Abram dũ ab ore Dei non pendet,de futura terræ poſſeſſione certior fieri cupit. Reſpondeo, Dominum hoc interdũ cõcedere filiis ſuis, vt liberè obiiciant quæ veniunt in mentẽ. Neq; enim adeò præciſè cũ ipſis agit,quin patiatur ſe rogari.imò quo certius perſuaſus erat Deũ eſſe veracẽ,& eius verbo magis addictus,eo familiari⁹ curas ſuas in eius ſinũ exonerat. Adde quòd lõgior mora nõ paruũ erat obſtaculũ. Poſtquã magna vitæ parte ſuſpẽſum tenuit Deus, nũc ſenio cõfectũ,& nil quàm mortẽ & ſepulchrũ ante oculos habentẽ,de integro terræ dominũ fore pronũtiat. Neq; tamẽ propter difficultatẽ reſpuit quod videri poterat incredibile: ſed in mediũ profert qua anxietate intus prematur. Atque hoc fidei poti⁹ teſtimoniũ eſt,quàm incredulitatis ſignũ,quòd Deũ interrogat. Impii,quia diuerſis cogitationibus implicitos habẽt animos,promiſſiones nullo modo admittũt:pii verò qui ſentiunt in carne ſua impedimẽta,ſubmouẽt,ne viam obſtruant verbo Dei, & vitiis quorum ſibi cõſcii ſunt, remediũ quærunt. Notandũ tamen,ſpeciales fuiſſe aliquos in Sanctis motus,quos nunc in exemplum trahere nõ liceret. Neque enim quia Ezechias & Gedeon certa miracula poſtularunt,idem nobis hodie tentandum eſt. ſufficiat confirmationem petere, quam Dominus ipſe ſuo arbitrio eligendam cenſuerit.

9 *Tolle mihi uitulam.* Alii pro vitula trienni vertunt triplicatã: & in vnaquaque ſpecie animalium, numerum ternarium conſtituunt: magis tamen recepta eſt eorum ſententia,qui de ætate accipiunt. Porrò etſi Deus negare ſeruo ſuo noluit quod petebat,minimè tamẽ quod carnis voto ſatiſfaceret, conceſſit. Quid enim ex iuuencæ,& capræ,& arietis mactatione certitudinis accedet? Nam ſacrificii exitus,de quo paulo pòſt videbimus, adhuc latebat Abram. Quòd ergo ſine controuerſia mandato Dei obtemperat,cuius tamen nullus apparet profectus,inde fidei ſuæ obedientiam probat: nec ſuũ votum aliò ſpectaſſe, quàm vt obſtaculo ſublato,reuerenter, vt par erat, acquieſceret in verbo Domini. Diſcamus ergo quæ Deus confirmandæ fidei noſtræ offert ſubſidia,placidè amplecti,etiam ſi iudicio noſtro non reſpondeant,quin potius ludicra eſſe videantur: donec tandem ex effectu palàm fiat,eum nihil minus quàm luſiſſe.

10 *Et diuiſit ea per medium.* Nequa pars huius ſacrificii careat myſterio,fabricandis argutiis multũ inſudãt quidã interpretes.ſed colenda nobis eſt ſobrietas,vt iam aliquoties monui. Cur trium generum animalia præter aues ſumere iuſſus fuerit, me neſcire fateor: niſi vt ipſa varietate teſtatũ fieret omnes Abræ poſteros,cuiuſcunque eſſent ordinis,in ſacrificiũ offerendos eſſe,vt ex toto populo,& ſingulis partibus ſacrificiũ vnum fieret. Sunt etiã alia quorũ rationẽ ſiquis curioſè exquirat,igno-

rantiam meã fateri nõ pudebit:quia per incertas ſpeculationes diſcurrere nõ libet. Porrò hæc ſumma eſt meo iudicio, Quòd occidi Deus iubet animalia,qualis futura ſit Eccleſiæ cõditio oſtẽdit. Optabat certior fieri Abrã de promiſſa terræ hæreditate:nunc initiũ à morte fore docetur:hoc eſt ſibi & ſuis prius eſſe moriendũ,quàm vt fruantur terræ dominio. Quòd mactata animalia in partes ſecari iubet,credibile eſt hunc vetuſtũ fuiſſe ritũ in fœderibus pangendis,qui deinde ad Gẽtes quoque tranſiit,ſiue iocunda eſſet aliqua ſocietas,ſiue exercitus luſtrandi. Tranſibãt autẽ per medias partes vel ſocii,vel milites,vt ſanctius in vnum corpus coaleſcerent ſacrificio ſimul incluſi. Iudæis quidẽ vſitatũ fuiſſe hunc morẽ teſtatur Ieremias cap.34.d.18,vbi Deũ ita loquentẽ inducit. Violarunt fœdus meum quũ vitulum cõciderint in duas partes, & tranſierint inter diuiſiones eius tam principes Iuda,quàm proceres Ieruſalem,& totus populus terræ. Quanquam ſpecialis hîc mihi videtur fuiſſe ratio,quòd ſcilicet admonuerit Dominus genus Abræ nõ tantùm ſimile fore mortuo cadaueri,ſed etiã lacero & diſſecto. Grauior enim ſimplici morte fuit ſeruitus,qua ad tẽpus oppreſſi ſunt:quia tamẽ offertur Deo ſacrificiũ,mors ipſa in nouam vitam ſtatim cõuertitur. Atque huc pertinet quòd partes eregione opponẽs Abrã, inter ſe coaptat:quia ex diſſipatione rurſus colligendæ erãt. Quàm verò difficilis ſit Eccleſiæ reſtitutio,& quàm multis moleſtiis referta, oſtendit horror quo Abram correptus fuit. Videmus ergo res duas fuiſſe oſtẽſas:duram ſeruitutem,qua ferè vſque ad interitum & lacerationem premendi erant Abræ filii: deinde redemptionem, quæ inſigne pignus foret Diuinæ adoptionis. ac in eodem ſpeculo monſtrata nobis fuit generalis conditio Eccleſiæ, ſicuti proprium Dei officium eſt creare eam ex nihilo,& à morte excitare.

11 *Et deſcenderunt aues.* Quanuis dicatum ſit ſacrificium Deo,non tamen ab auium incurſu & violentia immune eſt. Neque enim fideles,poſtquam recepti ſunt in Dei tutelam,ſic tegũtur eius manu quin vndique impetantur: quando Satan & mũdus negotium illis faceſſere non deſinunt. Ergo ne violetur ſacrificium quod Deo ſemel obtulimus,ſed purum,illæſúmque maneat, contrarii inſultus non ſine moleſtia & ſudore abigendi ſunt.

12 *Sopor cecidit.* Iam viſio ſomnio miſcetur. Itaque Dominus ſpecies illas duas coniungit, quas paulo antè retuli ex duodecimo Numerorũ cap. b.6, vbi dicitur, Quum appareo ſeruis meis Prophetis,in viſione, vel ſomnio eos alloquor. Viſionis facta fuit mentio: iam narrat Moſes ſuperadditum fuiſſe ſomnium. Accedit etiam horribilis caligo, vt cognoſcat Abram nõ vulgare eſſe ſomnium,ſed diuinitus hoc totum geri. quanquam cum præſenti oraculo analogiam habet, ſicuti cõtinuò pòſt Deus ſuis verbis exponit, Sciendo ſcias peregrinum fore ſemẽ tuum,&c. Diximus alibi, Deum non fuiſſe ſolitum inanibus, & nudis ſpectris ſuorũ oculos ferire: ſed præcipuas ſemper in viſionibus verbi fuiſſe partes. Ita hîc non muta ſpecies ingeritur Abræ oculis, ſed annexo oraculo docetur quid ſibi velit externũ & viſibile ſymbolum. Notandum verò quòd antequam filio vno donatus ſit Abram,ſemen ſuum diu fore captiuum & ſeruum audit. Nam ita cum ſuis agit Dominus: exordium ſemper facit à morte,vt mortuos viuificans,virtutẽ ſuam melius illuſtret. Hoc quidem partim Abræ cauſa teſtatum eſſe oportuit:ſed maximè eius poſteros ſpectauit Dominus,ne in ſuis ærumnis deficerent,quarum exitum fore lætum & fœlicem Dominus promiſerat: præſertim quũ ipſa diuturnitas ingenti tædio non careret. Ac tria gradatim ponuntur, Quòd annis quadringẽtis vagari oporteat filios Abræ antequã ad ipſos perueniat promiſſa hæreditas: deinde quòd ſeruituri ſint: tertiò, inhumaniter ac tyrannicè tractandi. Quare mira fuit & ſingularis Abræ fides, dum in oraculo tam triſti acquieuit,vt Deum fore liberatorem ſtatueret,poſtquã ad ſummũ cumulum progreſſæ eſſent miſeriæ. Quæritur tamen quomodo conueniat annorum numerus. Quidam ſupputationem incipiunt ex quo egreſſus eſt Charris. Sed magis probabile videtur notari dũtaxat tempus intermedium: acſi dictum foret, Patienter expectent poſteri tui oportet:quia vſque ad annum quadringenteſimum præſtare non decreui quod nunc polliceor:imò eouſque durabit ipſorũ ſeruitus. Secundũ hanc rationẽ dicit Moſes duodecimo Exodi cap.f.40, habitaſſe filios Iſrael quadringentis & triginta annis in AEgypto: quum tamen ex ſexto capite, colligere promptum ſit,nõ vltra ducentos & triginta annos,vel circiter,elapſos eſſe,ex quo deſcendit illuc Iacob,vſque ad libe-rationem. Vbi ergo reperiemus ducentos annos reliquos,niſi oraculi reſpectu? Cuius rei omnis dubitatio tollitur à Paulo,qui tertio ad Galatas cap.c.17,tantundem annorũ numerat à gratuito vitæ fœdere,vſque ad Legem promulgatam. In ſumma,non ſignificat Deus quàm diuturna à principio vſque ad finem futura ſit populi ſeruitus:ſed quouſque promiſſionem ſuam ſuſpendere,vel differre velit. Quòd autem omittit annos triginta,non nouum eſt,neque infrequens, vbi anni exactè nõ ſupputantur, attingi tantùm maiores ſummas. Videmus autem hîc breuitatis cauſa, in quatuor ſecula diſtinctum fuiſſe totum illud tẽpus. Ergo in breui ſpatio omiſſo nihil eſt abſurdi: hoc præcipuè cõſiderandum eſt, quòd Dominus, vt ſuorum patientiam exerceat, promiſſionem ſuam vltra quatuor ſecula ſuſpendit.

14 *Gentem cui ſeruierint.* Subiicitur nunc conſolatio, in qua hoc primum eſt, quòd teſtatur Deus ſe populi ſui fore vindicem. Vnde ſequitur illi curæ eſſe ſalutẽ eorũ quos amplexus eſt, nec paſſurũ

vt impunè vexentur ab improbis & sceleratis. Etsi autem disertè hîc vindictam se de AEgyptiis sumpturum pronuntiat, patet tamen idem iudicium ad omnes Ecclesiæ hostes: sicuti etiam Moses in suo cantico ad omnes ætates & populos extendit, quòd Dominus pœnam exiget de iniustis persecutionibus, Mihi vincta, inquit, ego rependã. Deut. 32. e. 35. Ergo quoties inhumaniter tractari nos cõtinget à tyrannis (quod ferè ordinariũ est Ecclesiæ) succurrat hæc consolatio, postquã tolerantia nostra cruce satis probata fuerit, Deum, cuius arbitrio sic humiliamur, eundem fore iudicem, vt hostibus nostris iustum sæuitiæ, quam nunc exercent, præmium rependat. Exultent nũc licet ebria lætitia, tandem patebit ipso exitu fœlices esse nostras miserias: infaustos verò eorum triumphos, quia Deum, qui de nobis solicitus est, sibi aduersum habent. Sed meminerimus locum esse dandum iræ Dei, quemadmodum Paulus hortatur, ne ad expetendam vltionem feramur præcipites. Spei quoque dandum esse locum, vt nos sub malorum onere grauatos, ac gemẽtes sustineat. Iudicare gentem, perinde valet atque vocare ad iudicium, vt Deus se iudicem palàm ostendat, vbi diu tacitus quieuerit. Rom. in d. 19

15 *Ingredieris ad patres tuos in pace.* Hactenus Dominus cum seruo suo Abram posteros intuitus est, vt communis esset omnibus consolatio: nunc sermonem ad illum solum conuertit: quia peculiari confirmatione opus habebat. Hoc autem leniendæ eius tristitiæ remedium est, quòd moriturus sit in pace postquam ad vltimum senium peruenerit. Quòd exponunt quidam de morte incruenta, vbi nulla vis & manus infertur: vel de morte facili, quum sponte, & naturaliter deficiunt spiritus vitales, & vita ipsa sine vllo doloris sensu maturitate sua concidit: meo iudicio frigidum est. Voluit enim exprimere Moses non modo lõgam fore Abræ senectutem, sed placidã, cui mors læta & pacata respondeat. Sensus est igitur, Quanuis tota vita priuandus sit Abram terræ possessione: non tamen illi defuturam quietis & gaudii materiam, vt vita fœliciter defunctus, prosperè ad patres suos concedat. Et certè mors præcipuè reprobos à filiis Dei discernit, quorum in vita sors ferè eadem, & similis conditio est: nisi quòd vtplurimùm deterius habent filii Dei. Quare singulare bonum meritò cẽseri debet pax in morte, quæ discriminis illius, quod nuper attigit, testimonium est. Hoc etiam prophani homines in tenebris palpando senserunt. Citat Plato libro primo de Republica carmen Pindari, Quòd siqui iustè, & sanctè vitam trãsegerint, eos spes comitetur suauis, corda alens, & senectutẽ nutriens, quæ versatilem hominũ mentem maxime gubernat. Quia homines male conscios inter varia tormenta miserè æstuare necesse est: spem bonæ cõscientiæ præmiũ esse asserẽs Poeta, eam γηροβοσκον appellat, hoc est senectutis nutricem. Nam quũ iuuenes procul adhuc à morte diffiti, securè delicientur, senes debilitas sua solicitat, vt migrandũ sibi assidue cogitent. iam nisi eos erigat spes melioris vitæ, nihil residuum est præter miseros paruores. Denique vt sibi indulgeant reprobi tota vita, & stupidi in suis vitiis dormiant, mors eorum turbulenta sit necesse est, dum fideles suas animas in manum Dei sine metu, & tristitia deponunt. Vnde & Bileam in hanc vocem erumpere coactus fuit, Moriatur anima mea morte iustorum. Porrò quia tam optabilem vitæ clausulam non habent homines in manu & potestate sua, Dominus seruo suo Abræ placidam & quietam mortem promittens, suum beneficium esse docet. Ac videmus vt Reges ipsi, & quicunque in mũdo se beatos esse somniant, in morte tumultuentur: quia & cæcis punctionibus suorum scelerum vrgentur, & in morte nihil præter interitũ apprehendunt. Abram verò voluntarius, ac lætus ad mortem perrexit, quum in Isaac haberet certũ benedictionis Diuinæ pignus, & sciret meliorem vitam sibi in cælis esse repositam. Num. 23. b.

16 *Nondum completa est iniquitas.* Videtur absurda esse ratio, quæ innuit non aliter saluos fore Abræ filios, quàm aliis pereuntibus. Respondeo, modestè & humiliter arcano Dei consilio cedẽdum esse. Quia terrã illam dederat Amorrhæis, vt perpetui essent eius incolæ, significat se nõnisi iusta de causa eius possessionem ad alios transferre. acsi diceret, Ego semini tuo huius terræ dominium sine cuiusquam iniuria concedam. Terra hodie à legitimis possessoribus occupatur, quibus eam tradidi. Donec ergo suis sceleribus promeriti fuerint vt iure pellantur, ad posteros tuos non perueniet eius dominium. Ita admonet vacuãdam esse terram, vt nouis incolis pateat. Atque hic locus insignis est, sic distribui hominibus hospitia in orbe terrarum, vt Dominus quietos populos in sua quenque statione conseruet, nisi dum se propriis sceleribus inde exturbant. Nam locum habitationis suæ polluendo, terminos Dei manu fixos quodammodo reuellunt, qui alioqui immobiles manerent. Cæterùm Dominus suam tolerantiam hîc commendat. iam tunc indigni erant Amorrhæi quos terra aleret: Dominus tamen non modò eos sustinet ad breue tempus, sed quatuor secula ad pœnitentiam concedit. Atque hinc apparet quàm non frustrà toties in Scriptura prædicet se tardum esse ad iram. Sed quo benignius homines expectat, si tandem non resipiscunt, sed obstinati manent, eo seuerius tantam ingratitudinem vlciscitur. Ideò Paulus dicit thesaurum iræ sibi coaceruare, qui sibi in peccatis indulgent, dum eos bonitas Dei, & clemẽtia ad pœnitentiam inuitat: atque adeò nihil faciunt lucri in mora, vt pœnæ atrocitas duplicetur: quẽ- Rom. 2. d. 4

admodum contigit Amorrhæis, quos tandem penitus excindi iubet Dominus, vt ne infantibus quidem parcatur. Ergo quum audimus Deum è cælo tacitum expectare, donec ad ſuum cumulum iniquitates conſcendant: ſciamus minimè torpendi eſſe tempus, ſed potius ſe vnuſquiſque ſolicitet, vt cæleſte iudicium anteuertamus. Dictum eſt olim ab homine prophano, iram Dei léto gradu ad vindictam ſui procedere, ſed grauitate ſupplicii penſare tarditatem. Quare non eſt cur eo diſſimulâte ſibi placeant reprobi: quoniam ita quieſcit in cælo, vt non deſinat eſſe iudex mundi, nec officii ſui in tempore obliuiſcatur. Cæterùm colligimus ex verbis Moſis ſic dari reprobis ſpatium ad reſipiſcendum, vt tamen iam exitio ſuo deuoti ſint. Quidam, עון pro pœna accipiũt, acſi dictum eſſet, illam nondum maturuiſſe. Sed prior expoſitio melius conuenit, nullum ſceleribus finem eſſe facturos, donec vltimum excidium ſibi accerſant.

17 *Ecce furnus fumans.* Addita fuit rurſus noua viſio ad ſanciendam oraculi fidem. Prius obiecta caligine perculſus fuerat Abram: nunc in medio clibani fumantis videt lampadem ardentem. Multi ſacrificium igne conſumptum fuiſſe exiſtimant: ego autem potius ſymbolum futuræ liberationis fuiſſe interpretor, quod cum reipſa congrueret. Sunt enim duæ res in ſpeciem contrariæ, fumi obſcuritas, & lampadis fulgor. Hinc Abram fore cognouit vt lux è tenebris demum emergeret. Quærenda ſemper analogia eſt ſignorum cum rebus, vt mutuò reſpondeant. Deinde quia ſymbolum per ſe exanime eſt cadauer, ad verbum, quod annexum eſt, ſemper debet referri. Atqui hîc in verbo, libertas ſemini Abræ in media ſeruitute promiſſa fuit. Non potuit autem magis ad viuum depingi Eccleſiæ conditio, quàm dum facem ardentẽ ex fumo prodire fecit Deus, ne afflictionum caligo nos obruat: ſed bonam vitæ ſpem in morte foueamus: quia futurũ eſt tandem vt Dominus nobis affulgeat, ſi modò in ſacrificium nos illi offeramus.

18 *In die ipſo pepigit.* Libenter admitto quod ſuperius attigi, ſolenni ritu ſancitum fuiſſe fœdus, quum ſecta fuerũt animalia in partes. Videtur enim eſſe repetitio, in qua docet quorſum ſpectauerit ſacrificium illud cuius meminit. Vbi etiam obſeruare licet quod dixi, ſemper cõiungi verbum ſymbolis, ne inanibus cæremoniis ſine fructu paſcantur oculi. Iuſſit Deus ſibi offerri animalia: ſed finem & vſum addita pactione, ſimul monſtrauit. Cæterùm ſi Dominus per ſacramẽta nobiſcum paciſcitur, colligimus gratiæ eius eſſe teſtimonia, & ſpiritualium bonorum quæ inde manãt, teſſeras. Populos quorum terras daturus erat Deus filiis Abræ, ideo recenſet, vt confirmet quod prius de numeroſa ſobole dixit. Neque enim exigua hominũ manus futura erat: ſed ingens multitudo, cui Dominus habitationem tam longè, latéque patentem deſtinat. Prius loquutus erat de ſolis Amorrhæis, quorum tunc fortè hoſpes erat Abram: ſed nunc amplificandæ gratiæ ſuæ cauſa nominatim alios omnes recenſet.

Cap. XVI.

1 ET Sarái vxor Abrám nõ pepererat ei: erat autem ei ancilla AEgyptia, & nomen eius Hagár.

2 Et dixit Sarái ad Abrám, Ecce nunc concluſit me Dominus ne parerem: ingredere nunc ad ancillã meam, ſi fortè ædificer ex ea. & paruit Abrã voci Sarái.

3 Et tulit Sarái vxor Abrám, Hagár AEgyptiam ancillam ſuam in fine decem annorum quibus habitauit Abram in terra Chenaán, & dedit eam Abrám viro ſuo in vxorem.

4 Et ingreſſus eſt ad Hagár, & concepit: & videns quòd concepiſſet, deſpectui habuit dominam ſuam in oculis ſuis.

5 Et dixit Sarái ad Abrám, Iniuria mea ſuper te: ego dedi ancillam meam in ſinu tuo: & videns quòd concepiſſet, deſpectui ſum in oculis eius: iudicet Dominus inter me & te.

6 Et dixit Abrám ad Sarái, Ecce ancilla tua in manu tua, fac ei quod bonum eſt in oculis tuis. & afflixit eam Sarái, & fugit à facie eius.

7 Et inuenit eam Angelus Domini iuxta fontem aquæ in deſerto, iuxta fontem in via Sur.

8 Et dixit, Hagar ancilla Sarái, vnde venis, & quò vadis? Et dixit, A facie Sarái dominæ meæ ego fugio.

9 Et dixit ei Angelus Domini, Reuertere ad dominã tuam, & humilia te ſub

manibus eius.

10 Et dixit ei Angelus Domini, Multiplicãdo multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine.

11 Et dixit ei Angelus Dominí, Ecce es prægnãs, & paries filium, & vocabis nomen eius Iſmaél: quia audiuit Dominus afflictionem tuam.

12 Et ipſe erit ferus homo, manus eius in omnes, & manus omnium in eum: & coram omnibus fratribus ſuis habitabit.

13 Et vocauit nomen Domini qui loquebatur ſibi, Tu Deus videns me. quia dixit, Nónne etiam hîc vidi poſt videntem me?

14 Idcirco vocauit puteum, Puteum viuentis videntis me: ecce eſt inter Cadés & Báred.

15 Et peperit Hagár ipſi Abrám filium: & vocauit Abrám nomen filii ſui quẽ peperit Hagár, Iſmaél.

16 Et Abrám erat octoginta annorum & ſex annorum quando peperit Hagár Iſmael ipſi Abrám.

1 *Sarai uxor Abram.* Hîc nouam hiſtoriam refert Moſes, quòd Sarai longioris moræ tædio rationem alienam à verbo Dei apud ſe quæſierit, qua ſemen ex marito ſuo ſuſciperet. Videbat ſe eſſe ſterilem, & pariendi ætatem exceſſerat. Nouo igitur remedio opus eſſe colligit, vt promiſſam benedictionem obtineat Abram. Conſiliũ verò ducendæ ſecũdæ vxoris non ab ipſo Abram, ſed à Sarai profectum eſſe, nominatim recitat Moſes: vt ſciamus ſanctum virum nõ libidine impulſum fuiſſe ad has nuptias, ſed quum nihil tale cogitaret, hortatu vxoris fuiſſe inductum. Quæritur tamen, an ſobolis tantum deſiderio Sarai ancillam ſuam in locum ſuum ſubſtituerit. Id quidem nonnullis videtur. atqui mihi non eſt credibile, piam matronam earum promiſſionum, quæ toties marito repetitæ fuerant, non fuiſſe conſciam. Imò id pluſquam confeſſum eſſe debet inter omnes pios, matrem populi Dei eiuſdem cum marito gratiæ participem fuiſſe, ac ſociam. Non igitur naturaliter tantùm, vt fieri ſolet, prolem appetit Sarai: ſed benedictionis (quam ſciebat diuinitus promiſſam eſſe) potiundæ voto, coniugalem thorum ſponte alteri cedit: nõ quòd diuortium faciat cum marito, ſed quia marito alteram vxorem aſſignat, è qua liberos ſuſcipiat. Et ſanè ſi vulgari modo prolem optaſſet, potius in mentem veniſſet adoptione facere, quàm dare ſecũdæ vxori locum. Scimus enim quãtus ſit in mulieribus zelotypiæ ardor. Ergo promiſſionis incuitu iuris ſui oblita, nonniſi de procreandis Abræ liberis cogitat. Memorabile exemplũ, ex quo non exiguus fructus ad nos redit. Sic enim laudabile fuit votum Sarai quoad finem, vel ſcopum in quem tendebat, vt tamen in ipſo progreſſu nõ leuiter peccarit, quòd orbitatis impatiens, à Dei verbo diſceſſit, vt verbi effectu frueretur. Dum ſterilitatem ſuam, & ſenium reputat, obrepit deſperatio, niſi aliunde liberos gignat Abram: in eo iam eſt aliquid vitii. Verùm vt res eſſet deſperata, non debuit tamen quicquam aggredi, niſi Dei voluntati, & legitimo naturæ ordini conſentaneum. Deus ex ſancto connubio propagari voluit humanum genus: Sarai connubii legem peruertit, lectum coniugalem, qui duobus dicatus erat, polluendo. Nec valet excuſatio, quòd concubinam vxoris loco eſſe voluerit: quia fixum illud manere debuerat, mulierem viro adiunctã eſſe, vt eſſent duo in carnem vnam. Tametſi iam polygamia apud multos inualuerat: legem tamen illam, qua duo inter ſe mutuò obligantur, conuellere nunquam fuit in hominũ arbitrio. Nec culpa etiam vacauit Abram, quòd ſtulto, ac præpoſtero vxoris conſilio obſequutus eſt. Ergo vt vitioſa fuit præcipitantia Sarai: ita reprehenſione digna eſt Abræ facilitas. Vtriuſque autem claudicauit fides, non in ſubſtantia quidem, ſed in medio ipſo, vt loquuntur, vel agendi ratione, dum ſobolem quæ à Deo ſperanda erat, extra legitimam Dei ordinationem quærere feſtinant. Vnde etiam monemur, quàm non fruſtrà Deus ſuos quieſcere, & cum ſilentio expectare iubeat, quoties eorum vota differt ac ſuſpendit. Nam & qui ante tempus properant, non modo anteuertunt Dei prouidẽtiam, ſed Dei verbo non contenti, ſe proiiciunt vltra metas. Verum videtur aliud ſpectaſſe Sarai, quæ nõ modo Abram cupit fieri patrem: ſed maternum etiam ius, & honorem ſibi vult acquirere. Reſpondeo, quũ ſciret in ſemine Abræ benedicendas eſſe omnes gentes, mirũ non eſſe ſi ſocietate honoris noluerit priuari: ne reſecta à corpore benedicto, quaſi putridũ membrum, extranea quoque à ſalute promiſſa foret. *Non pepererat ei.* Videtur excuſandi cauſa hoc poſitum. Et certè Moſes ſignificat non antè petiiſſe ſubſidium ab vtero ancillæ, quàm vbi neceſſitas id facere coegit. Et verba eius declarant, patienter & modeſtè expectaſſe quidnam facturus eſſet Deus vſque

dum ſpes in totum præciſa foret,quum dicit ſe ab illo concluſam ne amplius pariat.Quid igitur in ea culpæ reperiemus? Nempe quòd debuerat hãc curam reiicere in ſinum Dei,nec eius virtutẽ alligare ordini naturæ,vel reſtringere ad ſuum ſenſum.Deinde quòd ex præterito colligens quid poſtea futurum ſit,non cogitat in manu eſſe Dei vuluam quam concluſerat,rurſus aperire.

2 *Si forte ædificer.* Phraſis Hebraica, pro eo quod eſt,fieri matrẽ.Quanquã filiari quidã exponunt. Et certè בן,quod eſt Hebræis filius,huic verbo reſpondet. Sed quia metaphoricè ſic vocati ſunt filii,quòd generis fulturæ ſint,& familiam ædificent,retinẽda eſt propria verbi ſignificatio. Fœtum verò quem pariet Agar,iure dominii ſibi vendicat Sarai,quia ſibi non pariebant ancillæ, ſicuti nec corporis ſui habebant poteſtatem. Dum autem prior maritum compellat, non modo admittit concubinam quæ inſtar pellicis futura erat:ſed ingerit & obtrudit. Atque hinc apparet, ex quo homines ſibi plus ſapere permittunt quàm fas eſt,procliuem eſſe inde lapſum ad tentanda illicita media.Ex zelo fidei naſcitur Sarai affectus:ſed quia non ſubiicitur Deo, vt eius opportunitatem expectet, ſtatim tranſilit ad polygamiam, quæ nihil erat aliud quàm iuſti coniugii corruptio. Porrò quum Sarai tam ſancta mulier, inſtar flabelli, ad eandem qua ipſa feruebat impatientiam maritum ſolicitet:hinc diſcamus quàm ſedulò nobis agendæ ſint excubiæ, nequa occulta fraude nos circunueniat Satan.Neque enim improbos tãtùm,& ſceleratos ſubornat qui ex profeſſo fidem noſtram oppugnent: ſed vt incautos opprimat,clàm interdum ac furtim per bonos & ſimplices nos adoritur. Vndique igitur cauendæ ſunt eius inſidiæ, nequâ per cuniculos obrepat. *Et paruit Abram.* Vacillat quidem Abræ fides, quum à Dei verbo declinans, vxoris impulſu ad remedium quod diuinitus prohibitũ erat,tranſferri ſe patitur.Retinet tamen fundamentum: quia non dubitat quin tandem ſenſurus ſit Deum veracẽ.Quo exemplo docemur non eſſe cur deſpõdeamus animos, ſiquando fidem noſtrã concutiat Satan, modò ne labefactetur in cordibus noſtris Dei veritas. Interea quum videmus Abrã qui per tot annos inſtar inuicti athletæ fortiter luctatus fuerat, & tam ardua obſtacula tranſcenderat, nunc momento vno tentationi ſuccumbere:quis noſtrûm ſibi non metuat à ſimili periculo:Quantunuis ergo diu & conſtanter in fide ſteterimus,quotidie rogandus eſt Deus ne in tentationem nos inducat.

3 *Et dedit eam Abram uiro ſuo.* Quale fuerit Sarai conſilium,exprimit Moſes. neque enim domi ſuæ voluit erigere lupanar, nec ancillæ ſuæ productrix vel mariti lena eſſe. Impropriè tamen vocatur vxor,quæ præter Dei Legem in alienum thorum inducitur.Quare ſciamus hunc concubitũ ſic illicitum fuiſſe,vt inter ſcortationem & coniugiũ quaſi medius fuerit. Idem omnibus commentis accidit,quæ Dei verbo aſſuuntur.Quamlibet enim honeſto tegantur prætextu,corruptela ſubeſt,quæ à verbi puritate degenerat,eámque vitiat.

4 *Et deſpectui fuit domina eius.* Hîc narrat Moſes mox ſequutam fuiſſe pœnã nimiæ feſtinationis, Præcipua quidem culpa penes Sarai reſidebat: quia tamẽ Abrã nimis ſe credulum præbuerat, vtrunque pro merito caſtigat Deus: Sarai,quod graue & acerbũ fuit,ſuperbè deſpicitur ab ancilla:Abram iniuſtis querimoniis vexatur.ita videmus ambos ſuæ leuitatis pœnas dare: & ſucceſſu deſtitui commẽtum, quod à Sarai excuſum,nimis cupidè amplexus fuerat Abrã. Interea proponitur nobis in Agar exemplum ingratitudinis,quæ inſigni beneficio & honore affecta,dominam ſuam contemptui habere incipit. Quia autẽ hic eſt pluſquam vulgaris morbus, aſſuefaciant ſe fideles ad tolerantiam, ſiquando illis tam iniqua merces pro beneficiis rependitur. Præſertim verò nos moueat infirmitas Sarai,quæ ancillæ contemptum ferre nequit.

5 *Iniuria mea ſuper te.* Hæc quoque pars caſtigationis fuit,quòd humiliata fuit Sarai,vt ſibi ad tempus excideret,& intemperie percita adeò ſe impotenter gereret.Certè quantum in ſe fuerat, præcipitem egerat maritum: nunc proteruè illi inſultat, quanuis innoxio.Nihil enim affert in quo ſit culpandus Abrã.Exprobrat quòd ancillã illi dederit in ſinũ,ab ea ſe contemni queritur: ſed nondũ Abræ animum tẽtauit,velítne malam cauſam iuuare ſuo patrocinio.Ita verò cæcus eſt iracundiæ impetus, temerè huc & illuc irruit, & ſine inquiſitione damnat qui prorſus à culpa ſunt immunes. Siqua vnquam manſueti, & placidi fuit ſpiritus mulier, ea virtute excelluit Sarai. Quum ergo vna offenſa excuſſam illi videmus fuiſſe patientiam, eo magis quiſque noſtrûm ad temperandos ſuos motus intentus ſit. *Iudicet Dominus inter me & te.* Abutitur Dei nomine, ac illi propemodum excidit eius reuerentia, quæ tantopere piis commẽdatur. Prouocat ad Dei iudicium. Quid hoc aliud eſt quàm exitium capiti ſuo accerſere? nã vbi ſe iudicem interpoſuerit Deus, neceſſe eſt vt vindictam ab alterutro exigat. Abrã nihil intulit iniuriæ.Supereſt igitur,vt Deum,cuius iram ſibi, vel marito temerè imprecatur, ſentiat vltorem. Si de profana aliqua muliere hoc referret Moſes,poſſet quaſi vſitatum contemni. Nunc verò in perſona matris fidelium oſtendit Dominus primùm quàm violentus ſit iracundiæ feruor,& quorſum homines abripiat. Deinde quantopere cæcutiât qui ſibi indulgẽt in propriis negotiis:vt diſcamus nobis ſuſpecti eſſe quoties res noſtra agitur. Aliud etiã hic notatu in primis dignũ eſt,domos o-

ptimè compoſitas interdum iurgiis non carere: imò hoc malum penetrare vſque ad Eccleſiam Dei. nam domum Abræ, quæ litibus turbatur, ſcimus fuiſſe viuam Eccleſiæ effigiem. Quòd ad rixas domeſticas pertinet, ſcimus præcipuam partē vitæ ſocialis, quam ſacrauit Deus inter homines, in coniugio eſſe: & tamen interueniunt varia incommoda, quæ ſingula illud bonum velut maculis aſpergant. Ad has mōleſtias deuorandas ſeſe comparent fideles oportet. Ad eam rem valde proderit reputare huius mali originem. quicquid enim moleſtiarum in coniugio ſentiunt homines, peccato imputare debent.

6 *Ecce ancilla tua* Apparet ex reſponſo Abræ, quāta fuerit eius humanitas, & modeſtia. Nō iurgatur cum vxore: & quum optimam cauſam habeat, pertinaciter tamen eam non tuetur: ſed vxorem ſibi datam ſponte remittit. Denique pacis redimendæ cauſa maritalem, & paternum exuit affectū. Nam quum Agar infeſtæ dominæ arbitrio permittit, non indulget tanquā vxori, & ſpē in vtero eius conceptā, quodāmodo negligit. Nec dubiū eſt quin tā æquus, ac placidus fuerit in ferēda vxoris intemperie, quia tota vita morigerā expertus erat. Magna tamen virtus fuit, animū ſuū in tanta indignitate frænare. Cæterū hīc quæri poteſt, quomodo cura ſeminis benedicti ex eius animo tunc euanuerit. Grauida eſt Agar: ſemen ex ea proditurum ſperat, ex quo promiſſa eſt mundo ſalus. Cur non poſthabita Sarai, ſuum illuc amorem, ſtudiúmque magis applicat? Verū hinc colligimus, omnes humanas cogitationes effluere, & abire in fumū ſimulatq; gratuior inciderit tētatio. Sūpta præter Dei mandatū vxore, rem bene, & fœliciter ceſſiſſe putat dum prægnantem videt, ac ſibi placet in ſtulta audacia. dum repentè exoritur contentio, nihil habet cōſilii, & ſpem totā abiicit, vel ſaltem obliuiſcitur. vt nobis accidere neceſſe eſt, quoties aliquid aggredimur præter Dei verbū, vt ad primū quenque trepidationis ventū mentes labaſcant: quarum vna eſt hæc ſtabilitas, Deū habere authorem. Interea fidem ſerui ſui à rubigine Deus repurgat. ſuū enim & vxoris figmentū miſcēdo cum verbo Dei, illā quaſi ſuffocauerat. quare vt rurſus ad liquidū eluceat, reſecatur illud ſuperfluum. Hoc modo Deus prauis noſtris conſiliis ſe opponens, à ſocordia nos ad ſanā mētem reuocat. Simplex data erat promiſſio, Semini tuo benedicam. Additamētum Sarai ſuperuenerat, nullum fore ſemen niſi ſuppoſititium ex Hagar. lutum hoc humanæ cogitationis, quo deformata promiſſio fuerat, abſtergi oportuit, ne aliter ſaperet Abram quàm ex puro Dei verbo. *Et afflixit eam Sarai.* Verbū ענה, quo vtitur Moſes, affligere & humiliare ſignificat. Ego poſitum eſſe interpretor pro in ordinē cogere. Cæterū difficile fuit irataæ mulieri in reprimenda ancillæ inſolētia modū tenere. Quare fieri poteſt vt acrius quàm par erat, ſæuierit in illā, non tā officii ſui memor, quàm de vlciſcēda offenſa cogitans. Quia nihil gratuiius exprimit Moſes, quod certū eſt amplector: iure ſuo vſam fuiſſe Sarai in compeſcenda ancillæ proteruia. Et certè ab euentu iudiciū facere licet, non tam fæuitia dominæ, quàm propria contumacia impulſam fuiſſe Hagar vt fugeret. Malè ſibi conſcia erat: nec probabile eſt, niſi pluribus & quidem atrocibus offenſis tantopere accēſam fuiſſe Sarai. Seruilis igitur ingenii mulier, & indomitæ ferociæ, fugere maluit, quàm humili culpæ agnitione redire in gratiam.

7 *Et inuenit eam Angelus.* Hīc docemur quàm clementer agat Dominus cum ſuis, licet graues pœnas meriti ſint. Sicuti pœnam Abræ & Sarai prius mitigauit, ita nunc paterno oculo reſpicit Hagar: vt totam domum ſua gratia proſequatur. Non parcit quidem illis prorſus, ne vitia eorum foueat: ſed moderatis remediis corrigit. Probabile quidem eſt, quum in deſertum Sur profecta eſt Hagar, de reditu in patriam cogitaſſe. Deſerti tamen & ſolitudinis videtur facta eſſe mētio, vt ſciamus miſerè afflictam extra hominum conſpectum erraſſe, dum illi Angelus occurrit. Tametſi autem viſionis formam non exprimit Moſes: non tamen dubito quin humano corpore indutus fuerit, in quo tamen fulgerent manifeſtæ cæleſtis gloriæ notæ.

8 *Hagar ancilla Sarai.* Hoc epitheto declarat Angelus, tametſi è manibus dominæ elapſa foret, manere tamē ſeruā: quia nō furto, nec plagio, ſed manumiſſione pariatur libertas. Porrò hac etiā voce oſtendit Deus, ſibi probari ordinem politicū, nec eius violationem excuſabilem eſſe. Dura tunc erat ſeruitutis conditio: ac gratiæ Domino agendæ ſunt quòd abolita fuerit ea barbaries. & tamen Deus è cælo pronuntiauit, ſibi placere vt ſerui iugum perferrent, ſicuti etiam per os Pauli non vocat ſeruos ad pileū: nec dominos, illorū vſu priuat: ſed tantū benignè & liberaliter iubet tractari. Colligitur etiam ex temporis circunſtantia, non modo neceſſitate colendum eſſe politicum ordinem, ſed propter conſcientiam parendum eſſe legitimis imperiis. Nam quanuis Hagar fugitiua, non vi amplius & manu ad obſequium cogi poſſet, non tamen coram Deo mutata erat eius conditio. Eodem argumento probatur, ſiquando ſeruos durius premant domini: vel qui præſunt, ſubiectos aſperius quàm pro æquitate, vrgeant: ferendum tamen eſſe illorum rigorem, nec iuſtam excutiendi iugi eſſe cauſam, licet nimis imperioſè poteſtatem ſuā exerceant. In ſumma, quoties in mentem venit, aliquem fraudare ſuo iure, aut nos vocatione iuſta eximere, auribus noſtris inſonet vox Angeli, acſi Deus iniecta manu nos retraheret. Reddent olim rationem

Epheſ. 6. b. 9

Deo, qui ſuperbè vel tyrannicè dominati fuerint: ſubiectis interea eorum ferenda eſt aſperitas, donec ſuccurrat Deus, cuius proprium eſt erigere abiectos, & oppreſſos leuare. Si fiat comparatio: ius Magiſtratuum longè tolerabilius eſt, quàm fuerit dominium illud vetus. Patria verò poteſtas naturaliter amabilis eſt, ac fauore digna. Si cohibita fuit Dei iuſſu fuga Hagar, multo min' vel populi feret laſciuiam qui in ſuum principem proteruiet, vel filiorum contumaciam, qui ſe parentum obſequio ſubduxerint. *Vnde uenis?* Non inquirit quaſi de re dubia: ſed vt nullum ſubterfugiis locũ eſſe Hagar nouerit, præciſè obiurgat eius fugam: acſi dixiſſet, Deſerta ſtatione tua nihil vagando proficies: quia manum Dei tandem nõ effugies, quæ illic te collocauerat. Fieri etiam poteſt vt diſceſſum exprobret ab ea domo quæ terrenũ Dei tunc ſacrariũ erat. neque enim ignara erat Deũ illic peculiari modo coli. Quanuis autem crudelitatis dominã ſuam obliquè inſimulet, dicẽs ſe fugere ab eius cõſpectu: Angelus tamen, vt ſubterfugiis omnibus viã obſtruat, iubet reuerti & ſe humiliare. Quibus verbis primũ ſignificat, nimis auſtero vel impotenti eorũ qui præſunt, dominio nõ ſolui ſubiectionis vinculum: deinde in ipſam Hagar, mali culpã retorquet, quòd ſe contumaciter dominæ oppoſuerat: & ſuæ conditionis immemor, inſolentius & ferocius quàm decebat ancillã, ſe extulerat. In ſumma, quũ merito ob ſua delicta plectatur, iubet remediũ ab eorum correctione petere. Et certè quum nihil melius ſit, quàm obſequiis & tolerantia, eorũ placare duritiem, quibus in nos eſt poteſtas: vbi noſtra ſuperbia ſunt offenſi, tunc præſertim danda eſt opera vt ad manſuetudinem humilitate flectantur.

10 *Multiplicando multiplicabo.* Vt mitiget offenſionẽ, & quod in præcepto graue erat, ſolatio aliquo leuet, benedictionem promittit in fœtu quem geſtat. Poterat quidẽ iure ſuo Deus præciſè iniungere quod iuſtũ erat: ſed quo libẽtius faciat Hagar, quod officii ſui eſſe agnoſcit, quaſi blãditiis eam allicit ad parendum. Atque huc ſpectãt promiſſiones, quibus nos ad volũtarium obſequium inuitat. Neque enim ſeruiliter vult nos trahere, vt coacti præſtemus quod nobis mãdatum eſt: ideo blandas, & paternas inuitationes miſcet, & liberaliter nõ ſecus ac cum filiis, nobiſcũ agit. Quòd Angelus facturum ſe promittit quod vnius Dei propriũ erat, in eo nihil eſt abſurdi: ſatis enim vſitatum eſt, Deum induere perſonam ſuam miniſtris quos mittit, quo maior conſtet verbo eius authoritas. Quanquam non improbo quod pleriſque veterum placuit, Chriſtum mediatorem ſemper omnibus oraculis præfuiſſe: & hanc eſſe cauſam cur dei maieſtas Angelis tribuatur. Qua de re aliquid iam ſuprà attigi, & opportunius plura alibi dicentur.

11 *Et paries filiũ.* Exponit Angelus quod breuiter de ſemine dixerat, quòd numerari præ multitudine nõ poſſet: ac initium facit ab Iſmaele, qui caput & origo futurus erat. Tametſi autẽ poſtea videbimus fuiſſe reprobũ: tamen honorifico nomine ipſum dignatur, vt temporale beneficiũ ornet cuius particeps fuit Iſmael, quia filius erat Abræ. Sic enim interpretor: quòd Deus monumentum extare ad poſteros voluerit paternæ beneuolentiæ qua complexus eſt totam Abræ domum. Quanuis enim ad Iſmaelem non ſpectaret vitæ æternæ fœdus: ne tamen prorſus expers gratiæ foret, patrem magni & famoſi populi Deus ipſum conſtituit. Atque ita videmus vt præſentis vitæ intuitu ſe extenderit eius bonitas ad carnale Abræ ſemen. Quòd ſi nomen Iſmael æternum temporalis ſui beneficii memoriale eſſe voluit, minimè ferenda erit noſtra ingratitudo: niſi cæleſtes eius, æternáſque gratias vſque ad mortẽ celebremus. *Audiuit Dominus afflictionem tuam.* Non legimus Hagar in ſuis anguſtiis confugiſſe ad preces: atque hoc coniicere potius licet ex verbis Moſis, quum obſtupeſceret in ſuis miſeriis, ſponte veniſſe Angelum. Notandum igitur eſt duobus modis reſpici homines à Deo, vt iuuẽtur: vel quum ſupplices eius fidem & auxilium implorant: vel quum eorum malis ſuccurrit, etiam non rogatus. Ac propriè quidem eos exaudire dicitur, qui eum liberatorem precibus inuocant. Interdum tamẽ quum muti iacent homines, nec vota ſua præ ſtupore ad eum dirigunt, exaudire dicitur eorum miſerias. Hoc poſterius in Hagar fuiſſe impletum probabile eſt: quia per deſertum erranti Deus ſponte occurrit. Cæterùm quia Deus vtplurimum auxilio ſuo deſtituit incredulos, donec lentis malis confecti tabeſcãt, vel eos ſtatim abſorberi patitur: nemo noſtrum ignauiæ ſuæ indulgeat, ſed malorũ ſenſu admoniti, protinus ipſum quæramus. Interim tamen hoc ad fidei confirmationem non parum valet, preces noſtras minimè ſpretum iri à Domino, qui ſocordes & ſtupidos auxilio ſuo præuenit: & qui adeſt non quærentibus eum, multo magis piis ſuorum votis propitium fore.

12 *Ipſe erit ferus.* Declarat Angelus qualis ſit futurus Iſmael. Simplex autẽ meo iudicio ſenſus eſt, Fore hominem bellicoſum, & hoſtibus formidabilẽ, vt eũ nemo impune laceſſat. Vocem פרא, quidam ſylueſtrem exponunt, & venãdis feris addictum. Atqui non aliunde petenda videtur expoſitio, quàm ex contextu: ſequitur enim continuò pòſt, *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* Quæritur tamen an cẽſeri inter Dei beneficia hoc debeat, manu armata vitæ ſuæ ſtatũ tueri: quũ pace nihil magis ſit expetendũ. Nodus ita ſolui poteſt, Quòd Iſmael, licet eũ hoſtiliter oppugnent omnes vicini, & vndique ad eum perdendũ conſpirent: vnus tamen ſatis magna virtute ad repellendos omniũ impetus præditus erit. Cæterùm exiſtimo Angelum minimè plenã

gratiam, sed medium aliquid Ismaeli promittere. In primis optãdum est vt pacem habeamus cum omnibus. Quia hoc Ismaeli negatur, quod secundum est ordine, illi datur, ne hostibus succumbat, sed fortis sit, & robustus ad vim eorum propulsandam. Non loquitur autem de hominis persona, sed de tota progenie: neque enim quod sequitur, in vnum hominem aptè quadraret. Si hæc expositio placeat, non simplex, nec mera benedictio hîc promittitur: sed tolerabilis status, vel mediocris, vt sentiat Ismael, cum posteris sibi in gratiam patris Abræ diuinitus aliquid concedi. Itaque minime in Dei beneficiis reputandum est, omnes habere infestos, & violenter omnibus resistere: sed hoc tanquam remedium, & leuamen mali additur, sustinendis hostibus parem fore, qui multos habebit aduersarios. *Habitabit ereגione fra.* Quũ hoc nonnisi in populum propriè competat, inde melius perspicimus eos falli qui locum restringunt ad Ismaelis personã. Porrò alii intelligunt posteris Ismaelis fixam habitationẽ fore corã inuitis fratribus: acsi diceret, violenter occupaturos terrã quã inhabitent, licet obstare conentur fratres. Alii contrariam sententiam afferunt, Ismaelitis in magna hostium copia non defore tamẽ amicos; & fratres. Ego verò neutram sententiam probo: potius enim significat Angelus, populum hũc à reliquis separatum fore. acsi diceret, Non erit pars, vel membrum vnius gentis: sed totum corpus efficiet, vt habeat distinctum & speciale nomen.

13 *Vocauit nomen Domini.* Non dubito quin significet Moses Hagar, postquã admonita fuit ab Angelo, mutasse animum: atque ita subactam, se vertisse ad preces. Nisi forte hîc linguæ potius confessio, quàm mutatio animi notatur. Ego tamen huc magis inclino, quòd Hagar prius fero, & indocili ingenio prædita, Dei prouidẽtiam nunc agnoscere demum incipiat. Cæterum quòd quidam Deum visionis vocari putãt, qui apparet, ac se patefacit hominibus: coactum est. Potius Hagar, quum prius sibi visa esset fortuitò raptari per desertum, nunc sentit, ac fatetur diuinitus gubernari res humanas. Quisquis autem se respici à Deo persuasus est, necesse est vt ambulet quasi sub eius oculis. *Nónne etiam hic uidi post uidentem me?* Quidam vertunt, Annon vidi post visionem meam? Verùm sic legitur vt reddidi. Porrò sententiæ obscuritas nobis varias expositiones peperit. Nonnulli ex Hebræis dicunt miratam fuisse Hagar viso Angelo: quia nusquam Deum conspici putabat nisi in domo Abræ. Sed hoc frigidum est: & Iudæos ita sæpe ineptire cogit sua ambitio, dum in iactanda gloria generis sui omne studium ponunt. Alii sic accipiunt, An ego vidi post visionem meam: hoc est, adeò tarde vt videndo cæcutirem? Secundum eos duplex fuit visio Hagar: prior erronea, quum in Angelo nihil cæleste apprehenderet: altera autem vera, postquam tacta est Diuinitatis sensu. Quibusdam videtur subaudienda esse negatiua rẽsponsio: acsi diceret, Non vidi illum abeuntem. vt ex subita disparitione colligat Hagar fuisse Dei Angelum. In secundo etiã membro dissentiunt interpretes. Hieronymus vertit, Posteriora videntis me. quod multi ad obscuram visionem referunt: vt sit metaphorica loquutio. Quemadmodum enim non perspicuè agnoscimus homines à tergo: ita dicuntur videre tergum Dei quibus nõ palàm, neque ad liquidum se manifestat. atque hæc opinio communiter recepta est. Alii diuersa figura Mosen vsum esse existimant: dorsũ enim, Dei pro sẽsu iræ eius accipiũt: sicuti lucere nobis dicitur eius facies, dum se propitium, ac fauentem ostendit. Ita secũdũ eos sensus est, Putaui me elapsam esse, ne amplius Dei ferulis, vel castigationi obnoxia essem: sed hîc quoque mihi infensum esse sentio. Hactenus breuiter retuli quid alii tradant. Quanquam autem singulis expositionibus refutandis insistere consilium non est: liberè tamen dico neminem horũ interpretum Mosis mentem assequutum esse. Libenter quidem recipio quod afferũt quidam, Hagar mirari Dei bonitatem: à quo fuerit etiam in deserto respecta. Sed illud neque nihil est, neque totum. Primùm se obiurgat Hagar, quòd quum prius nimis cæcutiuisset, nunc quoque nimis tardè, & segniter oculos ad Deum cernendum aperuerit. Suum enim torporem à circunstantia loci & temporis amplificat. Sæpius multis documẽtis experta erat se respici à Domino: cæcutiẽs tamẽ cõtemserat eius prouidentiã, acsi clausis oculis illũ sibi coram oblatũ præteriret. Nunc se accusat quòd nõ citius experrecta sit, simulatque apparuit Angelus. Loci etiam notatio multũ momenti habet, quòd Deus qui se illi adesse semper testatus fuerat in domo Abræ, nunc fugitiuam prosequutus sit vsque in desertũ. Illa certè iam nimis crassa fuerat ingratitudo, cæcutire ad præsentiam Dei: & quum se ab eo respici agnosceret, non vicissim ad eius intuitum oculos tollere. Sed hæc turpior adhuc cæcitas, quũ vaga & exul iustas suæ peruicaciæ pœnas daret, respici à Domino, nec præsentem etiã tunc agnoscere. Nunc videmus quorsum tendat obiurgatio, Antehac Deum non quæsiui, nec ad eum respexi nisi coacta, quum prior suo me intuitu dignatus esset: nũc etiam in deserto, vbi malis afflicta, saltem expergefieri debueram, meo more obstupui: neque in cælum vnquam sustulissem oculos, nisi prius fuissem à Domino respecta.

14 *Idcirco uocauit.* Ego eorũ sententiæ subscribo, qui verbũ קרא indefinite accipiũt: quod satis tritum est linguæ Hebraicæ. Quo sensus clarior sit, potest in passiuum resolui, quòd vocatus sit

puteus.Hanc tamen vulgarem appellationem ab Hagar profectam fuisse arbitror, quæ vna simplici confessione non contenta,testatam in futurum tempus esse voluerit Dei gratiam : ideóque eius testimonium quasi per manus tradiderit. Hinc colligimus,quàm vtile sit plagis domari,quicunque non sua sponte humiliantur.Hagar,quæ semper ferox & rebellis fuerat,tunc verò prorsus excusserat iugum, nunc alia prorsus apparet, postquam malis fracta fuit cordis eius durities. Quanquam non solis plagis in ordinem fuit coacta: sed accessit etiam cælestis visio quæ eam penitus corrigeret. Atque idem nobis necessarium est,nempe vt Deus nos manu sua castigans,spiritu etiam suo ad mansuetudinem submittat. Quidam ex Hebræis nomen ab Ismaele viuo, & Deo vidente impositum fuisse dicunt: quasi duplicis esset gratiæ testimonium, quòd Ismael à morte reuixerit,& Deus respexerit Hagar eius matrem.Sed illi perperam mutilant quæ coniuncta sunt.testari enim voluit Hagar se à Deo viuo,vel autore vitæ fuisse respectam.

15 *Et uocauit Abram.* Iussa quidem fuerat Hagar nomen illud dare filio:sed Moses naturæ ordinem sequitur, quia patres nominis impositione, quam habent in filios potestatem testantur. Colligere autem promptum est,Hagar vbi domum reuersa est,quæ acciderant retulisse. Ergo Abram Deo se morigerum & gratum ostendit:quia & filium nominat ex Angeli mandato,& Dei bonitatem in exaudienda miseria Hagar celebrat.

Cap. XVII.

1 ET fuit Abrám nonaginta & nouem annorum:&visus est Dominus Abrám, dixítque ad eũ,Ego Deus omnipotẽs,ambula coram me, & esto perfectus.
2 Et ponam pactum meum inter me & te,& multiplicabo te vehementissimé.
3 Et prostrauit se Abrám super faciem suã,& loquutus est cũ eo Deus, dicẽdo,
4 Ego,ecce pactum meum tecum,& eris in patrem multitudinis Gentium.
5 Et nõ vocabitur vltrà nomen tuum Abrám: sed erit nomentuum Abrahám: quia patrem multitudinis Gentium posui te.
6 Et multiplicabo te valde,& ponam te in gentes, & Reges ex te egredientur.
7 Et statuam fœdus meum inter me & te,& inter semen tuum post te in generationes suas,in fœdus perpetuum,vt sim tibi in Deum,& semini tuo post te.
8 Et dabo tibi & semini tuo post te, terram peregrinationum tuarum,omnem terram Chenáan in possessionem perpetuam,& ero eis in Deum.
9 Et dixit Deus ad Abrahám,Et tu pactum meum custodies,tu &semen tuum post te in generationibus suis.
10 Hoc pactum meum quod custodietis inter me &vos,& inter semen tuũ post te,*ut* circuncidatur in vobis omnis masculus.
11 Et circuncidetis carnem præputii vestri , & erit in signum fœderis inter me & vos.
12 Et filius octo dierum circuncidetur in vobis: omnis masculus in generationes vestras,verna,& emptus argento ab omni filio alienigenæ qui non est de semine tuo.
13 Circuncidendo circuncidetur verna tuus,& emptus argento tuo,& erit pactũ meum in carne vestra in pactum perpetuum.
14 Et præputiatus masculus cui non circuncisa fuerit caro præputii sui,extermi nabitur anima ipsa de populis suis,*quia* pactum meum irritum fecit.
15 Et dixit Deus ad Abrahám,Sarái vxoris tuæ non vocabis nomẽ Sarái,sed Saráh est nomen eius.
16 Et benedicam ei,& etiam dabo ex ea tibi filium,& benedicam ei, & erit in gẽtes:Reges populorum ex ea erunt.
17 Et prostrauit se Abrahám in faciem suam, & risit, dixítque in corde suo, Nũquid viro centum annorum nascetur *proles*? & an Saráh mulier nonaginta annorum pariet?

18 Et dixit Abrahám ad Deum, Vtinam Iſmaél viuat coram te.
19 Et dixit Deus, Verè Saráh vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Iſhác: & ſtatuam pactum meum cum eo in pactum perpetuũ, & cum ſemine eius poſt eum.
20 Et pro Iſmaél audiui te: ecce benedixi ei, & creſcere faciam eum, & multiplicare faciam eum valde valde: duodecim principes generabit, & ponam eum in gentem magnam.
21 Et pactum meum ſtatuã cum Iſhác quem pariet tibi Saráh in tempore hoc, anno altero.
22 Et finiuit loqui cum eo, & aſcendit Deus ab Abrahám.
23 Et Abrahám tulit Iſmaél filium ſuum, & omnes vernas domus ſuæ, & omnẽ acquiſitum argento ſuo: omnis maſculi in viris domus ſuæ circuncîdit carnem præputii eorũ in ipſomet die, ſicut loquutus fuerat cum eo Deus.
24 Et Abrahám erat vir nonaginta & nouem annorum quando circunciſa fuit caro præputii ipſius.
25 Et Iſmaél filius eius erat tredecim annorum quando circunciſus eſt ipſe in carne præputii ſui.
26 In ipſomet die circunciſus eſt Abrahám & Iſmaél filius eius.
27 Et omnes viri domus eius, verna domus, & emptus argẽto à filio alienigenæ, circunciſi ſunt cum ipſo.

1 *Nonaginta & nouem annorum.* Moſes annos tredecim vitæ Abram tranſilit: non quòd interea nihil acciderit memoratu dignum, ſed quia Spiritus Dei ſuo arbitrio delegit quæ cognitu maximè neceſſaria erant. Cõſultò autem deſignat quantum temporis effluxerit ex quo natus eſt Iſmael vſque dum promiſſus fuit Iſaac: vt ſciamus ipſum diu acquieuiſſe in eo filio qui tandem abdicandus erat, & quaſi inani ſpecie deluſum. Interea videmus vt eum Dominus circunduxerit. Et fieri poteſt vt ipſe ſua culpa moram attulerit promiſſioni, dum properauit ad ſecũdas nuptias, quia tamen nihil tale exprimitur à Moſe, in medio relinquo. Sufficiat ſumere quæ certa ſunt: nempe quòd Abram vnico filio contentus, ſemen aliud appetere deſierit. Orbitas prius ipſum ad preces aſſiduas & gemitus ſtimulabat. ſic enim animo eius infixa erat Dei promiſſio, vt ardenter ferretur in eius complementũ. Nunc ſe voti compotẽ falſò exiſtimans, obiectu carnalis filii ab expetẽdo ſpirituali ſemine abducitur. Rurſum mira in eo Dei bonitas ſe exerit, dũ in ſpem nouã præter opinionem & votum ipſe Abram erigitur, ſibíque datũ eſſe repente audit, quod petere nunquam in mentẽ veniſſet. Si quotidie precibus flagitaſſet, non tam apertè nobis cõſtaret gratuito Dei dono fuiſſe illi conceſſum, quàm dum offertur non cogitanti, nec petenti. Priuſquã tamen ad Iſaac veniamus, ordinem & cõtextum verborum notare operæpretium eſt. Primùm dicit Moſes Dominũ illi apparuiſſe: vt ſciamus nõ arcana tantũ reuelatione delatũ fuiſſe oraculum, ſed viſionem ſimul additã. Cæterũ non muta fuit viſio, ſed annexum habuit verbum vnde proficeret Abræ fides. Iam verbum ſummatim hoc continet, quòd Deus fœdus paciſcitur cum Abram. deinde quale ſit fœdus ipſum, declarat, & tandem obſignat addita teſſera. *Ego ſum Deus omnipotens.* Pro Deo hîc habetur Hebraicum nomẽ El, quod à potentia deductum eſt. Eodẽ pertinet epitheton שדי, acſi pronũtiaret Deus, ſe ad protegendum Abram ſatis habere virtutis, quia nunquã aliter conſiſtit fides noſtra, quám dũ certò perſuaſi vnicũ Dei præſidiũ nobis ſufficere, quicquid ſaluti noſtræ in mundo aduerſum eſt, ſecurè deſpicimus. Non iactat ergo Deus potẽtiã ſuam quæ penes ipſum ſuppreſſa lateat, ſed quam explicat erga filios ſuos, vt inde materiam fiduciæ cõcipiat Abrã. Ita in his verbis incluſa eſt promiſſio. *Ambula coram me.* Quid hæc loquutio valeat, alibi diximus. In fœdere pãgendo ſtipulatur Deus à ſeruo ſuo obediẽtiam. Sed nõ fruſtrà præfatus eſt Deus ſe fortẽ eſſe Deum, & inſtructũ virtute ad ſuos iuuãdos: quia reuocari ab aliis omnibus oportuit Abram, vt totum ſe vni Deo addiceret. Nemo enim vnquam ad Deũ ſe colliget, niſi qui creaturis in ordinem coactis, illum vnũ ſuſpiciet. Dei vero potentia vbi ſemel aguita fuerit, ſic nos in eius admirationem rapere debet, & eius reuerentia occupare mentes noſtras, vt nihil ab eo colendo nos impediat. Porrò quia Dei oculi, fidem & veritatem cordis reſpiciunt, iubetur Abrã integritati operam dare. Nam hominẽ perfectionum Hebræi nominant, qui animo eſt non fucato, nec duplici, ſed ſincerè rectitudinẽ colit. In ſumma, integritas cuius

hîc fit mentio,hypocrisi opponitur.Et sanè vbi cum Deo negotiũ est,non restat simulationi locus.Iam verò discimus ex his verbis in quem finem Deus Ecclesiam sibi colligat:nẽpe vt sancti sint quos vocauit.Fũdamentũ quidẽ vocationis Diuinæ gratuita est promissio:sed hoc cõtinuò pòst sequitur,vt Dei iustitiæ se consecrent,quos ipse sibi delegit in populum peculiarem. Nam hac lege filios sibi adoptat,vt vicissim patris obtineat locum,& honorem.Sicut autem ipse non mentitur: ita iure mutuam fidem à suis exigit.Quare sciamus fidelibus Deum ideo patefieri,vt sub eius conspectu viuant: & illum sibi non operum modo ,sed cogitationum arbitrũ statuant. Vnde etiam colligimus,non aliã esse piè,rectéque viuendi normam, nisi quũ pendemus à Deo.

2 *Ponam fœdus meum.* Nunc plenius & vberius exponere incipit quod breuiter attigerat.Diximus bimembre fuisse Dei fœdus cum Abram. Prius membrum erat gratuiti amoris testimonium,cui annexa erat beatæ vitæ promissio.Alterum verò,exhortatio ad syncerum colendæ iustitiæ studium.Quia Deus vno tantum verbo leuem gratiæ suæ gustum dederat, & mox ad vocationis finem descenderat, vt Abram esset integer: quo libentius mentem, vitámque formare studeat tam ad reuerentiam Dei,quàm ad integritatem colendam: subiicitur vberior gratiæ declaratio,acsi dixisset Deus, Vide quàm benignè tibi indulgeam.non enim pro imperio simpliciter,quod iure meo licebat,integritatem abs te postulo: sed quum nihil tibi debeam,gratis descendo ad mutuum fœdus.Cæterùm non loquitur quasi de re noua: sed fœderis quod antè pepigerat, memoriã renouãs,melius confirmat ac sancit eius certitudinẽ. Nõ enim solet proferre Deus noua oracula quæ prioribus fidem abrogent, vel obscurent eorũ lucẽ, vel efficaciam eneruent: sed cõtinuat quasi perpetuo tenore quas semel dedit promissiones. Quare nõ aliud voluit his verbis, quàm stabile ratúmque fore illud fœdus, de quo prius audierat Abram:nominatim vero caput illud commemorat de multiplicando semine,quod deinde sæpius repetet.

3 *Et prostraut se Abram.* Scimus hunc veterẽ fuisse adorandi ritum.Porrò testatur Abram se Deum agnoscere,ad cuius conspectum silere omnis caro,séque humiliare debet: deinde quicquid dicturus est Deus,se reuerẽter suscipere,& studioſè amplecti.Quòd si hæc fidei cõfessio fuit, tenendum est,fidem quæ recumbit in Dei gratiam,non posse à pura conscientia disiungi. Deus suam gratiam Abræ offerens,sincerum iustè sanctéque viuendi affectum ab eo requirit: Abram se prosternens,obedienter se vtrunque recipere declarat. Meminerimus ergo, vno & eodem fidei complexu, gratuitam adoptionem,in qua salus nostra posita est,cum vitæ nouitate iungendam esse.Etsi autem nullum verbum profatur Abram, clarius tamen tacendo loquitur, quàm si magna & sonora voce clamaret,solidum se obsequium præstare Dei verbo.

4 *Ego,ecce pactum meum.* Qui transferunt, Ecce,ego ferio tecum fœdus : vel, ecce ego & fœdus meum tecum:mihi non videntur fideliter sensum Mosis reddere.Primò enim Deus,se esse pronuntiat qui loquitur:vt certa verbis suis constet authoritas.Nam quia non alibi,quàm in æterna eius veritate fundari potest fides nostra : id nobis ante omnia testatum esse oportet , ex sacro eius ore profectum esse quod nobis proponitur. Ideo pronomen Ego,vice præfationis seorsum legendum est:vt quieto animo sit Abram,& exempta dubitatione oblatum fœdus suscipiat. Vnde colligitur vtilis doctrina, fidem necessario ad Deum referri: quia vt nobiscum loquantur omnes Angeli & homines,nunquã tanta constabit illis authoritas quæ animas nostras stabiliat. Nec fieri potest quin subinde vacillemus,donec personet vox ista è cælo,Ego sum. Vnde etiam apparet qualis sit religio Papatus , vbi pro Dei verbo , tantùm iactantur hominum commenta.Meritò autem continuæ fluctuationi obnoxii sunt , quicunque ex hominum ore pendentes, non sine Dei iniuria plus illis arrogant,quàm fas erat.Nobis verò non aliud sit credendi principium quàm istud Ego, non à quolibet , sed solius Dei ore prolatum. Quòd si contrà se ingerant hominum myriades, ac supercilioſè clamitent,Nos,nos: sufficiat vna ista vox Dei ad inanem pluralis numeri sonitum dissipandum. *Eris in patrem multitudinis Gentium.* Quæritur quænam sit ista Gentium multitudo. Satis constat populos diuersos originem duxisse à sancto Patriarcha. nam Ismael in magnum populum excreuit: Idumæi ex altera parte,longè latéque diffusi sunt:ex aliis etiam filiis, quos ex Cetura suscepit, fluxerunt amplæ familiæ. Sed longius respexit Moses, quòd scilicet fide inserendæ essent Gentes in genus Abræ,licet ab eo non progenitæ secundum carnem: cuius rei Paulus nobis fidus est interpres ac testis.Neque enim Arabes, & Idumæos,aliósque colligit,qui Abram efficiant plurium Gẽtium patrem:sed ad totum mundum extendit nomen patris,vt vndique in vnam Abræ familiam coalescant Gẽtes alioqui extraneæ,& inter se dissitæ.Fateor quidem duodecim tribus ad tempus fuisse quasi totidem populos: sed tãtum vt præludiũ esset immensæ eius multitudinis,quæ tandem aggregata est in genus Abræ.Quòd autem Moses filios intelligat,qui fide regeniti,in nomen & genus Abræ transeunt, hac vna ratione satis probatur. Neque enim carnale Abræ genus in diuersos populos secari potuit,quin statim censeri inciperent alieni quicunque ab vnitate discesserant.Ita Ismaelitas,Idu-

mæos, & reliquos euomuit Eccleſia, vt pro exteris reputarentur. Non ergo Abram multarum gentium pater ideo vocatus eſt, quòd ſeparandum eſſet eius ſemen in diuerſas gentes: ſed potius, quòd gentium varietas colligenda ad ipſum foret. Mutatio etiam nominis, teſſeræ vice additur. Abraham enim vocari incipit, vt nomen ipſum admoneat non fore vnius familiæ patrem: ſed orituram illi progeniem ex immẽſa multitudine præter communem naturæ modum. Ideo toties Dominus hanc promiſſionẽ inculcat. ipſa enim repetitio nihil vulgare promitti admonet.

7 *Et inter ſemen tuum poſt te.* Non dubium eſt quin diſcernat Dominus Abrahæ genus à reliquo mundo. Nunc videndum quem populum deſignet. Falluntur autem qui putant ſolos hîc electos notari, & ſine diſcrimine comprehendi omnes fideles, ex quocunque ſecundum carnẽ populo deſcendant. Reclamat enim Scriptura, peculiariter à Deo ſuſceptũ fuiſſe Abrahæ genus ab eo progenitum. Et clara eſt Pauli doctrina de naturalibus Abrahæ filiis, quòd ſint ſancti rami, quia ex ſancta radice prodierint. Ac ne quis ad vmbras Legis id reſtringat, vel allegoria eludat, alibi diſertè tradit Chriſtũ veniſſe, vt Circunciſionis eſſet miniſter. Quare nihil certius eſt, quàm Deũ fœdus ſuum paciſci cum filiis Abrahæ, qui naturaliter ex eo gignẽdi erant. Si quis obiiciat, hoc minimè cũ proxima ſententia congruere, vbi diximus legitimos corã Deo reputari Abrahæ filios, qui per fidem inſiti in eius corpus, domũ vnam efficiunt: facilis eſt cõciliatio, modo certos ponamus, ac diſtinctos adoptionis gradus, quos ex variis Scripturæ locis colligere licet. Initiò ante fœdus iſtud par & eadem erat totius mũdi cõditio. Simul verò ac dictum fuit, Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te: nõ ſecus à reliquis gentibus diuiſa eſt Eccleſia, atque in mundi creatione lux è tenebris emerſit. Tunc populus Iſrael quaſi grex Dei in proprium eius ouile receptus eſt: reliquæ gentes tanquam feræ beſtiæ, per montes & ſyluas, aut deſerta errarunt. Quum hæc dignitas qua excelluerũt filii Abrahæ præ Gentibus, à ſolo Dei verbo penderet, gratuita Dei adoptio ad omnes ipſos communiter pertinuit. Nam ſi Gẽtes Deo & vita æterna priuat Paulus, quia à fœdere extraneæ erant: ſequitur omnes Iſraelitas, domeſticos fuiſſe Eccleſiæ, & Dei filios, & vitæ æternæ hæredes. Tametſi autem Dei gratia, nõ natura excellebant ſupra Gentes, & hæreditas regni Dei ex promiſſione illis obuenerat, non ex carne: dicũtur tamen interdum natura differre à reliquo mundo. Ad Galat. capite 2. c. 15, & alibi, Paulus naturaliter vocat ſanctos: quia continua ſerie proſequi nolebat Deus gratiam ſuam erga totum ſemen. Hoc ſenſu, qui fuerunt ex Iudæis increduli, filii tamen regni cæleſtis à Chriſto vocantur. Neque his repugnat quod dicit Paulus, non omnes qui ſunt ex Abram, cenſeri legitimos filios: quia non ſunt filii promiſſionis ſed carnis tantum. Nam illic promiſſio non generaliter accipitur pro externo verbo, quo Deus ſuam gratiam tam reprobis, quàm electis conferebat, ſed ad efficacem vocationem quam intus obſignat per Spiritũ ſuũ, reſtringi debet. Ac rem ita habere, nullo negotio euincitur. cõmunis enim erat omnibus promiſſio, qua Domin⁹ eos omnes in filios adoptauerat: in ea negari nõ poteſt oblatã fuiſſe omnibus æternã ſalutẽ. Quid ſibi ergo vult, quòd Paulus, quoſdã promiſſionis iure filios cenſeri negat niſi, quòd de oblata extrinſecus gratia nõ amplius diſputat, ſed de ea quã efficaciter ſoli electi percipiũt? Hic iam nobis duplex filiorũ ordo in Eccleſia emergit, Quia enim totũ populi corpus vna & eadẽ voce in ouile Dei colligitur, omnes ſine exceptione hoc reſpectu habẽtur filii, in omnes cõmuniter cõpetit Eccleſiæ nomen: ſed in arcano Dei ſacrario non alii cenſentur Dei filii quàm in quibus fide rata eſt promiſſio. Tametſi autẽ diſcrimen hoc ex fonte gratuitæ electionis manat, vnde etiam exoritur ipſa fides: quia tamen per ſe nobis abſconditum eſt Dei conſilium, ideo fidei & infidelitatis nota, veros filios à ſpuriis diſcernimus. Hæc ratio & œconomia ad promulgationem vſque Euangelii durauit: tunc autem diruta maceria, Gentes æquauit Deus naturalibus filiis Abrahæ. Illa fuit ſeculi renouatio, qua filii vocari cœperunt qui prius extranei fuerant. Quoties tamen comparatio fit inter Iudæos & Gentes, hæreditas vitæ illis tanquam legitima tribuitur: iis autem dicitur eſſe aduentitia. Interim impletur oraculum illud quo promiſit Deus Abraham multarum gentium fore patrem. Quum enim prius continuo tenore naturalibus filiis Abrahæ ſuccederent nepotes, & benedictio ab eo exordium ſuum habens, defluceret in nepotes: Chriſti aduentus ordine retrogrado, in eius familiã inſeruit qui prius à ſemine eius diuiſi erant: tandem foras eiecti ſunt Iudæi, niſi quòd penes eos manet occultum electionis ſemen, vt reliquiæ ſaluæ fiant. Hæc de ſemine Abrahæ ſemel dicta eſſe oportuit, quæ nobis facilem aditum ad ea quæ ſequentur, patefacient. *In generationibus ſuis.* AEtatum ſucceſſio clarè teſtatur ſic aſſumptos fuiſſe in Eccleſiam Abrahæ poſteros, vt illis naſcerentur filii eiuſdem gratiæ hæredes. Hoc modo fœdus perpetuum vocatur vſque ad mundi renouationem, quæ contigit aduentu Chriſti. Fateor quidem carere fine, & propriè vocari poſſe æternum, quatenus ad totam Eccleſiam pertinet: ſed illud ſemper fixum maneat oportet, ſeriem ætatum, Chriſti aduentu partim abruptam fuiſſe, partim mutatam: quia diruta maceria &

Rom. 11. b. 16

Rom. 15. b. 8

Ephes. 4. d. 18

Matth. 8. b. 12

Rom. 9. b. 8

Ephes. 2. c. 14

dem exhæredatis naturalibus filiis, adſcititium genus ex omnibus mundi plagis habere cœpit Abraham. *Vt ſim tibi in Deum.* Vno hoc verbo clarè docemur, ſpirituale hoc fuiſſe fœdus, non præſentis tantum vitæ reſpectu ſancitum, ſed vnde ſpem æternæ ſalutis conciperet Abraham, & in cælũ vſque euectus, ſolidam perfectámque beatitudinẽ apprehenderet. Nam quos ſibi Deus in populum adoptat, quum ſuæ iuſtitiæ faciat, bonorúmque omnium participes, cæleſtis quoque vitæ hæredes conſtituit. Notemus ergo, hoc eſſe præcipuum fœderis caput, quòd ſe filiis Abrahæ Deum fore promittat is qui viuentium Deus eſt, non mortuorũ. Sequitur deinde quaſi auctarii vice, Quòd terram ſe daturum pronuntiat. Fateor quidem maius aliquid & præſtantius adumbratum fuiſſe ſub terra Chanaan: id tamen non obſtat quin eius promiſſio, acceſſio fuerit illius ſummi capitis, Ero Deus tuus. Quanquam autem rurſus affirmat Deus ſicuti antea, ipſi Abrahæ ſe daturum terram: ſcimus tamen nunquam potitum fuiſſe eius dominio, ſed ſolo iure contentus fuit ſanctus vir, licet nulla illi poſſeſſio conſtaret: ideóque ex ſua peregrinatione tãquillus in cælum migrauit. Iterũ repetit ſe poſteris Abrahæ fore in Deum, ne in terra ſubſiſtant, ſed cogitent altius ſe deduci.

9 *Et tu pactum meum cuſtodies.* Sicuti olim fœdera non modò in publicas tabulas referebantur, ſed in æs incidi, vel lapidibus inſculpi ſolebant, quo magis teſtata & celebris eſſet eorum memoria: ita nunc Deus in carne Abrahæ fœdus ſuum inſculpit. Fuit enim Circunciſio quaſi ſolenne monumentum eius adoptionis, qua genus Abrahæ electum fuerat in peculiarem Dei populum. Habuerant antea pii alias cæremonias quæ certitudinem gratiæ Dei illis ſancirent: nunc verò Dominus fœdus nouum nouo genere ſymboli obſignat. Cur autem tot ſeculis hoc gratiæ ſuæ teſtimonio carere paſſus fuerit humanum genus, ratio nobis abſcondita eſt: niſi quòd videmus tunc fuiſſe inſtitutum, quando vnam certam gentem ſibi delegit. quod ipſum ex arcano eius conſilio pendet. Porrò tametſi ad docendi methodum aptius fortè eſſet ſummam eorum colligere, quæ de Circunciſione dicenda ſunt: quod tamen interpretis officio magis quadrare arbitror, ordinem cõtextus ſequar. Primùm quum fœdus Dei à Moſe vocatur Circunciſio, inde colligimus incluſam in ea fuiſſe gtatiæ promiſſionẽ. Nam ſi nota duntaxat, vel teſſera fuiſſet externæ profeſſionis apud homines, nullo modo quadraret nomẽ fœderis, quod ratũ aliter non eſt, quàm dum illi reſpondet fides. Atque id commune eſt omnibus ſacramentis, vt verbum Dei annexum habeant, quo ſe nobis propitium eſſe teſtatur, nóſque in ſpem ſalutis inuitat: imò nihil aliud eſt ſacramentum quàm verbum viſibile, vel ſculptura & effigies gratiæ Dei quæ verbum melius illuſtret. Quòd ſi mutua eſt inter verbum & fidem relatio, ſequitur finem hunc & vſum ſacramentis propoſitum eſſe, vt fidem adiuuent, promoueant, ac confirment. Qui verò fidei adminicula eſſe negãt, aut verbi ſubſidia ad fidem roborandam, fœderis nomen expungant neceſſe eſt: quia aut luſoriè & fallaciter ſe in ſponſorem offert Deus, vel illic reperit fides quo ſe fulciat, & vnde certitudinem ſuam confirmet. Etſi autem tenenda eſt diſtinctio inter verbum & ſignum: ſciamus tamen, ſimulatque in oculis ſignum ipſum incurrit, debere in auribus perſonare verbum. Itaque dum hoc loco iubetur Abraham ſeruare fœdus, non modò nudũ cæremoniæ vſum illi Deus commẽdat, ſed vult præcipuè ad finem attẽdere. & certè quum anima ſigni, ſit promiſſio, vbi inde auulſa fuerit, nihil præter mortuum & inane ſpectrum reſtat. Hæc ratio eſt cur dicamus abolita fuiſſe à Papiſtis ſacramenta: quia extincta Dei voce, nihil apud eos præter mutas figuras reſiduum manet. Friuolum verò eſt quòd iactant pro verbo magicos ſuos exorciſmos. Fœdus enim vocari nequit, niſi quod clarè patefactũ à nobis perſpicitur vt fidem ædificet: cui nihil ſimile habent hiſtriones illi, qui geſtu tantum, vel confuſo ſuſurro quaſi tibia ludunt. Nũc tenemus quomodo ritè cuſtodiatur fœdus, quum ſcilicet præeunte verbo, ſignum amplectimur in gratiæ teſtimonium, ac pignus. nam ſicut dato chirographo Deus fidem nobis datam obſtringit, ſic à nobis ſtipulatur fidei & obedientiæ conſenſum. Notatu etiam dignum quod ſequitur, *Inter me & te.* Quo docemur non ad externam modo confeſſionem ſpectare ſacramentum, ſed medium eſſe pignus inter Deum & hominis conſcientiam. Ideo quiſquis per ſacramenta ad Deum non dirigitur, eorum vſum profanat. Cæterũ metonymicè fœderis nomen ad Circunciſionem tranſfertur, quæ ſic verbo implicita fuit vt non poſſet ab eo ſeparari. *Circuncidetur in uobis omnis maſculus.* Tametſi maribus pariter & fœminis pollicitus erat Deus quod circunciſione deinde ſanciuit: tamen in vno ſexu totum populum ſibi conſecrat. Nam quum hoc ſymbolo ſanciatur quæ promiſcuè maribus & fœminis data erat promiſſio: certum autem ſit, confirmatione fœminas æquè ac mares habuiſſe opus: hinc conficitur ordinatum fuiſſe ſymbolum in vtriuſque ſexus gratiam. Nec obſtat quòd iubentur ſinguli ſacramentis communicare, ſiquem inde fructum capere volunt: quia nulla ad eos qui vſum negligunt, peruenit vtilitas. Inciſum enim hac lege fuit in marium corporibus Dei fœdus, vt eiuſdem ſigni participes

ſociæque forent etiam fœminæ.

11 *Circuncidetis carnem præputii.* Valde abſurdum prima ſpecie,ac ridiculum videri potuit hoc mandatum. Tractatur ſacrum fœdus quo iuſtitia, ſalus,& fœlicitas promittitur,quo diſcernitur ſemen Abrahæ à reliquis gentibus,vt ſit ſanctum & benedictum. Tanti myſterii inſigne ſtatui in pudendis partibus, quis conſentaneum eſſe dicat? Verùm vt Abrahã ſtulteſcere oportuit, quo ſe obſequentem Deo præberet:ita quiſquis ſapiet,ſobriè,& ſimul reuerenter ſuſpiciet quod ſtultè mandaſſe videtur Deus.Et tamen quærendum eſt,an aliqua inter ſignũ viſibile,& rem ſignatam analogia hîc affulgeat.Nam ſigna quæ ad leuãdam infirmitatẽ noſtram inſtituit Deus, ad modulum noſtrum aptari par eſt, ne profectu careant. Porrò duabus de cauſis probabile eſt Dominum iuſſiſſe præputium circũcidi: nempe vt oſtenderet vitioſum eſſe quidquid ex homine gignitur:deinde ſalutem ex benedicto Abrahæ ſemine proditurã. Primùm itaque quidquid ex ſua generatione proprium habent homines,Deus in Circunciſione damnauit:vt oſtenſa naturæ corruptio,illos ad carnem mortificandam adduceret. Vnde etiam conficitur, pœnitentiæ fuiſſe ſymbolum. Simul tamen illic quæ in Abrahæ ſemine promiſſa erat benedictio,notata,ſignatáq; fuit. Quòd ſicui abſurdũ videtur in illa corporis parte datam eſſe tam præclaræ, & ſingularis gratiæ teſſeram: eum quoque ſalutis ſuæ pudeat, quæ ex Abrahæ lumbis fluxit: ſed ita infatuare mundi ſapiẽtiam Deo placuit,quo magis ſuperbiam carnis deiiceret.Atque ita iam ſecundo loco habemus,teſtatam hoc ſigno fuiſſe Dei &hominum reconciliationem,quæ in Chriſto fuit exhibita.Qua ratione ſigillum iuſtitiæ fidei à Paulo vocatur. Hoc de analogia rei, & ſigni breuiter attigiſſe ſufficiat. *Rom.4.b.11*

12 *Et filius octo dierum circuncidetur.* Nunc diem octauum Circunciſioni præſcribit Deus: vnde apparet partem fuiſſe pædagogiæ, ſub qua veterem populum tenere voluit. Nam maior hodie, laxiórque in Baptiſmi adminiſtratione permiſſa eſt libertas. Cæterùm de numero dierum, quidam anxiè diſputandã eſſe negant: quia Dominus infantũ eneritudini pepercerit: quãdoquidem periculo nõ carebat, adhuc ab vtero recentibus vulnus infligere.Etſi autem facere poterat nequid noxæ, aut læſionis afferret circunciſio, nihil tamen in eo abſurdi erit, ſi dicamus habitam ab eo fuiſſe rationem teneræ ætatis, vt teſtatum Iudæis faceret paternum ſuum erga ipſorum liberos amorem.Aliis hoc nimis eſſe frigidum videtur: itaque ſpirituale myſteriũ in dierum numero quærũt. Allegoricè ſeptem diebus notatam fuiſſe putant vitam præſentem: octauo die iuſſiſſe Deum circuncidi infantes, vt oſtenderet meditandam quidem eſſe carnis mortificationem toto vitæ curſu,ſed nonniſi poſt eius finem compleri. Auguſtinus etiam ad Chriſti reſurrectionem Deum ſpectaſſe exiſtimat,qua abolita fuit externa circunciſio,& veritas figuræ exhibita. Septenario numero, præſentis vitæ curſum deſignari, probabile, & rationi conſentaneum eſt. Ergo octauus dies ad figurandum nouæ vitæ exordium videri poteſt à Domino poſitus. Sed quia nuſquam expoſita in Scripturis ratio legitur, nihil auſim aſſerere. Quare tenere ſufficiat quod certum eſt ac ſolidum:nempeDeum in hoc ſymbolo ſic repræſentaſſe veteris hominis interitum,vt tamen oſtenderet ſe reſtituere homines in vitam. *Siue uerna,ſiue emptitius.* Quũ præcipit Deus Abrahæ, vt quoſcunque habet ſub ſua poteſtate circuncidat, in eo relucet ſingularis eius amor erga ſanctum Abrahã, quòd totam eius domũ ſua gratia complectitur. Scimus olim vix in hominũ numero habitos fuiſſe ſeruos.Atqui Deus ipſos in ſerui ſui fauorem ſibi filios adoptat. ad hanc miſericordiam nihil omnino addi poteſt. Deiicitur etiam carnis ſuperbia, quum Deus nullo perſonarum reſpectu,ingenuos ſeruis aggregat. Cæterùm in perſona Abrahæ legem hanc ſeruis ſuis omnibus præſcripſit,vt quoſcunque habent ſibi ſubiectos, in eiuſdem fidei ſocietatem adducere ſtudeant. Singulæ enim piorum familiæ totidem Eccleſiæ eſſe debent.Ergo ſi pietatem noſtram probare cupimus, danda opera eſt vt quiſque noſtrum in obſequium Dei compoſitam domum habeat. Nec tantùm iubetur Abraham domi ſuæ natos dicare,& offerre Domino,ſed quoſcunque poſtea acquiſierit.

13 *In pactum perpetuum.* Duplex poteſt eſſe ſenſus:vel quòd Deus gratiam ſuam,cuius teſtimonium ac pignus erat Circũciſio,æternam fore promittat:vel quòd ſignum ipſum perpetuò ſeruari velit.Equidem non dubito quin ad viſibile ſignum perpetuitas iſta referri debeat. Sed qui inde colligũt,hodie quoque inter Iudæos vigere illius vſum, meo iudicio falluntur. Nam ab illo axiomate diſcedunt,quod nobis fixum eſſe debet, Quum finis Legis ſit Chriſtus, perpetuum tempus quod cæremoniis Legis tribuitur, fuiſſe finitum ex quo Chriſtus apparuit. Templum perpetua erat Dei ſedes,iuxta illud, Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hîc habitabo.Sabbathũ non temporalis, ſed perpetua erat populi ſanctificatio. neque tamen negandum eſt quin illis finem attulerit Chriſtus.Non aliter de Circunciſione quoque ſentiendum eſt. Si obiiciant Iudæi, violatam hoc modo fuiſſe Legem à Chriſto: reſponſio facilis eſt, ſic abrogatum fuiſſe exter- *Pſal.131.d.14*

num vſum,vt ſtabilita fuerit eius veritas.Nam Chriſti demum aduentu inſolidum ſancita fuit Circũciſio,vt ſemper duraret, ratúmque eſſet fœdus illud quod ſemel Deus pepigit. Porrò nequem viſibilis ſigni mutatio perturbet,tenenda eſt illa,cuius memini, ſeculi renouatio, quæ varietate quadam interpoſita, perpetuauit quæ caduca alioqui fuiſſent.Ergo licet vſus Circunciſionis ceſſauerit:non tamen ipſa deſinit eſſe fœdus ſeculi vel perpetuum:ſi modò Chriſtus ſtatuitur medius,qui mutato ſigno,veritatem ſanciuit.Quòd autem Chriſti aduentu ceſſauerit externa Circunciſio, ex Pauli verbis liquet:qui nõ tantùm docet,circũciſos eſſe nos Chriſti morte,ſpiritualiter,non ſigno carnali : ſed Baptiſmum nominatim in locum Circunciſionis ſubrogat,Coloſſ.2.b.11.nempe Circũciſioni Baptiſmus ſuccedere non potuit,quin eam tolleret è medio.Ideo & proximo capite,inter ipſam & præputium quicquam intereſſe negat:quòd tunc ſci licet res media foret,ac nullius momenti. Vnde refellitur eorum error qui adhuc inter Iudæos vigere putant,quaſi peculiare gentis ſymbolum quod nunquam abrogari debuerit.Fateor quidem fuiſſe illis ad tempus permiſſam, donec melius innoteſceret libertas per Chriſtum parta: ſed ita vt vim ſuam minimè retinuerit. Abſurdum enim foret duobus diuerſis ſignis in Eccleſiam initiari: quorum alterum veniſſe Chriſtum teſtetur, ac confirmet: alterum verò,adumbret quaſi abſentem.

14 *Cui non circunciſa fuerit caro.* Quo máiore ſtudio colatur Circunciſio, Deus grauem pœnam denuntiat ſiquis eam neglexerit. Sicuti autem inde perſpicitur, quantæ illi curæ ſit ſalus hominum: ita horum ſocordia coarguitur. Nam quum Deus amoris ſui, æternæque vitæ pignus tam benignè offert: quorſum minas addit, niſi vt eorum tarditatem excitet, qui celeriter accurrere debebant? Hæc igitur pœnæ denuntiatio, fœdæ ingratitudinis homines inſimulat, quòd Dei gratiam vel reſpuant, vel contemnant. Cæterùm docet hic locus non impunè ceſſurum talem contemptum.Quoniam autem ſolis contemptoribus pœnam Deus minatur, colligimus nihil infantibus nocuiſſe ſuum præputium,ſi ante diem octauum mortui eſſent. Satis enim ad eorum ſalutem efficax erat nuda Dei promiſſio. Neque ſic eam obſignauit externis ſigillis, vt ipſis virtutem ſuam adſtringeret. Atque omnem huius rei controuerſiam dirimit Moſes ratione addita, quòd fœdus Dei irritum fecerint. Porrò ſcimus non violatum fuiſſe fœdus, quum ablata erat facultas. Sciamus ergo ſalutem generis Abrahæ in illo verbo fuiſſe incluſam, Ero Deus ſeminis tui. Quanuis autem Circunciſio vice confirmationis acceſſerit, non tamen feciſſet quin vis & effectus verbo conſtaret. Sed quia in hominum arbitrio non eſt, quæ Deus coniunxit diuellere: nemo ſpernere, vel negligere ſignum potuit, quin verbum ipſum abiiceret, ſéque oblato illic beneficio priuaret. Solum ergo neglectum tam ſeuerè vltus eſt Dominus. Siqui verò infantes,ſalutis teſſera per mortem priuati eſſent, illis pepercit, quia fœderi Dei nihil derogauerant. Eadem hodie ratio in Baptiſmo valet. Quiſquis neglecto Baptiſmo,ſe nuda promiſſione contentum eſſe ſimulat, conculcat quantum in ſe eſt Chriſti ſanguinem: vel ſaltem ad liberos ſuos abluendos fluere non patitur. Ita ſigni contemptum ſequitur iuſta pœna gratiæ priuatio, quia impio ſigni & verbi diuortio, vel potius laceratione violatur Dei fœdus. Exitio autem addicere infantes, quos ſubita mors ad Baptiſmum offerri paſſa non eſt priuſquam vlla parentum negligentia intercederet, crudelitas eſt ex ſuperſtitione nata. Quin ad eos pertineat promiſſio,minimè dubium eſt.Quid verò magis abſurdum,quàm ſi eius vim eneruet ſymbolum,quod eius confirmandæ cauſa additur?Quare vulgarem ſentẽtiam qua fertur Baptiſmus neceſſarius eſſe ad ſalutem,ita moderari oportet,ne Dei gratiã,& Spiritus virtutem alliget externis ſymbolis,& Deũ fallaciæ accuſet. *Pactum meum irritum.* Tunc enim ratũ eſt Dei fœdus vbi fide amplectimur quod promittit.Siquis obiiciat ab hac culpa innoxios fuiſſe infantes,qui ſenſu adhuc carebant: reſpondeo non debere nimis vrgeri hanc vocẽ,quaſi Deus infantes proprii delicti reos peragat: ſed tenẽda eſt antitheſis,quòd ſicuti Deus in patris perſona filium infantem adoptat:quum repudiat pater tale beneficium,dicitur infans ſe abdicare ab Eccleſia. Id enim valet locutio,Deleri è populo,quem Deus ſibi elegerat.Quòd exponunt quidam non fore Iudæos, neque in cenſu populi habituros locum,quibus præputium relictum fuerit:nimis frigidũ eſt. Longius progredi oportet,quòd Deus ſcilicet in populo ſuo non agnoſcet, qui adoptionis notam ac teſſeram non geſtabunt.

15 *Sarai uxoris tuæ.* Iam Deus legitimum Abrahæ ſemen ex Sara promittit.Fuerat (quemadmodum dixi) illa nimium præceps, quum ancillam nullo Dei mandato in vicem ſuam ſubſtitueret: nimium etiam facilis Abraham, qui vxorem ſtultè, & temerè Deo præire volentem ſequutus fuerat. non tamen obſtitit vtriuſque culpa,quin Deus patefaciat, illis ſe daturum ſemen, cuius ſpem ſibi quodammodo præciderant. Vnde clarius refulget gratuita Dei bonitas: quòd tametſi eius curſum ſuis obſtaculis impediũt homines,ad eos nihilominus peruenit.Porrò Saræ nomen Deus mutat, vt eius principatum, qui in priori nomine erat reſtrictior, longè

latéque extendat. Nam litera י poſſeſſiuũ pronomen apud Hebræos valet: nũc ea ſublatã, Deus vult ſine exceptione Saram vbique dominam & principem celebrari: idque in cõtextu exprimi tur, quum Deus ſe filium illi daturum promittit, ex quo tandem Gentes & Reges naſcantur. Etſi autem prima ſpecie ampliſſima eſt iſta benedictio, longè tamen vberior eſt, quàm verbis præ ſe ferat: ſicuti paulo pòſt videbimus.

17 *Et proſtrauit ſe Abraham in faciem.* Hoc non modò reuerẽtiæ, ſed fidei quoque teſtimoniũ fuit. Nam Abraham nõ tantùm Deum adorat, ſed gratias agens, fide ſe recipere & amplecti teſtatur quod promiſſum erat de filio. Hinc etiã riſiſſe colligimus, nõ quòd vel ſperneret, vel pro fabula duceret, vel reiiceret Dei promiſſionẽ: ſed vt fieri plerunque in rebus minimè expectatis ſolet, partim gaudio exultãs, partim admiratione extra ſe raptus, in riſum prorumpit. Neque enim in eorum ſententiam deſcendo qui ex ſola lætitia riſum hunc manaſſe putant: quin potius exiſtimo ſimilem attonito fuiſſe Abrahã. quod etiam proxima interrogatio cõfirmat, Nunquid centenario naſcetur filius? Etſi enim nõ repudiat quaſi vanũ, quod dictũ ab Angelo fuerat: ſe tamen nõ ſecus affici oſtẽdit, ac incredibili nuntio allato. Ita rei nouitas eũ percellit, vt ad breue tẽpus obſtupeat: ſe tamen humiliat corã Deo, & mẽte cõfuſus, potentiam eius in terrã proſtratus, fide adorat. Nam quòd hæc non fuerit dubitantis oratio, teſtis eſt Paulus ad Romanos cap. 4. d. 19, qui negat Abrahã conſideraſſe corpus ſuũ emortuũ, vel effœtã vuluam Saræ, vel diſquiſiiſſe per infidelitatem, ſed ſpe ſupra ſpem credidiſſe. Et quod refert Moſes, *dixiſſe Abraham in corde ſuo*: nõ ita interpretor quaſi diſtinctè hoc animo cõceperit: ſed vt multa nobis etiam præter meditationẽ obrepunt, repentè in mentem ſubiit perplexa iſta cogitatio, Quid hoc rei eſt, vt cẽtenario naſcatur filius? Atqui videtur hæc quædam inter carnis ſenſum & fidem diſceptatio: nam etſi Abraham reuerenter ſe coram Deo proſternens, eius verbo mentem ſuam ſubiicit: rei tamen nouitate adhuc turbatur. Reſpondeo, admirationem hanc quæ viam non obſtruebat Dei potentiæ, nõ fuiſſe fidei contrariam: imò inde melius enituit fidei vigor, quòd per tam arduum obſtaculum emerſit. Ideo non reprehenditur quòd riſerit, ſicuti proximo capite Sara.

18 *Et dixit Abraham ad Deum.* Non iam tacitus ſecum miratur Abraham: ſed in votũ ac precationem effunditur. Quanquã turbati adhuc, & vacillantis animi vox iſta eſt, O *ſi* (vel vtinã) *uiuat Iſmael*. Quaſi enim minus ſperare audeat, quàm promittit Deus, in filio iam nato ſubſiſtit: non quòd promiſſionẽ de noua ſobole reiiciat: ſed quia iam accepta gratia cõtentus eſt, niſi longius ſe extenderet Dei liberalitas. Non ergo reſpuit quod offert Dominus: ſed quum amplecti paratus ſit, ex infirmo tamen carnis ſenſu illi effluit iſtud, Vtinam Iſmael. Quidã ita putant loquutũ Abrahã, quòd primogenito ſuo metuerit. Sed nulla eſt ratio cur putemus tali metu perculſum fuiſſe Abraham, ne Deus alterũ filium dãdo, priorem auferret: quaſi poſterior eius gratia priorem abſorbeat. Et hunc ſenſum refellit Dei reſpõſio, quæ paulo pòſt ſequitur. Illud ergo quod dixi, certius eſt, precatum fuiſſe Abrahã vt ſibi rata eſſet ac ſtabilis Dei gratia in qua acquieſcebat. Porrò incogitanter in hoc votũ erupit, quũ præ lætitia, nondũ caperet quod ex ore Domini audierat. *Viuere coram Domino* tantundem valet, ac ſeruari eius præſidio incolumẽ: vel ab ipſo benedici. Petit igitur Abraham à Domino, vt quam Iſmaeli dedit vitam, conſeruet.

19 *Verè Sara.* Quidam aduerbium אבל, accipiunt poſitum pro Veré. Rectius tamen alii qui auxeſim continere dicũt. Excitat enim Deus torpentem ſerui ſui animum: acſi diceret, Obſtat tibi vnius gratiæ cõſpectus, ne te altius erigas: ita fit vt nimis anguſtè ſenſus tuos cõcludas. Nũc igitur animum tuum dilata, vt quod de Sara promitto, ſimul admittas. Nam ſpei ianua ad verbi latitudinem patere debet. *Et ſtatuam fœdus meum cum eo.* Spirituale fœdus reſtringit ad vnam familiam, vt promiſſam antè benedictionem inde ſperare Abraham diſcat. quia enim peruerſam ſibi ſpem abſque Dei verbo finxerat, eam reuelli prius oportuit ex eius corde: quo melius nunc in cæleſte oraculum recumberet, ac in ſolidam Dei veritatem figeret anchoram fidei ſuæ, quæ prius in falſa imaginatione fluctuauerat. Fœdus perpetuum vocat quo ſuprà diximus, ſenſu. Deinde exprimit nõ fore alligatum vni tãtùm perſonæ, ſed commune totius generis, quod continua ſucceſſione perueniat ad poſteros. Videtur tamen abſurdum eſſe, quòd circuncidi iubeat Deus Iſmaelem, quem ſua gratia priuat. Reſpondeo, quanuis Dominus Iſaac primogenitum, & caput conſtituat, à quo manare velit ſalutis fœdus: non tamen Iſmaelem prorſus excludere: quin potius dum totam Abrahæ domum adoptat, Iſmaelem fratri ſuo Iſaac quaſi inferius membrum adiungit, donec ſe & patris domo, & fraterna ſocietate abdicet. Superuacua igitur Circunciſio non fuit, donec à fœdere excideret: quod tametſi penes ipſum non erat depoſitum, poterat tamen participare cum fratre ſuo Iſaac. In ſumma, nihil aliud ſignificat his verbis Dominus, quàm Iſaac legitimum promiſſæ benedictionis fore hæredem.

20 *Et pro Iſmael.* Clarius inter duos Abrahæ filios diſcernit. Nam alteri promittens opes,

dignitatem,& alia quæ sunt præsentis vitæ, carnis filium esse ostendit. Peculiare autem fœdus cum Isaac paciscitur,quod mũdum & hanc caducam vitam transcendit: non quòd spem æternæ salutis Ismaeli præcîdat: sed vt doceat à genere Isaac petendam esse salutem vbi residet. Cæterùm colligimus ex hoc loco, sanctos patres minimè in terra Dei promissionibus retentos fuisse, sed potius in cælum euectos. Nam quicquid optabile est terrenæ vitæ respectu, Deus liberaliter, & prolixè Ismaeli promittit. & tamen quicquid in eum donorum confert,nihili æstimat comparatione fœderis, quod stabiliendum erat in Isaac. Sequitur ergo, non opes, nec potentiam, nec quidquam aliud temporale promitti filiis Spiritus: sed æternam benedictionem, quæ sola spe possidetur in hoc mundo. Ergo vt nunc & deliciis, & bonis omnibus affluamus, euanida est tamen nostra fœlicitas, nisi fide penetremus in cæleste Dei regnum,vbi maior & altior nobis reposita est benedictio.Quæritur tamen,an terrenæ solùm vitæ curã habuerit Abraham,dum pro filio precatus est.id enim videtur innuere Dominus,quum se illi dedisse pronuntians quod petebat,non commemorat nisi quæ diximus. Sed consilium Dei non fuit totum Abrahæ votũ comprehendere: tantùm significat,Ismaelis,pro quo solicitus erat Abraham,rationem aliquam sibi fore, vt appareat commẽdationem patris non fuisse irritam. Testari enim voluit tanto se amore complexum esse Abraham, vt in eius fauorem totum genus respiciat, & peculiaribus beneficiis dignetur. *Ascendit Deus ab Abraham.* Continet hæc loquutio vtilem doctrinam, quòd scilicet Abraham certò cognouerit hanc visionem à Deo esse. huc enim spectat iste ascensus. Piis autem necesse est eorum omnium quæ audiunt, authorem Deum patefieri, ne huc illuc circunferantur, sed è cælo tantùm pendeant.Quòd autem nunc Deus postquam loquutus est, in gloriam cælestem non palàm extollitur coram oculis nostris, id de fidei nostræ certitudine nihil minuere debet: quia semel plena in Christo manifestatio exhibita fuit, quam nobis sufficere æquum est. Deinde quanuis Deus visibili signo quotidie sursum non ascendat, in eo tamen non minus resplendet eius maiestas, quòd nos transformans in suam imaginem, sursum attollit. Deinde satis authoritatis conciliat verbo suo, dum ipsum cordibus nostris per Spiritum suum obsignat.

23 *Et tulit Abraham Ismaelem.* Nunc Moses Abrahæ obedientiam commendat, eo quòd se, totámque familiam, prout iussus erat, circunciderit. Necesse enim est prorsus fuisse Deo addictum, qui sibi vulnus cum acerbo dolore, nec sine vitæ periculo infligere non dubitat. Huc etiam accedit temporis circunstantia, quòd non differt in alterum diem, sed statim paret Dei mandato. Nec tamen dubium est quin luctatus cum variis cogitationibus fuerit. Vt innumera alia omittam, hoc illi in mentem venire potuit,Ego quum tandiu vexatus fuerim multis rebus aduersis, & per diuersa exilia iactatus, nunquam tamen à Dei verbo deflexi: si hoc symbolo volebat me sibi consecrare in seruum, cur vsque ad extremum senium meum distulit? Quid hoc sibi vult, quòd saluus esse nequeo, nisi alterum penè in sepulchro pedem habens, pellicula mihi abscindam? Sed hoc illustrius obedientiæ documentum fuit, quòd superatis omnibus obstaculis, celeriter, & sine mora perrexit quò Deus vocabat. Nec minus præclarum in eo fidei suæ specimen edidit: quia nisi certò amplexus esset Dei promissiones,minimè tam promptus futurus erat ad obsequium. Hinc igitur tanta alacritas, quòd variis tentationibus, quæ concutere eius animum, húcque & illuc abstrahere poterant, verbum Dei opposuit. Duo etiam hìc obseruatu digna sunt.Primùm quòd difficultate non absterritus fuerit Abraham, quo minus Deo præstaret officium quod debebat. Scimus ingentem illi fuisse turbam domi, & quæ ferè populum vnum æquaret. Vix credibile erat passuros esse tot viros se cum specie ludibrii vulnerari. Ita meritò timendum erat, ne magnum tumultum excitaret in familia tranquilla: imò ne vno impetu maior pars seruorum aduersus eum insurgeret: fretus tamẽ Dei verbo,rem impossibilem strenuè aggreditur. Deinde videmus quàm probè instituta eius domus fuit:quòd non vernæ modò, sed extranei homines, & pecunia empti, molestũ, & carnis sensu pudendum vulnus placidè excipiant. Apparet igitur sedulò curasse Abraham vt paratos ad officium haberet. Et quoniam ipse sub sancta disciplina eos habuit, mercedem tulit suæ diligentiæ, quòd tam faciles in re plusquam ardua expertus est. Sic hodie rem factu impossibilem præcipere Deus videtur, quum vult passim toti mundo Euangelium suum prædicari, vt à morte in vitam restituat. Videmus enim quanta sit omnium ferè peruicacia, quàm multis,& quàmvalidis machinis obsistat Satan: vt ipsis denique principiis obstructæ sint omnes viæ: præstare tamen singulos officium decet,nec impedimentis cedendum: tandem conatus nostros, & labores successu,qui nondum apparet,minimè frustrabitur.

Cap. XVIII.

1 ET visus est illi Dominus in Querceto Mamré: & ipse sedebat in ostio taber
naculi, quum incalesceret dies.
2 Et eleuauit oculos suos, & vidit, & ecce tres viri stabant iuxta eum: & vidit, &
cucurrit in occursum eorum ab ostio tabernaculi, & incuruauit se super terrã.
3 Et dixit, Domine mi, si nunc inueni gratiam in oculis tuis, ne nunc transeas
à seruo tuo.
4 Tollatur nunc parum aquæ, & lauate pedes vestros, & innitimini sub arbore.
5 Et capiam buccellã panis, & fulcite cor vestrum, postea trãsibitis: quia idcir-
co trãsistis ad seruũ vestrum. Et dixerũt, Sic facias quemadmodũ loquutus es.
6 Et festinauit Abrahám ad tabernaculum ad Saráh, & dixit, Festina, tria sata fa
rinæ similæ consperge, & fac subcinericios panes.
7 Et ad boues cucurrit Abrahám, & tulit vitulum tenerum & bonum, & dedit
puero, & festinauit vt pararet eum.
8 Et tulit butyrum, & lac, & vitulum quem parauerat, & posuit ante eos, & ip-
se stabat iuxta eos sub arbore, & comederunt.
9 Et dixerunt ad eum, Vbi est Saráh vxor tua? Et dixit, Ecce in tabernaculo.
10 Et dixit, Reuertendo reuertar ad te secundum tempus vitæ, & ecce filius erit
Saráh vxori tuæ. Saráh autẽ audiebat in ostio tabernaculi, quod erat post eum
11 Et Abrahám & Saráh erant senes & prouectæ ætatis, desierátq; esse ipsi Saráh
via secundum mulieres.
12 Et risit Saráh intra se, dicendo, Postquam senui, erit mihi voluptas? & do-
minus meus senuit.
13 Et dixit Dominus ad Abrahám, Vtquid risit Saráh, dicendo, Num etiam ve-
rè pariam, & ego senui?
14 Nunquid abscondetur à Domino quicquam? ad tempus reuertar ad te secũ- *Vel, mirificum erit
dum tempus vitæ, & ipsi Saráh erit filius.
15 Et negauit Saráh dicẽdo, Nõ risi: quia timuit. Et dixit, Nequaquã: quia risisti.
16 Et surrexerunt inde viri, & respexerunt contra faciẽ Sedóm: & Abrahám ibat
cum eis vt deduceret eos.
17 Et Dominus dixit, An ego celabo Abrahám quod ego facio?
18 Et Abrahám erit in gentem magnam, & fortem, & benedicent sibi in eo om-
nes gentes terræ.
19 Quia noui eum: propterea præcipiet filiis suis, & domui suæ post se, & custo-
dient viam Domini, vt faciant iustitiam, & iudicium: vt venire faciat Domi-
nus super Abrahám quod loquutus est super eum.
20 Et dixit Dominus, Clamor Sedóm & Hamoráh certè multiplicat⁹ est, & pec-
catum eorum vtique aggrauatum est valde.
21 Descendam nunc, & videbo an secundum clamorem eius qui venit ad me,
fecerint consummationem: & si non, sciam.
22 Et verterunt se inde viri, & perrexerunt in Sedóm: ipse verò Abrahám adhuc
stabat coram Domino.
23 Et accessit Abrahám, & dixit, Nunquid etiam disperdes iustum cum impio?
24 Si fortè fuerint quinquaginta iusti intra ciuitatem, nunquid etiam disper-
des, & non parces loco propter quinquaginta iustos qui sunt intra eam?
25 Absit tibi vt facias secundum rem hanc, vt mori facias iustum cum impio, &

sit iustus sicut impius: absit tibi, an qui iudex est omnis terræ nõ faciet iudiciũ?

26 Et dixit Dominus, Si inuenero in Sedóm quinquaginta iustos intra ciuitatẽ, parcam toti loco propter eos.

27 Et respondit Abrahám, & dixit, Ecce nunc cœpi loqui ad Dominum, & sum puluis & cinis:

28 Si forsitan defuerint de quinquaginta iustis quinque, nũquid disperdes propter quinque totam ciuitatem? Et dixit, Non disperdam, si inuenero ibi quadraginta & quinque.

29 Et addidit adhuc vt loqueretur ad eum, & dixit, Si forte inuenti fuerint ibi quadraginta? Et dixit, Non faciam propter quadraginta.

30 Et dixit, Ne nunc sit ira Domino meo, & loquar: si forte inuenti fuerint ibi triginta? Et dixit, Non faciam si inuenero ibi triginta.

31 Et dixit, Ecce nunc cœpi loqui ad Dominum: si forsitan inuenti fuerint ibi viginti? Et dixit, Non disperdam propter viginti.

32 Et dixit, Ne nunc sit ira Domino meo, & loquar, tantũmodo semel: si forsitan inuenti fuerint ibi decem? Et dixit, Non disperdam propter decem.

33 Et perrexit Dominus quando finiuit loqui ad Abrahám, & Abrahám reuersus est ad locum suum.

1 *Et uisus est illi Dominus.* Incertum est dicátne Móses, postea rursus apparuisse Deum Abrahæ: an priorem historiam contexens, alias circunstantias exprimat, quarum nondum facta erat mentio. Mihi tamen prius illud magis placet, quòd Deus serui sui animum noua visione cõfirmauerit, sicut aliis subinde atque aliis adminiculis opus habet sanctorũ fides. Fieri etiam potest, vt in gratiam Saræ repetita fuerit promissio. Quid si Deus hoc modo gratiæ magnitudinẽ ornare voluerit? Neque enim id satis magnificè pro dignitate extolli potest, quod promittitur Isaac, ex quo tandem mundo affulgeat redemptio & salus. Quicquid horum sit, videmus iustam fuisse causam cur iterum promissus fuerit Isaac. De voce Mamre, diximus capite decimotertio. Verisimile est illic fuisse quercetum, vbi propter loci commoditatem habitauerit Abraham.

2 *Et ecce tres uiri.* Priusquam ad præcipuum caput descendat Moses, sancti viri hospitalitatem nobis describit. Ac Angelos nominat viros: quia humanis corporibus induti, nõ aliud præ se ferebant quàm se homines esse. Idque factum est consultò, vt eos tanquam homines excipiẽs, charitatem suam probaret. Neque enim nostris officiis, quæ vera sunt charitatis documenta, indigent Angeli. Porrò hospitalitas in illis præcipuum locum iure obtinet: quia non vulgaris est virtus, iuuare homines incognitos, à quibus nihil speratur mercedis. Solent enim vt plurimum homines, quum alii aliis se impendunt, mutuas vices captare: qui autem hospitibus, & hominibus incognitis benignus est, gratuitò se liberalem esse probat. Quare non parum laudis meretur Abrahæ humanitas, quòd homines sibi ignotos, à quibus nihil beneficii acceperat, & vnde nulla spes erat mutuæ gratiæ, vltrò inuitat. Quid ergo spectauit Abraham? Nempe vt hospitum necessitati succurreret. Videt lassos ex itinere, calore etiam confectos esse non dubitat: reputat infestum viatoribus diei tempus. solari igitur, & leuare cupit qui sic laborant. Et certè ipse naturæ sensus iuuandos maximè esse hospites dictat: nisi nos cæcus amor nostri ad mercenaria potius officia impelleret. Nulli enim misericordia, & auxilio digniores, quàm quos videmus tam amicis quàm domesticis commodis destitui. Itaque & sanctum in primis olim habitũ fuit ius hospitii apud omnes populos: nec probrum vllum magis detestabile, quàm ἄξενον, vel inhospitalem vocari. Belluina enim est crudelitas, superbè despicere qui ordinariis præsidiis nudati ad opem nostram confugiunt. Quæritur tamen an ita promiscuè solitus fuerit quoslibet excipere Abraham. Maior enim futurus erat concursus, quàm vt turbæ satisfeciisset. Respondeo, quæ erat hominis prudentia, discrimen ab eo habitũ fuisse inter hospites. Et certè inuitatio quam hîc refert Moses, aliquid habet nõ vulgare. Nec dubium est quin Angeli in ore & habitu aliquid raræ dignitatis præ se tulerint, vt dignos nõ tãtùm cibo & potu, sed etiam honore statueret Abrahã. Qui putant huius officii tam fuisse studiosum, quia edoctus esset à patribus Angelos sub specie humana sæpe versari in mundo: nimis argutè philosophãtur. Reclamat etiam Apostoli authoritas, qui negat tam ab ipso, quàm à Lot cognitos primò fuisse Angelos, quũ putarent se hospitio excipere homines. Sic igitur habendum est, quũ Abraham videret homines aspectu reueren-

Hebr. 13. c. 2

dos,& qui ſingularis præſtantiæ notas haberent, obuiam fuiſſe progreſſum, honorificè ſalutaſſe, & rogaſſe vt quieſcerent. Et tunc maior fuit integritas, vt poſſet minore periculo ius hoſpitale coli,quàm nunc in tanta hominum perfidia. Itaque tam frequentes cauponæ prauitatis noſtræ teſtes ſunt,factúmque noſtra culpa arguunt, vt præcipuum inter nos humanitatis officiū obſoleuerit. Et *maruaut ſe*. Hoc reuerentiæ ſymbolū in cōmuni vſu fuit apud Orientales. Quod vetuſti quidam Scriptores hinc myſterium elicere conati ſunt, Abrahā vnum ex tribus quos viderat,adoraſſe,ideóque tres in vno Deo perſonas fide eſſe intuitum: quia friuolū eſt, & obnoxiū ſannis & calumniis,omittere ſatius eſt. Antè enim diximus ſic exceptos fuiſſe Angelos à ſancto viro,vt officium præſtare hominibus voluerit. quòd autē eius benignitatem ornauit Deus,& hac mercede dignatus eſt,vt Angelos illi hoſpites offerret, id nō antè agnouit,quàm ſe in fine prādii patefeciſſent. Humanꝰ eſt igitur,ac ciuilis honor quē illis exhibet. Quòd autē vnū peculiariter ſalutat,probabile eſt ideo factū eſſe,quia præ aliis duobꝰ excelluerit. Scimus enī Angelos vt plurimū apparuiſſe cū capite ſuo Chriſto: itaq; hīc in tribꝰ Angelis vnū deſignat Moſes legationis prīcipē.

3 Ne *nunc tranſeas*. Quòd tam blandè,imò ſuppliciter rogat Abrahā, non dubium eſt quin faciat permotus ea quam dixi,cauſa. Nam ſi obuiis quibuſque mactaſſet vitulos, ſtatim immenſis ſumptibus exhauſta eius domus fuiſſet. Eorū ergo virtuti, & eximiis dotibus honorē habuit, ne Deū cōtemneret. Ita nec paſſim tam liberalis fuit,vt erronibus,vel aliis quibuſlibet gregariis hominibus ſupplicaret: nec eum induxit ambitio,vt erga tres iſtos ſolito benignius ſe effunderet: ſed amor,& ſtudium donorum Dei, & virtutum quæ in illis emicabant. Quòd verò fruſtum panis tantum offert,non tantum vitandæ iactātiæ cauſa,beneficiū quod erat daturus,extenuat: ſed quo facilius conſilio eius,& precibus obtemperent, vbi perſuaſi fuerint ſe non fore nimis graues, ac moleſtos. Neque enim libēter ſumptus,vel laborē afferunt modeſti homines. Lotio pedū illo ſeculo,& in ea orbis plaga valde trita fuit: fortè quòd nudis pedibus inter ſummos calores iter facerent. optimum autem hoc erat leuandæ laſſitudini remedium,ſi pedes calore aduſtos lauarent.

5 *Idcirco tranſiſtis ad ſeruum veſtrum*. Non intelligit cōſultò,vel data opera veniſſe,vt hoſpitium quærerent: ſed opportunè id accidiſſe ſignificat,acſi diceret, non fortuitò in cū locū delapſos eſſe, ſed Dei cōſilio,& manu adductos. Ergo ad Dei prouidentiā refert,quòd tam cōmodè in locū idoneum inciderint, vbi ſe pauliſper reficiāt,donec mitigetur calor ſolis. Porrò quum certum ſit ex ſincero animi ſenſu ita loquutum eſſe Abraham, ſtatuamus eius exemplo, quoties nobis occurrunt fratres,qui noſtro auxilio indigent,eos diuinitus nobis offerri.

6 Et *feſtinauit Abraham*. Refertur Abrahæ ſedulitas in tractandis hoſpitibus: & ſimul oſtendit Moſes quàm benè cōpoſitam domū habuerit. Denique paucis verbis pingit nobis pulchrā œconomiæ figurā. Diſcurrit Abrahā,partim vt mandet quod vult fieri: partim vt quod propriū eſt patriſfamiliâs exequatur. Sara in tabernaculo ſe cōtinet, non vt deſidiæ indulgeat, ſed potius vt ſubeat ipſa quoque laboris partē. Præſto adſunt famuli ad obſequiū. Hæc eſt ſuauis bene moratæ domus ſymphonia,quæ tam repente extare nō potuit, niſi longo vſu aſſuefacti ad rectā diſciplinā ſinguli fuiſſent. Quòd autem dicit Moſes *œmediſſe Angelos*,quæſtionem parit. Sunt qui exponāt comedentium ſpeciē tantum præbuiſſe. Quod commētum,ex alio errore illis in mentem venit, quia nō veris corporibus,ſed tantū ſpectris imaginātur fuiſſe indutos. Atqui longè aliter meo iudicio res habet. Primū,non fuit hæc prophetica viſio vbi oculis ingerūtur rerum abſentiū imagines,ſed reipſa venerūt Angeli in domum Abrahæ. Quare nō dubito quin Deus, qui totum mundum ex nihilo condidit,& quotidie mirus eſt in formādis creaturis artifex, corpora illis ad tēpus dederit,in quibus iniunctū ſibi munus peragerēt. Sicuti autē verè ambularūt,loquuti ſunt,& perfuncti aliis officiis: ita verè comediſſe ſtatuo: nō quòd eſurirent,ſed vt laterent vſque ad tēpus reuelationis. Cæterùm vt Deus quæ in vſum temporalem creata erāt corpora,extemplo in nihilum redegit: ita nihil abſurdi erit,ſi dicamus conſumptum fuiſſe cibum vnà cum corporibus. Quemadmodum autem has quæſtiones attingere vtile eſt,nec vlla religio vetat: ſic rurſum nihil melius quàm ſobria ſolutione nos eſſe contentos.

9 *vbi eſt Sara*? Hactenus paſſus eſt Deus Abrahā præſtare quod officii ſui erat. Poſtquam verò eius charitati locū dedit,nunc ſe manifeſtare incipit in ſuis angelis. Quòd Moſes nunc tres loquentes inducit,nūc vni ſoli attribuit ſermonem: ratio eſt,quia tres ſimul vnius Dei perſonam referunt. Tenendum etiam memoria eſt quod nuper adduxi,vni dari principem locum,quia Chriſtus qui viua eſt Patris imago,ſub Angeli forma patribus ſæpe apparuit: Angelos autem,quorum caput eſt,habuit comites. Quòd autem de Sara interrogant: colligere inde licet,rurſus hīc prōmitti Abrahæ filium,quoniam illa prioris oraculi teſtis non fuerat.

10 *Reuertendo reuertar ad te*. Hieronymus vertit, Vita comite reuertar: acſi Deus humano more loquens dixiſſet,reuertar ſi vixero. Sed abſurdū eſſet, Deū qui iam magnificè potentiam ſuam prædicat,ſermonem ab hominibus mutuari,acſi mortalis foret. Quænam,obſecro,conſtaret ingigni huic oraculo maieſtas, vbi de æterna mundi ſalute agitur? Probari igitur nullo modo poteſt

ſenſus ille,qui promiſſionis vim & authoritatem prorſus eneruat. Ad verbum eſt,Secũdum tempus vitæ. quod nonnulli de Sara exponunt, acſi dixiſſet Angelus, tunc adhuc ſuperſtitem fore Saram. Sed rectius de fœtu exponitur. promittit enim Deus ſe venturum iuſto & legitimo pariendi tempore,vt Sara vitalis fœtus mater fiat.

11 *Erant ſenes & prouectæ ætatis.* Hũc verſum inſerit Moſes,vt ſciamus meritò Saræ viſum fuiſſe incredibile quod dicebat Angelus. Liberos enim promitti decrepitis ſenibus,præter naturam eſt. De Abrahã tamen poteſt moueri quæſtio:quũ interdũ viris vltimo ſenio ad gignendũ adhuc robur ſuppetat: ac præſertim illo ſeculo res nõ ita fuit infrequens. Sed Moſes hîc cõparatiue loquitur.nã quia Abrahã,quandiu per ætatẽ vegetus erat,cũ vxore vixerat ſterilis: vix tũc potuit generare,quũ iam eſſet ferè ſemimortuus. Iſmaelem quidem ſenex genuerat, ſed præter expectationẽ. Nũc verò duodecimo pòſt anno patrẽ ex vetula,effœtáque muliere fieri poſſe,vix credibile erat. Præcipuè tamen Moſes in Sara inſiſtit: quia ab ea maximum erat impedimentum. *Ceſſauerat,* inquit,*fieri Saræ ſecundum uſam mulierum.* Quo genere loquendi verecũdè menſes notat, qui mulieribus fluunt. Vnà autem cum fluxu menſtruo deſinit concipiendi facultas.

12 *Et riſit intra ſe Sara.* Riſerat etiã prius Abraham,vt proximo capite viſum eſt:ſed minimè ſimilis fuit amborum riſus. Neque enim admiratione & lætitia effertur Sara,vt Dei promiſſionẽ admittat:ſed vt loquẽti Deo fidẽ abroget,ſuã,& mariti ætatem perperã eius verbo opponit. Neque tamen fallaciæ aut vanitatis Deũ ex profeſſo inſimulat: ſed quia in rei intuitu defixa, quid poſſit naturaliter fieri, tantùm expendit: mentem verò ſuam non attollit ad reputandam Dei potentiam,fidem loquenti Deo temerè abrogat. Ita quoties Dei promiſſiones, & opera proprio ſenſu, & naturæ legibus metimur, ſumus in eum contumelioſi, quanuis nihil tale animis noſtris inſideat:quia non aliter ſuum illi honorem deferimus, quàm dum eius verbo ſubiicimus quicquid obſtaculi occurrit in cælo & in terra. Cæterùm etſi excuſanda non eſt Saræ incredulitas: non tamen directè repudiat Dei gratiam, ſed pudore tantùm, & verecundia retinetur, ne protinus credat quod audit. Et verba etiam ſummam modeſtiam teſtantur. Pudicitiæ enim ſignum eſt quod dicit, *Poſtquam conſenuimus, daremũ ſne operam rei uenereæ?* Quare notemus,nihil minus fuiſſe Saræ propoſitum, quàm Deum facere mendacem: ſed in eo tantùm peccaſſe,quòd vſitato naturæ ordini nimis affixa,Deo gloriam non dedit, vt quod mente concipere non poterat miraculum, ab eo ſperaret. Notanda etiam admonitio eſt, quam inde colligit Apoſtolus, quòd Sara Abraham dominum ſuum vocat. Nam mulieres hortatur, vt illius exemplo maritis ſint obſequentes & morigeræ. Multæ quidem hunc maritis ſuis titulum non ægrè concedunt, quos tamen imperioſo ſuo faſtu in ordinem cogere non dubitant: ſed Apoſtolus pro confeſſo ſumit,Saram ex animi ſenſu teſtatam eſſe quid de marito ſentiret. nec verò dubium eſt, quam verbo profeſſa eſt modeſtiam, veris quoque officiis probaſſe.

1.Pet.3.a.6

13 *Et dixit Dominus.* Quia iam patefacta in Angelis erat Dei maieſtas,eius nomẽ exprimit Moſes. Prius autẽ docuimus quo ſenſu ad Angelũ tranſferatur Dei nomẽ:ideo nũc repetere neceſſe nõ eſt: niſi quòd ſemper notare operæpretiũ eſt, tam pretioſum eſſe Domino verbũ ſuum, vt ſe præſentẽ cenſeri velit,quoties per miniſtros ſuos loquitur. Deinde quoties ſe patribus manifeſtauit,Chriſtũ fuiſſe quaſi intermediũ,qui nõ tantùm verbi reſpectu ſuſtinet Dei perſonam,ſed verè & eſſentialiter Deus eſt. Quia autẽ nõ humano iudicio deprehenſus fuerat riſus Saræ, ideò diſertè teſtatur Moſes reprehẽſum fuiſſe à Deo. Atque huc pertinẽt circũſtantiæ,quòd tabernaculũ fuerit à tergo Angeli,& Sara intra ſe,nõ corã aliis riſerit. Reprehẽſio autẽ oſtẽdit cũ incredulitate fuiſſe cõiunctum Saræ riſum. Neque enim leue ſubeſt pondus huic ſentẽtiæ,*An Deo quicquam poteſt eſſe mirificum?* Sed Angelus Saram obiurgat,quòd Dei potentiam intra ſenſus ſui metas incluſerit. Subeſt igitur antitheſis inter immẽſam Dei virtutẽ,& inter anguſtũ modulũ,quẽ ſibi ex carnis ratione fingebat Sara. Quidã vocẽ פלא,occultũ vertũt:quaſi Angelus ſignificet Deum nihil latere. Sed alius eſt ſenſus,quòd ſcilicet nõ debeat ex hominũ ſenſu æſtimari Dei facultas. Neque enim mirũ eſt in rebus arduis nos deficere,vel ſuccũbere difficultatibus: ſed lõgè alia eſt Dei ratio,qui è ſublimi deſpicit quæ nos altitudine ſua deterrẽt. Nũc videmus quale fuerit peccatũ Saræ,quòd ſcilicet iniuriã fecerit Deo,nõ agnoſcẽs inæſtimabilẽ eius potẽtiam. Et ſanè ita res habet,ſpoliari Deũ ſua virtute à nobis, quoties eius verbis diffidimus. Videtur primo aſpectu Paulus frigidè laudare Abrahæ fidem, quum dicit non conſideraſſe corpus ſuum emortuum,ſed dediſſe gloriam Deo:quia perſuaſus fuerit poſſe implere quod promiſerat. Atqui ſi probè excutimus diffidentiæ fontem, reperiemus ideò nos dubitare de eius promiſſis, quia de eius potentia malignè detrahimus. Nã ſimulatque occurrit aliqua maior difficultas, quaſi nobis fabuloſum eſt quicquid promiſit Deus: imò ſimulac loquitur, peruerſa iſta cogitatio ſe inſinuat, Quomodo fiet quod promittit? Talibus anguſtiis conſtricti, & occupati, excludimus eius potentiam,cuius notitia mille mundos ſuperat. In ſumma,grauiſſimã Deo iniuriam facit,qui non

Rom.4.d.19

plus ab eo sperat, quàm sensus sui modulo comprehendere potest. Interea coniungi debet verbum Domini cum potentia. nihil enim magis præposterum, quàm inquirere quid possit Deus, posthabita eius voluntate. Ita se in profundum labyrinthum demergunt Papistæ, quũ disputant de absoluta Dei potentia. Ergo nisi velimus absurdis deliriis implicari, præcedat verbum instar lampadis oportet, vt indiuiduo inter se nexu cohæreant eius potentia, & voluntas. Hanc regulam nobis præscribit Apostolus, quum dicit, Certò persuasus sum quòd qui promisit, potens sit etiam præstare. Iterum promissionem repetit Angelus, quòd *secundum tempus uitæ*, aut viuentis, venturus sit: hoc est anno vertente, vbi maturum pariendi tempus aduenerit. Rom.4.d.21

15 *Et negauit Sara.* Alterum Saræ peccatum, quòd risum suum mendacio tegere, ac sepelire conata est. Neque tamen obstinatæ malitiæ fuit ista excusatio, quemadmodum hypocritæ effugia captare solent, vt sui maneant similes vsque in finem. Diuersus fuit Saræ affectus. nam quum propriæ eam stultitiæ pœniteat, metu tamen perculsa, se fecisse negat quod Deo displicere sentit. Vnde colligimus quanta sit naturæ nostræ corruptela, qua fit vt Dei timor virtutum omnium caput, in vitium degeneret. Notandum porrò est, vnde timor, cuius meminit Moses, Saræ animum repentè subierit: nempe quia Deus occultum eius peccatum detexerat. Videmus ergo vt Dei maiestas, dum seriò à nobis sentitur, socordiam à nobis excutiat: præsertim autem ad hunc sensum cogimur, vbi tribunal cõscendit Deus, & peccata nostra in lucem profert.

Nequaquam: sed risisti. Non multis verbis litigat Angelus: sed præcisè falsam negationem refutat. Hinc discamus nullo nos profectu tergiuersari, vbi à Domino arguimur: quia nos vno statim verbo iugulabit. Cauendum ergo ne imitemur eorum petulantiam qui vanis coloribus Deo illudunt: & tandem irruunt in crassum eius contemptum. Vtcunque enim dissimulet ad tempus, horribili tamen ista voce in capita nostra fulminabit, Non ita est vt obtenditis. In summa, non sufficit reuereri Dei iudicium, nisi etiam peccata nostra ingenuè, & sine tergiuersatione, vel ambagibus fatemur. Duplex enim damnatio eos omnes manet, qui Dei iudicium effugere volentes, ad dissimulationis asylum se conferũt. Pura igitur afferenda est confessio, vt apertè damnati, veniam impetremus. Cæterum quòd amica reprehensione contentus fuerit Deus, nec grauius vltus est duplex Saræ peccatum: hinc perspicimus vt comiter interdum suis indulgeat. Seuerius tractatus fuit Zacharias, qui ad nouem mensses obmutuit. Sed nostrum non est perpetuam Deo legem præscribere, qui sicuti pœnis suos ad resipiscentiam adducit: ita quoties visum est, nihil pœnarum infligens, eos satis humiliat. In Sara quidem singulare misericordiæ specimen edidit, quòd illi omnia condonans, manere nihilominus voluit Ecclesiæ matrem. Interea notandum est quanto nobis satius sit nos coram ipso reos peragi, & conuictos silere, quàm nobis delicias facere in peccatis, quemadmodum bona pars mundi solet. Luc.1.b.20

16 *Et surrexerunt uiri illi.* Viros iterum appellat Moses, quos apertè testatus est fuisse Angelos. Sed nomen illis à forma, quam induerant, imponit. Neque tamen putandum est, circundatos fuisse humanis corporibus, sicuti Christus naturam nostram simul cum carne induit: sed Deus illos corporibus ad tempus induit, in quibus visibiles esse possent Abrahæ, & familiariter cum eo loqui. Duxisse autem eos dicitur Abraham, non officii humani causa, quemadmodum initio eos exceperat: sed vt debitum honorem Angelis præstaret. Friuolum enim est quod diuinant quidam, creditos fuisse ab eo Dei Prophetas, qui propter verbũ exularent. Prorsus sciebat Angelos esse, quemadmodũ mox clarius videbimus. Sed in via prosequitur, quos retinere non audet.

17 *An ego celabo Abraham?* Quod Deus quasi de re dubia consultat, id facit in hominum gratiam. quid enim facturus esset, iam antè decreuerat. Sed voluit Abraham hoc modo ad reputandas excidii Sodomæ causas reddere magis attentum. Duas autem rationes affert cur suũ cõsilium antequam exequatur, patefacere ei velit. Prior est, quòd iam ipsum dignatus sit singulari honoris priuilegio. Secunda, quòd ad posteros erudiendos id futurum sit vtile, ac frugiferum. Ergo hoc verbo, reuelationis scopus & vsus breuiter notatur.

18 *Et Abraham erit in gentem magnam.* Hebraicè habetur, Et essendo erit. sed copula, in aduerbium causale resolui debet. Nam hæc est ratio quã attigimus, quòd Deus horribilis suæ in Sodomitas vindictæ cõscium facere velit seruum suum, quia peculiaribus ipsum donis ante alios omnes ornauerat. Sic enim continuat sua beneficia erga fideles, imò auget, ac priora nouis recẽtibúsque subinde cumulat. Atque in hunc modum quotidie nobiscum agit. Quid

enim cauſæ eſt cur aſſiduo tenore innumeras nobis gratias conferat, niſi quia ſemel nos paterno amore complexus, ſeipſum abnegare non poteſt: ideóque ſeipſum in nobis, ſuáque dona quodammodo honorat. Quid enim hîc præter gratuita ſua dona commemorat? Ergo beneficentiæ materiam ex ſeipſo, non ex Abrahæ meritis ſumit. Neque enim aliunde Abrahæ benedictio fluxit, quàm ex Diuinæ gratiæ fonte. Diſcimus autem ex hoc loco, quod etiam experientia docet, peculiare eſſe Eccleſiæ priuilegium, cognoſcere quid ſibi velint, & quorſum ſpectẽt Dei iudicia. Deus quidem ſceleribus pœnas infligens, palàm ſe reipſa mundi iudicem probat: ſed quia fortuitò accidere omnia vidẽtur, Dominus per verbum affulget filiis ſuis, ne cum incredulis cæcutiant. Sic olim quum manum ſuam ad omnes mundi plagas extenderet, in Iudæa tamen ſacrum os ſuum continuit: hoc eſt, quum gentes omnes ferirent cladibus, & rebus aduerſis, ſolum tamen electum populum verbo admonuit per Prophetas, earum ſe eſſe authorem: imò ante tempus fore prædixit, quemadmodum habetur apud Amos, An erit quicquam quod occultet Dominus ſeruis ſuis Prophetis? Meminerimus ergo Deum, ex quo beneficus erga nos eſſe cœpit, nunquam fatigari, donec ſuas gratias alias aliis contexens, ſalutem noſtram compleat. Deinde poſtquam nos ſemel adoptauit, & illuxit mentibus noſtris per verbum ſuum, ſimul eiuſdem verbi facem tenere ante oculos noſtros accenſam, vt iudicia, & pœnas ſcelerum, quas impii ſecurè negligunt, fide conſideremus. Ita fideles in reputãdis omnium temporum hiſtoriis verſari decet, vt de variis cladibus quæ priuatim, & publicè impiis acciderunt, ſemper iudicium ex Scriptura faciant. Verùm quæritur, an exponi Abrahæ neceſſe fuerit Sodomæ excidium, antequam accideret. Reſpondeo, quoniam adeò hebetes ſumus in operibus Dei reputandis, minimè ſuperuacuam fuiſſe hanc reuelationem. Quanuis clamitet Dominus res aduerſas, iræ ſuæ flagella eſſe, nemo ferè auſcultat: quia cauſas prauis imaginationibus carnis noſtræ aliò tranſferimus. Admonitio autem quæ euentum præcedit, nõ ita nos torpere, nec fortunã, vel aliud quodpiam figmentum Diuini iudicii loco imaginari patitur. Ita olim neceſſe fuit, vt populum, licet ferreum, prædictiones magis afficerent, quàm ſi iam acceptis plagis fuiſſent à Prophetis admoniti. Quare ex illis etiam generalem regulam ſumere conuenit, ne profectu careant quæ quotidie cernimus Dei iudicia. Sodomam, dum adhuc integra eſt, ac ſuis deliciis ſuauiter vacat, Dominus perituram denuntiat ſeruo ſuo Abrahæ. Hinc omnis dubitatio eximitur, non caſu periiſſe, ſed diuinitus fuiſſe afflictam. Hinc etiam cauſa, quæ exprimitur, longè efficacius hominum animos pungat, ac ſtimulet neceſſe eſt. Idem poſtea de aliis ſtatuendum. nam etſi nobis quæ facturus eſt nõ prædicit Dominus, vult tamen nos oculatos eſſe operum ſuorum teſtes, & eorum cauſas prudenter expendere: non autem confuſo intuitu hallucinari, ſicuti increduli videndo non videntes, illorum finem peruertunt.

Amos 3.b.7

19 *Propterea præcipiet filiis ſuis.* Secunda ratio cur ſui conſilii participem facere velit Deus Abraham: quia non fruſtrà, nec inutiliter id ſe facturum præuideat. Simplex autem ſenſus eſt, admitti Abraham in conſilium Dei, quia fideliter boni patriſſamiliâs officium facturus ſit in ſuis docendis. Hinc colligimus, Abraham de Sodomæ excidio non ſua tantum vnius cauſa certiorem eſſe factum, ſed in gratiam generis ſui. Quod diligenter notandum eſt: perinde enim valet hæc ſententia, acſi Deus in Abrahæ perſona poſteros omnes compellet. Et certè non ideo ſuam voluntatem nobis Deus exponit, vt nobiſcum intereat eius cognitio, ſed vt eius teſtes ſimus ad poſteros, illíque à nobis acceptam de manu (quod aiunt) in manum nepotibus tradant. Quare patres ſedulò incumbere decet, vt quod didicerunt à Domino, filiis ſuis communicent. In hunc modum propaganda eſt nobis Dei veritas, ne ſibi quiſque priuatim tantum ſapiat: ſed alii alios pro ſua vocatione, & fidei modo ædificent. Nec verò dubium eſt quin craſſa ignorantia, quæ in mundo regnat, iuſta ſit ignauiæ hominum vltio. Nam quum maior pars ad oblatam cæleſtis doctrinæ lucem oculos claudat, plures tamen eam ſuffocant, nec tranſmittere curant ad filios. Iure ergo Dominus vt pœnam ſumat de mundi pigritia, pretioſum verbi ſui theſaurum ſubmouet. Ac notanda eſt particula qua docemur non modò curam noſtrorum habendam eſſe quandiu viuimus, vt eos regamus quaſi in diem: ſed dandam eſſe operam vt Dei veritas, quæ æterna eſt, poſt mortem noſtram viuat, ac vigeat: vt nobis mortuis ſuperſtes maneat ſancta viuendi ratio. Hinc præterea colligimus, vtiles eſſe cognitu hiſtorias, quæ ad incutiendum terrorem valent. Opus enim habet carnis noſtræ ſecuritas acribus ſtimulis quibus pungatur ad Dei timorem. Atque hoc doctrinæ genus nequis tantum ad extraneos ſpectare putet, Dominus propriè deſtinat Abrahæ filiis, hoc eſt Eccleſiæ domeſticis. Inſulſi enim ſunt ac peruerſi interpre-

Poſt ſe,

tes, qui fidem euerti contendunt, si terreantur conscientiæ. Nam quum fidei nihil magis contrarium sit quàm contemptus, & torpor, optimè cum gratiæ prædicatione consentit ea doctrina, quæ homines subigit ad Dei timorem, vt afflicti & famelici, ad Christum festinent.

Et custodient uiam Domini. His verbis significat Moses non modò in hunc finem proponi Dei iudicium, vt expauescant qui sibi per socordiam placẽt in suis vitiis, atque hoc modo coacti, ad Christi gratiam suspirent: sed vt fideles ipsi, qui iam præditi sunt Dei timore, magis ac magis in studio pietatis proficiant. Vult enim Sodomæ exitium narrari, non tantùm vt eiusdem vindictæ metu impii ad Deum trahantur, sed etiam vt melius formentur in vera obedientia qui iam Deum colere cœperunt. Ita lex non tantùm ad initium resipiscentiæ valet, sed etiam ad continuos progressus. Quum addit Moses, *vt faciant iustitiam & iudicium*, breuiter ostendit qualis sit via Domini, cuius mentionem fecerat. quanquam non plena est definitio: sed ab officiis secũdæ tabulæ per synecdochen breuiter ostendit quid potissimum à nobis requirat Deus. Neque id Scripturæ insolens est, piæ, rectæque vitæ descriptionem petere ex secũda Legis tabula. non quòd pluris sit charitas, quàm Dei cultus: sed quia suam erga Deum pietatem probant, qui rectè, & innoxiè viuunt cum suis proximis. Iustitiæ & iudicii nominibus æquitatem complectitur, qua tribuitur cuique quod suum est. Si distinguere placet, Iustitia propriè vocatur rectitudo, & humanitas, quam colimus cum fratribus nostris, dum studemus omnibus benefacere: ab omni autem noxa, fraude & vi abstinemus. Iudicium verò est, miseris, & oppressis manum porrigere, tueri bonas causas, dare operam ne debiles iniustè lædantur. Hæc sunt legitima exercitia, quibus suos occupari Dominus iubet. *Vt uenire faciat Dominus super Abraham quod loquutus est super eum.* Significat Moses compotem promissæ sibi gratiæ fore Abraham, si suos erudiat in timore Domini, domúmque suam probè gubernet. At sub vnius hominis persona communis omnibus piis regula traditur. nam qui hac in parte torpent, abiiciunt, quantum in se est, vel supprimunt Dei gratiam. Ergo vt perpetua nobis duret, ac posteris etiam supersit donorum Dei possessio, cauendum est ne torpore nostro intercidant. Falsò tamen hinc colligeret quispiam sua diligentia efficere fideles, ac mereri vt Deus quæ promisit impleat. Trita enim loquendi ratio est Scripturæ hac voce, ντ, consequentiam magis notare, quàm causam. Etsi enim sola Dei gratia salutem nostram inchoat, & absoluit: quia tamen Dei vocationem sequendo, cursum nostrum peragimus, dicimur etiam hoc modo salutem à Deo promissam consequi.

20 *Clamor Sodomæ.* Hîc clarius exponere incipit Dominus cõsilium suum Abrahæ de quinque vrbibus perdendis. quanquã Sodomam tantum, & Gomorrham, quæ aliis magis famosæ erant, nominat. Prius verò quàm pœnæ faciat mentionem, scelera in medium producit, vt sciat Abraham iure plecti qui perduntur. alioqui historia ad eruditionem non spectaret. Sed hinc peccandi metus, quum sentimus hominum culpa iram Dei prouocari. Dicit clamorem pro scelerum grauitate multiplicatum fuisse: quia vtcunque sibi impunitatem promittant impii mala sua tegendo, & cum silentio & quiete ferantur ab hominibus, peccatum tamen in auribus Dei altè sonare necesse est. Ergo hæc loquutio significat facta omnia nostra quorum putamus sepultam esse memoriam, ad Dei tribunal proferri: imò sponte poscere vindictam, quãuis nemo sit qui accuset.

21 *Descendam nunc.* Quia hoc singulare fuit exemplum iræ Dei, quod Deus celebrari per omnes ætates voluit, & in Scriptura passim inculcat: ideo quæ in Diuinis iudiciis reputanda sunt, diligenter exprimit Moses. quemadmodum hoc loco moderationem ipsius Domini commendat, quòd non statim fulminet aduersus impios: nec statim vindictam suam præcipitet: sed vbi res penitus sunt deploratæ, tunc demum exequatur quam suspensam diu tenuit pœnam. Neque frustrà Dominus composito, & rectè temperato ordine ad pœnas se progredi testatur: quia quoties nos castigat, iusto seuerius nobiscum agere eum putamus. Imò quum militia, quàm vt amplius parcendum sit: de nimia tamen rigoris festinatione conquerimur. Ergo quasi in illustri tabula suam in nobis ferendis æquitatem depingit, vt sciamus nunquam eum nisi maturis sceleribus ad pœnas exigendas prorumpere. Iam si Sodomam ex aduerso respicias, horribile illic occurret stuporis exemplum. Perinde enim acsi nihil sibi foret negotii cum Deo insultant Sodomitæ: extincto boni & mali sensu, pecudum instar in omni genere fœditatis se prouoluunt: perinde acsi nunquam reddenda esset vitæ ratio, sibi in vitiis adulantur. Quoniam hîc morbus seculis omnibus nimium grassatus est, ac hodie plusquam vulgaris apparet: hanc circunstantiam notare operæpretium est, quo tempore sibi, excusso Dei metu, indulgent Sodomitæ, ac impunè sibi fore promittunt quicquid peccarint, Deum capere de

illis perdendis consilium: & tumultuoso scelerum clamore excitatum, descendere in terram, quo tempore illi altum somnum dormiunt. Quare siquando Deus sua iudicia differt, ne ideo putemus nobis melius esse: sed antequam scelerum nostrorum querimoniæ eius aures fatigent, minis eius expergefacti, maturè ad eum placandum properemus. Quoniam autem talis Dei tolerantia à nobis comprehendi non potest, eum humano more loquentem inducit Moses. *Fecerint consummationem.* Nomen hebraicum כלה quod hîc vsurpat Moses, tam perfectio est, vel finis cuiusque rei, quàm cõsumptio. Ideo Hieronymus vertit, Si opere cõpleuerint. Nec verò dubito quin significet Moses venisse Deum, vt inquirat an ad summum cumulum conscenderint peccata: quemadmodum prius dixit, nondũ completas esse iniquitates Amorrhæorum. Summa est igitur, visurum esse Dominum sintne prorsus deplorati, vtqui ad extremum malorum se proiecerint: an verò sint adhuc in medio cursu, vnde reuocari queant ad sanã mentem: quia funditus perdere nolit istas vrbes, siquo modo sanabilis sit eorum malitia. Alii vertunt, Si ita fecerint, iam adest vltimus interitus: sin minus, videbo quatenus sint puniendi. Sed prior ille sensus melius quadrat.

22 *Et Abraham adhuc ipse stabat.* Primùm dicit Moses viros vlterius progressos esse, significans sermone finito Vale dixisse Abrahæ, vt domum rediret. Deinde subiicit Abraham stetisse corã Domino: vt solent qui dimissi non statim abeunt, eo quòd aliquid adhuc dicendum, vel agendum restet. Et scitè Moses, quum de itinere fit mentio, Angelis, hominũ nomen attribuit: Abraham verò nõ dicit coram hominibus stetisse, sed coram facie Dei: quia tametsi oculis cernebat hominum species, fide tamen Deum intuebatur. Et verba eius satis demonstrant nõ loquutum esse quasi cum homine mortali. Vnde colligimus, præposterè à nobis fieri, si nos externa symbola quibus se Deus repræsentat, morentur, vel impediant quominus rectà ad eum tendamus. Natura quidẽ propensi sumus ad hoc vitiũ: sed eo magis luctãdum est, vt fidei sensu ad Deum ipsum euehamur, ne externa signa in mundo nos retineant. Porrò accessit ad Deum Abrahã, reuerentiæ causa. Neque enim se contentiosè opponit, quasi ius intercessionis habeat: sed tantũ suppliciter deprecatur: & singulæ voces, quanta fuerit sancti viri humilitas, & modestia ostendunt. Fateor quidem Sanctos interdum carnis sensu abreptos, sibi nõ temperasse quin obliquè saltem Deo obstreperent. sed hîc Abraham nonnisi reuerẽter Deum compellat: nec quicquam illi excidit reprehensione dignum. Videndum tamen quo affectu impulsus fuerit Abraham, vt suas pro Sodomitis preces interponeret. Quidam putant de vnius nepotis salute magis fuisse anxium, quàm Sodomam & reliquas vrbes curasse: verecundia tamen retentum, ne magno populo neglecto, vnum hominem nominatim sibi dari poscceret. Atqui minimè probabile est, talem simulatione abusum esse. Ego certè communi erga quinque populos misericordia tactum esse nõ dubito, vt deprecator accederet. Quòd si omnia expendimus, magnas habuit causas cur id faceret. Nuper illos eripuerat ex hostium manu: nunc repente delendos esse audit. Conijcere poterat, bellum illud temerè esse susceptum: victoriam suam diuinitus esse maledictam: quasi Deo inuito, pro indignis & sceleratis arma sumpsisse. potuit his cogitationibus non leuiter torqueri. Ad hæc creditu difficile erat, tam ingratos esse omnes, vt nulla recentis liberationis memoria apud eos vigeret. Atqui fas illi non fuit vno verbo cum Deo disputare, postquam audierat quid illi statutum foret. Quid enim meriti sint homines, & quàm seuerè eos tractari expediat, vnus ille optimè nouit. Cur ergo non acquiescit Abraham? Cur sibi aliquos Sodomæ iustos esse fingit, quibus neglectis Deus confuso impetu ad sæuiendum prosiliat? Respondeo, Sensum humanitatis quo permotus fuit Abraham, Deo placuisse. Primùm, quia tam illi cognitionem, vt decet, permittit. Deinde, quia tantum solatii petendi causa, sobriè & submissè interrogat. Quòd tantæ multitudinis interitum exhorret, nihil mirum. Videt homines ad imaginẽ Dei creatos: sibi persuadet in illa ingenti turba paucos saltem esse integros, vel non omnino improbos, & malitiæ deditos. Quod ergo ad veniam impetrandam valere existimat, Deo obiicit. Videtur tamen perperam facere, quòd impunitatem malis postulet in gratiam bonorum. Cuperet enim Deum loco parcere, si quinquaginta illic bonos inueniat. Respondeo, non vsque eò extendi preces Abrahæ, ne Deus flagellis suis attingat vrbes illas, sed tantum ne funditus illas perdat: acsi dixisset, Domine vtcunque vltionem sumas de impiis, annon aliquod domicilium iustis relinques? Cur funditus periret ista regio, quandiu restabunt incolæ à quibus habitetur? Non ergo petit Abraham vt impii bonis permixti manum Dei effugiant: sed tantùm vt Deus publicam de gente tota pœnam sumens, ab exitio tamen bonos qui residui erunt, eximat.

23 *Nunquid etiam disperdes iustum?* Certum quidem est, dum corpus aliquod populi Deus castigat, sæpe in easdem inuolui pœnas bonos cum reprobis. Sic Daniel, Ezechiel, Esdras, & similes

qui purè Deum in patria colebant, quasi violenta procella in exilium abrepti sunt: quum tamen dictum foret, Euomet terra habitatores suos propter eorum scelera. Sed quum ita communiter irasci in speciem omnibus videtur Deus, ad finem referre oculos decet, qui longè alios ab aliis discernit. Nam si agricola tritici grana quæ simul cum palea boum pedibus calcantur, vel percutiuntur flagello, segregare in horreum nouit, longè melius fideles suos, postquam ad tẽpus castigauerit, ab impiis qui veluti sunt inutiles quisquiliæ, colliget, ne simul percant: imò tandem euentu ipso probabit se perditos noluisse, quos pœnis sanabat. Tantũ enim abest vt ad perdendum ruat, quoties suos temporalibus pœnis subiicit, vt potius medicinam afferens, eorum salutem procuret. Ego verò non dubito quin Deus vltimum interitum Sodomæ denuntiasset: atque hoc sensu nunc excipiat Abraham, minime consentaneũ esse vt eadem pariter ruina iusti cum impiis concidant. Nihil tamen absurdi erit, si dicamus Abraham, quòd benè speraret de malorum resipiscentia, Deum rogasse vt illis parceret: quemadmodum sæpe contingit, vt paucorum respectu, Deus clementer populum aliquem tractet. Scimus enim mitigari publicas pœnas: quia Dominus suos benignè, paternóque oculo respicit. In eundem sensum accipi debet ipsius Dei respõsio, *Si in medio Sodomæ inuenero quinquaginta iustos, toti loco propter eos parcam.* Neque tamen hîc perpetua lege se Deus obstringit, ne liceat, quoties ita visum fuerit, impios etiam iustis cõiunctos ad pœnam trahere. Atque vt ostendat liberam sibi esse iudicandi potestatem, non semper æquabilem in hac parte modum seruat. Qui Sodomæ parsurus erat propter decem iustos, hanc se veniam Hierosolymæ daturum negat. Sciamus ergo Deum hîc sibi necessitatem non imponere, sed ideo sic loqui, vt melius testatum faciat se non leuiter prosilire ad perdendam vrbem, cuius nulla portio sincera restabat. Leuit. 18.d.25 Matth.11.d.24

25 *An iudex uniuersæ terræ non faciet iud.* Nõ admonet officii sui Deum: quemadmodũ si quis iudici dicat, Vide quid ferat tuum munus, quid loco isto dignũ sit, quid personæ conueniat: sed à natura Dei ratiocinatur, impossibile esse vt quicquam iniquè designet. Eodem, fateor, loquẽdi modo sæpe obmurmurant Deo impii: sed longè aliter Abraham. Quanuis enim miretur quomodo Sodomam delere cogitet Deus, in qua persuasus est aliquem esse bonorum hominum numerum: retinet tamen principium istud, fieri non posse vt Deus qui iudex est mundi, & natura æquitatem amat, imò cuius voluntas lex est æqui & recti, vel minimum deflectat à iustitia. Interim hanc sibi difficultatem qua angitur, expediri cupit. Sic quoties diuersæ tentationes in animis nostris confligunt, & aliqua repugnantiæ species in Dei operibus occurrit, modò fixa maneat de iustitia eius persuasio, quæ nos excruciant angustias in eius sinum effundere licebit, vt nodos insolubiles nobis soluat. Videtur Paulus ex hoc loco responsionem sumpsisse, qua eorum blasphemiam compescit, qui Deum impietatis insimulãt, Nunquid iniquus est Deus? Absit. Quomodo enim apud eum iniustitia, qui mundum iudicat? ad Romanos cap. 3.a.5.6. Inter iudices terrenos non semper valeret hæc ratio: quos subinde vel errore falli, vel gratia flecti, vel odio accendi, vel corrũpi muneribus, vel aliis modis ad iniustitiam traduci contingit. Sed quia nihil istorum in Deum cadit, cui naturaliter competit mundum iudicare, sequitur nihilo magis deduci ab æquitate Deum posse, quàm abnegare seipsum ne sit Deus.

27 *Et sum puluis.* Ita præfatur Abraham obtinendæ veniæ causa. Quid enim est mortalis homo, vbi cum Deo confertur? Fatetur ergo se nimis audacem esse, qui tam familiariter Deum interrogat: id tamen eius indulgentia sibi concedi petit. Notandum est, Abraham, quo propius ad Deum accessit, eo melius sentire quàm misera sit, & abiecta hominum conditio. Solus enim est gloriæ Dei fulgor, qui homines stultâ, & ebria sui fiducia exutos pudore cõfundit, & penitus humiliat. Quisquis itaque sibi aliquid esse videtur, in Deum conuertat oculos: ac protinus se nihil esse fatebitur. Cæterùm non oblitus erat Abraham se anima immortali præditum esse: sed quod maximè contemptibile est eligit, quo se omni dignitate exinaniat. Videtur tamen sophisticè cum Deo ludere Abraham, quum paulatim ex primo numero diminuens, vsque ad sextam interrogationem procedit. Respondeo, potius turbati animi fuisse hunc sermonem. Primùm anxiè laborat pro Sodomitis. Quare nihil omittit quod ad suam solicitudinem placandam facit. Quum tam comiter illi subinde respondeat Dominus, sciamus non fuisse importunum, nec molestum. Quòd si pro Sodomitis deprecans, vsque ad sextum votum placidè exauditus fuit, multo minus vniuscuiusque preces reiiciet Dominus, quæ pro Ecclesia fundentur, ac fidei domesticis. Porrò in eo quoque refulget Abrahæ humanitas, quòd tametsi Sodomam fœdissimis corruptelis refertam sciat, inducere tamen in animum non potest, omnes scelerum contagione esse infectos. quin potius in æquitatem propendet, vt in magna turba latere putet aliquos probos. Est enim hoc horribile portentum, sic per totum corpus grassari scelerum colluuiem, vt nullum membrum purum maneat. Sed docemur hoc exemplo, quàm impotenter grassetur Satan, vbi semel inualuit peccati dominatio. Nec certè mirum est, quum

tanta sit hominum in vitia propensio, tam lubrica facilitas, alios ab aliis corrumpi, donec ad singulos serpat contagio. Nihil ergo magis periculosum, quàm agere vbi regnat publica scelerum licentia: imò nulla est tam pestifera lues, quàm ea morum corruptio, cui nec leges, nec iudicia, nec alia remedia obsistũt. Quanquam autem fœdissimum crimen quod Sodomæ regnabat, proximo capite exprimet Moses: tenendũ tamen est quod docet Ezech. 16. c. 48. 49, nó statim ad tam execrabile flagitium prolapsos fuisse Sodomitas: sed initio illic regnasse luxum ex saturitate panis: deinde sequutã esse superbiam, & crudelitatem. Tandem quum in sensum reprobum conjecti essent, in belluinas quoque libidines præcipites acti sunt. Ergo si extremum hunc furorem horremus, colenda nobis est temperantia & frugalitas: sempérque timendũ ne redundans victus copia nos ad luxuriam impellat: ne propter opes superbia intumescant animi, ne deliciæ ad libidinum intemperiem nos solicitent.

Cap. XIX.

1 ET venerunt duo Angeli in Sedóm vesperi, & Lot sedebat in porta Sedóm. & vidit Lot, & surrexit in occursum eorum, & incuruauit se *in* faciem super terram.

2 Et dixit, Ecce nunc domini mei declinate obsecro ad domum serui vestri, & pernoctate, & lauate pedes vestros: & manè surgetis, & pergetis in viam vestrã. Et dixerunt, Nequaquam, sed in platea pernoctabimus.

3 Et vehemẽter compulit eos, & declinauerunt ad eum, venerúntque ad domũ eius: & fecit eis conuiuium, & infermentata coxit, & comederunt.

4 Antequam dormirent, viri ciuitatis viri Sedóm gyro cinxerunt domũ à puero vsque ad senem, omnis populus ab extremo.

5 Et vocauerunt Lot, & dixerunt ei, Vbi *sunt* viri qui venerunt ad te nocte? educ eos ad nos, & cognoscemus eos.

6 Et egressus est ad eos Lot ad ostium, & ostium clausit post se.

7 Et dixit, Ne quæso fratres mei malefaciatis.

8 Ecce nunc mihi sunt duæ filiæ, quæ non cognouerunt virum, educam nunc eas ad vos, & facite eis sicut bonum erit in oculis vestris: tantùm viris istis ne faciatis quicquam, eo quòd venerunt in vmbram tigni mei.

9 Et dixerunt, Accede huc. Dixerunt præterea, Vnus venit ad peregrinandum: & iudicabit iudicando? nunc magis malefaciemus tibi, quàm ipsis. Et vim fecerunt in virum ipsum Lot valde: & appropinquauerunt vt frangerent ostium.

10 Et miserunt viri manum suam, & introduxerunt Lot ad se in domum, & ostium clauserunt.

11 Et viros qui erant ad ostium domus, percusserunt cæcitate, à minimo vsque ad maximum, & laborauerunt vt inuenirent ostium.

12 Et dixerunt viri ad Lot, Adhuc est aliquis tibi hîc? generum, & filios tuos, & filias tuas, & omnia quæ sunt tibi in ciuitate, educ de loco:

13 Quia disperdimus nos locum hunc: eo quòd creuit clamor eorũ coram Domino: & misit nos Dominus ad perdendum eum.

14 Et egressus est Lot, & loquutus est ad generos suos qui acceperant filias eius, & dixit, Surgite, egredimini de loco isto, quia disperdit Dominus ciuitatem. & fuit sicut ludens in oculis generorum suorum.

15 Et quum aurora ascendisset, instabant Angeli, ipsi Lot dicendo, Surge, cape vxorẽ tuã, & duas filias tuas quæ adsunt, ne fortè pereas in punitione ciuitatis.

16 Et tardabat: & apprehenderunt viri manum eius, & manũ vxoris eius, & manum duarum filiarum eius, eo quòd parceret Dominus ei: & eduxerunt eum, & posuerunt eum extra vrbem.

17 Et fuit, quum eduxiſſent ipſi eos foras, dixit, Euade pro anima tua, ne reſpi-
ciàs poſt te, nec ſtes in tota planitie: in monte ſerua te, ne forte pereas.
18 Et dixit Lot ad eos, Ne quæſo Domini mei,
19 Ecce nunc inuenit ſeruus tuus gratiam in oculis tuis, & magnificaſti miſeri-
cordiam tuam quam feciſti mecum, vt viuificares animam meam: & ego non
potero ſeruare me in monte, ne fortè hæreat mihi malum, & moriar.
20 Ecce nunc ciuitas iſta propinqua, vt fugiam illuc, & eſt parua: euadam nunc
illuc: nunquid non parua eſt, & viuet anima mea?
21 Et dixit ad eum, Ecce ſuſcepi faciem tuam etiam in hoc, vt nõ ſubuertam ci-
uitatem, vt loquutus es.
22 Feſtina, ſerua te illic: quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris il-
luc. idcirco vocauit nomen ciuitatis Sóhar.
23 Sol egreſſus eſt ſuper terram, & Lot ingreſſus eſt Sóhar.
24 Et Dominus pluit ſuper Sedóm & ſuper Hamoráh ſulphur & ignem à Domi
no è cælis:
25 Et ſubuertit ciuitates iſtas, & omnem planitiem, & omnes habitatores vr-
bium, & germen terræ.
26 Et reſpexit vxor eius poſt eum, & effecta eſt ſtatua ſalis.
27 Et ſurrexit Abrahám manè ad locum vbi ſteterat coram Domino.
28 Et reſpexit ſuper faciem Sedóm & Hamoráh, & ſuper omnem faciem terræ
planitiei: & vidit, & ecce aſcendebat fumus terræ, ſicut fumus fornacis.
29 Et fuit, quũ diſperderet Deus vrbes planitiei, recordatus eſt Deus Abrahám,
& emiſit Lot è medio ſubuerſionis, quando ſubuertit ciuitates, in quarum v-
na habitabat Lot.
30 Et aſcendit Lot de Sóhar, & habitauit in mõte, & duæ filiæ eius cum eo: quia
timuit habitare in Sohár, & habitauit in ſpelunca, ipſe, & duæ filiæ eius.
31 Et dixit primogenita ad minorem, Pater noſter ſenex eſt, & vir nõ eſt in ter-
ra, vt ingrediatur ad nos ſecundum morem vniuerſæ terræ.
32 Veni, potum demus patri noſtro vinum, & dormiamus cum eo, & viuifice-
mus de patre noſtro ſemen.
33 Et potum dederunt patri ſuo vinum, nocte ipſa. & ingreſſa eſt primogenita,
& dormiuit cum patre ſuo: & non cognouit quando dormiuit ipſa, nec quan-
do ſurrexit ipſa.
34 Et fuit in craſtino, dixit primogenita ad minorẽ, Ecce dormiui heri ſerò cum
patre meo, potum demus ei vinum etiam *hac* nocte: & ingredere, dormi cũ eo,
& viuificemus de patre noſtro ſemen.
35 Et potum dederunt etiam nocte ipſa patri ſuo vinũ. & ſurrexit minor, & dor
miuit cum eo: & non cognouit quando dormiuit ipſa, nec quãdo ſurrexit ipſa.
36 Et conceperunt duæ filiæ Lot, de patre ſuo.
37 Et peperit primogenita filium, & vocauit nomen eius Moáb: ipſe eſt pater
Moáb vſque ad diem hanc.
38 Et minor etiam ipſa peperit filium, & vocauit nomen eius Ben-hammí: ipſe
eſt pater filiorum Hammón vſque ad diem hanc.

1 *Et venerunt duo Angeli in Sedom.* Quæritur cur vnus ex tribus Angelis ſubito diſpareat, duo tantum Sodomam veniant. Iudæi (vt ſunt audaces in comminiſcendis fabulis) vnum veniſſe nugantur ad perdendum locum: alterum, qui Lot ſeruaret. Verum ex contextu Moſis apparet illud eſſe friuolum: quia ambos videbimus liberationis fuiſſe miniſtros. Simplicius eſt quod

prius adduxi,hoc fuiſſe Abrahæ peculiaris gratiæ loco conceſſum,vt Deus non modo è media Angelorũ turba duos ad eũ mitteret,ſed familiarius ſe illi patefaceret in Filio ſuo. Vnus enim, vt vidimus, principẽ locum, vt dignitate ſuperior,obtinuit. Quanquã autem Chriſtus ſemper fuit mediator, quia tamen magis obſcurè ipſi Lot patefactus fuit quàm Abrahæ: tantum duo Angeli Sodomã venerunt.Quòd Moſes narrat,Lot circa veſperam in porta vrbis ſediſſe:mul ti ex quotidiano more feciſſe contendunt,vt hoſpites ad ſe reciperet.quia tamen cauſam ſubti- cet Moſes, illud pro certo aſſerere temerarium foret. Fateor quidem non ſediſſe vt ignaui ho- mines ſolent : ſed non minus probabilis eſt coniectura, veniſſe obuiam ſuis paſtoribus, vt co- gendis pecoribus adeſſet. Hoſpitalem quidem fuiſſe clarè demonſtrat tam comis inuitatio quæ à Moſe deſcribitur. Cur tamen ſubſtiterit tunc in porta vrbis, incertum eſt : niſi quòd be- nefaciendi occaſionẽ prætermittere noluit,quum oblati eſſent hoſpites, quibus impendere offi- cia ſua poſſet. Reliqua petantur ex proximo capite.

2 *Nequaquam,ſed in platea.* Non ſtatim aſſentiuntur Angeli, quo melius ſancti viri affectũ ex- plorent.Neque enim præbendæ tãtum cœnæ cauſa domum eos erat ducturus, ſed vt à ciuium vi,& iniuriis tuendos ſuſciperet.Perinde ergo agunt Angeli, acſi tutum eſſet in via publica dor mire: atque ita perditam totius populi nequitiam ſcire ſe diſſimulant.Nam ſi ideo clauduntur vrbium portæ, vt ferarum hoſtiúmque incurſus arceatur: quàm indignum eſt atque abſurdũ, grauioribus periculis intus eſſe expoſitos qui illic degunt? Ergo ad exaggerandum populi ſce- lus ita loquuntur Angeli. Lot autẽ Angelos cogendo ad ſe venire,vt à cõmuni gentis petulãtia eos protegat,melius oſtẽdit quãtæ ſibi curæ ſint hoſpites, nequid probri,aut iniuriæ patiantur.

3 *Et fecit eis conuiuium.* Hoc verbo & aliis ſequẽtibus, notat Moſes Angelos ſolito lautius fuiſ- ſe tractatos. neque enim ſic Lot cum omnibus indifferenter agebat. Sed quum ex dignitate o- ris & habitus,coniiceret homines eſſe non gregarios,placentas coxit, & liberale parauit conui- uium.Iterum dicit Moſes Angelos comediſſe:non quòd haberent opus, ſed quia cæleſtis natu- ræ manifeſtandæ nondum maturum erat tempus.

4 *Antequam dormirent.* Hîc in vno facinore Moſes viuam Sodomæ effigiem ante oculos pro- ponit. Hinc enim perſpicuum eſt,quàm diabolicus in omne nefas fuerit eorũ conſenſus, quòd tam facile omnes ad teterrimam obſcœnitatem conſpirant. Quanta fuerit improbitas & pro- teruia,inde patet,quòd quaſi exercitu collecto,hoſtiliter ad obſidendã domum Lot inſurgunt. Quàm cæca & immanis libido,vt ſine pudore brutorum animalium inſtar concurſant? quan- ta ferocia, & crudelitas, quòd contumelioſè minãtur ſancto viro,& extrema quæque intentãt? Hinc etiam colligimus,non vno tantũ vitio laboraſſe,ſed proiectos fuiſſe ad omnem peccandi audaciam,vt nullus illis pudor reliquus fuerit.Et Ezechiel(ſicut nuper retulimus,)ſcitè cõme- morat à quibus malorum initiis in extremam turpitudinem defluxerint. Eodem etiã pertinet quod dicit Paulus, Deum vlciſci hominum impietatem, quum eos in tantam cæcitatem pro- iicit,vt per nefandas libidines vagẽtur, & dedecore afficiant ſua corpora. Vbi autẽ excuſſo pu- dore laxata ſunt fræna libidini,fœdam & immanẽ barbariem mox ſequi neceſſe eſt,ac multas ſcelerum ſpecies ſimul miſceri, vt fiat pluſquam deforme chaos. Quòd ſi Sodomitas oppreſſit tam ſeuera Dei vltio,vt furore excæcati,flagitiis omnibus ſe proſtituerẽt:nobiſcũ certè vix mi- tius agetur,quorum eo minus excuſabilis eſt impietas,quo clarius Dei veritas nobis patefacta fuit. *A puero uſque ad ſenem.* Multa ſubticet Moſes,quæ lectori vltrò venire in mentem poſ- ſunt: quale eſt quòd non meminit à quibus concitata fuerit multitudo. Veriſimile autem eſt, quædam fuiſſe flabella : ſed tamen hinc perſpicimus quàm voluntarii ad patrandũ ſcelus fue- rint, qui velut ſigno dato ſtatim conueniunt. Oſtendit etiam quàm nullus fuerit pudor apud eos reſiduus:quia nec ſenes retinuit vlla grauitas,nec pueros modeſtia quæ illam ætatem decet. denique abolitam fuiſſe omnẽ honeſti curã, peruerſúmque naturæ ordinem ſignificat, quum dicit,à puero vſque ad ſenem conuolaſſe ab extremis vrbis partibus.

5 *Vbi ſunt uiri.* Tametſi in animo habebant turpiter hoſpitibus ad præpoſteram libidinem abuti,verbo tamen aliud obtendunt. Quaſi enim peccauerit Lot,dum homines incognitos in vrbem admiſit cuius ipſe erat inquilinus, iubent ipſos coràm produci. Quidam, *Cognoſcere* ex- ponunt rem habere, atque ita verterunt Græci interpretes. Sed ego alio ſenſu poſitum eſſe hoc verbũ arbitror:acſi dicerent, Volumus ſcire quoſnã tu hoſpites in vrbem noſtrã inducas. Scri ptura enim rem pudẽdam modeſtè hoc verbo notare ſolet. Petulãtius ergo de nefando concu- bitu loquuti eſſent Sodomitæ : verum tegendæ ſuæ nequitiæ cauſa, hîc imperioſè cum ſancto viro expoſtulant, quòd auſus fuerit recipere homines ignotos. Hîc tamẽ oritur quæſtio. nam ſi hoc modo ſolebant quoſlibet hoſpites vexare Sodomitæ,quid aliis factũ fuiſſe dicemus? Lot enim non tũc primũ hoſpitalis eſſe cœperat:illi autẽ ſemper fuerant libidinoſi. Filias ſuas pro- bro exponere paratus eſt Lot, vt hoſpites eripiat. Quoties iam eas proſtituere neceſſe fuerat,

Exech.16.f.49

Rom.1.b.28

si non alio remedio placari poterat eorum rabies,qui viros ad stuprum flagitabant?Iam verò si tale instare periculum Lot nouisset, hortandi potius erant hospites vt se maturè subducerent. Meo quidem iudicio, tametsi Lot vrbis mores nouerat, minimè tamen suspicatus est quod accidit, vt impetum in ædes suas facerent: atque id videtur nouum fuisse. Sed oportuit scilicet, quum ad habendum de populo illo examen missi essent Angeli, in hoc detestabile facinus omnes prorumpere. Sic impii, postquam diu in malitia sua securè exultarunt, tandem furiosè ruendo,exitium suum momento accelerant. Voluit ergo Deus, quũ ad iudicium vocaret Sodomitas,quasi extremum sceleratæ vitæ actum edere,& spiritu vertiginis eos in scelus impulit,cuius atrocitas,loci interitum longius differri non sineret. Quemadmodum enim sancti viri Lot hospitalitas insigni præmio ornata fuit,quòd nescius Angelos hominum loco excepit,& conuiuas habuit domi suæ: ita Deus grauiore pœna vltus est obscœnã aliorũ libidinem, qui dum stuprum Angelis inferre conati sunt,non tantùm in homines fuerunt iniurii,sed sacrilego furore cælestem Dei gloriam violarunt quantum in se erat.

6 *Egressus est ad eos Lot.* Quòd Lot foras egreditur,séque periculo opponit,hinc apparet quanta fide coluerit sanctum ius hospitii. Rara sanè virtus, quòd hospitum salutem, & honestatem præfert suæ vitæ, quia semel protegendos suscepit: hæc tamen animi magnitudo requiritur à filiis Dei,ne sibi parcant, vbi agitur officium & fides. Quanuis autem iam grauiter obsessa domo sua læsus foret, blanditiis tamen mulcere studet feroces animos, dum suppliciter rogat vt à scelere supersedeant, & fratrum titulo eos dignatur. Apparet autem quàm truculenta fuerit illorum immanitas, & quàm violentus libidinis furor, dum tanta mansuetudine nihil flectuntur.Huc verò tendit tam belluini furoris descriptio,vt sciamus non antè sumptã fuisse de illis pœnã,quàm dum ad extremũ scelerum progressi essent.Meminerimus autem reprobos, vbi iusta Dei vindicta excæcati sunt, ruere quasi deuotis animis per quoduis nefas: nec quicquam omittere,donec se Deo & hominibus prorsus exosos & detestabiles reddant.

8 *Mihi sunt duæ filiæ.* Sicuti non vulgarem laudem meretur constãtia Lot, quòd caput suum pro hospitum defensione oppoſuerit: ita nunc admixtum fuisse defectũ narrat Moses, qui tantam eius virtutẽ aliqua macula asperſit.Cõsilio enim destitutus, vt in reb⁹ perplexis fieri solet, illicitum remediũ excogitat.Filias enim suas ad stuprũ prostituere non dubitat, vt compescat indomitum populi furorem.Atqui mille potius mortes obeundæ erant,quàm inenda talis ratio.Sic tamen ferè sunt Sanctorum opera:quia nihil ab ipsis tam absolutum exit,quod non aliqua in parte claudicet. Vrgetur quidem Lot extrema necessitate: nec mirũ est quòd filias suas stuprandas offert,dum videt sibi rem esse cum feris bestiis. Inconsideratè tamen mali vnius remedium quærit ex altero malo.Quòd eius culpam quidam extenuant,facilè patior:reprehensione tamen non caret,quòd malum malo compensat.Sed monemur hoc exemplo,vbi Dominus Spiritu inuictæ fortitudinis nos instruxit,rogandum etiam esse vt Spiritu prudentiæ nos gubernet:nec vnquam sanum iudicium,moderatámque rationem excuti nobis sinat. Tunc enim demum ritè in officio pergemus,si in rebus turbatis composita mẽte cernemus quid factu opus sit,quid liceat, quid expediat:& præsenti animo quoduis discrimen subire parati erimus. Non enim minus periculosum est captãdis prauis consiliis raptari huc & illuc mẽtes nostras, quàm tumultuari metu.Redacti autem in vltimas angustias,Dominũ precari discamus,vt exitum aliquem aperiat. Alii diuerso prætextu Lot excusant, quòd filias suas sciuerit minimè expeti.Ego autem non dubito quin effugiũ,quod illi primum occurrit,quærere volens,à via deflexerit. Hoc quidem extra dubium est, tametsi nondum disertis verbis professi erant Sodomitæ quàm turpi cupiditate æstuarẽt,Lot tamen ex quotidianis eorum flagitiis iudicium feciſſe. Si quis absurdum esse obiiciat,totum populũ duos viros ad stuprum captasse.Respondeo,quia crimen illud consuetudine & vsu sibi licitum esse fingebant,paucis instigantibus turbã fuisse concitatam. Sicuti contingit vbi nullum habetur recti & iniusti discrimen.Quum dicit Lot *hac de causa subiisse tectum suum*, sensus est, sibi commissos esse à Domino, séque perfidiæ reum fore, nisi protegere eos studeat.

9 *Facesse hinc.* Quòd Lot tam durè cum suis precibus repellitur,quibus tamen ad sedandam eorum proteruiam nihil aptius adduci poterat:hinc apparet quàm indomitus fuerit huius gentis fastus. Ac primò quidem minantur, si intercedere pergat, peius mulctatum iri, quàm quos defendit.Deinde exprobrant, quòd homo extraneus,iudicis partes sibi sumat. Singulis autem verbis demonstrant qua turgeãt superbia.Vnum opponũt multitudini:acsi dicerent,Quo iure tu solus imperium tibi vendicas in totam vrbem?Deinde se indigenas esse gloriantur,illum verò inquilinum. Talis est etiam hodie Papistarum iactantia contra pios verbi ministros: paucitatem enim illis probri loco obiiciunt, se autem numero longè præstare. Deinde longa successione superbiunt; ideóque ferendum non esse clamitant, vt à nouis hominibus arguantur.

Verùm quamlibet contumaciter luctentur impii, ne se rationi subiiciant, sciamus nonnisi in suam ruinam efferri.

10 *Et miserunt uiri manum suam.* Iterum viros nominat Moses, non qui fuerint, sed quales visi fuerint, significans. etsi enim cælestem suam virtutem exerere incipiunt, nondum tamen declarant se angelos esse diuinitus è cælo missos. Hic autem docet Moses, Dominum, quãuis ad tempus dissimulet dum in discrimine fideles versantur: nunquam tamen ipsos deserere quin manum in ipso (quod aiunt) articulo porrigat. Ita in seruando Lot auxilium suũ distulit, donec ad extrema ventum foret. Quietis ergo animis locum demus eius prouidentiæ: quod vocationis nostræ propriũ est, quódque ipse mandat, intrepidè sequamur. quanuis nos periclitari sinat, tamen ostendet se nunquã fuisse nostri oblitum. Videmus enim, quia domum suam tegendis hospitibus Lot clauserat, vices illi rependi, quũ Angeli nõ modò aperta rursus ianua eum ad se recipiunt, sed oppositis Diuinæ potẽtiæ repagulis impios ab accessu prohibent. Nec verò (vt nuper attigi) humanũ modò officium illi præstant, sed armati Dei virtute ad ferendam illi opem accedunt. Quod dicit Moses *percussos fuisse homines cæcitate*, non sic accipias, quasi oculis priuati, vel capti fuerint: sed ita hebetatos esse corũ visus vt nihil discernerent. Illustrius autẽ fuit hoc miraculum, quàm si eruti prorsus illis, vel confixi fuissent oculi: quia apertis oculis non secus ac cæci palpant, videndóque non vident. Simul exprimere voluit Moses quàm ferrea fuerit illorum obstinatio. ianuam Lot non inueniunt: sequitur in ea quærenda laborasse. atqui hoc modo furiosè cum Deo bellũ gerunt. Cæterùm nõ semel hoc, nec solis Sodomitis accidit: sed in reprobis quotidie impletur, quos Satan fascinat tanta amẽtia, vt forti Dei manu percussi, stupida contumacia contrà ire pergant. Atque huius rei ne longius petamus exemplũ, videmus quàm tremendis pœnis vltus sit Deus vagas libidines: nec tamen mundus in certam perniciem, quæ ante oculos ingeritur, præfracta audacia ruere desinit. *Habes hic quempiam.* Tandem quorsum venerint, & quidnã facturi sint, Angeli denuntiant. Tanta enim erat postremi actus indignitas, vt Lot sentire iam deberet tolerabilem Deo non esse populum illum. Primò autem dicunt se venisse ad perdendam vrbem: *quia multiplicatus fuerit clamor.* quibus verbis significant non vno tantùm scelere prouocatum esse Deum: sed postquã diu illis pepercerit, nunc tandem immensa scelerum congerie propè coactum, ad sumendas pœnas descendere. Sic enim habendum est, quo plura peccata accumulant homines, eo altius surgere eorum malitiã, & propius ad Deum accedere, vt vindictam exposcat. Quare sicuti Angeli Deũ hactenus fuisse longanimem, multæque tolerantiæ testantur: ita rursus significant qualis eos omnes exitus maneat, qui congesta scelerum mole, quasi Gigantũ instar, cælum oppugnaturi, maiori in dies audacia se efferũt. Excidii verò causam non tantum ideo cõmemorant, vt Lot iustitiæ & æquitatis laudem Deo tribuat, sed vt metu perculsus, ad migrationẽ magis festinet. Nã quæ carnis nostræ ignauia est, lentè & frigidè ad effugiẽdum Dei iudiciũ accingimur, nisi seriò eius terrore incitati: ita Noah diluuii metu territus, ad fabricandam arcam studiũ suum applicuit. Interea Angeli in spem erigunt sancti viri animũ, ne trepidet: vel formidine occupatus, & saluti suæ diffidẽs, tardior sit ad exitum. Neque enim eum modò saluũ fore promittunt, sed vltrò illi condonãt suorum vitam. Dubitandum verò illi de sua vita nõ fuit, quũ instar auctarii, alios quoque gratis sibi cõcedi videret. Quæritur tamen, Cur suam gratiam offerre Deus voluerit ingratis hominibus, à quibus repudiatum iri nouerat. Eadem de Euangelii prædicatione moueri potest quæstio. neque enim ignorat Deus paucos fore salutis cõpotes, quam promiscuè omnibus offerri iubet: sed ita magis inexcusabiles redduntur increduli, quũ salutis nuntium respuunt. Ideo autem præcipuè iubetur Lot spem liberationis suis deferre, quo maiore fiducia Dei gratiã amplexus, strenuè, citóque se ad discessum accingat, de salute sua nõ dubitãs. Probabiliter autẽ colligitur ex hoc loco, nullos illi in vrbe fuisse tunc filios: nam hortatu Angelorũ saltem conatus esset eos extrahere. Prius legimus amplam illi fuisse, & numerosam seruorũ manum: sed hîc quoniam libera tantum capita cẽsentur, nulla fit eorum mẽtio. probabile tamen est aliquos fuisse cum eo egressos, qui annonam, & aliquid supellectilis attulerint. Vnde enim filiabus vinum in monte deserto, quod patri suo porrigerent, nisi quædã asinis, vel camelis, vel plaustris aduecta essent, de quibus Moses nihil meminit? Fieri tamen potest vt in magna turba multi cum Sodomitis perire maluerint, quàm ad quærendam salutem domino suo socii esse & comites. Sed hæc quæ Spiritus Dei non patefecit, in medio relinquere præstat.

13 *Misit nos Dominus ut perdamus.* Docet hic locus, Angelos tam iræ Dei, quàm gratiæ esse ministros. Nec obstat quod alibi propriè sanctis Angelis tribuitur hoc posterius: sicuti quũ dicit Apostolus ordinatos esse in eorũ salutem, quos Deus in filios adoptauit. Et Scriptura passim testatur, mãdari illis piorum custodiã: contrà verò, pronuntiat Deũ sua iudicia per Angelos reprobos exequi. Tenendũ ẽnim est iisdem iudiciis Deum præficere electos Angelos quæ per repro-

Hebr.1.d.14.
Psal.91.c.11.
Psal.77.c.49.

bos exercet. Absurdum enim foret transferri ad diabolos hunc honorem, vt censeatur præesse Dei iudiciis: sicuti nec voluntariũ illi obsequium præstant: sed potius contumacia furentes aduersus eum, inuiti tamen trahuntur vt fiant eius carnifices. Sciamus ergo non alienũ esse ab ele ctis Angelis munus, vt armati ad exequendã Dei vindictam, & infligendas pœnas descendant. Sic Angelus Domini, exercitum Sennacherib, qui Hierosolymam obsidebat, nocte vna dele- 2. Reg. 19 g. 35.
uit. sic & Angelus exerto gladio visus est à Dauide, quũ pestis aduersus populum sæuiret. Supra 2. Sam. 24. c. 16.
autem admonui, repetere Angelos quod Abrahæ dixerant de clamore: vt loci detestatione Lot magis impellant ad fugam capessendam, & iræ Dei metu solicitent ad quærendam salutem.

Egressus Lot. Fides sancti viri Lot in eo primũ enituit, quòd seriò pertimuit, ac humiliatus est ad Dei minas. deinde quòd in medio tamen exitio, promissam sibi salutem apprehendit. Quòd autem in societatẽ generos suos inuitat, talis sedulitas decet filios Dei, vt modis omnibus suos eripere studeãt ab exitio. Quum autem dicit Moses visum fuisse iocari, sensus est, contemptum fuisse, & derisum pium senem, & pro fabula fuisse habitũ quod dicebat: quia putarẽt illi deliriis captum, frustrà sibi periculũ fingere. Non ergo visus fuit illis Lot ludere ex professo, aut venisse nugandi causa: sed fabulosum duxerunt eius sermonem: quia vbi non subest religio, & timor Dei, tanquam inane & lusorium euanescit quicquid de scelerum pœna dicitur. Atque hinc perspicimus quàm exitiale malum sit securitas, quæ impiorum mentes sic inebriat, imò fascinat, vt Deum non amplius putent sedere in cælo iudicẽ: atque ita stupidi torpent in suis malis, donec subita ruina opprimãtur quũ dicunt, Pax & securitas. Præsertim verò, quo propius instat Dei vindicta, magis crescit, & obdurescit eorũ obstinatio. Nihil quidem impiis magis trepidum est, ac meticulosum, vbi Dei manu vrgẽtur. Sed donec vi coacti præsentẽ suum interitum sentiant, omnes minas vel superbis ludibriis reiiciunt, vel contemptim prætereunt. Atqui eorum socordia expergefacere nos debet ad Dei timorem, vt semper simus soliciti: tunc verò maximè, vbi signum aliquod iræ Dei se profert.

15 *Instabant Angeli.* Laudata fide Lot & pietate, Moses aliquid humani fuisse passum ostẽdit, quia tardantem Angeli instigant. Porrò, causa pigritiæ esse potuit, quòd se in exilium abire cogitat: ita multiplices curæ & metus trepidum animum perturbant. dubitat enim quid profuturum sit, vbi relicta domo & supellectile, nudus & inops in desertum aliquem locum se contulerit. Neque interea reputat, idem sibi faciendum esse quod naufragis, qui vt salui perueniant ad portum, merces, & quicquid habent, in mare abiiciunt. Deum quidem vera loquutum esse non dubitat: nec recusat, sicuti iussus est, aliò migrare: seb quasi fatiscens sub sua infirmitate, multísque curis implicitus claudicando lentè incedit, qui properè, nullaque mora interposita excurrere debuerat. Cæterùm in eius persona tarditatis nostræ speculum proposuit Dei Spiritus, vt torpore excusso, simulac auribus nostris insonuit vox cælestis, ad promptã obedientiam discamus nos accingere: alioqui præter illã pigritiam, quæ naturaliter nobis insidet, multas remoras iniiciet Satan. Vt autem Angeli melius Lot extimulent, metum ingerunt, *ne perdatur in urbis iniquitate*, vel pœna. Nam נגע, vtrunque significat. Non quòd innoxios temerè Dominus in eundem cum impiis aceruum coniiciat: sed quia dignus est qui pereat, qui sibi consulere non vult: imò qui admonitus vt caueat, sua desidia ruinæ se exponit.

16 *Et tardabat, & apprehenderunt viri.* Prius verbis instabãt Angeli: nũc manu, & reipsa quasi vio lenter hominem ad migrandum compellunt. Mira sanè hominis tarditas, qui quũ certò persuasus sit non frustrà minari Angelos, nullis verborum stimulis incitatur, donec manibus eorum trahatur extra vrbem. Dicit Christus, licet spiritus promptus sit, carnem esse infirmam: Matth. 26. d. 41.
hîc deterius vitium notatur, quòd sua ignauia caro spiritus alacritatem restinguat, vt léta claudicatione vix reptare possit. Atque huius quidem mali sua cuique experientia testis est. quo maiore studio fideles eniti decet, vt se ad Deum sequẽdum expediant: cauere etiam, ne velut surdis auribus dissimulent eius minas. Nec verò tam studiosè vnquam, & acriter se vrgebunt, quin adhuc plus satis in officio cunctentur. Notatu etiam dignũ est quod dicit Moses, Dominum serui misertum esse, dum apprehensa eius manu per Angelos, extra vrbem eum rapuit. Sic enim necesse est nos sæpe violenter trahi, vnde sponte non eximus. sicui obstaculo sunt vel diuitiæ, vel honores, vel alia eius generis, quominus liber ac solutus Deo se addicat: vbi cõtinget minui suis fortunis, vel cogi in ordinem: sciat manum suã apprehendi à Domino: quia non satis proficerant verba & exhortationes. Non est ergo cur ægrè feramus sanari violentis remediis morbos quibus corrigẽdis nõ satis efficax est doctrina. Videtur etiã maius quiddã notare Moses, nempe Dei clementiã certasse cum pigritia Lot. neque enim per eum stabat quin cunctando propinquum iam interitum sibi accerseret: Dominus tamen non modò illi ignoscit, sed quia vult saluum esse, quasi restitantem adhibita manu trahit.

17 *Euade pro anima tua.* Hoc additum fuit à Mose, vt sciamus nõ modò ad momentum nobis

porrigi manũ à Domino, vt ſalutem noſtrã inchoet: nec opus ſuum mutilũ relinquere, ſed perducere vſque ad exitum. Hoc certè non vulgaris gratiæ erat, prædictam fuiſſe ipſi Lot Sodomæ ruinam, ne incautum opprimeret: certã ſpem ſalutis eſſe illi datam per Angelos: denique ex periculo manu eſſe ſublatũ. Dominus tamen tot beneficiis non contentus, quid poſthac agendum ſit admonet. ita illi curſus rectorem ſe præbet, donec ad ſalutis metam peruenerit. *A tergo* autem *reſpicere* vetatur Lot, vt ſentiat peſtiferum ſe domicilium relinquere. Primùm, nequo eius deſiderio titilletur: deinde, vt melius reputet quàm ſingulari Dei beneficio ex inferis emerſerit. Prius retulit Moſes, quàm fœcunda eſſet, ac opima illa planities: inde migrare Lot iubetur, vt ſentiat, quaſi è medio naufragio ſe fuiſſe liberatũ. Tametſi autem Sodomæ habitans, cor ſuum aſſiduè excruciabat: fieri tamen vix potuit quin ex tam profunda ſcelerũ colluuie aliquid ſordis cõtraheret. nunc itaque à Domino purgandus, deliciis priuatur, in quibus nimium ſibi placuerat. Nos quoque hinc diſcamus, Deum optimè ſaluti noſtræ conſulere, dum reſcindit quæ ſuperflua ſunt ad carnis delicias: atque vt nimiam indulgentiam corrigat, ex ſuaui, iucundáque planitie nos ablegat in deſertum montem.

18 *Dixit Lot ad eos.* Hîc aliud vitium Lot reprehẽditur, quòd nõ ſimpliciter paret Deo, nec patitur ſe eius arbitrio ſeruari, ſed nouũ ſibi modum excogitat. Montem aſſignat Deus, qui futurus ſit loco aſyli: vrbem ipſe ſibi potius eligit. Falluntur ergo qui eius fidem in hac precatione ſic extollunt, vt perfectum ſtatuant probè orandi exemplar. nam Moſis potius conſilium eſt, docere fidem Lot non prorſus fuiſſe ab omnibus vitiis immunem, vel purã. Tenendũ eſt illud axioma, Vitioſas eſſe preces noſtras, niſi in verbo fundatæ ſint. Lot verò non tantùm verbo deſtituitur, ſed præpoſterè ſibi contra verbum indulget. talis certè importunitas, fidei nihil habet affine. Deinde ſubita pœnitentia, ſtultæ cupiditatis pœna fuit. Sic enim vacillare neceſſe eſt eos omnes, qui ſe Deo non ſubiiciunt: ſimul ac voto vno potiti ſunt, noua ſtatim inquietudo naſcitur, quæ mutare ſententiam cogit. Sic in ſumma habendum eſt, Lot minimè culpa vacare, dum ſibi vrbem ad habitandum poſtulat. nam & ſe opponit Dei mandato, cui acquieſcere debebat: & in deliciis manere cupit, quibus vtile erat eum ſubmoueri. ideo perinde facit, acſi æger vel ſectionem, vel potionem amaram detrectet, quam tamen medicus præſcribit. Quanquã non intelligo, precationem Lot fide prorſus fuiſſe vacuam: quin potius ſic eum à via deflexiſſe ſentio, vt non modò procul nõ diſceſſerit, ſed ad eam tenendam mente fuerit intentus. Pendebat enim ſemper à Dei verbo: ſed in ſpecie vna decidit, dum locũ ſibi negatum dari flagitat. Ita piis ſanctorum deſideriis aliquid ſæpe lutulentum & turbidum admixtum eſt. Nec me latet, ſingulari interdũ Spiritus motu impelli, vt videri poſſint à verbo diſcedere, neque tamen eius fines trãſiliant. Sed immodicus carnis affectus in Lot ſe prodit, quòd deliciis quas fugere debebat, tenetur implicitus. Temeritatis verò teſtis eſt inconſtantia, quòd ſibiipſi mox diſplicet.

19 *Ecce nunc inuenit ſeruus tuus gratiam.* Quũ duos videat, ſermonem ad vnũ dirigit. Vnde colligimus, Lot nõ ſubſtitiſſe in Angelis: quia ſatis perſuaſus erat, neque propriũ illis eſſe imperium, nec ſalutem ſuã in eorum manu eſſe poſitã. Eorum verò conſpectu nõ ſecus ac ſpeculo, ad contemplandã Dei faciem vtitur. Cæterùm Dei beneficia Lot non tam gratitudinis ſuæ teſtandæ cauſa cõmemorat, quàm vt maiorem inde fiduciam ſumat plus petendi. Quia enim neque largiendo vnquã exhauritur Dei bonitas, nec fatigatur: quo magis facilem experti ſumus, eo nos ad bene ſperandum animoſiores eſſe decet. atque hoc quidem fidei proprium eſt, confirmationem patere in poſterũ ex præteritis gratiæ experimentis. Neque errat in eo Lot. tantùm perperam ſubſumit, dum extra verbũ egreſſus, ſibi indulget. Ideo dixi eius precationem ex fidei quidem fonte manaſſe, ſed ex luto carnalis affectus traxiſſe aliquid turbulentũ. Ergo Dei miſericordia freti, ne dubitemus omnia ab eo ſperare, ſed quæ ipſe pollicitus eſt, optaréque permittit.

Non potero me ſeruare in monte. Non obſtrepit quidẽ Deo (vt ſolent impii) deſtinata malitia: quia tamen nõ recumbit in verbum Dei, elabitur & propè effluit. Cur enim cladẽ metuit in monte, vbi Dei manu protegẽdus erat: tutã verò ſtationem ſibi fore cõfidit eo in loco, qui & Sodomæ vicinus erat, & ſimili vindictæ propter impuros, prauóſq; incolas obnoxius? Verùm ea ſcilicet eſt hominũ natura, vt ſalutem ſibi locare malint in ipſis inferis, quàm in cælo quoties ſenſum proprium ſequuntur. Videmus ergo quantopere Lot erret, qui montem nulla ſcelerum contagione infectum fugiens, ac ſuſpectum habens, vrbem deligit quæ flagitiis ſcatens, non poterat Deo non eſſe exoſa. Paruam eſſe obtẽdit, quo facilius exoret. Acſi diceret, Se tantum angulum petere, vbi ſaluus deliteat. Rectè id quidem, niſi ab aſylo diuinitus ſibi conceſſo diſcedens, aliud ſibi propria temeritate fingeret.

21 *Ecce ſuſcepi faciem tuam.* Inſcitè ratiocinantur quidam, precationem Lot Deo placuiſſe: quia roganti annuerit, ac dederit quod petebat. Neque enim nouum eſt, concedi interdum per indulgentiam à Domino, quod tamen illi non probatur. Sic autem nunc indulget, vt paulo pòſt ca-

ſtiget eius ſtultitiam. Interea tamen quũ tam benignè, & comiter prauis ſuorum votis morem gerat, quid fiet ſi ad purã Spiritus eius moderationem ritè cõpoſitæ erunt noſtræ preces, atque ex eius verbo conceptæ? Poſtquam verò de loco veniã dedit Angelus, iterum ad feſtinationem hortando, eius pigritiam obiurgat. *Non poſſum facere quidquam.* Quia Angelus nõ tantùm vindex miſſus ad perdendam Sodomam erat, ſed mandatũ quoque acceperat de ſeruando Lot, ideo ſe negat prius illud facturum, niſi hoc poſterius ſimul adiungat: quia non ſit in arbitrio miniſtri diuidere quæ ſimul Deus iniunxit. Quod tamen alii exponere malũt in Dei perſona, mihi non diſplicet. Quanquã enim in ſpeciem dura eſt locutio: nihil tamen habet abſurdi, quòd Deus reprobos perdere nequeat, quin ſeruet ſuos electos. Nec ideo putandum eſt alligatam eſſe eius virtutem, dum ſibi ipſe eſt neceſſitas: vel aliquid de eius libertate, imperióque diminui, dum ſponte ſe, & liberè obſtringit. Præſertim verò meminerimus, ſacro nexu coniunctã eſſe eius potẽtiam cum gratia, & promiſſionũ fide. Quo fit, vt verè & aptè dicatur non poſſe niſi quod vult, & pollicitus eſt. hæc vera eſt, atque vtilis doctrina. Minus tamen erit ſcrupuli, ſi ad Angelos referas qiu certum habebant mandatum, cui vel minimum aliquid detrahere fas non erat.

24 Et *Dominus pluit.* Succinctè hìc Moſes, verbíſque admodum ſubmiſſis excidiũ Sodomæ perſtringit, atque aliarum vrbium. Rei atrocitas longè aliam amplitudinem, imò tragicos verborum ſonitus poſcebat. Sed Moſes ſimpliciter more ſuo Dei iudicium recitans, quæ verbis ſatis vehementer exprimere non poterat, meditanda lectoribus relinquit. Noſtrum igitur eſt, omnes ſenſus in illam horribilem vindictã intendere: quæ quũ non ſine ingenti cæli & terræ concuſſione acciderit, meritò ad ſolum eius nomen expaueſcimus: ideóque tam frequens eius mentio in Scripturis occurrit. Noluit autem Dominus ſolo terræ hiatu abſorberi vrbes illas: ſed quo illuſtrius eſſet iudicii ſui ſpecimẽ, è cælo ignem & ſulphur iaculatus eſt. Huc pertinet quod dicit Moſes, *Dominum pluiſſe ignẽ à Domino.* Emphatica enim repetitio eſt, quòd nõ vſitato naturæ ordine tunc Dominus pluerit: ſed tanquã exerta manu palàm fulminauerit præter ſolitum morem: vt ſatis conſtaret nullis cauſis naturalibus conflatam fuiſſe pluuiam illam ex igne & ſulphure. Verùm quidem eſt, nunquam fortuitò aerem turbari, ac Deũ minimæ cuiuſque pluuiæ agnoſcendum eſſe authorem. nec excuſabilis eſt Ariſtotelis prophana ſubtilitas, qui quum tam acutè in Meteoris diſputet de ſecundis cauſis, Deũ alto ſilentio ſepelit. Moſes tamen hic diſertè extraordinarium Dei opus nobis cõmendat: vt ſciamus nõ ſine aperto miraculo deletam fuiſſe Sodomam. Quòd veteres Chriſti diuinitatem hoc teſtimonio probare conati ſunt, minimè firmũ eſt. ac ſine cauſa meo iudicio tumultuãtur, qui acrius Iudæos exagitant, quia non admittant tale probationis genus. Fateor quidem Deum ſemper agere per manũ Filii ſui, ac tam memorabili vindictæ exemplo Filiũ præfuiſſe nõ dubito. ſed parũ ſolidè ratiocinari dico, qui plures inde perſonas eliciũt: quũ Moſis conſiliũ fuerit, lectorũ oculos ad ſpectãdam Dei manũ erigere, & acuere. Quòd autẽ quæri ſolet hoc loco, Quid meriti fuerint infantes, qui eodem cum parentibus interitu abſorpti ſunt. Solutio facilis eſt, In manu Dei eſſe humanum genus, vt quos voluerit, exitio deuoueat: quos autem voluerit, miſericordia proſequatur. Deinde, quicquid iudicii noſtri modulo metiri non poſſumus, arcano eius iudicio debere ſubiici. Poſtremò, totum illud ſemen fuiſſe maledictum & execrabile, vt ne minimis quidem iure pepercerit.

26 *Et reſpexit uxor eius.* Hìc mirabile Dei iudiciũ refert Moſes, quòd vxor Lot fuerit in ſtatuã ſalis cõuerſa. Huius autẽ hiſtoriæ prætextu, Moſen ſubſannãt naſuti, & proterui homines. nam quum hæc metamorphoſis nihilo plus coloris habeat quàm quas Ouidius cõfinxit, nihil fidei mereri iactant. Ego vero Satanæ artificio factũ eſſe potius arbitror, vt Ouidius fabuloſè nugãdo, huic tam inſigni Diuinæ vindictæ documento fidẽ obliquè derogauerit. Sed quid profanis hominibus cõminiſci libuerit, noſtra nihil refert. Tantùm expẽdere operæpretiũ eſt, num abſurdũ quid, vel incredibile cõtineat Moſis narratio. Ac primùm quæro, quũ ex nihilo creauerit Deus homines, cur illi nõ liceat eos dũ viſũ eſt: in nihilũ redigere. Si hoc cõceditur, vt neceſſe eſt, cur non etiã ſi placuerit, in lapides conuertet? imò iſti boni philoſophi qui Dei potẽtiæ derogãdo, acumen ſuũ oſtentãt, non minora quotidie miracula in naturæ curſu cernunt. Quomodo enim obrigeſcit cryſtallus in ſuã duritiẽ? & ne rara exẽpla colligã, Quomodo è ſemine mortuo & putrido generatur viuũ animal? Quomodo ex ouis procreantur aues? Cur ergo ridiculum in vno opere illis miraculũ eſt, cuius innumera documẽta fateri cogũtur: & quibus cõſentaneum non videtur, corpus mulieris in ſalis maſſã mutatum eſſe, quomodo futurũ credent vt reſurrectio cadauer in putredinẽ collapſum inſtauret? Quòd autẽ dicitur vxor Lot in ſtatuã ſalis conuerſa eſſe, ne imaginemur animã in ſalis naturã migraſſe. neque enim dubiũ quin viuat, vt eiuſdem nobiſcum reſurrectionis ſocia ſit, quæ inuſitata mortis ſpecie affecta eſt, vt omnibus foret exemplo. Cæterùm nomen ſalis nõ refero ad ſaporem: ſed quia ſtatua notabile aliquid habuerit quod viatores moneret. Oportuit enim notas aliquas illic eſſe impreſſas, vnde õnes colligerent

esse illud memorabile portentũ. Alii statuã salis interpretãtur incorruptibilem, quæ perpetuò duraret. sed prior expositio magis genuina est. Nunc quæritur cur Dominus tam seuerè imprudentiã miseræ fœminæ vltus sit. neque enim respexit quasi Sodomã redire cuperet. Fortè adhuc dubitãs, certius experimentũ oculis habere voluit. Fieri etiã potest vt pereuntis populi miserta, oculos in eam partem reflexerit. Moses certè non exprimi data opera reluctatam esse Deo: sed quemadmodũ eius, ac mariti liberatio incõparabile erat misericordiæ Dei exẽplum, ita eius ingratitudinem puniri æquũ fuit. Iam si expẽdamus omnes circunstãtias, certũ est nõ fuisse leue eius delictũ. Primùm respiciẽdi cupiditas, ex incredulitate profecta est: nulla autẽ atrocior fieri potest Deo iniuria, quàm dum eius verbo abrogatur fides. Deinde ex verbis Christi colligimus prauo aliquo desiderio fuisse titillatã: nec libẽter, Sodoma relicta properasse quò Deus vocabat.

Luc.17.g.32. scimus enim quorsum nos iubeat memores esse vxoris Lot, ne scilicet à meditatione cælestis vitæ, mundi nos illecebræ impediãt. Probabile est igitur Dei gratia non contentã diffluxisse in praua desideria: cuius etiã rei signũ fuit tarditas. maritũ enim à tergo sequutã esse significat Moses, quũ dicit respexisse post eũ. neque enim respexit illum versus: sed quia lentè pergẽdo, minus progressa erat, vt illo esset posterior. Etsi autẽ de æterna eius salute nihil asserere licet, probabile tamen est Deũ inflicta temporali pœna, eius animæ pepercisse. quemadmodũ sæpe suos in carne castigat, vt salua sit ab æterno interitu anima. Sed quia illud nõ admodum vtile cognitu est, ac sine periculo nescitur, potius in exemplũ intenti simus, quod Deus seculis omnibus commune esse voluit. Si nos terret pœnæ grauitas, meminerimus nõ leuius hodie peccare eos qui non à Sodoma, sed ab inferis ipsis liberati, aliò quã ad propositã supernæ vocationis palmã respectãt.

27 *Et surrexit Abraham.* Redit Moses ad Abrahã, ac ostendit minimè ab eo neglectũ esse quod ex ore Angeli audierat. in locũ enim venisse narrat, vnde iudiciũ Dei spectare posset. Neq; enim suspicandũ est (quod de vxore Lot nuper diximus) plus fidei habuisse suis oculis, quàm Dei verbo: & quia dubitaret, venisse explorãdi causa. Quin potius ex cõtextu colligimus ipsum, quum iam persuasus esset nõ frustrà loquutũ esse Angelum, ex rei spectaculo cõfirmationem petiisse: quæ tam illi, quàm posteris vtilis futura erat. Nec verò dubiũ est quin tota ea nocte graues cruciatus pertulerit de salute nepotis sui Lot: an certior redditus foret, nescimus: magis tamẽ in eã coniecturã inclino, quòd de illo anxius fuerit. Et fieri potest vt inter spem & metũ dubius, obuiã processerit, visurus liberatus esset nécne. Etsi autẽ nihil præter fumũ cernit, qui residuus esse solet ex magno incendio: hoc tamen illi signũ à Domino datum est, vt testis foret ad posteros pœnæ tam memorabilis. Deus quidẽ in ipso loci aspectu voluit æternũ extare monumentum: sed quia vt mũdus libenter iudicia Dei obscurat, facilè creditũ fuisset vel talem ab initio fuisse loci naturam, vel fortuitò accidisse: Dominus vindictam suam oculis Abrahæ subiicere voluit, vt præconis munus apud posteros obiret.

29 *Recordatus est Deus Abrahæ.* Tametsi nõ exprimit Moses patefactã Abrahæ fuisse liberationẽ nepotis, quũ tamen dicit in illius gratiã hũc fuisse ab interitu seruatũ, probabile est nõ fuisse priuatũ ea cõsolatione qua maximè opus habebat: ac eius beneficii conscium fuisse, pro quo eum gratias agere decebat. Sicui absurdũ esse videtur, sanctũ hominẽ Lot alteri fuisse cõcessum, acsi non respecta fuisset à Domino propria eius pietas: respõdeo, hæc duo inter se satis bene cõgruere, Quòd Dominus, vt suis omnibus auxiliari solet, iustũ Lot quẽ elegerat, & quẽ Spiritu suo regebat, curæ habuerit: interea tamen testari voluit in eius vita quantopere diligeret Abrahã: cui nõ modò salutem præstabat, sed alios etiã dabat incolumes. Cæterùm tenere cõuenit, quòd gratuitò facit Dominus, nec aliũde inductus quã sua bonitate, ideo ascribi hominũ pietati vel precibus, vt ad Deum colendũ & orandũ incitemur. Quã se misericordem Deus exhibuerit in seruãdo Lot, paulo antè vidimus. nec verò periisset, etiãsi non fuisset nepos Abrahæ. Dicit tamen Moses, quòd Lot non consumptus est eodem exitio quo Sodoma, id datũ fuisse Abrahæ. Quòd si Dominus gratiam, qua seruum suũ dignatus est, ad nepotem vsque extendit qui iam quasi extraneus erat ab eius familia: quanto melius vnusquisque fideliũ sperare debet, eandem gratiam suis domesticis minimè defuturam esse? Iam si Dominus vbi nobis fauet, alios etiam qui nobis cõiũcti sunt, amplectitur nostra causa: quãto maior habebitur ab eo nostri ratio? Quòd dicitur Lot habitasse in illis vrbib⁹: synecdochica est locutio: sed disertè id positũ fuit ad illustrandum miraculũ: quia nõnisi singulari Dei prouidẽtia factũ est vt perditis quinq; vrbib⁹, vn⁹ euaderet.

30 *Ascendit Lot de Soar.* Demõstrat hæc historia, quod prius attigi, temerariis cõsiliis quæ sibi ex carnis sensu fabricãt homines, nunquam prosperè succedere: præsertim vbi vana spe illecti, vel impulsi prauis votis, à Dei verbo discedũt. Etsi enim plerunq; inter initia fœlix videtur temeritas, & propter lætos euẽtus exultãt qui libidine sua ferũtur: Dominus tamen tandẽ maledicit quicquid nõ est suis auspiciis suscepti: sempérque impletur illud Iesaiæ, Væ qui ordiuntur telam, & nõ ex Spiritu Domini: qui agitãt cõsilia, & os eius nõ interrogãt. Lot quũ iussus esset se recipere in mõtẽ, maluit habitare in Soar. Postquã ei cõcessa fuit habitatio ex animi voto, mox

Iesa.30.d.1.

ipsũ pœnitet ac piget.trepidat enim,ac singulis momẽtis Sodomæ exitiũ loco vicino,vbi fortè regnabat similis impietas ac nequitia,instare putat.Cæterùm repetãt memoria lectores quod dixi,factũ fuisse mira Dei indulgentia,vt neque statim,neque grauiorẽ pœnã dederit.Dominus enim ad tempus illi ignoscens, tandem effecit vt sui peccati iudex esset. Neque enim vi, aut manu hominũ expulsus fuit è Soar, sed cæca animi anxietas in cauernam eum fugauit ac rapuit, quia carnis suæ cupiditatẽ potius, quàm Dei mandatũ sequutus erat.Atque ita in castigãdis fidelibus pœnas mitigat,vt illis cedant in optimã medicinã.Nam si præcisè ageret cum eorũ stultitia,confusi prorsus iacerẽt. Dat igitur spatiũ resipiscendi, vt spontè culpam agnoscãt.

31 *Et dixit primogenita.* Hîc prodigiũ narratur à Mose,quod lectores meritò obstupefacere debet. Quî enim venire in mentẽ potest filiab⁹ Lot incestus cõcubitus,quũ adhuc propè in oculis versetur horribilis Dei vindicta in Sodomitas,cuius præcipuã fuisse causam sciebãt fœdas nefandásque libidines:Etsi autẽ non tã libidinis ardore,quàm stulto propagãdæ sobolis desiderio impulsæ sunt ad tale flagitiũ,nimis tamẽ cæcus fuit furor,quam natura dictat,modestiã pudorém que abiicere,& belluino more cõfundere omne turpis & honesti discrimẽ.Cæterùm quo melius teneamus rei totius summã,singula ordine tractãda sunt.Ac primò,quòd ad consiliũ primogenitæ filiæ Lot spectat,cui deinde minor obsequuta est, ita sine cõtrouersia statuo, neutrã carnis illecebris fuisse inductã,sed tantũ de procreãda sobole cogitasse.Qualis enim ista fuisset rabies, patris iã senis concubitũ appetere:Deinde quòd furtim tantùm vna nocte se maior insinuat,sororẽ verò suã proxima nocte supponit:grauidæ,in patris amplexũ redire nõ curant:inde colligimus nõ aliò spectasse nisi vt matres fierent.Neq; tamen mihi probatur eorũ diuinatio,qui dicũt,crasso errore fuisse deceptas,q̃ putarent totũ mundũ vnà cũ Sodoma absorptũ esse.Nuper enim habitauerãt in Soar:deinde sub oculis patebãt amœnæ regiones incolis nequaquã vacuæ: præterea ex patre didicerãt,specialẽ pœnã Sodomitis,& aliis vicinis inflictã esse.Nec verò ignaræ erant vnde genus pater duxisset,& qualẽ patruũ sequutus esset ex patria. Quid igitur? Nẽpe quũ persuasum illis esset, domos liberis fulciri,durũ illis ac triste fuit steriles manere.Et videri poterat orbitas patre mortuo intolerabilis:quia tũc se desertas fore,omníq; auxilio nudatas cernebãt.Hinc ergo præpostera cupiditas,hinc cæcus ad incestũ coitum expetendũ impetus,quòd solitariã vitam metuũt quæ multis ærũnis exposita sit.Nec dubito quin Moses referat nõ quid prætexuerint, sed quid loquutæ sint ex vero animi sensu.Semẽ ergo procreare cupiũt, secundũ consuetudinẽ Gentiũ omniũ.Ideo enim adducũt totius mundi exemplũ,quia iniquũ esse iudicãt,vt deterior sua sit,quàm aliorũ cõditio, Vbiq;,inquiũt,elocãtur puellæ,quæ filios suscipiãt, & suas familias ita ædificẽt:cur ergo ad perpetuã orbitatẽ dãnatæ essemus? Interea tamen non ignorãt,se immane aggredi facinus. Cur enim patrẽ inebriãt, nisi quia satis cõiiciũt adduci ad cõsensum nõ posse:Si ille ab incestu abhorret,necesse est filias simili cõscientia tangi.Nullo igitur modo sunt excusabiles,q̃ se ad obscœnũ concubitũ prostituũt,à quo naturaliter gẽtes omnes abhorrẽt. Et certè quũ vulgarib⁹ quoque peccatis culpã suam agnoscere cogãtur homines, quomodo se in portentoso scelere absoluerent, quin eos metus aliquis ex Dei iudicio pungat? Quare filiæ Lot,repugnãte cõscientia,se ad facinus hoc præcipitant:nec alia fuit fallendi patris ratio,quàm notitia turpitudinis,quã ab ipsis dãnari necesse fuit,quũ scirent naturæ ordini esse contrariã. Verùm hinc apparet quò rapiantur homines dũ sequũtur quod placet:nihil scilicet tam absurdũ,imò belluinũ est,quò nõ ruamus,vbi frænũ laxamus carni nostræ.Quare hoc nobis omnium votorũ principiũ sit,sciscitari quid Dominus permittat:ne veniat in mentẽ quicquam nobis appetere,nisi quod per eius verbũ licet. *Et uir non est in terra.* Non intelligunt omnes gentes esse extinctas, quemadmodũ hallucinati sunt multi interpretes: sed quia metu in cauernã compulsæ,desertam vitam agebant,querũtur,spe cõiugii se priuatas.Et certè ita seorsum degebãt à reliquis gẽtibus,acsi in priuatũ aliquẽ mundũ essent relegatæ.Siquis obiiciat,potuisse petere à patre maritos: respondeo, nihil esse mirũ si pauore oppressæ,nõ aliud,quàm quod in manu erat,suis malis remedium quæsierint.Putabant enim se deserto mõte,& cauernæ latebris inclusas,nihil amplius habere cum genere humano cõmercii.Etsi autẽ fieri potest(quemadmodum prius admonui)vt aliqui ex seruis simul habitauerint,imò id verisimile est,quia vix aliter poterat vinũ suppetere in cauerna,nisi plaustro fuisset cum reliqua annona aduectũ:tamen quia seruorũ nuptias aspernãtur, negant sibi maritos esse superstites. Porrò nomen terræ,in priore mẽbro,pro plaga illa vel regione positũ esse arbitror:acsi dicerẽt, Regio hæc nullos amplius habet viros,qui nos ducant vxores secundũ morẽ totius orbis.Est enim hîc tacita antithesis inter vniuersam terrã,& certam eius partẽ. Sed hoc primùm sceleste,quòd propagãdi generis humani studio sanctã naturæ legem violãt. Deinde perperã & impiè,q̃ non ad ipsum mũdi opificem confugiunt,vt orbitati,de qua anxiæ sunt,medeatur. Tertiò,socordiã suam in eo prodũt,quòd animos habentes in terra defixos,nulla cælestis vitæ cura tanguntur.Quanquã autem pro certo asserere nõ audeo,quantũ temporis effluxerit inter Sodomæ excidiũ,& incestũ Lot cum filiab⁹ suis,probabile tamen est,simulac venerunt in cauernã, solitudinis horrore perculsas, hoc nefa-

riũ consiliũ & detestabile captasse. Nec sanè potuit diuturna esse habitatio Lot in cauerna, quin cibo & potu destitueretur. Quemadmodũ autẽ patrẽ ipsum subita formido instar procellæ abripuerat, ita filiæ præ impatientia non sustinent saltem ad paucos dies, nec Deum inuocant, nec quærũt à patre consiliũ, sed bruto ardore præcipites feruntur. Hinc perspicimus quàm repentè illis effluxerit memoria tam suæ liberationis, quàm pœnæ Sodomiticæ: quarum vtraque perpetuò in earum mentibus residere debuerat. Atque vtinam hoc nõ adeò vulgare esset inter nos vitium: sed vtroque modo ingratitudinem nostram nimis apertè prodimus.

33 Et *non cognouit.* Tametsi Lot nõ peccauit sciens, quia tamen illi ebrietas stuporis causa fuit, leuatur quidẽ vtcunque eius culpa, sed non tollitur: imò dubiũ non est, Dominũ hoc pœnæ genere vltũ fuisse eius intẽperantiã. Est enim hoc rarũ & prodigii simile, ita potu hebetari omnes hominis sensus, vt libidinẽ quasi mortuus profundat. Ego quidẽ ita omnino statuo, nõ tã vino fuisse obrutũ, quàm propter suã intẽperiem diuinitus percussũ spiritu stuporis. Quòd si Deus sancto patriarchæ non pepercit, putamus nos fore inultos, si eundẽ sequamur luxũ? Quare sciamus hoc exẽplo, temperantiæ legẽ nobis præscribi, vt parcè & frugaliter vescamur. Et tamen impuri quidã homines Lot obtendũt, quasi impietatis suæ patronũ. Cur non potius cõsiderant in quàm nefandã turpitudinẽ prolapsus sit, quia vino præter modũ abusus erat? Nec simpliciter, vt dixi, reputãdũ est quid ferat per se ebrietas, & quib⁹ aliis vitiis sit implicita: sed ad Dei vindictã attẽdere nos decet, qui hac de causa extare & celebrari seculis omnibus voluit tragicũ hoc facinus, vt abominationi esset ebrietas. Quotidie quidẽ testatur Dominus atrocib⁹ pœnis quãtopere sibi displiceat hoc vitiũ: sed quũ videmus Abrahæ nepotẽ hospitem Angelorũ, hominem insigni ornatũ sanctitatis elogio, incesto coitu fœdari, quia se inebriarit, quid helluonib⁹ & porcis futurũ est, qui se quotidie vino inebriãt? Sed hac de re plura diximus in caput nonũ, vnde petere licebit. Quãtùm ad verba spectat, vbi dicit Moses Lot nõ sensisse dũ filia accubuit & surrexit: quidã ita exponũt, discrimen nõ habuisse inter filiã vel extraneã. verùm nisi prorsus fuisset stupidus, manè crapula solutus, colligere poterat, se rem habuisse cum filia. Quidam, vt eius culpam extenuent, non tam largo potu fuisse inebriatũ dicunt, quàm mœrore oppressum. Ego verò illud retineo, quo excellentioribus donis præditus erat, seueriore pœna fuisse dignum: ideóque sensum illi ablatum esse, vt instar brutæ pecudis se ad libidinem proiiceret.

35 Et *surrexit minor natu, & dormiuit cũ eo.* Hic locus docet quàm periculosum sit semel cadere in Satanæ laqueos. nam qui illis captus est, magis ac magis intricatur. Lot sobriũ fuisse, & frugi hominem certum est. Siue tristitia confectum adortæ sunt filiæ, siue quouis alio modo pellectus fuit ad immodicũ potum, vbi semel ad intemperantiã lapsus est, postridie se iterũ corrumpi patitur. Ergo principiis sedulò obstandũ est: quia fieri vix potest quin se vitiis prorsus addicãt qui eorũ dulcedine sunt inescati. Ideo malorũ irritamẽta nõ secus ac mortiferæ pestes, cauẽda sunt: & omnis blãda inuitatio ad peccandũ, nõ secus ac veneficiũ, timẽda. Circunstantiã etiã hãc notare operæpretiũ est: Lot inter Sodomitas, in illa scelerũ colluuie, quæ ferè cælũ & terrã suo fœtore infestabat, cast⁹ & integer versatus est instar cuiusdã Angeli. Vnde illi Sodomæ tãta integritas, nisi quia malorũ quib⁹ obsidebatur, cognitio, solicitũ & cautũ reddebat? nũc in mõte securũ, nouis insidiis circũuenit Satan. Ergo hoc exẽplo nos ad vigilãtiã hortari voluit Spiritus: quia vbi minimè putam⁹, ab hoste inuisibili nobis tẽdũtur retia: sicuti prius narrauit Moses, in Para diso Adã fuisse deceptũ. Quòd si nobis ipsi suspecti erim⁹, id nos cõtra õnes hostis nostri astutias satis prouidos reddet. nemo enim est qui non ad se fallendũ mille Satanæ lenocinia circũferat.

37 Et *peperit primogenita.* Hæc horrenda fuit excæcatio, quòd filiæ Lot pudore depositõ, quasi virtutũ suarũ trophæũ erigerent, suũ dedecus æterno monumẽto ad posteros testatæ sunt. filiis suis nomina imponũt, vel potius, in eorũ persona, duobus populis: vnde õnes cognoscãt adulterinã esse progeniẽ, & ex incesto coitu ortã. Prior iactat filiũ suũ esse à patre: altera verò sibi filiũ ex propinqua cognatione esse genitũ. ita ãbæ facinus impudẽter diuulgãt, cuius pudore abdere se potius debuerant in æternas latebras. nec cõtentæ seculi sui infamia, scelus suũ in alias ætates traducũt. Ergo nõ dubiũ est quin à Satana fascinatæ, omne turpis & honesti discrimẽ oblitæ fuerint. Paulus dicit reprobos post diuturnã licentiã peccãdi, tandẽ priuari doloris sensu. Talis stupiditas proculdubio puellas istas occupauerat, quũ eas non puduit incestus sui probrum palàm vulgare. Tale porrò vindictæ Dei exemplũ nobis proditum est, ne admisso aliquo peccato, socordiæ nos dedamus, sed Dei metu nos excitemus ad pœnitentiam. Rom. 2. d. 5.

Cap. XX.

1 ET profectus est inde Abrahám ad terrã Meridianã, & habitauit inter Cades & Sur, peregrinatúsque est in Gerar.

2 Et dixit Abrahám de Saráh vxore sua, Soror mea est. Et misit Abimélech rex Gerar, & accepit Saráh.

3 Et venit Deus ad Abimélech in somnio noctis, & dixit ei, Ecce es mortuus, propter vxorem quam accepisti: & ipsa maritata est marito.
4 Et Abimélech non appropinquauerat ad eam, & dixit, Domine, Num gentem etiam iustam occides?
5 Nunquid nō ipse dixit mihi, Soror mea est: & ipsa etiā dixit, Frater meus est? in integritate cordis mei, & in munditia manuum mearum feci hoc.
6 Et dixit ad eum Deus in somnio, Etiam ego noui quòd in integritate cordis tui feceris hoc, & prohibui etiam ego te ne peccares mihi: idcirco non permisi tibi vt tangeres eam.
7 Et nunc redde vxorem viro, quia Propheta est, & orabit pro te, & viues: & si tu non reddideris, scito quòd moriendo morieris tu, & omne quod est tibi.
8 Et surrexit Abimélech mane, & vocauit omnes seruos suos, & loquutus est omnia verba ista in auribus eorum, & timuerunt viri valde.
9 Et vocauit Abimélech Abrahám, & dixit ei, Quid fecisti nobis? & quid peccaui tibi, quia induxisti super me, & super regnum meum peccatum grande? opera quæ non debent fieri, fecisti mecum.
10 Et dixit Abimélech ad Abrahám, Quid vidisti, quia fecisti rem hanc?
11 Et dixit Abrahám, Quia dixi, Verè non est timor Dei in loco isto: & occident me propter vxorem meam.
12 Et etiā verè soror mea filia patris mei est, veruntamen non filia matris meæ: & fuit mihi in vxorem.
13 Et fuit, quādo circunduxerunt me Angeli de domo patris mei, dixi ei, Hæc est misericordia tua quam facies mecum, in omni loco ad quem veniemus, dic de me, Frater meus est.
14 Et cepit Abimélech pecudes, & boues, & seruos, & ancillas, & dedit Abrahám: & restituit ei Saráh vxorem eius.
15 Et dixit Abimélech, Ecce terra mea corā te, ī *loco* bono corā oculis tuis habita.
16 Et ad Saráh dixit, Ecce dedi mille argēteos fratri tuo, ecce est tibi operimentum oculorum, omnibus qui sunt tecum. & in omnibus correcta fuit.
17 Et orauit Abrahám ad Deum, & sanauit Deus Abimélech & vxorem eius, & ancillas eius, & pepererunt:
18 Quia claudendo clauserat Dominus super omnem vuluam domus Abimélech propter Saráh vxorem Abrahám.

1 *Et profectus est inde.* Quod de Sodomæ exitio narrauit Moses, quasi παρεκβαση fuit: nūc redit ad historiæ suæ contextum, nempe quid actum sit cum Abraham, quomodo se ipse gesserit, & eū tutatus sit Dominus, quousque illi nasceretur promissum semen, futuræ Ecclesiæ origo. Dicit autem Abrahā venisse in terrā Australem: nō quòd fines hæreditatis sibi datæ egressus sit, sed quia prius hospitiū relinquēs, concessit Meridiē versus. Porrò regio quam designat, magna ex parte postea cecidit in sortē tribui Iuda. Quod tamē habuerit migrādi consiliū, vel quæ eum necessitas ad mutandum locū impulerit, nescitur: nisi quòd persuasum nobis esse debet, nō leui de causa sedē aliò transtulisse, præsertim quū illi nuper pollicitus esset filiū ex Sara, quē ne optare quidem debebat. Diuināt quidam triste spectaculū, quod illi assiduè ingerebatur ante oculos, fugisse. Planitiē enim quæ nuper aspectu tā amœna fuerat, & multiplici frugū copia referta, cernebat mutatā in deforme chaos. & certè fieri potest vt sulphuris odore perfusi fuerint vicini omnes, aliisque corruptelis infecti, quo melius sentirēt tam memorabile Dei iudiciū. Ideo nō malè quadrat, Abrahā, quia maledict⁹ fuerat locus à Domino, eius detestatione aliò fuisse tractū. Credibile etiā est (quod illi subinde aliàs contigit) abactū fuisse hospitū malitia & iniuriis. Nam quo liberalius Dominus suam illi gratiā patefecerat, vicissim eius tolerantiam exerceri oportuit, vt meditaretur se peregrinum esse in terra. Et Moses diligēter exprimit, eum habitasse tanquam inquilinum in terra Gerar. Ita videmus sanctā illam domū, huc illuc dispulsam fuisse, nō secus ac quisquiliæ solēt,

quum impiis fixa esset statio. Sed piis vtile est hoc modo instabiles esse in terra, ne in commoda & quieta habitatione animum figentes, cæli hæreditatem amittant.

2 *Dixit de Sara uxore.* In hac historia proponit nobis Spiritus sanctus illustre tam infirmæ humanitatis, quàm Diuinæ gratiæ speculum. Prouerbium vulgare est, accepto malo stultos sapere. Atqui Abraham ingentis periculi oblitus quod sibi in AEgypto acciderat, in eundem rursus lapidem impingit: quum tamen data opera castigasset eum Dominus, vt in totam vitam vtilis esset illa admonitio. Ergo in exemplo sancti Patriarchæ cõspicimus quàm facilis obrepat nobis tum pœnarũ, tum indulgẽtiæ Dei obliuio. Nã quod illi in mentẽ non venit se Deũ semel tentasse, nec per suam culpã stetisse quin vxor ad alienũ virum transiret, in eo excusari nimis crassa socordia nõ potest. Sed si penitus nos excutimus, nemo ferè reperietur qui non in eodẽ genere sæpius se delinquere agnoscat. Adde quòd etiã ab ingratitudine immunis non fuit Abrahã: quia si reputasset mirabiliter seruatã sibi à Domino vxorem, nũquam se rursus sciens ac volens coniecisset in tale periculum. Gratiam enim priorem diuinitus sibi oblatam, quantum in se est, irritam facit. Cæterùm notanda est peccati species, quam suprà attigimus. Neque enim (quod impii homines cauillantur) Abraham vt sibi consuleret, vxorem suam prostituit. sed quemadmodum prius de seruãda vita anxius fuit, donec semen diuinitus sibi promissum haberet, ita nunc vxorem grauidam videns, vt tanta benedictione potiatur, de vxoris periculo non cogitat. Ergo si probè omnia expẽdimus, infidelitate peccauit, minus Dei prouidentiæ, quàm debebat tribuens. Vnde etiã monemur quàm tutum non sit propriis consiliis fidere. Rectus nanque est Abrahæ affectus, dũ ad Dei promissionem attendit. Sed quòd Dei auxilium patienter non expectans, ad illicitam rationem deflectit, ea in parte reprehensione dignus est. *Et misit Abimelech.* Non dubium est quin Dominus à seruo suo consilii temerè susceptì pœnam exigere voluerit. Ac tales diffidentiæ suæ fructus percipiunt, quicunque non recumbunt, vt par erat, in Dei prouidentia. Exagitant quidam proterui homines hunc locum: quia nihil minus consentaneum videtur, quàm vetulam senio decrepitã à Rege expetitam esse, vt eam è mariti sinu raperet. Sed respõdemus, primùm nesciri qualis fuerit eius forma, nisi quòd suprà testatus est Moses singulari præstantia fuisse. Fieri autem potuit vt ætate non adeò detrita esset. Videmus sæpenumero fœminas anno quadragesimo magis rugosas, quàm sint aliæ septuagenariæ. Sed hîc aliud considerandum: quòd insolita Dei gratia excelleret Saræ venustas inter alias eius dotes. Fieri etiam potest vt Rex Abimelech, non tam elegantia formæ accensus fuerit, quàm quòd matronam esse videbat raris virtutibus præditam. Postremò tenẽdum est, hanc totam rem gubernatam fuisse Dei manu, vt iustam stultitiæ suæ mercedem susciperet Abraham. Quia autem videmus vtplurimum in Dei iudiciis cæcutire qui in naturalibus rerum causis nimis acuti sunt, nobis hoc vnum sufficiat: Abimelech, qui Diuinæ vindictæ minister erat, arcano motu fuisse impulsum.

3 *Et uenit Deus ad Abimelech noctu per somnum.* Hîc ostẽdit Moses Dominum ita se medium gessisse vt pœnam de seruo suo sumens, paternè tamen illi ignosceret: quemadmodum se quotidie erga nos temperat, sic nos admonens suis ferulis, vt seueritatem clementia & bonitas longè superet. Hinc etiam colligimus, maiorem piorum curam ipsum gerere, quàm capiat sensus carnis, dum pro dormientibus excubat. Iam & hoc diligenter notandum est: quantumuis à mundo spernamur, ei tamen nos esse pretiosos, in quorum gratiam Reges quoque ipsos corrigit, quemadmodum habetur in Psalmo. Sed quoniam hæc res plenius duodecimo capite tractata fuit, inde petant lectores quæ nunc data opera omitto. Quòd autem veniisse Deus dicitur, id refertur ad Regis sensum, cui proculdubio patefacta fuit Dei maiestas: vt certò sentiret diuinitus se coargui, non ludi inani phantasia. *Ecce mortuus es.* Quanquam Deus in fauorem Abrahæ, quem fide & præsidio suo tegebat, Regem Abimelech aggreditur, simul tamen in genere ostendit quantopere sibi displiceant adulteria. Et certè hîc non fit diserta Abrahæ mentio, quin potius additur communis ratio ad tuendam coniugii fidem, Morieris, quia mulierem rapuisti, quæ viro iuncta erat. Discamus ergo his verbis datum fuisse præceptum humano generi, nequis alienam vxorem attingat. Et certè quum nihil sanctius sit coniugio in hominum vita, non mirum est si Dominus mutuam inter viros & vxores fidem castè coli velit, ac se vindicem fore denũtiet, quoties violatur. Vnum quidem hominem tantùm nunc alloquitur: sed vox ista personare in omnium auribus debet, Adulteros, quãuis ad tempus impunè exultent, sensuros tandem Deum vltorem: quia coniugiis præsidet.

Psal. 105. b. 14

Heb. 13. d. 4

4 *Et Abimelech non appropinquauerat.* Quũ se iã viduasset Abrahã, Dominus maturè se opponit vt illi integra maneat vxor. Antehac quum à Pharaone abductam narrauit Moses, hoc tacitum præterit, læsáne an intacta fuisset eius pudicitia. Sed quia tũc quoque eius vindicem se professus est Dominus, quã nunc à probro tutatus est, dubium esse nõ debet quin vtroque tempore seruata fuerit eius integritas. Cur enim nunc prohibuisset Regem Gerar ab eius concubitu, si eam prius

ab AEgyptio corrumpi passus foret. Videmus autem quum Dominus auxilium suum differt, vt fidelibus, nonnisi in extremo articulo manum porrigat, clarius ostendere quàm admirabilis sit sua prouidentia. *Num Gentem etiam iustam occides?* Quòd quidã ita exponũt quasi Abimelech tacitè se cum Sodomitis conferat: nimis fortè argutum est. Simplicior mihi videtur sensus: Domine, quantunuis acriter adulteria punias, an se ira tua in homines innoxios effundet, qui errore potius lapsi sunt, quàm scientes ac volentes peccarint? Porrò ita se purgare videtur Abimelech quasi nihil sustineat culpæ: Dominus tamen eius excusationem admittit & probat. Sed videndum est quomodo & quatenus se corde integrum & manibus innocentem iactet. Nõ enim munditiem sibi arrogat, quæ nulla prorsus macula aspersa sit: sed tantum negat scortandi libidine se per tyrannidem, vel consultò, alterius vxore esse abusum. Scimus quantum interfit inter scelus & delictum: ita non quouis reatu se eximit Abimelech, sed tantum ostendit nullius se conscium fuisse sceleris, vt tã atroci supplicio plectatur. Nec aliud est cordis simplicitas, quàm ignorantia, quæ malæ conscientiæ opponitur. Manuum verò iustitia, nihil quàm moderatio, dum se à vi & iniuriis abstinent homines. Cæterùm hæc interrogatio qua vsus est Abimelech, ex cõmuni pietatis sensu profecta est. nam hoc natura quoque dictat, Deum in pœnis irrogandis seruare iustum discrimen.

6 *Etiam ego noui.* Ex hoc Dei responso colligimus (quemadmodum nuper monui) non falsò testatum fuisse Abimelech de sua integritate. Interim tamen quòd Dominus veram eius excusationem esse concedens, nihilominus ipsum castigat: hinc discamus non prorsus vacare culpa qui humano modo puri sunt. Nullus enim tam iustus excusabilis censetur error, cui nõ aliquid deterius admixtum sit. Quare non est quod se quisquam suo iudicio absoluat. quin potius discamus opera nostra ad examen Dei exigere. Neque enim frustrà dicit Solomon, Rectæ videtur hominibus viæ suæ: sed Domini est ponderare corda. Quòd si culpam non effugiunt qui nõ videntur sibi malè conscii, quid nobis fiet si propria conscientia intus constricti tenebimur? *Et prohibui ego te.* Hæc ratio significat non modò habitam à Deo fuisse Abrahæ rationem, sed ipsius quoque Regis. Nam quia in animo nõ habuerat stuprum inferre alienæ vxori, Deus illi propitius est. Et hoc sæpe contingit, vt Spiritus sui fræno retineat qui errore labuntur: sicuti etiam amẽtia & spiritu vertiginis præcipites agit, qui prauo affectu, & libidine scientes peccãt. Quemadmodũ autẽ prophano Regi, quia deliberata malitia nõ peccabat, remediũ in tẽpore attulit, ne culpã augeret: ita fidũ suis custodẽ se quotidiè exhibet, ne ex leuibus delictis ad scelera prosiliãt. *Prouer.21.a.2*

7 *Et nunc redde uxorem.* Iam non loquitur Deus de Abraham, tanquam de homine quolibet, sed peculiariter sibi charum esse ostendit, vt coniugalem eius thorum priuilegio quodam tuendum suscipiat. Prophetam honoris causa vocat, acsi diceret magnum, & eximiæ præstantiæ virum ab eo læsum esse, ne miretur duriorem sibi inflictam fuisse pœnam. Quanquam autem propriè nomen officii est: latius tamen hîc patere existimo, nempe pro homine selecto, & qui Deo familiaris est. Nam quia tunc nulla extabat Scriptura, non modò per somnia, & visiones se Deus patefecit: sed sibi etiam delegit raros & præstantes viros, qui pietatis semen spargerent, quo magis inexcusabilis esset mũdus. Quia verò propheta est Abraham, quasi mediator inter Deum & Abimelech statuitur. Erat quidem tunc quoque vnicus mediator Christus: sed hoc non obstabat quominus alii pro aliis deprecari possent. Præsertim verò vt quisque sanctimonia polleat, & Deo erat acceptus: quemadmodum Apostolus docet, multum valere assiduas iusti preces. Nec verò nobis negligenda est hodie talis intercessio: modò ne Christi gratiam obscuret, vel ab eo nos abducat. Quòd autem hoc prætextu ad mortuorum patrocinium confugiunt Papistæ, insulsum est. Quemadmodum enim hîc Dominus non ad Noah, vel ad alium quempiam ex mortuis patribus amandat Regem Gerar, sed ad viuum, & præsentem Abraham: ita non aliud habemus præceptum, quàm vt alii pro aliis vicissim orãdo, charitatem inter nos colamus. *Iacob.5.d.17*

Et si non reddideris. Hinc discendum est quorsum spectent minæ, & denuntiationes quibus homines terret Deus: nempe vt violenter ad pœnitentiam eos compellat, qui nimis tardi sunt. Initio præcisè dictum fuerat, Tu mortuus es: nunc additur conditio, nisi reddideris. Idem tamen vtriusque orationis est sensus. Sed initio asperius loquitur, quo maiori terrore peccatorem vrgeat. Nunc postquam subactus est, consilium suum clarius exprimens, spem veniæ & salutis reliquam illi facit. Ita soluitur nodus, quo se multi impediunt, dum vident Deum non semper, vel statim exequi quas denuntiauit pœnas: quia id vel mutati cõsilii signum esse putant, vel Deum aliud verbo simulare, quàm apud se decreuerit. Niniuitis per Ionam minatus est excidium: deinde pepercit. Non reperiunt imperiti, quomodo alterutrum ex duobus absurdis effugiant: nempe quòd sententiam suam retractauerit Deus, vel se facturum finxerit quod in animo non habebat. Atqui si tenemus principium illud, minis omnibus incluſam esse pœnitentiæ doctrinam, soluta erit difficultas. Tametsi enim primò homines aggreditur Deus quasi perditos, ideóque *Ionæ 3.b.4*

præsentem illis mortis metũ incutit:finis tamen spectandus est.Nam si ad pœnitentiam eos inui tat,sequitur illis spem veniæ relinqui,modo resipiscant.

8 *Et surrexit Abimelech mane.* Docet Moses quàm efficax fuerit oraculum. Nã Abimelech Dei voce expauefactus, mane consurgit, non tantùm vt celeriter pareat ipse iuncto sibi mandato, sed suos quoque ad idem agendum hortetur. Tam promptæ obedientiæ exemplum,quod in rege profano monstratur, omnem torpori nostro excusationem tollit, apud quos tam malè Dei obiurgationes proficiunt. Apparuit illi Deus per somnium: sed quum per Mosen,Prophetas,& Apostolos,vnigenitum denique Filiũ quotidie in aures nostras clamet,tot testimonia minus valere,ac vigere absurdum est,quàm somnii vnius visionem.

9 *Et uocauit Abimelech Abraham.* Sunt qui putant Regem Gerar de Abraham nõ conqueri:sed potius testari suam pœnitentiam.Si tamen probè expendimus verba,confessio est mixta expostulationi.Quanuis queratur iniustè fecisse Abraham,in eũ tamen non transfert culpam,vt omni se reatu liberet. Ac iure potuit reiicere culpæ partem in Abraham, sicuti facit: modo simul peccatum suum agnosceret. Sciamus ergo Regem istum non fecisse quod hypocritæ solent. Nam simulatque culpandis aliis oblatus est prætextus,securè se absoluunt:imò hæc illis videtur esse legitima purgatio,si alios in societatem reatus trahant.Abimelech autem quãuis queratur se fuisse deceptum,& lapsum imprudentia:se tamẽ interea magni peccati damnare non dubitat:Per te, inquit, non stetit quin ego me, & totum regnum maximo scelere obstrinxerim. Non est ergo cur se quisquam aliunde inductum fuisse obtendens ad peccandum,culpam à se deriuet. Notandum verò est,adulterium hîc vocari grande peccatum,quod non vnum modo hominem,sed totum populum quasi piaculo obligat.Non poterat sanè ita loqui Rex Gerar, quin sacrosanctum agnosceret ius coniugii. Atqui hodie Christianos, saltem qui se hoc nomine venditant, iocosè extenuare tantum nefas non pudet,à quo profanus homo tantopere abhorruit. Sciamus tamen Abimelech verum fuisse Diuini iudicii præconem, quod suis cauillis frustra eludere conantur miseri homines. Ac in memoriam subinde recurrat illud Pauli, Nolite falli: propter hæc enim venit ira Dei in contumaces.Quod peccatum facit totius regni commune,ratione non caret. nã scelerum impunitas totam regionem quodammodo polluit. præsertim verò in Regis persona iram Dei in totum populi corpus prouocari notum est.Quo maiore studio & cura rogandus est Deus,vt quos nobis præfecit cum imperio,etiam Spiritu suo gubernet. Deinde vt regionem,in qua nobis hospitium concessit,immunem ab omni piaculo,purámque conseruet.

1.Corinth.5.b.9
Ephes.5.b.6

10 *Quid uidisti,ut hoc faceres?* Hac interrogatione prospicit Rex in futurum tempus.Cogitat nõ temerè hac simulatione vsum fuisse Abraham: quum grauiter offensus fuerit Deus,in idem rursus periculum incidere metuit.Ergo tam solicita inquisitio testatur voluisse incommodo mederi.Iam æqui,& mansueti animi nõ vulgare signum est, quòd Abrahæ liberam defensionem permittit.Scimus quàm præcisè & ferociter expostulent qui se læsos fuisse putant. quo maiori laude digna fuit ista Regis moderatio erga hominem extraneum,& ignotum.Interea discamus eius exemplo,sic expostulare cum fratribus, siqua nobis facta sit iniuria, vt illis posse respondere per nos liceat,ac liberum sit.

11 *Et dixit Abraham.* Duo sunt huius responsionis capita. Nam primò, se metu inductum fuisse fatetur vt coniugium suum tegeret. Deinde excusandi causa se mentitum fuisse negat. Etsi autem meritò testatur Abraham non fraudulento consilio, nec vt cuiquam noceret, tacuisse de suo coniugio:reprehensione tamen dignus fuit,quòd timori succumbens, quãtum in se erat prostituit vxorem ad stuprum. Quare in eius excusatione adeò laborandum non est: quia quicquid instaret discriminis ad præstandum mariti officium in asserenda pudicitia vxoris,magis cordatum,animosũmque esse decuit. Adde quòd diffidentiæ signum fuit,illicitam astutiam comminisci. quod ad suspicionem pertinet, quanuis passim grassari cerneret immanem scelerum licentiam: iniquum tamen fuit tam sinistrè iudicare de populo vno, quem nondum expertus erat. omnes enim fingit homicidas. Sed quia de his rebus satis disserui capite duodecimo, nunc obiter attigisse sufficiat. Interim hæc summa tenenda est, Abraham non disputare an legitimam causam habuerit coram Deo:sed tantùm ad placandum Abimelech intentum esse. Cæterùm notanda est hæc locutio: vbicunque non regnat Dei timor, facilè ad omne scelerum genus prouolui homines:vt neque parcant humano sanguini,neque à rapinis, violentia,& contumeliis sibi temperent.Et certè solus est Dei timor,qui nos mutua humanitate deuincit,continet in modestia,& truculentiam cohibet, ne belluarum instar,alii alios voremus. Fiet quidem interdum, vt qui timore Dei vacui sunt,æquitatis speciem colãt:Deus enim vt seruet ab interitu humanum genus, impiorum libidines occulto fræno compescit. Sic tamen omnino habendum est, apertam esse quibus libet iniuriis ianuam, vbi euanuit pietas,& Dei timor: cuius rei nimis clarum hodie documẽtum extat in horribili scelerum diluuio,quod totam ferè terram occupat. Vnde enim tam

multiplex fallendi fraudandíque varietas, tanta perfidia & crudelitas, niſi quia Dei contemptu oppreſſa eſt omnis æquitas? Iam quoties nobis difficile certamen eſt cum ſeculi noſtri corruptelis, veniat nobis in mẽtem ætas Abrahæ: quæ quum impietate & aliis ſceleribus referta eſſet, ſanctum tamen virum ab officio non abduxit.

12 *Et etiam uerè ſoror mea eſt.* Nonnulli Saram putant germanã fuiſſe Abrahæ ſororem, non tamen vterinam, vt pote quæ ex ſecunda vxore nata eſſet. Quia tamen nomen hoc latius patet apud Hebræos, libenter diuerſam coniecturam amplector, in ſecũdo gradu ſororem illi fuiſſe: ita verũ erit iſtud, communem habuiſſe patrẽ, hoc eſt auum, ex quo per fratres germanos deſcẽderãt. Porrò eleuat peccatũ ſuum Abrahã, ſuúmque ſilẽtium à mendacio diſcernit. & certè verè profitebatur ſe fratrem eſſe Saræ. Verbis quidem non aliud quàm quod res erat, ſimulaſſe patet: vbi tamen omnia excuſſa fuerint, vel friuola, vel ſaltẽ nimis ieiuna fuit defenſio. Nam quũ data opera prætexuerit ſororis nomen, ne quid de cõiugio ſuſpicarẽtur homines, ſophiſticè errãdi occaſionẽ illis præbuit. Quare licet verbis non mentitus fuerit, tamen quoad rem ipſam ſimulatio fuit mendacio implicita. Nec verò aliud habuit propoſitũ, quàm teſtari apud Abimelech nihil ſe fraudulẽter egiſſe: ſed in re trepida, ex prætextu cognationis captaſſe obliquũ mortis effugiũ.

13 *Quando circunduxerunt me Angeli.* Quia hìc verbum habetur pluralis numeri, libenter de Angelis expono, quòd circũduxerint Abrahã per varios errores. Quidã nimis argutè perſonarũ colligũt trinitatẽ: quaſi ſcriptum eſſet, Dii me fecerũt errare. Fateor quidem nomẽ אלהים pro Deo paſſim accipi in ſcriptura: ſed tũc ſemper verbi numerꝰ eſt ſingularis. Vbi autẽ accedit verbum plurale, tunc Angelos, vel principes ſignificat. Sũt qui putent Abrahã, quia ſermo cũ rudi & nõ probè edocto homine erat, ex vulgari gentiũ more ſic loquutum: ſed inſcitè, meo iudicio. Quid enim attinebat, erectis altaribus palàm facere vni ſe, & proprio Deo colendo eſſe addictũ, ſi fas deinde fuiſſet eundem quem coluerat, Deum lingua abnegare? Qua de re ſupra diximus, vt locus ferebat. Cæterùm non conqueritur de Angelis Abraham, quòd fallaci eorum ductu vagatus fuerit: ſed notat qualis fuerit pridem ſua conditio, nempe quòd relicta patria non modò in terram longinquam migrauerit, ſed ſubinde coactus fuerit mutare hoſpitium. Quare nihil mirum, ſi eum neceſſitas ad ineunda noua conſilia impulerit. Siquis roget, Cur peregrinationis ſuæ Angelos faciat duces: Reſponſio eſt in promptu, Quanuis ſciret Abraham ſe vnius Dei arbitrio & prouidentia peregrinari: ad Angelos tamen trãſferre, quos ſibi alibi fatetur datos eſſe itineris duces. Summa autẽ ſermonis huc tendit, vt ſciat Abimelech Abrahã cum à malitioſa aſtutia remotũ fuiſſe, tum mendacii expertẽ. deinde, quia erraticam & inquietam vitam degebat, Sara ex compoſito ſemper idem dixiſſe quod in terra Gerar. Tam miſera ſancti viri anxietas Abimelech ad miſericordiam flectere poterat, vt iraſci deſineret.

14 *Et cepit Abimelech pecudes.* Antè in AEgypto quoque peculio & muneribus donatus fuerat Abrahã. ſed hoc diuerſum, quòd Pharao ipſum aliò diſcedere iuſſerat: Abimelech verò domiciliũ in regno ſuo offert. Vtrũque ergo Regẽ nõ vulgari metu perculſum fuiſſe conſtat. Nam quum ſentirent ſe à Domino correptos, quia moleſti fuerant Abrahæ, nullam inueniũt eius platas hinc manauit, quòd Pharao duriter reprehenſus, nihil quàm formidinẽ concepit, vt Abrahæ candi rationẽ, niſi beneficiis illatam ſancto viro iniuriam cõpenſent. Poſterior autẽ illa diuerſiconſpectus illi vix eſſet tolerabilis. Abimelech verò licet territus fuerit, mox tamen addita conſolatione ſedatus eſt: quum dixit illi Dominus, *Propheta eſt, orabit pro te*. Neque enim aliud pacando timori remedium eſt, quàm dum ſe Dominus propitiũ fore declarat. Atqui non magno profectu præſtat Deo peccator quãtum metus extorquet. Sed hoc veræ pœnitẽtiæ ſignum eſt, compoſito animo, ſedatáque conſcientia morigerũ ſe, & docilẽ Deo præbere. Quòd autem permiſit Abimelech Abrahæ hoſpitii locũ in ditione ſua, hanc eius humanitatem ſequuta eſt non parua benedictio, quòd illic natus eſt Iſaac, ſicuti proximo capite videbimus.

16 *Eſt tibi in operimentũ oculorum.* Quia his verbis ſubeſt aliqua obſcuritas, variè exponi ſolet locus. Principiũ difficultate caret. Nã quum mille argenteos dediſſet Abimelech, ne ſuſpecta ſit libe ralitas, pronũtiat ſe Abrahæ dediſſe: & quia tam honorificè acceptus fuerit, non eſſe habendam ſcorti loco eius vxorem. Sed quod ſequitur magis obſcurum eſt, *Erit tibi uelum*. Multi interpretes ad munus referunt. quod mihi perperã facere videntur. Hebræi quia neutro genere carẽt, fœminino vſurpãt eius vice. Moſes autẽ maritũ hoc loco potius indicat, & ſenſus optimè cõuenit. Dicetur enim Sara, maritũ cui iuncta eſt, inſtar velì eſſe quo ſe tegere debeat, ne expoſita ſit alienis, Paulus dicit velum, quod capite geſtat mulier, ſubiectionis eſſe ſymbolũ. Id quidem etiã ad cælibes pertinet, quia in eum finẽ ordinatus eſt ſexus. ſed hoc aptius, & magis propriè in mulieres viris cõiunctas cõpetit, quòd ſint ipſo matrimonii ordine quaſi velatæ. Sic ergo interpretor, Tu ſi viro careres, obnoxia eſſes multis periculis: nũc quum tibi pudicitiæ cuſtodẽ Deꝰ præfecerit, decuit te latere ſubvelo illo. Cur igitur te ſpõte nudaſti? Hæc legitima obiurgatio fuit, quòd Sara

1. Corint. 11. b. 10

se in mariti potestate esse dissimulans, Diuino præsidio se nudasset:atque ita reprehẽsa fuit. Hoc quoque membrũ torquẽt interpretes. Mihi hæc natiua expositio videtur esse,quòd passus fuerit Dominus Sarã à profanoRege coargui,quo maiore verecũdia eam afficeret. Loquẽtis enim personam maximè attendit Moses: quia pudendum fuit matrem fidelium à tali magistro reprehendi. Alii putant notari profectum à Mose,quòd tali documento erudita,sibi aliter posthac agendum esse didicerit. Sed potius notare videtur Moses quam dixi correctionis speciem,quòd scilicet humiliata fuerit Sara,quum in disciplinam profani hominis tradita fuit.

17 *Et orauit Abraham.* Vtraque in parte mirificus refulsit Dei fauor erga Abraham:quòd armata manu,ipsius iniuriam vltus est: & deinde ipso deprecante, placatus erga domum Abimelech. Id autem testatum esse oportuit, sanatam fuisse domum Abimelech ad eius preces, vt tali beneficio deuinctos sibi haberet loci incolas: Cæterum pœnæ genus quod exprimitur,totam domum sterilem fuisse,quæstionem mouere potest. Nam si postquam grauida erat Sara,in terram Gerar concessit Abraham:& antequam nasceretur Isaac, totum hoc,quod narrauit Moses impletum est:quî fieri potest vt tam exiguo tempore apparuerit sterilitas:Si dicamus iudicium Dei modo nobis incognito tunc fuisse perspectum, non malèquadrabit responsio. Nescio tamen an inuersa fuerit historiæ series.Et certè hoc fortè magis probabile videri queat,iã tunc Abraham in terra Gerar habitasse quum illi promissus fuit Isaac:sed partem hãc,quæ prius omissa fuerat,à Mose nunc fuisse insertam. Siquis excipiat,Abraham vsque ad ruinam Sodomæ habitasse in Mamre: nihil absurdi erit, si fateamur quod hîc demum narrat Moses,prius contigisse.Ego tamen quia ad fidei ædificationem parum facit temporis notatio,vtrãque opinionem in medio relinquo.

Cap. XXI.

1 ET Dominus visitauit Saráh quemadmodum dixit:& fecit Dominus ipsi Saráh quemadmodum loquutus est.

2 Et cõcepit,& peperit Saráh ipsi Abrahám filiũ in senectute eius,in tempore quod illi dixerat Deus.

3 Et vocauit Abrahã nomẽ filii sui qui natꝰ erat ei,quẽ peperit ei Saráh,Ishác.

4 Et circuncîdit Abrahám Ishác filium suũ,filium octo dierum, quemadmodum præceperat ei Deus.

5 Et Abrahám erat centum annorum,quando natus est ei Ishác filius suus.

6 Et dixit Saráh,Risum fecit mihi Deus:omnis qui audierit,ridebit mihi.

7 Et dixit, Quis nuntiasset Abrahám lactare filios Saráh?quia peperi filium in senectute eius.

8 Et creuit puer, & ablactatus est: & fecit Abrahám cõuiuium magnum in die qua ablactatus est Ishác.

9 Et vidit Saráh filium Hagár AEgyptiæ,quẽ peperit ipsi Abrahám,ridẽtem.

10 Et dixit ad Abrahám, Eiice ancillam hanc,& filium eius:quia non hæreditabit filius ancillæ huius cum filio meo,cum Ishác.

11 Et displicuit res valde in oculis Abrahám, propter filium suum.

12 Et dixit Deus ad Abrahám , Ne displiceat in oculis tuis super puero,& super ancilla tua:in omnibꝰ quæ dixerit tibi Saráh,audi vocem eius: quia in Ishác vocabitur tibi semen.

13 Et etiam filium ancillæ in gentem ponam,quia semen tuum est.

14 Et diluculo surrexit Abrahám , & tulit panem, & vtrem aquæ , & dedit Hagár,& posuit super humerum eius,& puerum:& dimisit eam, & perrexit,& erauit in deserto Beer-sébah.

15 Et defecerunt aquæ de vtre,& proiecit puerum subter vnam arborum.

16 Et abiit,& sedit eregione,elongando se quantum est iactus arcus: quia dixit, Nõ videbo quãdo morietur puer.&sedit eregione,& eleuauit vocẽ suã,&fleuit.

17 Et audiuit Deꝰ vocẽ pueri,&clamauit Angelus Dei ad Hagár de cælis,& dixit ei, Quid tibi est Hagár?ne timeas, quia audiuit Deus vocẽ pueri ex *loco* vbi est.

18 Surge,tolle puerũ,& tene manu tua eum:quia in gentem magnã ponã eum.

19 Et aperuit Deus oculos eius,& vidit puteum aquæ,& perrexit,& impleuit vtrem aqua,& potum dedit puero.
20 Et fuit Deꝰ cũ puero,& creuit,& habitauit ĩ deſerto,& fuit iaculator ſagittariꝰ.
21 Et habitauit in deſerto Paſã,& accepit ei mater eius vxorẽ de terra AEgypti.
22 Et fuit tempore illo, dixit Abimélech & Phichól princeps exercitus eius, ad Abrahám,dicendo,Deus tecum eſt in omnibus quæ tu facis.
23 Nunc itaque iura mihi per Deũ hîc ſi mentitus fueris mihi,& filio meo,& nepoti meo: ſecundũ miſericordiam quam feci tecũ, facies mecum, & cum terra in qua peregrinatus es.
24 Et dixit Abraham,Ego iurabo.
25 Et increpauit Abrahám ipſum Abimélech propter puteum aquæ quem rapuerant ſerui Abimélech.
26 Et dixit Abimélech,Non noui quis fecerit hoc, & etiam tu non indicaſti mihi, neque etiam ego audiui præterquam hodie.
27 Et accepit Abrahám pecudes & boues,& dedit ipſi Abimélech,& percuſſerũt ambo fœdus.
28 Et ſtatuit Abrahám ſeptem agnas pecorum ſeorſum.
29 Et dixit Abimélech ad Abrahã,Quid ſũt ſeptẽ agnæ iſtæ, quas ſtatuiſti ſeorſũ?
30 Et dixit,Quia ſeptẽ agnas capies è manu mea:vt ſit mihi in teſtimoniũ quòd foderim puteum hunc.
31 Idcirco vocatus eſt locus ipſe Beer-ſébah:quia ibi iurauerant ambo.
32 Et percuſſerũt fœdus in Beer-ſébah: & ſurrexit Abimélech, & Phichól princeps exercitus eius,& reuerſi ſunt in terram Peliſthím
33 Et plantauit nemus in Beer-ſébah,& inuocauit ibi nomẽ Domini Dei ſeculi.
34 Et habitauit Abrahám in terra Peliſthím dies multos.

r *Et Dominus uiſitauit Saram.* Hoc capite non tantum Iſaac natiuitas deſcribitur:ſed quia in eius incunabulis viuã Eccleſiæ ſuæ picturã Deus propoſuit,memorabilẽ quoque hac de re hiſtoriam referet Moſes.Principiò autẽ dicit Deũ viſitaſſe Sara,ſicut promiſerat.quia omnis generatio ex Dei gratia fluit,ſicut habetur in Pſalmo,Dei beneficiũ eſſe fructum ventris:non abs re Dominus eos,quibus ſobolẽ dat, & liberos,viſitare dicitur.Etſi enim naturaliter vidẽtur gigni fœtus ex ſuo quiſque genere: nulla tamen animalibus ſubeſt fœcunditas, niſi quatenus vim ſuã Dominus exerit,vt impleatur illud,Creſcite,& multiplicamini. In procreatione autẽ humani generis ſpecialis refulget eius benedictio: ideo quiuis mulieris partus,illius viſitatio iure cenſetur.Sed altius reſpicit hoc loco Moſes, nempe quòd præter vſitatũ naturæ ordinẽ natus fuerit Iſaac.Nã cõmunis gignẽdi ratio,& vis illa quã Dominus hominibus indidit,in Abrahã & eius vxore ceſſauerat. Ergo arcanã & inſolitã Dei virtutẽ, quæ naturæ lege ſuperior eſt, Moſes hîc cõmendat.neque immeritò: magnopere enim refert vt ſciamus gratuitã Dei bonitatẽ tam in origine,quàm in progreſſu Eccleſiæ regnare:nec aliũde naſci Dei filios,quàm ex mera eius miſericordia. Atque hæc ratio eſt cur Abraham nõantè patrẽ fecerit,quàm prope exaruiſſet eius corpus. Ac notandũ eſt quòd viſitationem, cuius meminit,in promiſſione fundatã eſſe dicit Moſes, *viſitauit Dominus Saram ſicut promiſerat*. His verbis effectum annectit ſuæ cauſæ:quo magis perſpicua ſit peculiaris Dei gratia, cuius ſpecimẽ extat in genitura Iſaac. Si tantũ dixiſſet reſpectam fuiſſe Sarã à Domino,quum filiũ peperit,inueſtigari poterat altior cauſa. At nemini dubium eſt quin gratuita fuerit promiſſio,qua donatus fuit Iſaac patri Abrahæ,quum fructus ſit eus adoptionis, quæ nonniſi meræ Dei gratiæ aſcribi poteſt.Ergo qui Dei opus ritè & prudenter in generatione Iſaac reputare volet, neceſſe eſt vt à promiſſione incipiat. Magnam quoque emphaſin continet repetitio, *Egit Dominus cum Sara, ſicut loquutus fuerat* Lectores enim quaſi iniecta manu retinet, vt in conſiderando tam inſigni miraculo inſiſtant. Interea Dei fidem commendat Moſes, acſi diceret,nunquam fruſtrà vanis promiſſis lactare homines: nec minus veracem eſſe ad præſtãdum quod promiſit,quàm ad promittendum liberalis eſt ac ſpontaneus.

Psal.127.b3

2 *Peperit Abrahæ.* Secundum tritum loquendi morẽ hoc dictum eſt:quia mulier neque familiæ caput eſt, neque propriè ſibi parit, ſed marito. Sed quod ſequitur notatu magis dignum

eſt, *in ſenectute eius*, & *iuxta tempus ſtatutum*, quod Deus prædixerat: nam ſenectus Abrahæ non parum illuſtrat miraculi gloriam. Et iam tertiò ad Dei verbum nos reuocat Moſes, vt nobis ſemper occurrat veritatis eius conſtantia. Tametſi autem communiter Abrahæ & eius vxori prædictũ fuerat tẽpus, nominatim tamen hic honor tribuitur ſancto viro: quia in eius præcipuè gratiam data fuerat promiſſio. Quanquam vtrunque diſtinctè habetur in contextu.

3 Et *uocauit Abraham nomen*. Non intelligit primũ nominis authorem fuiſſe, ſed retinuiſſe quod prius ab Angelo fuerat inditum. Sed hæc obedientia laude digna fuit, quòd non modò ratam habuit Dei vocem, ſed quòd ſuas partes, quatenus Dei miniſter erat, executus eſt. Nam quod apud eum depoſuerat Angelus, præconio ſuo apud omnes celebrauit.

4 Et *circumcidit*. Eundem obedientiæ tenorem proſequitur Abraham, dum filio ſuo nõ parcit. Quãuis enim durum illi foret, tenerum infantis corpuſculum vulnerare: poſthabito tamen humano affectu, Dei verbo obtemperat. Feciſſe autem narrat Moſes ſicuti iuſſus fuerat à Domino: quia nihil pluris eſt, quàm ſincerum Dei verbum habere pro regula, nec plus ſapere quàm liceat. Hæc præſertim modeſtia in ſacramentis exigitur, ne vel aliqua ſibi fabricent homines: vel quæ à Domino mandata ſunt, ſuo arbitrio in quemlibet vſum trãſferant. Videmus autẽ quàm intemperanter hîc pruriat hominum libido. innumera enim ſacramenta comminiſci auſi ſunt. Et ne longius petamus exemplum, Quum Deus Chriſtianæ Eccleſiæ duo tãtum tradiderit, Papiſtæ ſeptem ſe habere iactant. Quaſi verò ſit penes ipſos excudere ſalutis promiſſiones, quas ſignis à ſe confictis ſanciant. Quàm multis verò commentis polluta ſint apud eos ſacramẽta, referre ſuperuacuum eſt. Hoc certè palàm eſt, nihil illis minus eſſe curæ, quàm ſeruare quod Dominus præcepit.

5 Et *Abraham erat centum annorum*. Rurſus cõmemorat Moſes Abrahæ ætatem: quo melius ad miraculi conſiderationem excitet lectorum mẽtes. Etſi autem ſolius Abrahæ mentio fit, meminerimus tamẽ, hoc loco nobis eum proponi, non tanquam libidinoſum hominem, ſed maritum Saræ, qui ex ea legitimum ſemẽ extremo demum ſenio procreauit, quum ſteriles fuiſſent in vigore ſuo. Nam in eo præcipuè reſplenduit Dei potentia, quòd quum vltra ſexaginta annos ſterile illis fuiſſet coniugium, effœtis iam, & ſemimortuis ſubitò nata eſt proles. Sara verò, quo dubitationem, qua deliquerat, compenſet, nunc magnificè quibus decet elogiis prædicat Dei beneficium. Ac primò dicit datam ſibi à Deo eſſe gaudii materiam: nec vulgaris gaudii, ſed de quo ſibi gratulẽtur omnes. Deinde quo magis amplificet, mirantis perſonã induit ac interrogat, Quis hoc nuntiaſſet Abrahæ? Quidam iſtud *Ridebit mihi*, ita exponunt, quaſi cum pudore dicat Sara ſe fore vulgi fabulam. Sed prior ſenſus melius quadrat, Quiſquis audiet, ridebit mecum, gratulandi ſcilicet cauſa.

7 *Quis nuntiaſſet Abrahã lactare*. Futurum verbũ loco ſubiũctiui poſitum eſſe interpretor. Senſus autem eſt, hoc nemini mortalium fuiſſe venturum vnquam in mentem. Vnde conſtituit, ſolum Deum authorem eſſe: & iam ſeipſam ingratitudinis damnat, quòd tardè fidẽ habuerit narranti Angelo. Quia autem filios nominat in plurali numero, Iudæi fabulam ſuo more fabricant, quòd quum rumor ſparſus eſſet, ſuppoſititium eſſe partum, allati ſint à vicinis plurimi infantes, quos lactando puerperam ſe fuiſſe probaret Sara. Quaſi verò non perinde id cognitu facile fuerit quũ Iſaac pendentẽ conſpicerent ab eius vberibus: ac non clarior, & in promptu fuerit demonſtratio, ſi lac digitis expreſſum ante oculos fluxiſſet. Bis autem inepti ſunt ac fatui Iudæi, qui non intelligunt hanc loquendi formam perinde valere acſi Sara vocaret ſe nutricẽ. Interea notandum, quòd Sara lactandi munus cum partu coniungit. neque enim Dominus liberis, priuſquam naſcantur, alimenta in matrum vberibus fruſtrà præparat. Sed quas matrum honore dignatus eſt, hoc modo nutrices cõſtituit: & quæ fœtus ſuos alere grauantur, ſacrum naturæ vinculum, quantum in ſe eſt, abrumpunt. Si morbus, vel aliud quidpiam impediat, iuſta eſt excuſatio: ſed puerperas ſponte, & per delicias fugere lactandi moleſtiam, vt dimidiæ tantum ſint matres, turpis eſt corruptela.

8 Et *creuit puer, & abl*. Iam narrare incipit Moſes quomodo abdicatus fuerit Iſmael ex Abrahæ familia, vt ſolus Iſaac legitimi filii & hæredis locum teneret. Videtur quidem hoc primo aſpectu eſſe friuolum, quòd Sara de nihilo ſuccenſens, rixam domi excitauerit. Sed Paulus docet ſublime hîc nobis myſteriũ proponi de perpetuo Eccleſiæ ſtatu. Et certè ſi perſonas reputamus, ſtatuemus nõ fuiſſe rem luſoriã, quòd fideliũ omniũ pater filiũ primogenitũ diuinitus abdicare iuſſus eſt: quòd Iſmael, licet eiuſdem Circũciſionis particeps, in alienã gentẽ tranſit, ne amplius in ſemine benedicto cenſeatur: quòd in ſpeciem laceratur Eccleſiæ corpus, vt dimidia tantum pars maneat: quòd Sara ancillæ filiũ domo expellens, vni Iſaac hæreditatẽ in ſolidum vendicat. Quare ſi ad hanc hiſtoriã legendã afferatur ea quæ debet attentio, ſponte ſe proferet myſterium

Galat. 4. c. 22

illud,de quo differit Paulus. *Et fecit Abraham conuiuium.* Quæritur cur non potius natali, vel Circuncisionis die. Quòd argutè philosophatur Augustinus,celebrari diem ablactationis Isaac, vt discamus eius exemplo non amplius esse pueri sensu: nimis coactum est. Nihilo etiã magis consentaneum quod alii dicunt, Abraham, ne Gentium mores imitaretur,diem sumpsisse qui tunc in communi vsu non erat. Imò fieri potest vt honore, & lætitia natalem quoque filii sui prosequutus fuerit. Sed huius conuiuii propter aliam causam specialis fit mentio: quia tunc deprehensus fuit risus Ismael. Neque enim eorum coniecturæ assentior, qui putant nouam historiam texi, & cum hac molestia luctatam fuisse quotidie Saram: donec tandem ciecto impio derisore, domum suam purgauit. Probabile quidem est aliis quoque diebus simili petulãtia elatum fuisse Ismael: non tamen dubito quin disertè exprimat Moses, eius ludibria in solenni illo conuentu Saræ apparuisse, & ex eo tempore fuisse traducta. Cæterùm lautitias cõuiuii non refert Moses in malam partem: sed tanquam de re licita loquitur. Nihil enim prohibet quominus sancti homines amicos ad communem lætitiam inuitent,vt Deo simul gratias agentes,solito hilarius epulentur. Colenda est quidem semper temperantia & sobrietas, dandáque opera vt tam apparatus ipse sit frugalis, quàm modesti conuiuæ. Tantùm dico non adeò austerè Deum nobiscum agere,quin liberalius interdum amicos excipere permittat, vel dum celebrãdæ sunt nuptiæ,vel dum liberi nobis nascuntur. Fecit ergo Abraham conuiuium magnum, hoc est extraordinarium: quia non solebat quotidie tam splendidè instruere mensam. ea tamen fuit copia, quæ minimè in luxum difflueret. Adde quòd pro modo facultatum ita lautus fuit in tractãdis amicis,vt ignotis etiam hospitibus sufficeret,quemadmodum prius visum est.

9 *Et vidit Sara filium Agar.* Quemadmodum ridendi verbum bifariam accipitur apud Latinos: ita & Hebræi tam in bonam,quàm in malam partem verbo suo vtuntur: vnde participium מצחק,deductum est. Non fuisse puerilem lusum, & innoxium,ex indignatione Saræ apparet. Fuit igitur maligna subsannatio, qua proteruus adolescens fratrem adhuc, infantem præ se contempsit. Ac notandum est epitheton quod hîc Ismaeli datur,& nomen Isaac ab eadem origine descendere. Isaac patri, & aliis, sancti, legitimíque risus materia erat: vnde & nomen illi fuerat diuinitus impositum. Benedictionem Dei, ex qua tale gaudium manabat,in ludibrium cõuertit Ismael. Ergo tãquam impius illusor,fratri Isaac opponitur. Ambo,vt ita loquar,sunt filii risus, sed longè diuerso sensu. Isaac risum ex vtero matris secum attulit: quoniam insculptum gerebat certum gratiæ Dei testimonium. Sic igitur domum patris exhilarat, vt lætitia erumpat in gratiarum actionem. Ismael autem canino suo risu & prophano, sanctum illud fidei gaudium abolere conatur. Nec dubium est quin se manifesta illius contra Deum impietas hac subsannatione prodiderit. Ad eam vsque ætatem peruenerat, vt minimè ignarus esset promissæ gratiæ, ob quam tanto gaudio efferebatur pater Abraham: ipse tamen superbè sibi placens,in fratris persona Deo,& eius verbo, Abrahæque fidei insultat. Quare non sine causa tam atrociter in eum Sara excanduit, vt iuberet in exilium profligari. Nihil enim sancto cordi acerbius, quàm Dei gratiam videre derisui expositam. Atque hæc ratio est cur Paulus risum vocet persecutionem: Persequebatur(inquit)is qui secundum carnem erat,spirituale semen. Gal. 4. d. 29
dióne ac manu? Imò virulentis linguæ ludibriis, quæ non corpus lædunt, sed vibrantur in ipsam animam. Poterat quidem Moses pluribus verbis exaggerare crimen: sed ego data opera loquutùm fuisse puto tam concisè,quo magis detestabilem redderet petulantiam, qua Dei verbum illuditur.

10 *Eiice ancillam* Non tantùm exacerbatur Sara in eum qui peccauit, sed videtur imperiosius agere cum marito, quàm modestam vxorem deceat. Quòd prius Abraham vocauit dominum, Petrus ostendit non fictè egisse,dum eam sanctis, castísque matronis in exemplum voluntariæ subiectionis proponit. Nunc autem non solùm marito in ordinem coacto regnum domi vsurpat: sed quem reuereri debuerat,suo arbitrio obsequẽtem esse iubet. Hîc quanquam non nego Saram muliebri affectu percitam modum excessisse,non tamen dubito,tam arcano Spiritus instinctu gubernatam fuisse eius linguam & mentem, quàm prouidentia Dei totum hoc negotium directum fuit. Magni quidem & tremendi iudicii ministram fuisse,controuersia caret. Et Paulus vocem hanc non tanquam futile conuitium quod irata mulier effutiuerit,sed tanquam cæleste oraculum adducit. Etsi autem maiorem quàm priuatæ mulieris,personam sustinet, non tamen eripit marito potestatem, sed legitimum eiectionis præsidem facit. 1. Petr. 3. d. 6 *Displicuit in oculis Abrahæ.* Quanquam multis iam oraculis certior factus erat Abraham, nõnisi ab vno Isaac propediturum semen benedictum: paterno tamen amore captus, non sustinet excindi Ismaelem, vt hæreditas penes eum maneat integra,cui diuinitus concessa erat: atque ita duas miscendo gentes,discrimen à Deo positum,quoad in se est,confundere cupit. Videri sanè hoc absurdum pos-

set,quòd Dei minister cæco impulsu fertur. sed Deus non modò vt eum humiliet,sic eum iudicio priuat:sed etiam vt testatum faciat seculis omnibus,à suo vnius arbitrio pendêre gratiæ suæ dispensationem. Porrò vt æquiore animo ferat sanctus vir filii sui discessum, duplex ei consolatio proponitur. Nam initiò Deus promissionem de Isaac factam,in memoriam reuocat: acsi diceret, satis, supérque esse quòd illi relinquitur Isaac, in quo integra manet spiritualis benedictio. Deinde Ismaelem quanuis à domo paterna exulet,curæ tamen sibi fore promittit, & orituros ex eo posteros qui populum vnum efficiant.Cæterùm quid valeat hæc loquutio, *vocari in Isaac semen*,suprà decimoseptimo capite exposui.Et Paulus ad Romanos,9.capite,b.8, interpretationis loco ponit verbum λογίζεσθαι,hoc est censeri, vel reputari.Atqui certum est hoc modo resectum fuisse ex Abrahæ familia alterum filium, ne amplius nomen haberet inter eius posteros. Deus enim segregato Ismaele totam Abrahæ progeniem ab vno capite fluxuram esse ostendit: Ismaeli quoque gentem suam fore promittit, sed extraneam ab Ecclesia, vt in eo diuersa sit fratrum conditio, quòd vnus constituitur spiritualis populi pater, alteri datur carnale semen. Vnde meritò colligit Paulus, Non omnes qui semen sunt Abrahæ, veros esse, & genuinos filios: sed qui ex Spiritu geniti sunt. Sicut enim gratuita promissione factus est Isaac legitimus filius, ita inter posteros qui sequuti sunt, eadem Dei gratia discrimen statuit. Sed quia de variis Abrahæ filiis disseruimus quantũ satis erat,suprà decimoseptimo capite:nunc eam rem parcius attingo. *Quicquid dixerit Sara.* Dixi nuper,quanuis Saræ ministerio ad tantam rem vsus fuerit Deus: potuisse tamen ipsam labi in agendi modo. Nunc iubet Abraham morem gerere vxori: non quòd probet eius affectum, sed quia compleri vult opus, cuius ipse est author.Atque ita ostendit non debere sua consilia exigi ad communem normam: præsertim vbi de salute Ecclesiæ agitur.Data enim opera vsitatũ naturæ ordinem inuertit, vt se inchoatorem, & perfectorem vocationis Isaac esse probet. Quia verò præfatus sum hanc historiam altius à Paulo tractari, summa breuiter colligenda est. Primò dicit allegoricè scripta esse quæ hîc leguntur: non quòd omnes promiscuè historias, ad sensus allegoricos torqueri velit, quemadmodum Origenes,dum vbique allegorias venatur,totam Scripturam corrumpit: & alii nimis cupidè eius exemplum æmulando, fumum ex luce dederunt. Nec modò vitiata fuit Scripturæ simplicitas, sed fides penè labefactata fuit, multísque deliriis aperta ianua. Consilium autem Pauli fuit,piorum mentes ad considerandum in hac historia Dei arcanum erigere: acsi diceret, ad spirituale Christi regnum spectare quæ de Abrahæ domo refert Moses, vt certè domus illa viua fuit Ecclesiæ imago. Cæterùm hæc allegorica est similitudo, quam Paulus commendat. Quum duo geniti sint Abrahæ filii, alter ex ancilla, alter ex libera,duas esse eorum species colligit qui in Ecclesia gignuntur: Fideles quos Deus Spiritu adoptionis donat vt hæreditate fruantur: Laruatos discipulos qui se simulant esse quod non sunt, noménque & locum inter Dei filios ad tempus vsurpant. Quosdam itaque docet seruili modo concipi, & nasci: alios autem quasi ex matre ingenua.Deinde prosequitur filios esse Agar,qui generantur ex seruili Legis doctrina. Qui autem gratuitam adoptionem fide amplexi, ex Euangelii doctrina gignuntur, eos esse liberæ matris filios. Tandem ad alteram similitudinem descendit, dum Agar cum monte Sinai comparat, Sara verò cum cælesti Ierosolyma. Etsi autem paucis hic perstringo, quæ copiosè quarto ad Galatas capite,à me explicata reperient lectores: in hac tamen breuitate minimè obscurum est quid docere velit Paulus. Scimus ex incorruptibili verbi semine nasci veros Dei filios: sed vbi à Legis & Prophetarum doctrina subducitur Spiritus qui eam viuificat, vt tantùm mortua litera supersit: corrumpitur semen illud, vt nonnisi adulterini filii nascantur in seruitutem. Quia tamen ex Dei verbo,licet corrupto, in speciem nascuntur, vnam inter Dei filios speciem constituunt. Interea nulli sunt legitimi hæredes, nisi quos Ecclesia ex liberali Euangelii semine conceptos in libertatem parit. Dixi autem in his duabus personis repræsentari perpetuum Ecclesiæ statum. Nam hypocritæ non tantùm filiis Dei permixti sunt in Ecclesia, sed illis contemptis superbè totum ius & honorem sibi vendicant. Et quemadmodum Ismael vano primogeniti titulo inflatus, fratrem Isaac suis sannis vexabat: ita isti suo splendore confisi, rectam simplicium fidem contumeliosè exagitant, & rident: quia sibi omnia arrogando,gratiæ Dei nihil faciunt residuum. Porrò hinc monemur, non aliis stabilem esse salutis fiduciam, nisi qui gratis vocati, totam suam dignitatem in Dei misericordia locant. Rursus piorum conscientias validis & firmis armis instruit Spiritus aduersus eorũ ferociam qui fallaci Ecclesiæ prætextu se venditant. Videmus non esse nouum exemplum,vt primum locum occupent in Ecclesia Dei, qui tamen nonnisi laruæ sunt. Quare dum hodie magnificè exultant Papistæ, non est cur turbemur inani,ventosáque eorum iactantia. Quòd longa successione gloriantur, tantundem valet acsi Ismael primogenitum se clamaret. Discernere igitur necesse est inter veram & laruatam Ecclesiam. Notam verò exprimit Paulus, quam suis cauillis nunquam

obliterare poterunt. Nam perinde ac exiguo flatu corrumpuntur magnæ ampullæ: ita vno hoc verbo tota illorum gloria extinguitur, filios ancillæ non fore æternos hæredes. Interim patienter ferenda est illorum insolentia, quandiu eorum tyrannidi frænum Deus laxabit. Quibus enim opprobriis nos hodie grauant, olim etiam à Iudæis seculi sui hypocritis, oppressi fuerunt Apostoli. Nec aliter de Isaac triumphos suos egit Ismael, quàm si victoria potitus esset. Quare nihil mirum si ætas nostra suos habeat Ismaelitas. Sed ne talis indignitas nos frangat, assiduè nobis occurrat hæc consolatio, non semper in Ecclesia mansuros qui in ea eminent.

14 *Et diluculo surrexit Abraham.* Quàm acerbum sancti viri animo vulnus inflixerit ejectio primogeniti filii: ex duplici consolatione, qua dolorem mitigauit Deus, colligere licet. Filium ergo ablegat, non secus acsi sua ipsius viscera auelleret. Verùm assuefactus ad parendum Deo, paternum amorem, quem prorsus exuere non potest, subigit. Hæc vera est fidei & pietatis probatio, quum eò vsque se abnegare coguntur fideles, vt ipsos quoque primæ naturæ affectus, qui per se mali non sunt, nec vitiosi, resignent Dei arbitrio. Non dubium est quin variis curis æstuauerit tota nocte, secum variè luctatus fuerit, ac pertulerit ingentes cruciatus: surgit tamen manè, vt orbitatem suam maturet: quoniam ita placere Deo nouit. *Et tulit panem, & utrem.* Non tantùm significat Moses Abraham mandasse custodiæ matris filium suum: sed quasi cessisse iure patrio. nam ipsum alienari oportuit, ne posthac reputaretur Abrahæ semen. Quàm tenui autem viatico vxorem suam cum filio donat? Lagenam aquæ, & panem humero imponit. Cur non asinam saltem onerat mediocri annona? Cur non comitem addit vnum ex seruis, quorum suppetebat domi copia? Atqui vel oculos illi Deus clausit, ne veniret in mentem quod plusquam libenter facturus erat: vel eo consilio restrinxit viaticum, vt non procul à domo subsisteret. Optasset enim procul dubio habere sibi vicinos, vt quibus opus esset officiis ipsos iuuaret. Interim voluit Deus, vt tam dura & tristis esset Ismaelis abdicatio: vt eius exemplo terrorem superbis incuteret, qui præsentibus donis ebrii, gratiam ipsam, cui debent omnia, suo fastu conculcant. Ideò ad miserabilem exitum eos deduxit. Postquam enim errarunt in deserto, deficiunt aquæ, & mater à filio discedit: quod desperationis signum erat. Hæc merces fuit superbiæ qua frustrà inflati fuerant. Decebat eos gratiam Dei populis omnibus in persona Isaac oblatam, humiliter amplecti: atqui impiè spreuerunt quem Deus in summum honorem extulerat. Debebat agnitio donorum Dei eos ad modestiam formare. Et quia illis nihil magis optabile erat, quàm aliquem angulum tenere in domo Abrahæ, nullam subiectionem refugere tanti boni causa debebant: nunc quas sua ingratitudine meriti erãt pœnas, Deus ab illis exigit.

17 *Audiuit autem Deus uocem pueri.* Dixerat prius Moses Agar fleuisse: quî fit ergo vt fletu eius præterito, solum pueri clamorẽ Deus audiat? Si dicamus indignam fuisse matrẽ, cuius preces gratiam impetrarent, filius certè nihilo dignior. Nam quòd quidam castigatione illa resipuisse putant, incerta est coniectura. Eorum pœnitentiam, cuius nullum mihi signum apparet, Dei iudicio relinquo. Clamorem verò pueri auditum fuisse interpretor, non quòd fide precatus sit, sed quòd Deus promissionis suæ memor, ad præstandam illis misericordiam flexus fuerit. Neque enim Moses narrat vota sua, & gemitus, eos in cælum direxisse: quin potius credibile est sic ploraſſe suas miserias, vt ad Dei opem non confugerent. Verùm Deus in illis iuuandis non quid à se peterent, sed quid seruo suo Abrahæ de Ismaele pollicitus foret, respexit. Hoc sensu videtur dicere Moses exauditam fuisse vocẽ pueri, quòd scilicet filius erat Abrahæ. *Quid tibi est Agar?* Obiurgat Angelus ingratitudinem Agar, quòd in extremas angustias redacta, non cogitat sibi aliquando in simili discrimine propitium fuisse Deum, vt cum liberatorem experta, rursus se in eius fidem conferat. Monet tamen Angelus paratum fore eius ærumnis remedium, si modò quærat. Ergo in particula, *Quid agis?* obiurgatio est, quòd se cõfuso ploratu frustrà excruciet. Postea quũ dicit, *Noli timere*, ad spem gratiæ eam inuitat & hortatur. Sed quid sibi vult quod addit, *Ex loco ubi est?* Videri potest tacita subesse antithesis inter locum illum, & domum Abrahæ: vt statuat Agar quanuis à Dei sanctuario exulans erret in deserto, nõ tamen se penitus à Deo relictam, quoniam ipsum habeat exilii ducẽ. Vel emphatica est loquutio, quòd abiectus puer in solitudine, & pro derelicto habitus, Deũ tamen propinquum habeat. Atque ita Angelus, vt anxiæ matris desperationi succurrat, iubet ad eum locum redire vbi filium deposuerat. Mœrore enim (vt fieri solet in rebus deploratis) obtorpuerat, & iacuisset quasi exanimis, nisi voce Angeli foret erecta. Cæterùm in hoc exemplo perspicimus quàm verè dictum sit suscipi nos à Domino, vbi à patre & matre abiecti sumus.

18 *Tolle puerum.* Quo plus animi ad filium educandum habeat, cõfirmat illi Deus quod antè Abrahæ sæpius pollicitus fuerat. Matribus quidẽ natura præscribit quid filiis debeant: sed quẽadmodũ nuper attigi, conciderant omnes sensus Agar, nisi Deus noua fiducia eam recreasset, vt collecto vigore se accingeret ad exequendum maternum munus. Quod ad *fontem* pertinet, quidã

existimãt repentè emersisse. Sed quũ dicat Moses apertos fuisse oculos Agar,nõ autẽ apertã,vel perfossam fuisse terrã: in hanc sententiã magis inclino,quòd prius dolore attonita,quod expositum erat oculis non cernebat: nũc autẽ demum postquã illi visum restituit Deus,videre incipiat. Atque hoc in primis notatu dignum, vbi nos sua gubernatione destituit, gratiámque suam submouit Deus, subsidiis omnibus etiam quæ ad manũ suppetũt nõ secus nos priuari, quàm si procul remota essent. Itaq; rogãdus est,nõ tãtùm vt nobis largiatur quæ nobis vsui sunt, sed simul vtendi prudentiã conferat:alioqui clausis oculis tabescere inter medios fontes contingeret.

20 *Et fuit Deus cũ puero.* Plurib⁹ modis dicitur adesse Deus hominib⁹. Adest enim electis suis,quos peculiari Spiritus gratia gubernat. adest etiã interdũ quoad externã vitam,nõ electis modò, sed extraneis,dũ eximia aliqua benedictione eos dignatur:quẽadmodũ Moses hoc loco nõ vulgarẽ gratiã cõmendat,qua testatus est Dominus non irritã esse suã promissionẽ,dum Ismaelẽ fauore suo prosequitur,quia filius est Abrahæ. Hinc tamẽ colligitur generalis doctrina: quòd adolescũt homines,quòd cæli luce & cõmuni Spiritu fruũtur,quòd terra illis alimẽta suppeditat,hoc totũ Deo esse tribuẽdũ. Tãtùm hoc tenendũ est,prosperos Ismaelis successus inde fluxisse,quia in gratiã patris Abrahæ illi terrena benedictio promissa erat. Quòd dicitur Agar sumpsisse filio vxorem,ad ordinẽ politicũ spectat. nã quũ præcipua pars humanæ vitæ sit cõiugiũ,in eo cõtrahẽdo liberos parẽtibus subesse & eorũ cõsilio parere æquũ est. Hũc ordinẽ,quẽ natura præscribit ac dictat,videm⁹ à fero homine Ismael in barbarie deserti fuisse seruatũ, vt in ducẽda vxore se matri subiiceret. Vnde perspicimus quàm immane monstrũ fuerit Papa, quãdo sacrum hoc ius naturæ labefactare ausus est. Accessit etiam impudentia,quòd impio parentum contemptui se priuilegium dare iactauit, in sancti coniugii honorem. Porrò vxor AEgyptia quoddam futuri inter Israelitas & Ismaelitas dissidii præludium fuit.

21 *Et fuit tẽpore illo.* Fœdus hoc inter Abrahã & Abimelech fuisse percussum ideò narrat Moses, vt sciamus post varias agitationes aliquid tãdẽ quietis datũ fuisse sancto viro. vltra annos sexaginta vagus & instabilis castra subinde mouere coactus fuerat. Tametsi autẽ Deus eum vsq; ad mortẽ peregrinari voluit,sub Rege tamen Abimelech cõcessit illi tranquillã habitationẽ. Et cõsilium Mosis est docere,Quomodo acciderit vt locũ vnũ diutius solito teneret. Notãda est temporis circũstantia,nẽpe paulò postquam filiũ abdicauerat. Videtur enim solatiũ hoc ingẽti tristitiæ succedere, nõ tantũ vt à cõtinuis molestiis aliquid relaxationis habeat, sed quo se alacrius exhilaret,& quietius occupet in educando filiolo Isaac. Quanquã certũ est nõ omni ex parte lætum illi fuisse fœdus:sensit enim obliquis modis se tẽtari,multósq; in ea regione esse,quibus grauis & exosus esset. Rex certè illũ se habere suspectũ apertè profitebatur: fuit tamen hic summus honor,quòd rex loci ad hominẽ inquilinũ vltrò accessit,vt fœdus cũ illo sanciret. Quæritur tamẽ,An æquis legibus fœdus hoc percussum fuerit,vt inter socios fieri solet: Ego certè nõ dubito quin debitum Regi honorẽ libenter detulerit Abraham: nec verisimile est,Regẽ habuisse in animo detrahere sibi aliquid,quod in Abraham transferret. Quid igitur: nempe quũ liberũ illi hospitium permitteret,voluit tamen iureiurando habere sibi obstrictũ. *Deus tecum est in omnibus.* Amica,blandáq; præfatione vtitur:non accusat Abrahã:nõ queritur aliquo se officio fuisse fraudatũ:sed eius se amicitiã expetere dicit:finis tamẽ est vt sibi ab eo caueat. Sed quæritur,vnde illi suspitio,vel metus, primùm ab homine extraneo:deinde probo & modesto. Primùm scim⁹ profanos homines sæpe de nihilo esse anxios,vt etiã rebus quietis trepidẽt. Deinde Abrahã vir reuerentia dignus erat: numerus seruorũ illi domi erat instar exigui populi: nec dubiũ quin suæ illi virtutes multũ dignitatis cõciliauerint. ita fit, vt eius opes Abimelech suspectas habeat. Sed quũ ille priuatã sui rationẽ haberet, Dominus qui rerũ euentus optimè moderari nouit, hoc modo consuluit serui sui quieti. Cæterùm Abrahæ exemplo discamus, si quando nobis apud filios seculi inuidiam conflabunt Dei dona,tam modestè nos gerere vt nequid in nobis desiderent.

23 *Si mentitus fueris mihi.* Ad verbũ est,Si mẽtieris. est enim defectiua loquutio Hebræis trita in formulis iurãdi: quæ sic resolui debet, Si fefelleris datã mihi fidẽ, Deũ inuocabimus, vt medius inter nos iudex sedeat,séq; ostẽdat periurii vltorẽ. Mẽtiri autẽ hîc quidam accipiũt,pro iniquè & fraudulẽter agere:alii autẽ pro deficere. Ego simpliciter interpretor,acsi dictũ foret,nihil perfidè ages mecũ,vel cũ meis nepotibus. Sua autẽ beneficia cõmemorat Abimelech,quo efficacius illũ hortetur ad colendã bonã fidẽ. nã quũ humaniter acceptus foret, fœdæ ingratitudinis reũ fore denũtiat Abimelech,nisi vicissim studeat quæ accepit beneficia pẽsare. Misericordiã facere cum aliquo Hebræis significat,clemẽter & benignè eũ tractare. Neq; enim supplex venit Abimelech, vt Abrahæ misericordiã imploret: quin potius sibi ius regium vendicat,vt patebit ex contextu.

24 *Et dixit Abraham,Ego iurabo.* Quanquã iure potior,tamẽ nihil recusat quod fit ex officio boni & moderati viri. Et certè quũ filios Dei sponte ad quoduis officium propensos esse deceat,nihil magis absurdum est,quàm se præbere difficiles vel morosos, vbi ab ipsis postulatur quod æquũ est. Iurare etiam non abnuit: quia rem licitam esse nouerat, sacro Dei nomine interposito pacta

inter homines ſancire. In ſumma, videm⁹ Abrahã libenter ſe ſubmittere vocationis ſuæ legibus.

25 *Et increpauit Abraham ip.* Videtur iniuſta querimonia. Nam ſi læſus erat, cur non vſus fuit ordinario remedio? Sciebat Regem eſſe humanum, habere etiam aliquod pietatis ſemen, comiter & honorificè ab illo tractatus fuerat: cur æquum iuris ſui defenſorem fore diffidit? Quòd ſi acceptam iniuriam deuorare maluerat quàm Regi moleſtus eſſe: cur nunc culpam quaſi conſcio, illi adſcribit? Sed fieri poteſt vt intellexerit Abraham, factum hoc eſſe nimia Regis tolerãtia. Certè non ſine cauſa expoſtulaſſe, ex eius moribus & ingenio colligere licet: atque hinc perſpicitur ſancti viri moderatio, quòd aquæ ſua induſtria & labore repertæ, vſu priuatus, non tumultuatur, vt ferebat iniuriæ atrocitas: id enim perinde erat acſi eum loci accolæ ſtrangulare conati eſſent. Cæterùm vt patienter tam grauem iniuriam tulit, ita quum illi præter ſpem ſumẽdæ fiduciæ offertur occaſio, in poſterum ſibi cauet. Videmus etiam quo tempore paulò commodius habere viſus eſt Abraham, & aliquid leuationis nactus eſt, quàm acriter eum Dominus exercuerit. Certè non leue examen fuit, dum pro aqua certare coactus eſt: nec ea cõmuni, ſed cuius puteũ effoderat.

27 *Et accepit Abraham pecudes.* Hinc liquet nõ fuiſſe fœdus percuſſum qualiter ſolent inter ſe paciſci æquales: gradum enim ſuum reputat Abraham, & in ſymbolum ſubiectionis, munus offert ex gregibus ſuis Regi Gerar. nam pro eo quod dicũt Latini, Pẽdere vectigal, vel tributũ, & Gallicè dicimus *Faire hommage*, Hebræi dicũt, Munera offerre. Nec verò expectat Abraham dum ſibi aliquid imperio & vi extorqueatur à Rege, ſed voluntario honore præuenit, quẽ ſcit eſſe loci dominum. Quanta in hominibus graſſetur dominãdi cupiditas, plus ſatis notũ eſt. quo plus laudis meretur Abrahæ pudor, qui non tantùm alieno abſtinet, ſed iniuſſus offert quod ſecum ſtatuit ex officio deberi. Alia tamẽ ſuboritur quæſtio, Quum ſibi diuinitus traditũ ſciret Terræ dominiũ, an ſubiectionem profiteri licuerit, qua alterum dominum agnoſceret. Verùm ſolutio facilis eſt: quòd poſſeſſionis adeundæ nondum aduenerat tempus. nam ſpe tantùm dominus, re ipſa peregrinus erat. Quare habitationem meritò redemit, donec poſteris eius daretur quod illi promiſſum fuerat. Sic paulo pòſt videbimus pretiũ ſoluiſſe pro vxoris ſepulchro. In ſumma, priuſquã manu Dei locaretur in legitimo terræ dominio, non dubitauit cum incolis loci tranſigere, vt precario, vel mercede apud ipſos habitaret.

28 *Et ſtatuit Abraham ſeptẽ agnas pecorum ſeorſum.* Recitat Moſes aliud caput fœderis, nempe quòd nominatim Abrahã ſibi de puteo cauerit, vt liberum haberet aquæ vſum. Statuit autem in mediũ ſeptẽ agnas: vt Rex honorario munere donatus, comprobet, ratámque habeat putei foſſionem. Controuerſiam enim mouere poterant incolæ, quòd priuato homini & inquilino non liceret puteum fodere. Nunc vbi interceſſit publica Regis authoritas, conſultum eſt Abrahæ quieti, vt nemo illi negotium faceſſat. Agnas multi accipiunt pro nummis hac forma percuſſis. ſed quũ prius facta ſit ouium & boum mentio: nunc verò continuò pòſt ſubiiciat Moſes ſeptem agnas ſeorſum poſitas, nummos hic fabricare abſurdum eſt.

31 *Idcirco uocatus eſt locus.* Iam ſemel ita nuncupauit Moſes, ſed ſecundum prolepſin. Nunc autem declarat quando & qua de cauſa inditum fuerit nomen: nempe quòd illic ambo iuraſſent. ideò tranſfero Puteum iuriſiurandi. Alii vertunt Puteum ſeptem. Sed Moſes apertè à iurando deducit. nec refert quòd à ratione Grãmatica paulùm diſcedit pronuntiatio, quæ in nominibus proprijs adeò curioſè nõ obſeruatur: & certè etymologiam non reſtringit Moſes ad puteũ, ſed totum fœdus complectitur. quanquam non repugno quin Moſes ad ſeptenarium numerum alluſerit.

33 *Et plantauit Abraham nemus.* Hinc apparet plus requietis datum fuiſſe Abrahæ poſt initum fœdus, quàm hactenus habuerat. nunc enim arbores plantare incipit, quod tranquillæ, fixæque habitationis ſignum eſt: neque enim prius legimus vel arbuſtum vnum plantaſſe. Quare videmus vt mutata in melius fuerit eius conditio: quia ſtatariam vitam (vt ita loquar) agere licuit. Quod dicitur *Inuocaſſe nomen Domini*, ita interpretor, deintegro inſtituiſſe ſolennem cultum Dei, quo ſuam gratitudinem teſtatam faceret. Ergo Deus poſtquam circunduxerat ſeruum ſuum per continuas ambages, aliquid relaxationis ſub extremum ſenium illi dedit. Atque ita cũ fidelibus ſuis interdum agit, vt variis procellis iactatos, reſpirare tandem ſinat. Quãtum ad Dei inuocationem, ſcimus Abraham quocunque venerat, nunquam ceſſaſſe ab hoc pietatis officio. Nec verò periculis deterritus eſt quin ſe veri Dei cultorem profiteretur, quum hoc nomine vicinis inuiſus foret. Verùm prout aucta illi erat habitandi commoditas, in profitendo Dei cultu animum collegit. Et quia ſub regis tutela ſecurius iam degebat, fortè ex profeſſo teſtari voluit hoc ſe Deo acceptũ ferre. Et hac de cauſa videtur aſcriptum epitheton *Dei æterni*: acſi diceret Abraham, ſe non tranſiiſſe in fidẽ Regis terreni, nec ſe nouo fœderi cõfidere, vt à Deo æterno diſcederet. Cur Dei cultũ inuocationis nomine per ſynecdochen deſignet Moſes, alibi expoſui. Poſtremò hîc dicitur peregrinatus eſſe Abraham in ea terra, vbi tamẽ ſtatum domicilium habebat: vt ſciamus animum eius non ſic defixum fuiſſe in illa quiete, quin ſemper expenderet quod prius audierat ex ore Dei,

ſe fore inquilinum cum poſteris vſque ad annos quadringentos.

Cap. XXII.

1 ET fuit,poſt hæc Deus tẽtauit Abrahám,& dixit ad eum,Abraham.Et dixit, Ecce ego.

2 Et dixit, Tolle nũc filium tuum,vnicum tuum, quem dilexiſti Iſhác, & vade ad terram Moriáh,& offer eum ibi in holocauſtum ſuper vnum è montibus quem dixero tibi.

3 Et ſurrexit Abrahám mane,& ſtrauit aſinum ſuum, & cepit duos pueros ſuos ſecum,& Iſhác filium ſuum: & ſcidit ligna holocauſti:& ſurrexit, perrexítq; ad locum quem dixerat ei Deus.

4 Die tertia leuauit Abrahám oculos ſuos,& vidit locum procul.

5 Et dixit Abrahám ad pueros ſuos, Manete hîc cum aſino : & ego & puer pergemus vſque illuc,& adorabimus, reuertemúrque ad vos.

6 Et accepit Abrahám ligna holocauſti, & poſuit ſuper Iſhác filium ſuum, & accepit in manu ſua ignem& gladium,& perrexerunt ambo pariter.

7 Et dixit Iſhác ad Abrahám patrem ſuum,dixit inquã,Pater mi.Et dixit,Ecce ego,fili mi.Et dixit,Ecce ignis & ligna:& vbi pecus in holocauſtum?

8 Et dixitAbraham, Deus proſpiciet ſibi pecudẽ in holocauſtũ,fili mi. Et perrexerunt ambo pariter.

9 Et venerunt ad locum quem dixerat ei Deus: & ædificauit ibi Abrahám altare, & ordinauit ligna, & ligauit Iſhác filium ſuum, & poſuit eum ſuper altare ſuper ligna.

10 Et miſit Abrahám manum ſuam, & accepit gladium vt iugularet filium ſuũ.

11 Et clamauit ad eum Angelus Domini de cælo, & dixit,Abrahám,Abrahám. Et dixit,Ecce ego.

12 Et dixit,Ne extẽdas manum tuam in puerum,& ne facias ei quicquam : quia nunc cognoui quòd times Deum,nec prohibuiſti filium tuum vnicum à me.

13 Et leuauit Abrahám oculos ſuos,& vidit, & ecce aries poſt *eum* detẽtus in perplexitate *ſpinarum* cornibus ſuis : & perrexit Abrahám, & accepit arietem, obtulítque eum in holocauſtum pro filio ſuo.

14 Et vocauit Abrahám nomen loci ipſius, Dominus videbit . idcirco dicitur hodie,In monte Dominus videbit.

15 Et clamauit Angelus Domini ad Abrahám ſecundò è cælo,

16 Et dixit, Per me iuraui, dixit Dominus, certè pro eo quòd feciſti rem hanc, & non prohibuiſti filium tuum vnicum tuum,

17 Quòd benedicendo benedicam tibi , & multiplicando multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam quæ eſt iuxta litus maris: & hæreditabit ſemen tuum portam inimicorum ſuorum.

18 Et benedicentur in ſemine tuo omnes gẽtes terræ,eo q̃ obediuiſti voci meæ.

19 Et reuerſus eſt Abrahám ad pueros ſuos,& ſurrexerunt,perrexerúntque pariter in Beer-ſébah,& habitauit Abrahám in Beer-ſébah.

20 Et fuit,poſt hæc nuntiatũ fuit ipſi Abrahám,dicendo,Ecce peperit Milcháh etiam ipſa filios Nachór fratri tuo,

21 Hus primogenitum ſuum,& Buz fratrem eius,& Cemuél patrem Arám,

22 Et Chéſed,& Hazó,& Pildás,& Idláph,& Bethuel:

23 Et Bethuél genuit Ribcáh . octo iſtos peperit Milcháh ipſi Nachór fratri Abrahám.

24 Et concubina eius, cuius nomen Reumáh, peperit etiã ipſa Tébah & Gáham, & Thahás, & Mahachâh.

1 *Et fuit.* Caput hoc hiſtoriam in primis memorabilem continet. Quanuis enim toto vitæ curſu mirifica fidei & obedientiæ documenta ediderit Abraham: nullum tamen præſtantius excogitari poteſt, quàm filii immolatio. Aliæ enim tentationes, quibus eum Dominus exercuerat, ad eum mortificandum ſpectabant: hæc autem, vulnus morte ipſa longè acerbius inflixit. Quãquam hîc nobis aliquid maius, & altius paterno dolore, & cruciatu conſiderandum eſt, qui ex filii vnici morte conceptus, ſancti viri pectus tranſfodit. Triſte illi fuit vnico filio priuari: triſtius eripi ſibi violenta morte: longè verò duriſſimum, cõſtitui ipſum carnificem, qui propria manu eũ mactaret. Alias circunſtantias nunc omitto, quas ſuis locis notabimus. Verùm hæc omnia ſi cũ ſpirituali certamine conſcientiæ, quod ſuſtinuit, conferas, luſus ſunt duntaxat, vel vmbratiles pugnæ. Neque enim orbitas illi ſua lugenda fuit, quòd occidere iubebatur vnicum hæredem ſpem memoriæ & nominis, decus & columen familiæ: ſed quia in eius perſona extingui, & perire videbatur tota mundi ſalus. Nec illi certamen erat cum carnis paſſionibus, ſed quũ totum ſe addicere Deo cuperet, ipſa eum pietas, & religio huc illuc diſtrahebat. Nam quaſi Deus ſecum ipſe pugnet, puerũ ad mortem poſtulat, in quo ſpem æternæ ſalutis propoſuit. Itaque hoc poſterius mãdatum, quidam erat fidei interitus. Hunc hiſtoriæ præſentis guſtũ lectoribus dari vtile fuit, vt reputent quantopere ſedula & aſſidua meditatione digna ſit. *Poſt hæc tentauit Deus Abraham.* Non debet hoc reſtringi ad vltimam viſionem: quin potius varios euentus, quibus ſurſum deorſum iactatus fuerat Abraham: & rurſus paulo quietiorem vitæ ſtatũ, quo nuper potiri cœpit effœta iam ſenectute, complecti vno verbo Moſes voluit. Inſtabilem vitam per continua exilia egerat vſque ad annum octogeſimum: multis contumeliis, iniuriiſque vexatus, ægrè in continua trepidatione miſeram ac ſolicitam vitam tolerauerat: ab ea terra in quam ſe Dei iuſſu, & auſpiciis contulerat, eum in AEgyptũ expulerat fames. Bis illi vxor rapta fuerat è ſinu: diuulſus fuerat à nepote: eũ capitis ſui periculo quũ bello captus eſſet, liberauerat. Sterilis vixerat cum vxore, quum tamẽ tota eius ſpes à ſobole penderet. Tãdem filium adeptus, exhæredare, & procul domo expellere coactus fuerat. Reſiduus manebat Iſaac, ſingulare quidem, ſed vnicũ ſolatium: pace domi fruebatur, nunc repente fulminat è cælo Deus filio mortem denuntians. Senſus eſt igitur, hac tentatione, tãquam extremo actu, longè ſeuerius, quàm antea probatam fuiſſe Abrahæ fidem. *Tentaret Deus Abraham.* Dum negat Iacobus quenquam à Deo tentari, ſacrilegas eorum calumnias refellit, qui vt malorum ſuorum culpam à ſe deriuent, Deum ſubſtituere reum conãtur. Verè ergo contendit Iacobus nõ debere aliò tranſferri peccata, quorum radicem habemus in noſtris concupiſcentiis. Nam etſi venenum ſuum inſtillat Satan, & ſuis flabellis prauas in nobis cupiditates inflammat: non tamen extrinſeco impulſu ferimur ad peccandum: ſed nos caro noſtra ſolicitat, & eius illecebris ſponte obſequimur. Neque tamen illud obſtat quo minus etiam Deus ſuo modo tẽtare nos dicatur: ſicut Abraham tentauit, hoc eſt adduxit ad ſerium examen, vt fidei experimentum in ſeruo ſuo caperet. *Iacob. 1. b. 13*

Dixit ad eum. Speciem tentationis deſignat Moſes, quòd ſcilicet verbi ſui fidem in ſancta anima contrario verbi ſui ariete perculerit. Ideo enim nomine ipſum compellat, ne ambiguus ſit mandati author. Niſi enim certò perſuaſus fuiſſet Abraham vocem eſſe Dei, quæ filium Iſaac occidi iubebat, facilè ſolutus fuiſſet moleſtia. fretus enim certa Dei promiſſione, quaſi Satanæ fallaciam repudiaſſet: ita nullo negotio diſcuſſa tentatio fuiſſet. Nunc omnis ambigendi materia tollitur, vt ſine controuerſia agnoſcat oraculum eſſe Dei quod audit. Interea Deus quodammodo duplicem induit perſonam, vt diſſidii, & repugnantiæ ſpecie, quam in verbo ſuo præ ſe fert, diducat, & laceret ſancti viri pectus. Hæc enim ad fouendam conſtantiã fidei vnica eſt ratio, ſi omnes ſenſus noſtros ad Dei verbum colligamus. Atqui talis fuit tunc verbi diſcrepãtia, quæ fidẽ Abrahæ laceraret. Quare magna ſubeſt emphaſis verbo loquẽdi, quòd Deus ſcilicet non vſitato modo periculum fecerit de fide Abrahæ, ſed in certamen cum verbo ſuo traxerit. Quicquid tentationum nobis ingeritur, ſcimus in manu nobis eſſe victoriam, quandiu firma inſtructi fide ſumus: aliter verò ad reſiſtendũ nos minimè pares fore. Si ablato verbi gladio victi ſumus, quid ſi eodẽ quo nos armare ſolet, gladio impetat Deus? Id autem contigit Abrahæ. Cæterùm quomodo hanc tentationem fide eluctatus ſit Abraham, poſtea ſuo loco videbimus.

Reſpondit, Ecce ego. Hinc apparet ſanctum virum minimè ſibi à Satanæ præſtigiis timuiſſe. Neque enim ſic prompti ſunt ad parendum Deo fideles, vt ſtulta eos credulitas ad quamlibet dubiæ viſionis auram circunferat. Quum verò Abrahæ conſtaret à Deo ſe vocari, promptum obſequẽdi ſtudium hoc reſponſo teſtatus eſt. Perinde enim valet hæc locutio acſi diceret, quicquid Deo iniungere libuerit, ſe ad id exequendum præſto adeſſe. Nec verò expectat dum hoc vel illud diſertè imperet Deus, ſed ſe ad omnia ſimpliciter, & ſine exceptione obediẽtem fore promittit. Atque

hæc vera demum eſt ſubiectio,dum prius ad agendum parati ſumus, quàm cognita ſit nobis Dei volũtas.Omnes quidem videmus idem iactare quod Abraham, ſed vbi ad rem vẽtum eſt,iugum Dei refugere.Sed ſanctus vir paulo pòſt reipſa demõſtrat,quàm verè & ſeriò profeſſus ſit ſe abſque mora & diſceptatione ſub Dei manu fore.

2 *Tolle nunc filium tuum.* Iubetur Abraham filium immolare. Si Deus tantum dixiſſet moriturum,pluſquam atrociter animum eius vulneraſſet hic nuntius. Quicquid enim gratiæ à Deo ſperare potuit,in hac ſola promiſſione incluſum erat,In Iſaac vocabitur tibi ſemen. Vnde neceſſariò colligebat, ſuam, & totius humani generis ſalutem perire, niſi Iſaac maneret incolumis. nã
2.Cor.1.d.20 eo verbo edoctus erat,Deum ſine mediatore non eſſe hominibus propitium.Etſi enim illud Pauli nondum ſcriptũ erat,Omnes Dei promiſſiones in Chriſto eſſe,Etiam & Amen:erat tamẽ cordi Abrahæ inſculptum. Vnde autem ſperaſſet niſi ex Iſaac?Eò igitur res cecidit, vt appareat Deũ nihil quàm luſiſſe. Atqui non tantum illi nuntiatur mors filii, ſed iubetur eum ſua manu occidere:acſi non modò abiiceret,ſed conſcinderet,vel proiiceret in ignem ſalutis ſuæ ſyngraphã: ac nihil ſibi reliquum faceret præter mortẽ & inferos. Sed quæritur,Quomodo duce fide ad filii immolationem deſcenderit,quum illi propoſitum eſſet cõtra verbũ Dei certamen,cui fidem inniti neceſſe eſt.Huic quæſtioni reſpondet Apoſtolus,Heb.11.d.19, ideo nõ fuiſſe à verbo abreptũ, quia Deum ſperauit ex mortuis cineribus promiſſam benedictionẽ poſſe excitare. Duriter quidem eius animum quaſſari,& violenter percelli oportuit, quum intus confligerent Dei mandatũ & promiſſio.Sed poſtquã ſtatuit,Deum,quocum ſibi negotium eſſe certus erat,ipſum ſibi non poſſe aduerſari: quãuis non ſtatim modũ inueniat tollendæ repugnantiæ, ſpe tamen ſua conciliat cum promiſſione mandatum, quia indubiè perſuaſus Deum eſſe fidelem, eius prouidentiæ relinquit ſucceſſum quẽ ignorat. Interea quaſi oculis clauſis,pergit quò iubetur . Hunc honorẽ meretur Dei veritas, non tantùm vt altè emineat ſupra humana media , vel ſola abſque mediis ſufficiat:ſed etiam vt obſtaculis omnibus ſit ſuperior.Hîc iam melius perſpicimus ſpeciem tentationis quam notauit Moſes. Difficile ac moleſtum Abrahæ fuit,obliuiſci ſe eſſe patrem ac maritum, & exuere omnes hominis affectus : ſubire coram mundo fœdæ ſeuitiæ infamiam,quòd filii carnifex fuiſſet. Sed iſtud alterum lõgè grauius,& magis horribile,quòd Deum ſibi,ac verbo ſuo aduerſum eſſe concipit : deinde quòd ſpem promiſſæ benedictionis excuti ſibi cogitat, dum ex complexu rapitur Iſaac. Quid enim illi amplius cum Deo, vbi tollitur vnicum gratiæ pignus?Sed quemadmodum prius ſemen ex effœto corpore ſuo expectans,ſpe ſua tranſcenderat quod ſperandum videbatur : ita nunc dum in morte filii apprehendit viuificam Dei potentiã, vt benedictionem ſibi ex filii cineribus promittat, ex tentationis labyrintho emergit . nam vt Deo parẽret,mordicus promiſſionẽ tenere neceſſe fuit,qua collapſa excidit fides.Promiſſio autem apud eum ſemper viguit: quia & amorẽ quo ſemel eum Deus complexus fuerat , mordicus retinuit,& eius potentiæ ſubiecit quæcunque ad turbandum eius animum erigebat Satan. Promiſſionis verò implendæ modum ſenſu ſuo metiri noluit , quem ſciebat ab incomprehenſibili Dei virtute pendere.Reſtat vt ad ſe vnuſquiſq; noſtrum hoc exẽplũ accomodet. Indulget quidem infirmitati noſtræ Dominus , vt fidem noſtram non ita ſeuerè & acriter examinet : documentum tamen in Patre omnium fidelium edere voluit,quo nos ad cõmunem fidei probationẽ vocaret.Nam fidem quæ auro & argento pretioſior eſt , ſine probatione otioſam iacere non decet:& experientia docet,ſingulos pro fidei ſuæ modulo à Deo examinari.Simul etiam notemus Deum ſeruos ſuos tentare,non tantùm quum ſubigit carnis affectus , ſed omnes eorum ſenſus redigit in nihilum,vt ad plenam ſui abnegationem eos adducat. *Vnicum tuum quem dilexiſti.* Quaſi non ſatis eſſet,filii mactationem vno verbo imperare,velut repetitis ictibus ſancti viri animũ altius tranſfigit. Vnicum vocando, vulnus refricat nuper inflictũ alterius abdicatione . deinde reſpicit etiam in futurũ tempus,quòd nulla ſpes ſobolis gignendæ ſuperſtes eſſet. Si primogeniti filii luctuoſa mors eſſe ſolet , qualis eſſe debuit Abrahæ luctus ? Singula verba quæ ſequuntur, emphatica ſunt ad exaſperandum dolorem. *Occide,* inquit, *quem tu unicè amas* : nec paternum modò amorem deſignat,ſed qui ex fide oriebatur . Amabat filium ſuum Abraham, non tantùm vt fert natura, & vulgò ſolent patres filios habere in deliciis : ſed quia in eo paternum Dei amorem intuebatur.denique erat Iſaac vitæ æternæ ſpeculum,& bonorum omnium pignus.Quare non tam in paternum Abrahæ amorem videtur Deus impetum facere,quàm ſuam ipſius beneuolentiam calcare pedibus.Non minor ſubeſt emphaſis in nomine Iſaac,quo admonebatur Abraham,nuſquam alibi gaudium ſibi reſtare.Certè quum aufertur qui in materiam lætitiæ datus erat,perinde eſt acſi Deus ipſum ad æternos cruciatus damnaret. Semper enim memoria tenendum eſt, non fuiſſe Iſaac ex communi filiorum ordine , ſed in cuius perſona promiſſus erat Mediator. *Vade in terram Moriah.* Hac circunſtantia non parum creuit doloris acerbitas . Nõ

vult eum Deus ſtatim filii mactatione defungi,ſed cogit toto triduo carnificinam iſtam in animo alere:vt ſe comparans ad mactandum filium,ſenſus omnes ſuos grauius excarnificet. Adde quòd neque locum nominat, vbi dirum illud ſacrificium offerri velit:*ſuper unum montium* (inquit)*quem tibi oſtendam*.Sic prius quum iubebat ex patria migrare,ſuſpenſam eius mentem tenuit. In hoc autem negotio minus tolerabilis fuit mora,quæ ſanctum hominem quaſi equuleo impoſitum ſæuiſſimè torquebat. Duplex autem huius ſuſpēſionis vſus fuit.Nihil magis procliue nobis eſt,quàm ſapere vltra menſurā.Ergo vt nos ſibi Deus verè dociles ac morigeros habeat, deſtitui nos proprio conſilio vtile eſt: & nihil eſſe reſiduum, niſi vt nos eius arbitrio circumagendos tradamus.Deinde ad perſeuerantiam hoc valuit:ne ſubito tantùm motu ſe obſequentē Deo præberet.Nam dum iter non reflectit,nec varia conſilia agitat:hinc apparet ſtudiū eius tali fuiſſe conſtantia firmatum,vt nulla varietate flecteretur. Terram Moriah Hieronymus expoſuit viſionis,quaſi à verbo ראה deductum eſſet nomen. Sed hanc ſentētiam omnes linguæ Hebraicæ peritiores improbant. Mihi nihilo magis arridet quod quidam interpretātur Myrrham Dei.Et certè hoc plurium conſenſu receptum eſt, deduci à verbo ירה quod docere, vel ירא quod timere ſignificat. Adhuc variant interpretes, quòd quidam putant Dei doctrinam commendari. Sequamur quod magis probabile eſt, terram vocari Diuini cultus, vel quòd eam Deus peragendo ſacrificio delegerat,ne diſputet Abraham cur non potius alibi:vel quòd iam illic deſtinatus erat templo locus.atque hoc ſecundum libēter amplector,Deum illic præſentem cultum à ſeruo ſuo Abraham poſtulare, quia iam arcano ſuo conſilio ibi locare ſtatuerat ordinarium cultum. Meritò autem à timore nomen accipiunt ſacrificia,quæ Dei reuerentiam teſtantur. Porrò minimè dubium eſt quin locus ſit vbi poſtea conditum fuit templum.

3 *Et ſurrexit Abraham mane.* Hæc promptitudo oſtendit quanta fuerit Abrahæ fides. Innumeræ cogitationes venire poterant ſancto viro in mentem,quarum ſingulæ eius animum mole ſua obruerent,niſi fide obduruiſſet. Nec dubium eſt quin Satan inter noctis tenebras ingentē curarū aceruū illi congeſſerit. Luctādo paulatim eas vincere,heroicæ virtutis fuit.Illis verò ſuperatis,ſtatim ſe accingere ad explendū Dei mandatum, imò mane ſurgere:ingenti miraculo non caret. Alii tam diro ac terribili nuntio proſtrati concidiſſent,& quaſi exanimes obtorpuiſſent: Abrahæ primum diluculum ad feſtinationem vix ſatis eſt. Paucis ergo verbis magnificè extollit eius fidem Moſes,quum tam breui temporis ſpatio, abſorptam ab ea tētationem narrat quæ plures ſecum labyrinthos trahebat.

4 *Vidit locum.* Nempe vidit oculis qui prius arcana viſione oſtēſus erat. Cæterùm vbi dicitur leuaſſe oculos,non dubium eſt quin ſignificet Moſes,mirè anxium fuiſſe toto triduo.Quòd ſeruos ſuos ſubſiſtere iubet, eo conſilio facit ne quaſi deliro ſeni & inſano manum iniiciant. Atque hîc ſe profert animi eius magnitudo,dum cogitationes tam benè compoſitas & tranquillas habet vt nihil tumultuanter agat.Quòd tamen ſe cum puero reuerſurū dicit,ſimulatione & mendacio carere non videtur. Quidā putant vocem hanc propheticè ab eo fuiſſe emiſſam:ſed quia certum eſt quod de ſemine in Iſaac ſuſcitando promiſſum erat,nunquam illi fuiſſe elapſum:fieri poteſt vt in Dei prouidentiam recumbens, ſuperſtitem filium in morte ipſa ſibi propoſuerit: ac ſicuti clauſis oculis ad occidendū filium pergebat,ita nihil abſurdi eſt,ſi confuſè in re obſcura loquutum fuiſſe dicamus.

7 *Pater mi.* Hîc nouum tormētum erigit Deus,quo ſaucium iam multis vulneribus Abrahæ pectus, magis,magíſque excruciet. Neque enim dubium eſt quin linguam Iſaac cōſultò tum ad blandam hanc appellationem flexerit Deus,tum ad interrogationem direxerit, nequid ad extremam doloris atrocitatem deeſſet. Hunc tamen adhuc impetum ſuſtinet inuicto animo ſanctus vir:atque adeò non turbatur in propoſito curſu,vt oſtendat ſe penitus Deo affixum,nihil admittere quod vel eius fiduciam ſolicitet,vel obſequium impediat.Sed notare operæpretium eſt, qualiter nodum inſolubilem explicet: nempe in aſylum confugit Diuinæ prouidentiæ, *Deus ſibi prouidebit*. Hoc exemplum nobis ad imitationem proponitur. quoties aliquid præcipit Dominus, multa ſubinde occurrunt quæ nos debilitent:deficiunt nos media,conſilio deſtituimur,exitus omnes videntur præcluſi. Talibus anguſtiis vnicum remedium eſt,ne deſpondeamus animos : ſi ſucceſſum Deo permittimus, vt viam per inuia patefaciat. Nam vt Deo facimus iniuriam, nihil ab eo ſperantes niſi quod ſenſus noſtri percipiunt:ita non vulgaris illi honos à nobis præſtatur,dum in rebus confuſis,acquieſcimus tamen in eius prouidentia.

8 *Et perrexerunt ambo.* Hinc tum Abrahæ conſtantia,tum filii modeſtia perſpicitur.Nam obſtaculo illo remiſſior factus non eſt Abraham:filius autem in refellendo patris reſponſo non inſtitit.promptum enim erat excipere, Quorſum ligna & gladiū attulimus ſine pecude,ſi Deus ſacrificium ſibi fieri mandauit?Sed quia certa aliqua ratione,non obliuione patris omiſſam eſſe victimam reputat,quieſcit,ac ſilet.

9 Et uenerunt ad locum. Multa consultò præterit Moses,quæ tamen consideranda sunt lectoribus. Vbi meminit altaris extructi,continuò pòst addit,ligatum fuisse Isaac. Atqui scimus tunc mediæ fuisse ætatis,vt vel patre esset robustior,vel saltē par ad resistendū,si viribus certādū esset. quare vim reluctanti & inuito allatam fuisse non arbitror,sed potius vltrò ipsum cessisse. Atqui vix fieri potuit vt se ad mortē offerret, nisi Diuini oraculi certior iā factus:sed hoc sermone præterito,tantùm recitat Moses fuisse ligatum. Siquis obiiciat superuacuum fuisse ligari,qui voluntarius ad mortem oppetendam foret: respondeo,Sanctum hominem ita obuiam iuisse periculo, nequid in medio actu accideret. Mira quidem est Mosis in narrando simplicitas,sed quæ plus vehementiæ continet, quàm si tragicè omnia exaggeraret. Summa tamen huc redit,Abraham,vbi ad feriendum filium ventum est,semper fuisse sui similem,tantámque fuisse animi eius fortitudinem,vt senilis manus ad peragendum sacrificium sufficeret,cuius solo aspectu, totum corpus liquescere ac diffluere potuit.

11 Et *clamauit ad eum Angelus Domini*. Iam deuicta erat interior tentatio, quum Abraham manum intrepidè ad cædendum filium sustulit, ac singulari Dei gratia tam insignem victoriā adeptus erat. Nunc verò subiicit Moses repentè præter spem,læto euentu mutatam fuisse eius tristitiam. Poetæ in suis fabulis,vbi res desperatæ sunt,Deum aliquem inducunt qui subitò ex machina apparet. fieri potest vt eiusmodi figmētis,miros,& stupēdos Dei occursus obscurare conatus sit Satan:dum suis ad opem ferendam, ex inopinato affulsit. Nota certè & celebris omnibus populis esse debebat hæc historia:verùm astu Satanæ non modò adulterata fuit Dei veritas,& conuersa in mendacium,sed etiam tracta ad fabulandi materiam,quo maiori ludibrio foret. Nostrū verò est intentis mentibus considerare, quàm mirabiliter in ipso articulo Deus tum Isaac reuocauerit à morte in vitam, tum Abrahæ filium suum quasi è sepulchro emersum restituerit. Exprimit autem Moses vocem Angeli è cælo sonuisse: vt sciret Abraham profectum esse à Deo, vt eadem fidei directione manum retraheret qua extenderat. Neque enim quicquam in tanta re, nisi Deo authore vel suscipere,vel relinquere fas fuit. Nos quoque eius exēplo discamus minimè sequi quod nobis esse probabile sensus carnis dictabit: sed Deus solo suo nutu,agendi,& cessandi modum nobis præscribat. Nec verò Abraham Deum inconstantiæ insimulat,quia iustam exercendæ fidei suæ causam fuisse perpendit.

12 *Nunc cognoui quòd times*. Coacta est Augustini expositio,Feci te cognoscere. Sed quomodo aliquid Deo innotescit,cui semper omnia fuerūt præsentia? Nēpe hominū moribus se conformās, quod experimēto probauit,sibi nūc dicit esse cognitū. Neque enim pro immēsa sua sapiētia, sed pro nostra infirmitate nobiscū loquitur. Simpliciter autē intelligit, Abrahā reipsa testatum esse quàm seriò Deū timeret. Quæritur tamen,ánnon multa suæ pietatis documēta antè iam dederit. Respondeo,quando hucusque eū progredi volebat Deus,tunc vera demū probatione,quæ in aliis multo leuior sufficeret,defunctū esse. Sicuti autem Abrahā Deum se timere ostēdit,proprio & vnigenito filio non parcens:ita eiusdem timoris commune à piis omnibus testimonium exigitur in abnegatione sui. Quia autem continuam militiam nobis iniungit Deus, cauendum est ne sibi quisque missionem ante tempus postulet.

13 Et *ecce aries post eum*. Quòd sexto die mūdi creatum fuisse hunc arietem Iudæi nugantur,simile est aliis eorum commentis. Miraculo quidem oblatum fuisse, non est quod dubitemus, siue tūc primū creatus fuerit,siue aliūde adductus. dare enim voluit Deus seruo suo vnde lætus ipse & hilaris suaue sacrificiū offerret:& simul admonuit de reddenda gratiarū actione. Porrò quòd in locū Isaac substituitur aries,quasi in speculo nobis ostendit Deus,quis sit mortificationis nostræ finis, vt scilicet Spiritu Dei in nobis vigente, nobis mortui, tamen viuæ hostiæ simus. Nec me latet,magis subtiles allegorias posse elici: sed quantum firmitatis habeant,non video.

14 *Nomen loci ipsius*. Non modo gratias agendo in præsentia agnoscit, mirabiliter sibi à Deo fuisse cōsultum:sed gratitudinis suæ monumentū etiā posteris relinquit. In vltima anxietate ad Dei prouidentiam cōfugerat. id se non frustrà fecisse testatur. neque enim arietem fortuitò illic errasse,sed diuinitus oblatū esse agnoscit. Quòd autem successu temporis mutatum fuit loci nomen,data opera,non errore,factum est. Nam qui actiuum verbum,videbit,in passiuum transtulerunt:docere hoc modo volebant, Deum non tantum suis prospicere, sed manifestum etiam auxilium illis ostendere,vt vicissim conspicuus sit. Ordine illud est prius,Deum occulta sua prouidentia statuere,& ordinare quod nobis expedit:sed inde alterum pēdet, vt manū suam ad nos extendat,seque veris experimentis faciat visibilem.

15 Et *clamauit Angelus Do. ad Abrahā*. Quod pollicitus fuerat Deus Abrahæ ante natum Isaac, nunc iterum confirmat & sancit,postquam rediuiuus surrexit ab altari non secus atque è sepulchro:quo pleniorem agere posset triumphum. Loquitur autē Angelus in persona Dei: quēadmodum antè diximus,quo plus authoritatis habeat ipsorū legatio, quam eius nomine perferūt simul

maiestatem induere. Videntur tamen hæc duo parum inter se consentanea,nũc in mercedis loco censeri quod antè gratuitò promissum erat. Scimus autem gratiæ, & mercedis nullum esse consensum.Iã verò quum benedictio,quæ in semine promittitur,spem salutis cõtineat:sequitur vitã æternam operibus rependi.Ac Papistæ audacter locũ hunc & similes arripiunt vt opera meritoria esse probent bonorũ omnium quæ nobis confert Deus. Atqui ego hanc machinã aptissimè in eos retorqueo. Nam si gratuita antè promissio fuit quæ nunc mercedi ascribitur, cõstat gratiæ acceptũ ferri debere quicquid operibus Deus rependit. Certè priusquã nasceretur Isaac, iam rata erat hæc eadem promissio:nec quicquam nunc præter cõfirmationem accepit. Si virtute sua promeritus est Abraham tantam cõpensationem,irrita erit Dei gratia quæ eum præuenit.Ergo vt stabilis sit Dei veritas in gratuita eius bonitate fundata,statui necesse est vocari operum mercedẽ quod gratis donatur.Non vt bonitatis suæ laudẽ obscuret Deus,vel aliqua ex parte minuat,sed tantum vt suos animet ad rectè agendi studium,vbi sua officia illi sic placere intelligunt, vt mercede etiam dignetur:nihil tamen quasi debitum soluens,sed mercedis titulum imponens suis beneficiis. atque in eo nihil est discrepantiæ. Bis enim se liberalem ostendit Dominus,dum stimulos ad piè viuendum nobis addere volẽs, ad opera nostra trãsfert quod meræ beneficentiæ propriũ erat. Perperam igitur Papistæ benignas istas Dei inuitationes,quibus torporem nostrum corrigere vult,in diuersum finem torquẽt:vt suis meritis arroget homo quod merum est Diuinæ liberalitatis munus.

17 *Hæreditabit semen tuum portam inimi.* Significat Abrahæ sobolem hostiũ suorum victricem fore. nam & in portis erant propugnacula, & in his iudicia exercebantur.Quanquam autem sæpe Iudæis passus est Deus tyrannicè dominari hostes:sic tamen moderatus est suas vindictas, vt superior tãdem esset hæc promissio. Porrò memoria tenendũ est quod de seminis vnitate prius ex Paulo diserui. hinc enim colligimus, non quibuslibet Abrahæ filiis,sed Christo promitti victoriam & eius membris,quatenus inter se sub vno capite cohærent.Nisi enim teneamus notam aliquã,quæ inter legitimos & degeneres Abrahæ filios discernat,promiscuè hæc promissio tam Ismaelitas,& Idumæos,quàm populũ Israel cõprehẽdet.atqui vnitas populi à capite depẽdet.Ideo Prophetæ quoties ratam facere volunt hanc Dei promissionẽ,hoc principiũ sumunt,quòd sub Dauide coalescẽt in vnũ corp⁹,qui sine illo diuisi sunt.Reliqua ex capite duodecimo petãtur

19 *Et perrexerunt pariter in Beersebа.* Repetit Moses, postquam dura illa & incredibili tentatione defunctus est Abraham, quietam illi fuisse stationem in Beersebа.Hanc narrationẽ,& quæ proximè sequitur de cognatione eius aucta,ideo inseruit Moses,vt sciamus sanctum hominem, postquam reductus est ex mortis abyssis,non vno modo fuisse exhilaratum. Sic enim eũ Deus reficere voluit,vt esset quasi nouus homo.Quanquã alia de causa recensetMoses progeniem Nachor,quia scilicet inde vxorem sumpturus esset Isaac.Rara enim fit in Scripturis fœminarum mentio : & credibile est plures filias fuisse genitas ipsi Nachor, ex quibus vna tantũ Rebecca hic ponitur.Concubinæ filios ab aliis distinguit,quia minus splendido loco erant:non quòd instar scorti habita fuerit concubina,sed quia secundaria erat vxor,non autem materfamiliâs, quæ bonorum societatem haberet cum viro. Neque tamen si in animo habuit Nachor secundam ducere vxorem,ideo legitimam polygamiam effecit:sed ex aliorum consuetudine, sibi licitũ esse putauit,quod ex pessima corruptela natum erat.

Cap. XXIII.

1 ET fuit vita Saráh,centũ anni & viginti anni & septẽ anni:anni vitæ Saráh.
2 Et mortua est Sarah in Ciriáth-arbah, ipsa est Hebrón in terra Chenáan. Et venit Abrahám ad plangendum super Saráh,& ad lugendum eam.
3 Et surrexit Abrahã à facie mortui sui,& loquutus est ad filios Heth, dicendo,
4 Peregrinus & aduena sum vobiscum : date mihi hæreditatem sepulchri vobiscum,& sepeliam mortuum meum à facie meã.
5 Et responderunt filii Heth ad Abrahám,dicendo ei,
6 Audi nos, domine mi: Princeps Dei es in medio nostri:in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum: nemo è nobis sepulchrum suum prohibebit à te ne sepelias mortuum tuum.
7 Et surrexit Abrahám,& incuruauit se populo terræ,filiis Heth.
8 Et loquutus est cum eis,dicendo,Si est in animis vestris vt sepeliam mortuũ meũ à facie mea,audite me,& intercedite pro me apud Hephrón filiũ Sóhar,

9 Vt det mihi ſpeluncam duplicem quæ *eſt* ei in fine agri ſui: argento pleno det eam mihi in medio veſtri in hæreditatem ſepulchri.

10 Et Ephrón habitabat in medio filiorum Heth: & reſpondit Ephrón Hittæus ad Abrahám in auribus filiorum Heth, in *auribus* omnium ingredientium portam ciuitatis ſuæ, dicendo,

11 Non, domine mi, audi me: Agrum dedi tibi, & ſpeluncam quæ eſt in eo, tibi dedi eam, in oculis filiorum populi mei dedi tibi: ſepeli mortuum tuum.

12 Et incuruauit ſe Abrahám coram populo terræ.

13 Et loquutus eſt ad Ephrón in auribus populi terræ, dicendo, Veruntamen ſi tu, vtinam audias me: dabo argentum agri, cape à me, & ſepeliam mortuum meum ibi.

14 Et reſpondit Ephrón ad Abrahám, dicendo ei,

15 Domine mi, audi me: Terra quadringentorum ſeclorum argenteorum *eſt* inter me & te, quid eſt? & mortuum tuum ſepeli.

16 Et obediuit Abrahám ipſi Ephrón, & appendit Abrahám ipſi Ephrón argẽtum quod loquutus fuerat in auribus filiorum Heth, quadringentos ſeclos argenteos tranſeuntes per mercatores.

17 Et confirmatus eſt ager Ephrón, qui erat in ſpelunca duplici, qui *erat* coram Mamré ager, & ſpelũca quæ erat in eo, & omnis arbor quæ erat in agro, quæ *erat* in omni termino eius per circuitum:

18 Ipſi Abrahám in poſſeſſionem, in *oculis* filiorum Heth, omnium ingredientium portam ciuitatis eius.

19 Et poſtea ſepeliuit Abrahám Saráh vxorem ſuam, in ſpelũca agri duplici coram Mamré. hæc eſt Hebrón in terra Chenáan.

20 Et confirmatus eſt ager, & ſpelunca quæ erat in eo, ipſi Abrahám in hæreditatem ſepulchri à filiis Heth.

1 Et *fuit uita Sara.* Mirum eſt cur Moſes qui vno verbo indicat mortem Saræ, tam multis proſequatur ſepulturam. ſed poſterius non eſſe ſuperuacuum, mox videbimus. Mortem ſuo more cur tam breuiter attingat, neſcio: niſi quòd plus conſiderandum relinquit lectoribus, quàm exprimat. Videbant Sancti patres mortem ſibi cum reprobis communem eſſe. Neque tamen fuerunt deterriti quin vitam ærumnis refertam ægrè trahentes, ad metam intrepidè pergerent. Vnde ſequitur, melioris vitæ ſpe animatos, fatigationi non ceſſiſſe. Saram annos C XX VII vixiſſe dicit Moſes. Quia autem ad ſingulos numeros repetit nomen annorum, fabulantur Iudæi hoc ideo factum, quòd tam formoſa fuiſſet anno C, quàm X X: in flore autẽ ætatis tã pudica, quàm anno ſeptimo. Hoc illis ſolenne eſt, dum in ornanda gente ſua ſe probare volunt argutos, friuolas ineptias comminiſci, quæ pudendam inſcitiam prodant: ſicuti hoc loco prorſus ignaros linguæ ſuæ eſſe quis diceret, in qua trita eſt eiuſmodi repetitio. Quod etiam alii in voce חיי argutantur, minimè ſolidũ eſt. Cur vitas plurali numero Hebræi pronũtient, ratio non videtur mihi poſſe melior reddi, quàm quòd Latini quadrigas dicãt, non quadrigam. Scio multiplicem eſſe hominis vitam, quia præter animam vegetatiuam, deinde præter ſenſum quem habent cum brutis animalibus communem, mente quoque & intelligentia prædiți ſunt. Plauſibilis quidem argutia, ſed quæ nihil habet ſolidi. Plus coloris habet eorum opinio, qui varios vitæ humanæ euentus notari putãt: quæ quum nihil habeat ſtabile, ſed inter aſſiduas viciſſitudines æſtuet, meritò in plures vitas diuiditur. Ego tamen ſimplici linguæ vſu cõtentus ſum, cuius nõ ſemper curioſè quærenda eſt ratio.

2 *In Ciriath arba.* Ex decimoquinto cap. g. 54, Ioſue apparet magis antiquũ fuiſſe vrbis nomẽ, quæ poſtea Hebron vocari cœpit. Cæterùm de etymologia non conuenit. Quidam ab vrbe quadruplici deductum eſſe putant nomen: ſicut τετράπολιν Græci appellant, vrbem tribus ordinibus diſtinctam: & regionem Decapolim à Decem vrbibus. Aliis placet nomen eſſe Gigãtis Arbah, quẽ vel tyrannum, vel conditorem vrbis fuiſſe exiſtimant. Alii à quatuor Patribus nomen loco datum fuiſſe malunt, qui illic cum vxoribus fuerunt ſepulti, Adam, Abraham, Iſaac, & Iacob. Ego de re incerta & non admodum neceſſaria, ſententiam libens ſuſpendo. Hoc verò ad præſentem

hiſtoriam magis intereſt,quomodo alibi mortua ſit Sara,quàm vbi domicilium habebat Abrabam.Siquis excipiat,ſedē ambos mutaſſe:refragantur Moſis verba,qui veniſſe dicit Abrahā vt mortuū ſuum lugeret. Nā hinc colligere prōptum eſt, morti non interfuiſſe. nec veriſimile eſt tabernaculis ſolùm fuiſſe diſiunctos,vt lugendi cauſa decē aut viginti paſſus cōficeret,neglecto potiore officio.Hac de cauſa ſuſpicantur quidā,peregrè tunc fuiſſe profectum.Mihiverò magis videtur probabile,tunc illis hoſpitium fuiſſe in Hebrō,vel ſaltē in valle Mamre,quæ vrbi vicina eſt.Poſtquā enim exiguū illi tempus ad reſpirādum datum erat,mox ad ſolitas peregrinationes redire coactus eſt. Et quanuis taceat Moſes iuſta mariti officia Abrahā præſtitiſſe viuæ adhuc vxori:omitti quod indubiū & pro certo habendū erat,exiſtimo:& de luctu verba fieri,quoniā res cōiuncta erat cum cura ſepulturæ. Seorſum quidē habitaſſe,poſtea videbimus:nō quòd regionibus diſſiti forent, ſed quia in propriis tentoriis,licet contiguis,ſinguli degerent. Neque id diſſidii vel rixarum ſignū fuit,ſed familiæ amplitudini magis imputandū eſt. Nā vt multum negotii habuit Abraham in regendo tot ſeruorū grege,ita vxori nihilo facilius fuit,ancillas habere ſub caſta &honeſta cuſtodia.Ipſa igitur copia,quā ſimul miſceri tutū nō erat,familiam partiri eos coegit . Sed quorſum attinuit, lugēdi cauſa ad cadauer accedere:annon vt dolorē ipſum minimè prouocaret,ſatis triſtis acerbáque morsvxoris fuit?potius quærendū erat eius leniēdi remedium,quàm vt indulgentia foueret,atque etiam augeret.Reſpondeo,ſi Abraham ad vxorem mortuam venit, vt largiorē fletum eliceret,ſibíque cor ſcinderet nouis vulneribus: nō eſſe probandū exemplum. Si verò & vxoris mortem priuatim defleuit quantū ferebat humanitas, ac in eo ſibi moderatus eſt : deinde cōmunē humani generis maledictionē proſequutus eſt voluntario luctu:nihil in vtroque eſſe vitii.Nihil enim triſtitiæ ex mortis intuitu ſentire,barbaries eſt magis ac ſtupor,quàm animi fortitudo.Cæterùm quia homo fuit Abrahā,fieri poteſt vt modū exceſſerit.Et tamē quod paulo pòſt ſubiicit Moſes,eū ſurrexiſſe â mortuo ſuo,ad laudē moderationis pertinet. ídque Ambroſius prudēter expendit, hoc exēplo nos doceri, peruerſè eos facere qui ſe in mortuis lugendis nimium occupant.Iam ſi tunc finē dolori impoſuit Abrahā,ſéque cohibuit quū adhuc obſcura eſſet reſurrectio: nulla excuſatione digni ſunt qui hodie frænum impatientiæ ſuæ laxant,ex quo nobis in Chriſti reſurrectione tam plena conſolatio ſuppetit.

3 *Loquutus eſt ad filios Heth.* Quo ritu ſepelierit corpus vxoris Abrahā,filet Moſes:tantū in recitāda ſepulchri emptione prolixè inſiſtit. Qua id de cauſa,mox videndū erit,vbi pauca de iure ſepeliēdi attigero.Quāta eius rei omnibus ſeculis,& apud omnes populos religio fuerit,ſatis notum eſt.Diſſimiles quidem fuerunt cæremoniæ,&variis ſuperſtitionibus certatum fuit.interim cōmune omnibus fuit,ſepelire mortuos.Neque id ſtudiumvel ex ſtulta curioſitate,vel ex inanis ſolatii voto,vel ex ſuperſtitione profectum eſt,ſed ex naturæ ſenſu,quem Deus hominū mentibus indidit:neque vnquam euaneſcere paſſus eſt,vt ſibiipſis teſtes eſſent futuræ vitæ.Nec credibile eſt,ex animo loquutos eſſe qui in ſepulturæ ludibriū immanes quaſdāvoces iactarunt.Forti quidē animo ſepulturā non aliter quàm diuitias,& honores,& reliqua vitæ cōmoda,cōtemnere nos oportet,vt priuari æquo animo feramus.Negari tamen non poteſt quin ſepeliendi curā ſecū ferat religio.Et certè quemadmodū dixi,diuinitus hoc ab initio populis omnibus inſculptū fuit,vt mortuos ſepelirēt,vnde &ſancta illis fuerūt ſepulchra.Fateor nō ſemper veniſſe profanis hominibus in mentē ſuperſtites eſſe à morte animas,&ſpē etiam reſurrectionis corporibus relinqui,nec ſe tam pia meditatione exercuiſſe quoties mortuos in ſepulchris cōdebant. ſed non facit eorū incogitantia quin eorum oculis ſubiecta fuerit imago futuræ vitæ,vt eſſēt inexcuſabiles. Abrahā verò quū ſpē reſurrectionis haberet penitus infixam in corde ſuo, viſibile eius ſymbolū ſedulò,vt decebat,coluit.Quāti autē fecerit,hīc apparet, quòd ſe pollutionis reū fore putauit, ſi corpusvxoris poſt mortē cum aliis miſceret.Nā in hūc finem ſpeluncā emit,vt ſibi ac ſuis ſanctum purúmque ſepulchrum haberet.Pedem terræ vbi tentorium figeret,habere non curauit: ſepulchri tantum habuit curam:præſertim verò in ea terra peculiare & domeſticum ſibi eſſe ſepulchrum voluit,quæ in hæreditatem promiſſa erat:vt teſtatū poſteris faceret,nec ſua, nec ſuorum morte extinctam eſſe Dei promiſſionem:quin potius tunc vigere:& qui luce Solis,&ſpiritu cōmuni orbati erant,promiſſæ tamen hæreditatis ſemper manere conſortes. Ipſis enim tacentibus , & mutis, clamabat ſepulchrū mortem non fuiſſe obſtaculo quominus eius poſſeſſionem adirent. Quæ cogitatio locum habere nō potuit, niſi Abrahā in cælum fide ſuſpiceret. Et dum cadauer vxoris *mortuum ſuum* vocat , tale ſignificat mortis eſſe diuortium , vt aliqua ſuperſit coniunctio. Porrò ius mutuæ neceſſitudinis inter viuos & mortuos non aliud fouet, ac conſeruat, quàm futura reſtitutio.Sed præſtat ſingula breuiter ordine expendere.

4 *Peregrinus & aduena ſum.* Huc tendit præfatio,vel vt ſuppliciter rogādo,facilius impetret quod cupit:vel vt omnem cupiditatis inuidiā tollat. Fatetur ergo, quia nonniſi precariū hoſpitiū inter ipſos habet,ſibi nullū patere ſepulchrū,niſi eorū conceſſu. Quia autē viuo permiſerant

in ſua ditione habitare: humanitatis erat, ſepulchrum non negare mortuis. Si hic ſenſus arridet, tum ſibi ab humilitate fauorem conciliat Abraham: tum benignè ſecum à filiis Heth actum eſſe prædicans, ſtimulum illis ex laude addit, vt eadem qua cœperunt, liberalitate vti pergant. Alter quoque ſenſus non malè quadrat, quòd Abrahã, vt emptionis odium auertat, cupere ſe dicat, non in præſentis vitæ vſum, non ambitione, vel auaritia, ſed tantũ ne inſepulti iaceãt mortui. ac ſi diceret, Ego apud vos, ſicuti hactenus, verſari peregrinus non recuſo, non inhio veſtris prædiis vt propriũ aliquid poſſidẽs, de æqualitate vobiſcũ certẽ: mihi locũ habere ſufficit vbi ſepeliamur.

6 *Princeps Dei es tu in medio noſtri.* Offerunt Hethæi gratuitum ſepulchrum Abrahæ, vbicũque eligere placuerit. Teſtantur autem hoc ſe Abrahæ virtutibus dare. Iam antè vidimus, quicquid excellit, Diuinum Hebræis vocari. Ideo principem Dei hoc loco intellige eximium & ſingulari præſtãtia. Et meritò, quem propter virtutes colunt, hoc inſigniunt elogio: vt ſe Deo vni aſcribere teſtentur quicquid virtutũ in hominibus laude & reuerentia dignũ eſt. Iam aliquod pietatis ſemen in eo ſe profert, quòd honore dignãtur Abraham Hethæi, quem raris Spiritus Dei donis ornatum eſſe agnoſcũt. Profani enim & feri homines barbaro faſtu quamlibet præclara Dei dona, non ſecus ac margaritas porci, conculcant. Et tamen ſcimus quàm multis vitiis refertæ fuerint illæ gentes: quo fœdior eſt, magiſque pudenda noſtra ingratitudo, ſi Dei imaginẽ, dũ ante oculos noſtros fulget, nullo honore proſequimur. Sanctitas morum, Abrahæ fauorem cõciliat apud Hethæos, vt inter ſe eminere non moleſtè ferant. quæ igitur excuſatio nobis, ſi virtutes in quibus conſpicua eſt Dei maieſtas, minore in pretio habemus? Diabolicus verò eſt eorum furor, qui Dei gratias non deſpiciunt ſolùm, ſed etiam ferociter oppugnant.

7 *Et ſurrexit Abraham.* Recuſat oblatum beneficium ab Hethæis: quod eo conſilio factum quidam interpretantur, ne ſe in re tantula obnoxiũ redderet. Atqui potius hoc modo teſtari voluit nullam ſibi eſſe gratuitam ab incolis poſſeſſionem, qui Dei manu eiiciendi erant vt in eorum locum ſuccederet. ſemper enim omnes ſenſus habuit in Deum intẽtos, vt nudam eius promiſſionem, præſenti terræ dominio longè præferret. Modeſtiam quoque ſancti viri commendat Moſes, quum *ſurrexiſſe* dicit *vt adoraret populum terræ*. Quantum ad nomen adorationis pertinet, ſimpliciter pro reuerentia accipitur, quam quis declarat geniculatione, vel alio corporis geſtu. Eam porrò communiter tam hominibus, quàm Deo deferre licet, ſed diuerſo fine. mutuò homines coram hominibus, vel genu flectunt, vel caput incuruant, nempe politici honoris cauſa. Idem ſi religionis cauſa fiat, ſacrilegium eſt. Religio enim non alium, quàm vnius Dei, cultum admittit. Ac pueriliter nugantur qui in vocibus duliæ & latriæ fucum faciunt, quum Scriptura generaliter adorationẽ ad homines trãſferri prohibeat. Cæterùm nequis miretur Abraham tam ſuppliciter & ſubmiſſè agere, ſciendũ eſt id fuiſſe ex cõmuni more & vſu. Orientales enim immodicos fuiſſe in cæremoniis, notum eſt. Si Græcos vel Italos conferas nobiſcum, fumus illis parciores. Atqui Ariſtoteles quũ de Aſiaticis & aliis barbaris loquitur, vitiũ illud notat, quòd nimis multas habeant adorationes. Quare non eſt quod noſtris moribus metiamur hunc honorem, quem populo terræ exhibuit Abraham.

8 *Si eſt in animis veſtris.* Eos deprecatores conſtituit Abrahã apud Hephron, vt ſibi Duplicẽ ſpeluncam vendat. Quidam ſpeluncam ſic fuiſſe compoſitam putant, vt altera ſuperior fuerit, altera inferior. Liberum ſit cuique ſequi quod magis placuerit: ego tamen potius diuino, vnum fuiſſe aditum, ſed intus medio interſtitio diuiſam fuiſſe ſpeluncam. Hoc potius ad rem pertinet, quòd Abraham, iuſtum pretium offerens, æquitatem colit ac ſeruat. Quotuſquiſque reperitur qui in emptionibus & aliis negotiis, non ſuum cõmodum captet ex aliena iactura? Nã dum venditor duplo maiorem, quàm æquum eſt, indicaturam facit, vt quamplurimum ab emptore extorqueat: rurſus emptor, vẽditorem tergiuerſando ad vile pretium trahere conatur: nullus eſt licitandi finis. Quantumuis autem ſpecioſos habeat colores auaritia, facit tamen vt rectitudinis & iuſtitiæ hinc inde obliuiſcantur qui inter ſe contrahunt. Hoc etiam deinde notare operæ pretium eſt, quòd ſæpius edicit Abrahã ſe agrum emere in ſepulturæ vſum. Atque in ea re tam verboſus eſt Moſes, vt diſcamus cum patre noſtro Abraham, ad ſpem reſurrectionis mentes noſtras erigere. Dimidiam ſui partẽ ablatam eſſe videbat: ſed quia certus erat non exulare vxorem à regno Dei, mortuam in ſepulchro recondit, donec ſimul colligatur.

11 *Audi me.* Tametſi ſeriò inſtabat Hephron vt gratis Abrahæ agrum donaret, manet tamen ſanctus vir in ſuo propoſito, ac tandẽ eum precibus ſuis ad vẽditionẽ agri cogit. Dũ ſe excuſat Hephron, magis exiguum eſſe pretiũ dicit quàm vt contendere debeat Abrahã. quadringentis autẽ ſiclis æſtimat. Iam quũ Ioſephus ſiclũ valuiſſe dicat quatuor drachmas Atticas, ex ſuppu tatione Budæi colligimus, pretium agri fuiſſe circiter ducentas & quinquaginta libras Frãcicæ monetæ. Non tã ſcrupuloſus erat Abrahã quin recepturus fuerit maius aliquod donũ, niſi certa ratio obſtitiſſet. Amplis enim munerib⁹ tam à Rege AEgypti, quàm à Rege Gerar donatus fuit:

ſed regulam illam tenuit, Neque omnia,neque paſſim, neque ab omnibus ſumenda eſſe.Nuper autem expoſui agrum emiſſe,ne pedem terræ vllius hominis dono poſſideret.

16 Et *appendit Abraham.* Neſcio quid Hieronymo venerit in mentem, quum dicit literam vnam detractam eſſe ex nomine Hephron poſtquam Abrahæ precibus victus, pecuniam pro agro accepit.quia vendito ſepulchro,truncata fuit,vel imminuta eius virtus:nam & nomen Hephron vbique eodẽ modo ſcriptum legitur.Neque hoc ipſi Hephron imputari debuit in peccatum,quòd legitimũ fundi ſui pretiũ coactus accepit,quum liberaliter dare paratus foret.Siquid in ea re peccatum ſit,totam culpã ſuſtinet Abraham.Sed quis iuſtam venditionem damnare audeat in qua vtrinque religio,bona fides, & æquitas ſeruatur? Atqui ſepulchri reſpectu agrum emebat Abrahã. Sed an ideo gratis cedere debuit Hephron,ac ſepulchri prætextu, iure ſuo fraudari? Videmus ergo meras eſſe nugas. Canoniſtæ tamen,vt præpoſteri ſunt & inſulſi,temerè arrepto Hieronymi dicto,ſtatuerunt immane fore ſacrilegium,ſi vendantur ſepulchra.Interim tamen omnes ſacrifici Papales nundinationẽ iſtam ſecurè exercent:& quũ fateantur cœmeterium commune eſſe ſepulchrum, nullum effodi patiuntur niſi ſoluto pretio. *Argenteos tranſeuntes per mercatores.* Sic loquitur Moſes, quòd hic pecuniæ vſus,mutua ſit inter homines communicatio .Ea autem præcipuè verſatur in mercibus emendis & vendendis. Quòd autem in fine capitis dicit Moſes agrum ab Hethæis Abrahæ ſtabilitũ fuiſſe in poſſeſſionem: ſenſus eſt, emptionem fuiſſe publicè conſignatam.licet enim priuatus homo vẽderet,populus tamen interfuit ratúmque habuit quod à duobus contractum erat.

Cap. XXIIII.

1 ET Abrahã ſenex venerat in dies,& Dominus benedixit Abrahã in omnibus.
2 Et dixit Abrahám ad ſeruum ſuum ſeniorem domus ſuæ, qui præerat omnibus quæ erant ei,Pone nunc manum tuam ſub femore meo:
3 Et adiurabo te per Dominum Deum cæli, & Deum terræ,quòd nõ capies vxorem filio meo de filiabus Chenaanæi in cuius medio ego habito:
4 Sed ad terram meam,&ad cognationem meam perges,& capies vxorem filio meo Iſhác.
5 Et dixit ad eum ſeruus, Si forſitan noluerit mulier venire poſt me ad terram hanc,nunquid reducendo reducam filium tuum ad terram vnde egreſſus es?
6 Et dixit ad eum Abrahám,Caue tibi ne forte reducas filium meum illuc.
7 Dominus Deus cæli, qui tulit me è domo patris mei, & è terra cognationis meæ,& qui loquutus eſt mihi,& qui iurauit mihi dicendo,Semini tuo dabo terram hanc:ipſe mittet Angelum ſuum ante te,& capies vxorem filio meo inde.
8 Quòd ſi noluerit mulier pergere poſt te, mũdus eris ab adiuratione mea iſta: duntaxat filium meum ne reducas illuc.
9 Et poſuit ſeruus manum ſuam ſub femore Abrahám domini ſui, & iurauit ei ſuper re hac.
10 Et accepit ſeruus decem camelos è camelis domini ſui, & perrexit, & omne bonũ domini ſui erat in manu eius:& ſurrexit,& profect⁹ eſt in Arám naharáim,ad ciuitatem Nachór.
11 Et genu flectere fecit camelos extra ciuitatem ad puteum aquæ tempore veſpertino,tempore quo egrediuntur *mulieres* quæ hauriunt.
12 Et dixit, Domine Deus domini mei Abrahám,occurrere fac nunc coram me hodie,& fac miſericordiam cum domino meo Abrahám.
13 Ecce ego ſto iuxta fontem aquæ,&filiæ virorum ciuitatis egrediũtur ad hauriendam aquam.
14 Sit ergo,puella ad quã dixero,Inclina nunc hydriam tuam,& bibam:& dixerit,Bibe, & etiam camelis tuis potum dabo: ipſam præparaſti ſeruo tuo Iſhác: & per hoc ſciam quòd feceris miſericordiam cum domino meo.
15 Et fuit,antequam ipſe compleuiſſet loqui,ecce Ribcáh egrediebatur,quæ na

ta erat Bethuél filio Milcháh vxoris Nachór fratris Abrahám,&hydria eius erat ſuper humerum eius.

16 Et puella erat pulchra aſpectu valde,virgo,& vir non cognouerat eã:quæ deſcendit ad fontem,& impleuit hydriam ſuam,& aſcendit.

17 Et cucurrit ſeruus in occurſum eius,& dixit, Potum da mihi nunc parum aquæ de hydria tua.

18 Et dixit,Bibe domine mi.& feſtinauit,& demiſit hydriã ſuam ſuper manum ſuam,& potum dedit ei.

19 Et compleuit potum dare ei:&dixit,Etiam camelis tuis hauriam,donec compleuerint bibere.

20 Et feſtinauit,& effudit hydriam ſuam in canale,& cucurrit adhuc ad puteum vt hauriret:& hauſit omnibus camelis eius.

21 Et vir ſtupebat ſuper ea tacens, vt ſciret vtrum ſecundaſſet Dominus viam ſuam,annon.

22 Et fuit, quũ cõpleuiſſent cameli bibere,protulit vir inaurem aureã,ſemiſſis pondus eius: & duas armillas,*& poſuit* ſuper manus eius:decẽ aurei pondus earũ.

23 Et iam dixerat,Filia,cuius es? indica nunc mihi. nunquid eſt in domo patris tui locus nobis ad pernoctandum?

24 Et dixerat ad eum, Filia Bethuél ſum,filii Milcháh, quẽ peperit ipſi Nachor.

25 Et dixit ad eum, Etiam palea, etiam pabulum multum eſt nobiſcum,etiam locus ad pernoctandum.

26 Et inclinauit ſe vir,& incuruauit ſe Domino:

27 Et dixit,Benedictus Dominus Deus domini mei Abrahám, qui non dereliquit miſericordiam ſuam,& veritatem ſuam à domino meo. Ego in via, duxit me Dominus ad domum fratrum domini mei.

28 Et cucurrit puella,& nuntiauit domui matris ſuæ ſecundum verba hæc.

29 Et ipſi Ribcáh erat frater,&nomen eius Labán,& cucurrit Labán ad virũ foras ad fontem.

30 Fuit autẽ quũ vidiſſet inaurẽ & armillas in manibus ſororis ſuæ, & quum audiſſet ipſe verba Ribcáh ſororis ſuæ dicẽdo,Sic loquutus eſt ad me vir: venit ad virum,& ecce ſtabat iuxta camelos,iuxta fontem.

31 Et dixit,Ingredere benedicte Domini,vt quid manes foris? & ego paraui domum,& locum camelis.

32 Et venit vir ad domum,& ſoluit camelos, & dedit paleam & pabulum camelis,& aquam ad lauandum pedes eius,& pedes virorum qui erant ſecum.

33 Et poſitum eſt coram eo, vt comederet: & dixit, Non comedam, donec loquar verba mea.Et dixit,Loquere.

34 Dixit igitur,Seruus Abrahám ſum.

35 Et Dominus benedixit domino meo valde,& magnificatus eſt,& dedit ei pecudes & boues,& argẽtum,& aurum,& ſeruos,& ancillas,& camelos,& aſinos.

36 Et peperit Saráh vxor domini mei filium domino meo poſt ſenectutẽ ſuam, & dedit ei omnia quæ ſunt ei.

37 Et iurare fecit me dominus meus,dicendo,Non capies vxorem filio meo de filiabus Chenaanæi,in cuius terra ego habito:

38 Sed ad domum patris mei perges,& ad familiam meam,& capies vxorem filio meo.

39 Et dixi domino meo,Forſitan non perget mulier poſt me.
40 Et dixit ad me,Dominus in cuius conſpectu ambulaui,mittet Angelum ſuũ tecum,& ſecundabit viam tuam, & capies vxorem filio meo de familia mea, & de domo patris mei.
41 Tunc mundus eris ab adiuratione mea, ſi veneris ad familiam meam: & ſi nõ dederint tibi,eris mundus ab adiuratione mea.
42 Veni igitur hodie ad fontem,& dixi, Domine Deus domini mei Abrahám,ſi tu nunc ſecundas viam meam per quam ego ambulo,
43 Ecce ego ſto iuxta fontem aquæ,& ſit,virgo quæ egredietur ad hauriendum, & dixero ei,Da mihi potum nunc parum aquæ de hydria tua:
44 Et dixerit mihi, Etiam tu bibe, & etiam camelis tuis hauriã: ipſa *ſit* vxor quã præparauit Dominus filio domini mei.
45 Ego antequam complerem loqui in corde meo,ecce Ribcáh egrediebatur,& hydria eius erat ſuper humerum eius:& deſcendit ad fontem,& hauſit:& dixi ad eam,Da mihi potum nunc.
46 Et feſtinauit, & demiſit hydriam ſuam deſuper ſe, & dixit,Bibe, & etiam camelis tuis potum dabo:& bibi,& etiam camelis dedit potum.
47 Et interrogaui eam,& dixi,Filia,cuius es? Et dixit,Filia Bethuél filii Nachór quem peperit ei Milcháh. Et poſui inaurem ſuper nares eius , & armillas ſuper manus eius.
48 Et inclinaui me,incuruauíq; me Domino,&benedixi Domino Deo domini mei Abrahám,qui duxit me per viam veritatis, vt acciperẽ filiam fratris domini mei filio eius.
49 Et nunc ſi facitis miſericordiã & veritatem cũ domino meo, indicate mihi: & ſi non,indicate mihi,& vertam me ad dexteram,vel ad ſiniſtram.
50 Et reſponderunt Laban & Bethuél,& dixerunt,A Domino egreſſa eſt res:nõ poſſumus loqui ad te malum,vel bonum.
51 Ecce Ribcáh coram te,accipe, & vade: & ſit vxor filio domini tui,quẽadmodum loquutus eſt Dominus.
52 Et fuit,quãdo audiuit ſeruus Abrahám verba eorum, incuruauit ſe ſuper terram Domino.
53 Et protulit ſeruus vaſa argentea, & vaſa aurea, & veſtes, & dedit ipſi Ribcáh, & pretioſa dedit fratri eius,& matri eius.
54 Et comederunt,& biberunt,ipſe,& viri qui erant cum eo,&pernoctauerunt. Et ſurrexerunt mane:& dixit,Dimittite me *ut uadam* ad dominum meum.
55 Et dixit frater eius & mater eius , Maneat puella nobiſcum per dies vel decem,poſtea[a] ibis.
56 Et dixit ad eos,Ne retardetis me,& Dominus ſecũdauit viam meam: dimittite me,& ibo ad dominum meum.
57 Et dixerunt,Vocemus puellam,& interrogemus os eius.
58 Et vocauerunt Ribcáh , & dixerunt ad eam , Nunquid ibis cum viro iſto? Et dixit,Ibo.
59 Et dimiſerunt Ribcáb ſororem ſuam,& nutricem eius,& ſeruum Abrahám, & viros eius.
60 Et benedixerunt Ribcáh , & dixerunt ei , Soror noſtra es, ſis in millia decem millium:& hæreditet ſemen tuum portam odio habentium illud.

[a] *Vel ibit*

61 Et ſurrexit Ribcáh & puellæ eius,& aſcenderunt ſuper camelos,& perrexerũt poſt virum:& tulit ſeruus Ribcáh,& abiit.

62 Et Iſhác veniebat quâ venitur à Puteo viuentis videntis me : & ipſe habitabat in terra Meridiana.

63 Et egreſſus erat Iſhác ad orandum in agro,dum declinaret veſpera : & eleuauit oculos ſuos,& vidit,& ecce cameli veniebant.

64 Et eleuauit Ribcáh oculos ſuos,& vidit Iſhác,& proiecit ſe de camelo.

65 Iam autẽ dixerat ad ſeruũ, Quis eſt vir iſte qui ambulat per agrum in occurſum noſtrũ? Et dixit ſeruus, Ipſe eſt domin⁹ meus. & accepit velũ,& operuit ſe.

66 Et narrauit ſeruus ipſi Iſhác omnia quæ fecerat.

67 Et introduxit eã Iſhác in tabernaculũ Saráh matris ſuæ,& accepit Ribcáh,fuítque ei in vxorem,& dilexit eam :& conſolatus eſt ſe Iſhác poſt matrem ſuã.

1 *Et Abraham ſenex.* Trãſit Moſes ad narrãdũ matrimoniũ Iſaac:quòd ſcilicet Abrahá quũ ſe videret ſenio confectũ,filio proſpexerit,ne vxorẽ duceret in terra Chanaã. Nã hoc loco diſertè exprimit Moſes,Abrahã fuiſſe ſenẽ, vt ſciamus ipſa ætate fuiſſe admonitũ de quærẽda filio ſuo vxore. Nã ſenectus ipſa, quæ vtplurimũ nõ procul diſtat à morte,ad ordinandũ familiæ noſtræ ſtatũ inducere nos debet,vt nobis quoq; mortuis inter poſteros ſalua pax maneat,vigeat timor Domini, & ordo rectè cõpoſitus. Erat quidẽ viridis adhuc ſenectus Abrahæ, vt poſtea videbimus: ſed quum annos ſuos ſupputaret,maturè duxit conſulendũ eſſe filio ſuo. Profani homines partim quia nõ ſatis honorificè de cõiugio ſentiũt : partim quia nõ expẽdunt quantũ momenti fuit in cõiugio Iſaac:mirãtur in rebus tam minutis occupari Moſen,vel potius Dei Spiritũ. Verùm ſi adſit ea quæ debet in ſacris legẽdis religio , facile erit intelligere,nihil hîc eſſe ſuperfluũ. Nam quia vix ſibi perſuadẽt homines, Dei prouidentiã vſque ad coniugia extẽdi : tanto magis in hanc partẽ inſiſtit Moſes: præcipuè verò docere voluit Deum ſingulari cura domũ Abrahæ dignatum eſſe,quòd Eccleſia inde oritura eſſet. Sed præſtabit ſingula ordine ſuo digerere.

2 *Et dixit Abraham ad ſeruum ſuum ſeniorem.* Cõmune hîc quidẽ patrũ officiũ præſtat Abrahã,dũ laborat & ſolicitus eſt de eligẽda filio ſuo vxore. Sed aliquãto longius reſpicit: quia enim ſacro fœdere Deus ipſum à Chananæis diuiſerat,meritò timet ne Iſaac,affinitate cũ illis ſe implicãs, Dei iugũ excutiat. Putãt alii tantopere illi diſplicuiſſe prauos gentiũ illarũ mores,vt cenſuerit infœlix fore coniugiũ filii,ſi inde vxorẽ acciperet. Verùm peculiaris fuit illa quam dixi ratio, quòd genus ſuũ cũ Chananæis miſceri noluerit, quos ſciebat diuinitus iã eſſe exitio deuotos. Imò quũ illorũ interitu mittẽdus eſſet in terræ poſſeſſionẽ,iniunctũ ei diſſidiũ fuit quaſi cũ perpetuis hoſtibus. Et quanuis apud eos tranquillè habitauerit ad tẽpus,non tamẽ ſobolẽ potuit habere cum illis communẽ,quin confunderet quæ Dei mandato diſtincta erant. Ergo integer hac in ſeparatione manere voluit, & ſuos ſeruare integros. *Pone manum tuam.* Satis conſtat ſolennem fuiſſe iuriſiurandi ritũ: ſed an primus eum induxerit Abrahã,an verò à patribus acceperit,neſcitur. Plerique ex Iudæis Abraham fuiſſe authorẽ tradũt: quia eorũ iudicio,tantundẽ valebat hæc cæremonia,acſi ſeruus per ſanctitatẽ Diuini fœderis iuraſſet:quia in ea corporis parte erat circũciſio. Chriſtiani verò ſcriptores manũ femori impoſitam iudicant,in honorem benedicti ſeminis:fieri tamen poteſt vt aliud ſpectauerint primi illi patres. Et ſunt ex Iudæis qui aſſerũt fuiſſe hoc ſubiectionis ſymbolũ,quũ ſuper femur Domini ſeruus iuraret. Eſt quidẽ illud magis plauſibile,hoc modo iuraſſe veteres per Chriſtũ: ſed quia nõ libẽter incertas diuinationes ſequor,rẽ in medio relinquo. Quanquã mihi ſimplicius hoc poſtremũ videtur,quòd ſerui dũ ſe fideles dominis fore iurabãt,ſubiectionẽ hac cæremonia teſtari ſoliti fuerint,præſertim quũ dicãt in quibuſdam Oriẽtis partibus adhuc ſeruari hunc morẽ. Profanum quidẽ ritum non fuiſſe,qui Dei gloriæ quicquam detraheret,inde colligimus,quòd interponitur Dei nomen. Manum quidem admouet ſeruus ad femur Abrahæ: ſed hîc ſeruum adiurat per Deum cæli & terræ creatorẽ. atque hæc ſancta eſt iurãdi regula, quũ Deus teſtis inuocatur & iudex. neque enim aliò tranſferri poteſt hîc honor ſine Dei cõtumelia. Porrò docemur exẽplo Abrahæ,nõ peccare eos qui iuſiurandũ legitima de cauſa exigũt. Neq; enim hoc inter Abrahæ vitia narratur,ſed in maximã ei⁹ laudẽ: negotiũ verò fuiſſe maximè ſerium prius oſtẽdi,nẽpe vt in poſteris ratũ eſſet Dei fœdus. iam quàm ſolicitè adhibito iureiurando caueret,iuſtis rationibus impulſus fuit. Ea proculdubio indoles,imò virtus relucebat in Iſaac,& præter diuitias iis animi & corporis dotibus pollebat,vt multi eius affinitatẽ cupidè appeterẽt. Timet igitur pater ne poſt mortẽ ſuam illum ſuis blanditiis captẽt terræ incolæ. Iam vt fortiter reſiſtat blanditiis,quarũ laqueos pauci effugiunt iuuenes, pudore tamen & metu offenſionis vinci poſſe cogitat . Iis & ſimilibus periculis occur-

rere voluit ſanctus vir, quum iureiurando interpoſito ſerui ſui fidem obſtrinxit: & fieri poteſt vt eum impulerit occulta aliqua neceſſitas.

3 *Quòd non accipies uxorẽ.* Hinc apparet qualis diſciplina floruerit in domo Abrahæ. Tametſi hic ſeruus erat: quia tamẽ à patrefamiliâs præfectus erat, nõ obſtitit illi ſua cõditio quin ſecũda à domino illi poteſtas eſſet, vt ipſe quoque Iſaac hæres ac ſucceſſor, eius imperio ſe ſubmitteret. Tantum valuit Abrahæ authoritas & reuerentia, vt ſeruum ſuo loco ſubſtituens: ſolo nutu aut verbo, ius quod ſibi ægrè retinent alii patreſſamiliâs, illi acquireret. Perſpicitur etiam modeſtia Iſaac, qui ſe à ſeruo regi paſſus eſt. fruſtrà enim cum ſeruo tranſigeret Abraham, niſi filium ſuũ obſequentẽ & morigerum fore perſuaſus eſſet. Patet igitur quàm reuerenter patrẽ coluerit: quia hic eius obedientia confiſus, famulum ſecurè aduocat. Iam hoc exemplum cõmunis regulæ inſtar nobis eſſe debet, non licere filiiſſamiliâs matrimonium contrahere, niſi ex parentum arbitrio: & certè hoc dictat naturæ æquitas, vt in re tanta, filii à parentum voluntate pendeant. quo magis deteſtanda eſt Papæ barbaries, qui ſacrum hoc vinculum abrumpere auſus eſt. Quare cohibenda eſt iuuenum laſciuia, ne patribus inconſultis, temerè ad nuptias conuolent.

4 *Sed ad terram meam, & ad cognationem.* Videtur in loco eligendo, hoc ſequutus eſſe Abraham, quòd libẽtius inde vẽtura erat vxor filio, quæ gẽtili, vel cõterraneo nuberet. Quia autẽ poſtea ſequitur ſeruũ veniſſe in Padã Aram: hinc quidã colligũt Meſopotamiã fuiſſe patriam Abrahæ: ſed facilis eſſet huius nodi ſolutio. Scimus Meſopotamiã nõ modò eam regionẽ fuiſſe quæ inter Tigrin & Euphratẽ cõtinebatur: ſed Chaldæam quoque partẽ ſub ſe comprehendiſſe. nã Babylõ ſæpe à profanis ſcriptoribus in ea locatur. Hebraicũ nomen tantundẽ valet ac Syria fluuiatilis. Aram vocant Syriam, quæ nõ procul à Iudæa incipiẽs, Armeniam, & alias amplas regiones latè cõplexa, ferè ad Euxinũ põtum extẽditur. Quũ autẽ terras propriè deſignãt quas alluũt, vel præterfluunt Tigris & Euphrates, addũt nomen Padã. Scimus enim Moſen non ſubtiliter, ſed plebeio ſtylo loquutũ eſſe. Verùm quia poſtea cap. 29. a. 4, referet Moſes Charris habitaſſe Laban filium Nahor: mihi veriſimile eſt, hunc qui in Chaldæa ſubſtiterat, quia moleſtum foret relinquẽre natale ſolum, ſucceſſu temporis animũ mutaſſe: vel quia eum cogebat pietas adeſſe patri iam decrepito & caduco: vel quia commodam illic non minus quàm in patria, habitationem eſſe audierat. Certè non ſimul migraſſe, ex capite vndecimo notum eſt.

5 *Et dixit ad eum ſeruus.* Quòd de Iſaac nihil obiicit, coniicere licet ſic de eius probitate fuiſſe perſuaſum, vt patri morigerum fore nõ dubitet. Laudanda autem eſt eius religio, quòd non temerè ad iurandum proſilit: fidei & diligentiæ quæ ex officio eius erant, fidem iureiurando interpoſito facere licuit. Sed quia ab aliorum voluntate pendebat negotii cõfectio, hanc exceptionem meritò & prudenter adducit, Quid ſi puella nolit ſequi?

6 *Ne fortè reducas filiũ meũ illuc.* Si fortè ex voto nõ reperietur vxor, eius rei euẽtũ Domino cõmẽdãs Abrahã, quod præcipuũ eſt mordicus retinet, ne filius Iſaac in patriã redeat: quia hoc modo ſe promiſſa hæreditate priuaſſet. Maluit igitur ſub ſpe inquilinũ verſari in terra Chanaã, quàm inter cognatos in ſolo natali quieſcere. Atq; ita videm⁹ in rebus perplexis & cõfuſis nulla curarũ agitatione abductũ à Dei mãdato fuiſſe animũ ſancti viri. Ac nos eius exẽplo monemur, per quæuis obſtacula ſequendum eſſe Deum. Poſtea tamẽ declarat ſe melius ſperare. Quibus verbis confirmat ſpem ſerui ſui, vt eo alacrius proſperum euentũ animo præſumẽs, ad iter ſe accingat.

7 *Dominus Deus cæli.* Duplici argumẽto colligit proſperè ceſſurũ per Dei gratiã quod de filii cõiugio deliberat. Primùm, quia Deus nõ fruſtrà ipſum è patria in alienã terrã adduxerit: deinde quia non falſò pollicitus fuerit terrã in qua peregrinus habitat, daturũ eius ſemini. Meritò autẽ cõfidere potuit talẽ fore cõſilio ſuo exitũ, quod nõniſi Deo authore, & quaſi eius auſpiciis ſuſceperat. Sol⁹ enim Dei intuitus, ei⁹ animũ auertit à filiab⁹ Chanaã. Videtur tamẽ parũ ſcitè colligere, Deũ vxorẽ daturũ filio ex patria & cognatione cui vale dixit. Sed quia nõniſi authore Deo cognatos reliquit, eorũ animos flexurũ ſperat vt propitii ſint ac fauẽtes. Interea ex præteritis Dei beneficiis ſtatuit ſibi in præſenti negotio manũ ei⁹ nõ defore: acſi diceret, Ego qui Dei mãdato patriã reliqui, & cui⁹ cõtinuũ auxiliũ ſũ expertus in mea peregrinatione, nõ dubito eũdẽ fore itineris tui gubernatorẽ: quia eius promiſſione fret⁹ hoc tibi mãdatũ iniũgo. Modũ iuuadi deſignat, quòd Deus Angelũ miſſurus ſit: quia ſciebat Angelorũ opera ſuis opẽ ferre: idque iã multis documentis cognouerat. Deum cæli vocando, celebrat eius potentiam, quæ fiduciæ materiam dabat.

10 *Et accipit ſeruus decẽ camelos.* Camelos ſecũ deducit, qui teſtẽtur Abrahã hominẽ eſſe diuitẽ & copioſũ, vt facilius impetret quod cupit. Neque enim ingenua puella facilè paſſa foret in lõginquã regionẽ ſe abſtrahi, niſi cõmoda vitæ ratione propoſita. Ipſum per ſe exiliũ ſatis triſte eſt, vt paupertas comes nõ accedat. Ergo ne metu inopiæ abſterreatur puella, quin potius eã liberalis cõditio inuitet, camelos decem muneribus onerat, vt reipſa probet in Chaldæa domeſticam Abrahæ opulentiam. Quod ſequitur, *omnem Abrahæ ſubſtantiam fuiſſe in manu ſerui*: quidam ex Hebræis malè exponunt, ſeruũ in tabulis deſcriptas & cõſignatas omnes Abrahæ copias ſecũ tuliſſe. Eſt enim

cauſæ redditio,necui minus probabile videatur ſeruũ ſibi ſumpſiſſe tãtum poteſtatis. Ergo quia dixerat Moſes ſeruũ hominẽ cũ tã lauto & ſplẽdido apparatu iter fuiſſe ingreſſum,mox ſubiicit in eius arbitrio id fuiſſe,quòd totam Abrahæ ſubſtantiam in manu haberet.Quũ dicit veniſſe in vrbẽ Nachor:neque vrbis nomẽ exprimit,nec partẽ Chaldææ, vel alterius regionis vbi habitabat:ſed tantùm dicit generaliter veniſſe in Syriam fluuiorum: de qua voce aliquid ſuprà attigi.

12 *Domine Deus domini mei.* Seruus cõſilio deſtitutus,ad preces ſe cõfert.Neque tamen ſimpliciter petit cõſiliũ à Domino:ſed puellã quã deſtinauit vxorẽ Iſaac,ſibi offerri cũ certa nota,vnde colligat ſibi diuinitus oblatã eſſe. Quòd in re tã cõfuſa nõ ſtupet quaſi attonitus,ſed in preces collecto animo erũpit,pietatis & fidei ſignũ eſt.Sed diuinatio qua vtitur, cũ vera orãdi regula nõ ſatis videtur cõgruere.Primũ ſcimus neminẽ ritè precari,niſi qui vota ſua Deo ſubiicit.Quare nihil minus cõſentaneũ,quàm noſtro arbitratu quidquã Deo præſcribere. Vbi igitur ſerui religio qui pro ſuo deſiderio legẽ Deo imponit?Deinde nihil in precib⁹ noſtris ambiguũ eſſe debet: certitudo autẽ nõniſi ex verbo petenda.Iã quũ ſibi diuinationẽ fingat ſeruus, videtur perperã à legitima orãdi modeſtia diſcedere. quũ enim eũ deficiat promiſſio,de re tota nihilomin⁹ fieri cert⁹ cupit. Atqui Deus votũ eius exaudiẽs,ipſo euẽtu demõſtrat ſibi gratũ fuiſſe.Itaq; ſciẽdũ eſt,quãuis ſpecialis promiſſio in prõptu nõ extaret, ſeruum tamẽ nõ temerè, nec pro carnis libidine ſic fuiſſe precatũ, ſed arcano Spirit⁹ inſtinctu. Neque enim obſtat lex cõmunis, qua deuincti ſunt omnes pii,quin Dominus vbi aliquid extraordinariũ dare cõſtituit,illuc quoq; ſeruos ſuos impellat:nõ quòd eos abducat à verbo ſuo,ſed tãtùm quia in forma orandi ſingulare aliquid cõcedit. Sũma autẽ eſt,Domine ſi occurret puella quæ rogata vt potũ mihi præbeat,etiã benignè & comiter offerat camelis meis,hãc ego petã vxorẽ domino meo Iſaac,acſi mihi abs te de manu in manum tradita foret. Videtur quidẽ dubiã cõiecturã arripere:ſed quia in Dei prouidẽtiam recũbit, certò perſuaſus eſt ſibi indiciũ illud inſtar oraculi fore:quia De⁹ quẽ habet expeditionis ſuæ præſidẽ,eũ errare nõ ſinet.Interim hoc notatu dignũ,quòd ſignũ notitiæ nõ procul accerſit,ſed ex re præſenti ſumit.Nam quæ ignoto hoſpiti tã humana erit, ſuo officio ſpecimẽ dabit probæ naturæ.Hoc ideò obſeruare cõuenit,ne curioſi homines hoc exẽplũ ad vana præſagia trahãt. In verbis hæc notãda ſunt,Deũ heri ſui Abrahæ cõpellat:nõ quòd ipſe ab eius cultu ſit alien⁹,ſed quia res de qua agitur,à promiſſione Abrahæ data pẽdet.Nec ſanè illi orandi aliũde fiducia,quàm ex fœdere quod Deus pepigerat cũ Abrahæ domo. *Occurrere fac nunc.* Hieronymus vertit,Occurre: ſed verbũ eſt tranſitiuũ,quo ſignificat Abrahæ ſeruus ſic Dei cõſilio & manu diſponi hominum negotia,vt non ſint fortuiti rerum euentus : acſi diceret,Domine fruſtrà huc & illuc circunſpiciam,fruſtrà meo labore,induſtria,& variis artibus ſucceſſum captabo,niſi tu negotium dirigas. Quum verò continuo pòſt ſubiicit, *Fac miſericordiam cum ſeruo tuo,* ſignificat non alio ſe iure fretum hoc audere,niſi quia Deus gratiam ſuam Abrahæ pollicitus fuerat.

15 *Antequam ipſe compleuiſſet loqui.* Cõtextus Moſis ſatis demõſtrat nõ ſtultè conceptũ fuiſſe votũ. Ipſa etiã celeritas rarã Dei indulgẽtiam oſtẽdit,quòd hominẽ nõ patitur Deus diu cũ anxietate luctari.Domo quidẽ prius exierat Rebecca,quàm ille precari inciperet:ſed tenẽdũ eſt,Dominũ penes quẽ & tẽporũ momẽta ſunt,&hominũ greſſus,ſic vtrinque tẽperaſſe omnia,vt prouidẽtiã ſuã clarè teſtatã faceret. nã interdũ noſtra deſideria lõgi⁹ ſuſpẽdit,vt precãdo fatigati,videamur tamẽ operã luſiſſe. Sed in hoc negotio ne obſcura eſſet ſua benedictio,repẽtè affulſit. Idem & Danieli cõtigit,cui ãte finẽ precationis apparuit Angel⁹. Tametſi autẽ noſtra ſegnitia ſæpe cõtingit vt Dominus ad præſtandũ ſit tardior, ſæpe tamẽ differri expedit quod petimus. Interim certis exẽplis palàm & cõſpicuè probauit,quãuis nõ ſtatim reſpõdeat euẽtus,nunquã tamẽ irritas eſſe ſuorum preces:imò ſemper illud impleri,Antequam clament,ſibi curæ eſſe eorum neceſſitates.

Dan.9.f.21

Iſa.65.d.24

21 *Et vir ſtupebat ſuper eã tacẽs.* Admiratio hæc ſerui Abrahæ,oſtẽdit fuiſſe animi dubiũ. Secũ tacit⁹ explorat an iter ſuũ Deus fortunauerit.Nihildũ igitur habet certi de illa Dei gubernatione, cuius ſymbolũ,vel teſſerã ſibi ipſe ſumpſerat?Reſpõdeo,nũquam ita numeris omnibus abſolutam eſſe in ſanctis fidẽ,quin multæ dubitationes occurrant.Nihil igitur abſurdi,ſi ſeruus Abrahæ in genere,Dei prouidẽtiæ ſe cõmittẽs,inter multas cogitationes alternet atque æſtuet. Deinde fides quanuis pacatos & quietos reddat piorũ animos , vt patienter Deum expectent , non excutit tamen illis omnem curam:quia neceſſe eſt patientiam ipſam ſolicita expectatione exerceri,donec compleat Dominus quod promiſit. Cæterùm quanuis hæſitatio iſta ſerui Abrahæ,vitio nõ careat,quia manat à fidei infirmitate : ideò tamen excuſabilis eſt , quòd non aliò deflectit oculos, ſed tantùm ab euentu confirmationem petit,vt ſibi Deum adfuiſſe ſentiat.

22 *Protulit ur inaurem.* Quòd pretioſis monilibus ornat puellã,fiduciæ ſignũ eſt.Nã quũ multis documẽtis conſtet probũ & frugi miniſtrum fuiſſe, non proiiceret ſine delectu opes domini ſui. Scit igitur non malè collocari munera illa: vel ſaltem bonitate Dei fretus,quaſi futuri coniugii arrham,fideliter diſpenſat. Sed quæritur,an Deo probentur eiuſmodi ornamenta,quæ non tam ad munditiem, quàm ad põpam ſpectant. Reſpondeo,nõ ſemper referri in Scripturis quæ imi-

tarì conueniat. Quicquid generaliter præcipit Dominus, pro inflexibili regula habendum eſt. Particularibus quidem exemplis inniti, non modò periculoſum eſt, ſed etiam ineptum & abſurdum. Iam in cultu corporis quantopere Deo non faſtus tantùm, vel ambitio, ſed omnis luxuries diſpliceat, ſcimus. Vt abſit interior cordis cupiditas, damnat immodicum & ſuperfluum nitorem, qui in ſe multorum vitiorum continet illecebras. Iam verò vbi pura cordis ſyncerítas in ſplendido ornatu reperietur? Raræ certè hoc eſſe virtutis omnes agnoſcunt. Noſtrũ quidem non eſt, præciſè quolibet ornatu interdicere. quia tamen praua aliqua vanitate corruptum eſt quicquid frugalem vſum excedit: præſertim verò, quia hac in parte inexplebilis eſt mulierum cupiditas: nõ tantùm mediocritas colenda eſt, ſed etiam abſtinentia, quoad fieri poteſt. Et clanculum obrepit ambitio, vt ornatus paulò nitidior mox in ἀπληξίαν ebulliat. Quantum ad inaures & armillas Rebeccæ ſpectat, ſicuti non dubito tunc in vſu fuiſſe apud diuites, ita ferebat ſeculi integritas, vt parcè & frugaliter illis vterentur. & tamen vitium non excuſo. Nos quidem nihil iuuat exemplum, vel ſubleuat, ſi prauas libidines quas etiam ſublatis fomentis reſtinguere pluſquam difficile eſt, titillamus, & magis accendimus: quæ auro fulgere appetunt mulieres, corruptelæ ſuæ prætextum quærunt in Rebecca. Cur nõ igitur ad auſterum illud vitæ genus, & ruſticum laborem ſe perinde conformant? Sed quemadmodum iam dixi, falluntur qui Sanctorum exempla contra communem Dei Legem ſibi poſſe ſuffragari putant. Siquis obiiciat, hoc ab honeſtæ, caſtæque puellæ verecundia abhorrere, quòd ab homine extraneo, & nunquam prius viſo inaures, & armillas recepit: Primùm fieri poteſt vt multos ſermones Moſes prætereat vltrò citróque habitos, quibus adductam fuiſſe probabile eſt vt recipere auderet. Poteſt etiam fieri vt priore loco narret quod ordine erat poſterius. Sequitur enim paulo pòſt in contextu, ſeruum Abrahæ ſciſcitatum, *cuiuſnam eſſet filia*. Simul reputanda nobis eſt ſeculi illius integritas. Vnde fit vt puellam vrbe ſolam egredi probroſum non eſſet, niſi quòd tunc mores hominum nõ adeò ſeueram pudicitiæ cuſtodiam requirebant? Ex contextu quidem apparet, ornatum illi non turpis lenocinii cauſa datũ eſſe: ſed quẽ parentibus proferret, quo facilior ad ſponſalia eſſet ingreſſus. De pretio non conſentiunt interpretes. Inaures æſtimat Moſes dimidio ſiclo, armillas decem ſiclis. Hieronymus pro dimidio poſuit duos ſiclos. Ego genuinum ſenſum eſſe exiſtimo, quòd armillæ decẽ ſiclos valuerint: frontale verò vel inaures dimidium, hoc eſt quinque ſiclos. Nã quum nihil poſt vocem ῥῆμα adiungatur, relatio eſt ad maiorem numerum. Alioquin minimè concinna eſſet proportio inter armillas & ornatum capitis. Porrò ſi pro quatuor Atticis drachmis ſiclum accipimus, leue pretium erit. Itaque pondus auri notari puto, quod multò maiorem ſummam conficeret, quàm nummus.

26 *Et inclinauit ſe uir.* Quum audit ſeruus Abrahæ ſe incidiſſe in filiam Bathuelis, magis ac magis in ſpem bonam erigitur. Neque tamen, vt profani homines ſolent, tanquam occurſu fortuito gaudet: ſed Deo gratias agit, eius prouidentiæ acceptum ferens quòd rectà fuerit tam opportunè deductus quò volebat. Non ergo iactat ſecundam fortunam: ſed Deum prædicat clemẽter, & fideliter egiſſe cum Abraham: hoc eſt miſericordiæ ſuæ cauſa, veracem in promiſſis adimplendis fuiſſe. Trãſfertur quidem ad homines locutio: ſicuti paulo pòſt verſu 49, in hoc eodẽ capite ſequitur, *ſi facturi eſtis miſericordiam, & ueritatem cum domino meo Abraham, indicate mihi*. Propriè tamen in Deum competit, quòd gratuitò faueat hominibus, ideóque propenſus ſit ad beneficentiam. deinde, quòd eorum ſpem nunquam fruſtrando, fidum ſe ac veracem probet. Docet igitur hæc gratiarum actio, ſemper ante oculos habẽdam eſſe Dei prouidentiam, vt illi tribuamus quicquid nobis proſperè ſuccedit. *Nuntiauit in domum matris*. Fieri poteſt vt ſeorſum habitauerit mater Rebeccæ. nõ quòd diuiſam haberet familiam à marito: ſed vt filias, & ancillas ſub cuſtodia ſua haberet. Simplicius etiam exponere licet, rectà veniſſe in cubiculum matris, quia liberius illi quàm patri rem geſtam narrare poterat. Probabile autem eſt, quũ vxoris relatu factus certior eſſet Bathuel, vtriúſque iuſſu miſſum fuiſſe filiũ Laban qui hoſpitẽ adduceret. Reliqua expoſitione nõ indigẽt.

33 *Non comedam donec.* Incipit Moſes oſtendere qualiter adducti fuerint parentes Rebeccæ, vt eam nepoti ſuo darent in vxorem. Quòd ſeruus appoſito cibo veſci recuſat niſi re confecta, in eo perſpicitur ſedulitas eius, & fides. atque hoc inter beneficia quibus Deus ſeruum ſuum Abraham dignatus eſt, meritò cenſebitur, quòd ſeruum tam fidelem & officio intẽtum habuerit. Cæterùm quum ſanctæ diſciplinæ hæc fuerit merces, ne miremur pauciſſimos tales inueniri, quando tam malè paſſim reguntur. Porrò tametſi videtur ſuperuacuũ texere ſermonem: nihil tamen eſt quod non ad præſentem cauſam valeat. Sciebat hunc affectum ingenitum eſſe parentibus à natura, vt non libenter filias ſuas procul amandent. Primùm igitur commemorat Abrahæ diuitias, ne dubitent viro locupleti filiã locare. Deinde exponit, Iſaac genitum fuiſſe ex matre vetula: non tantũ vt ſciant inſigni Dei miraculo fuiſſe patri donatum, vnde coniicere licebat diuinitus ad res magnas, & præclaras eſſe ordinatum: ſed vt ab ætate accedat commendatio. Tertiò, affirmat, Iſaac vnicum fore patris hæredem. Quartò, refert ſe iureiurando adactum eſſe vt quæreret hero ſuo

Isaac vxorem è cognatione sua. Hoc autem studium Abrahæ ad eos mouẽdos valde efficax erat. Quintò,refert Abrahã sperasse Deum fore itineris ducem, vt omnia illi sua negotia cõmittebat. Sextò,in quam formam precatus sit Deum recitat. Septimò, testatur quicquid sua precatione cõplexus erat,se à Domino impetrasse:vt appareat cõiugium istud, de quo acturus est,placere Deo. Nunc videmus narrationis finem esse,vt Rebeccæ parentibus persuadeat neque fallendi causa se fuisse missum:nec se astutè, vel obliquis artibus quicquã egisse: sed in timore Domini, vt postulat coniugii religio. Deinde nihil se petere quod non illis vtile sit,& honorificũ. Denique, Deum fuisse totius rei moderatorem. Porrò quòd seruus Abrahæ Angelũ Dei sibi expeditionis ducem fore persuasus,neque preces ad illũ conuertit,neque gratiarũ actionẽ:hinc discamus,Angelos nõ ideo nobis constitui benedictionũ Dei ministros vt à nobis inuocentur,vel Dei cultũ in se trãsferant:quemadmodũ hæc superstitio ferè in toto mundo grassatur ,vt homines ab vnico bonorũ omnium fonte ad riuulos partẽ fiduciæ suæ deriuent. Particulam illam, *Deus in cuius conspectu ambulaui*, quanuis alii ad probitatem, & bonam conscientiã Abrahæ referant: ego potius de fiducia interpretor, quòd scilicet Deum sibi proposuerit vitæ gubernatorẽ, séque illi curæ esse confisus, ab eius gratia pependerit. *Si facitis misericordiam.* Nuper dixi quid valeat hæc locutio,nempe humanitatem præstare,& bona fide agere.Ita modestè & suppliciter rogat,vt in coniugiũ Isaac, & Rebeccæ consentiant.Si repulsam ab illis passus fuerit,iturũ dicit se vel ad dextrã, vel ad sinistrã, hoc est alibi sibi prospecturũ. Dextrã enim & sinistrã,rectæ viæ opponit qua deductus ad ipsos fuerat.Futilis autẽ argutia quam adducunt quidã Hebræi,quòd iturus sit ad Lot,vel ad Ismael.

50 A Domino egressa est res. Quia ex hominis sermone persuasi sunt Deum huius esse coniugii authorem, negant sibi fas esse quicquam disceptandi causa loqui . Dicunt autem à Domino rem egressam : quia voluntatem suam claris signis patefecerat. Hinc perspicimus,quanuis partim suffocata esset vera religio,partim vitiosis erroribus infecta,nunquam tamẽ ita penitus extinctum fuisse Dei metum quin staret hoc axioma,& omniũ animis infixum maneret, Deo parendum esse.Quòd si miseri idololatræ,qui ferè à pietate desciuerant,se Deo subiecerunt,quòd ab eius nutu deflectere nefas esset: quanto nos ad obsequium promptiores esse conuenit? Ergo simulac comperta nobis est Dei volũtas,non tantùm sileant linguæ,sed omnes sensus quiescãt: quia sacrilega audacia est vllam cogitationem quæ repugnet,admittere. *Adorauit.* Iterum repetit Moses,seruum Abrahæ gratias egisse Deo : nec abs re hoc pietatis officium toties inculcat: quia quum nihil magis requirat à nobis Deus, plusquam fœda ignauia in hac parte se prodit. Agnitio beneficiorum Dei, sacrificium est optimi odoris : imò cultus omnibus sacrificiis præstantior. Innumeris assiduè beneficiis cumulantur homines à Deo.Ergo minimè ferenda est ingratitudo,nisi se in illis celebrandis exerceant.

54 *Et surrexerunt mane.* In hoc sermone accuratius insistit Moses , partim vt fidele serui studium in explendis domini mandatis commendet : partim vt doceat,eius animum Dei Spiritu fuisse accensum. sic enim ardet , vt nullas inducias aliis,nec sibi vllam relaxationem concedat. Tametsi ita se gessit vt probum & frugi seruum decebat: non tamen dubium est quin eum Dominus impulerit in gratiam Isaac.Sic Dominus pro suis dormientibus excubat, absentium negotia expedit ac conficit:omnes affectus quoad expedit,flectit ad eos iuuandos.Quòd dies decẽ, quibus discessum Rebeccæ differri postulant Laban & mater , quidam accipiunt pro annis , vel mensibus, nimis coactum est. Fuit enim muliebre votum matris, quia ægrè ferebat protinus è sinu suo puellam abduci.

57 *Vocemus puellam.* Quum simpliciter filiam suam prius desponderit Bathuel,nunc parum constanter manere videtur in proposito . Verùm quòd prius sine exceptione filiã suam obtulerunt,intelligi debet,quantũ in ipsis erat. Nunc verò docet Moses eos tyrannidem nõ exercuisse in filiam,vt inuitam extruderẽt,vel cogerent nubere cui nollet:sed liberum ei consensum detulisse. Sacra quidẽ in hoc negotio parentibus authoritas esse debet:sed tenenda est media ratio, vt sponte,ac mutuo consensu inter se cõtrahãt partes.Quòd tam præcisè respõdet Rebecca,nõ ita accipere cõuenit,acsi domũ paternã contẽneret,vel procax iuuẽcula maritũ nimis cupidè appeteret:sed quia rem patris authoritate,& matris cõsensu transactã esse videt,ipsa quoque annuit.

59 *Et dimiserunt Ribcah puellam.* Primò refert Moses honestè dimissam fuisse Rebeccam: quia adiunctæ illi fuit nutrix. Porrò mihi dubiũ nõ est quin nutrices habuerint domesticas quæ ancillæ erant:nõ quòd matres prorsus ab officio cessarẽt, sed quòd educationis curam mandarent vni certæ ancillæ.Dictæ igitur sunt nutrices quæ matres subsidiaria opera iuuabãt. Postea subiicit, *cognatos illi benedixisse.* quo verbo significat precatos illi esse fœlicem statum. Scimus solennem omnibus seculis,ac gentibus hunc fuisse ritum, vt faustis ominibus coniugia prosequi solerẽt. Tametsi autẽ multũ degenerauit posteritas à pura & genuina patrũ ratione: voluit tamẽ Deus publicũ aliquod extare testimoniũ,quo admonerẽtur homines non esse legitimas nuptias,

nisi quæ ritè consecratæ forent. Iam benedictionis formam, quæ hîc refertur, in communi vsu fuisse probabile est: quia natura dictat, propagationem sobolis esse proprium coniugii finem. Et sub victoria comprehenditur fœlix vitæ status. Dominus tamen eorum linguas direxit ad vaticinium quod ipsis ignotum erat. *Portas hostium possidere*, significat imperio potiri: quia in portis exercebantur iudicia, & in illis propugnacula vrbium erant.

63 *Et egressus erat Isaac*. Apparet Isaac seorsum à patre habitasse: vel quòd nimis copiosa erat familia: vel quòd ita ferebat vsus. Et fortè iam aliam vxorē induxerat Abraham: vt fugiendis iurgiis visum fuerit commodius, illum vti proprio domicilio. Sic magnæ opes suis molestiis permixtæ sunt. Certè inter terrenas Dei benedictiones nulla fuisset Abrahæ dulcior, quàm simul agere cum filio. Eius quidem consuetudine, & vsu priuatum fuisse minimè arbitror. Nā qua pietate fuit Isaac, omnibus proculdubio officiis erga patrē defungi studuit. hoc tantùm defuit, quòd non eodem vsi sunt domicilio. Narrat autem Moses quomodo factum sit, vt Isaac incideret in vxorem, priusquam illa domum veniret. Dicit enim sub vesperam egressum esse meditandi, vel orandi causa. Vtroque enim modo verbum Hebraicum שוח exponi potest. Credibile est fecisse id ex more, & secessum precibus fuisse quæsitum, quo mens omnibus auocamentis soluta, liberius Deo vacaret. Siue autem meditationi, siue precibus dare operam voluerit, Dominus læto isto occursu præsentiæ suæ signum illi dedit.

64 *Et eleuauit Rebeca oculos suos*. Coniicere facilè licet, Isaac conspectis camelis in eam partem flexisse iter, visendæ sponsæ desiderio. hinc data fuit scisciādi occasio Rebeccæ. Audito verò respōso, mox honoris causa ex camelo desiliit, vt sponsum salutaret. Nā quòd metu perculsam decidisse quidam putant, nullo modo conuenit. Longius iter confecerat, quàm vt debuerit multis comitibus protecta, tantopere expauescere ad vnius hominis conspectum. Fallūtur autem interpretes illi, quia in verbis Mosis nō expēdunt rationē postea reddi: vt sit sensus, Rebecca quū vidisset Isaac, descendit ex camelo: quia ex seruo quæsierat quisnam esset: ille autem dixerat esse filium domini sui. Neque enim de quolibet homine obuio scisciтari in mentem veniisset: sed quia iam admonita fuerat non procul abesse domum Abrahæ, vnum saltem quempiam ex domesticis esse suspicatur. Dicit etiam Moses velum sumpsisse: quod pudoris, & pudicitiæ signum fuit. Nā & inde nubendi verbum deductum est, quòd sponsas maritis velatas dare solebant. Eundem quoque ritū à patribus seruatum fuisse non dubito. Quo turpior, & minus excusabilis est seculi nostri lasciuia, in quo sponsarum ornatus data opera ad prostituendum pudorem componitur.

67 *Et introduxit eam Isaac in tabernaculum*. Primò deduxit in tabernaculū: deinde accepit in vxorem. qua verborum serie legitimum nuptiarū morem à barbarie discernit Moses. Et certè hoc postulat coniugii sanctitas, ne se, pecudum instar, misceant vir ac mulier: sed fide mutuò data, & inuocato Dei nomine simul habitent. Præterea notandū est, Isaac non tyrannico patris imperio coactum fuisse ad ducendum vxorem: sed postquam animum ad eam adiecit, liberè sumpsisse: & ex animo fidem coniugalem dedisse. *Et consolatus est se Isaac*. Quum tunc primū sedatus fuerit dolor ex obitu matris, colligimus quanta fuerit eius vehementia. iam enim satis longum tempus effluxerat. Hinc etiam colligere licet, tenerum fuisse, & mollem affectum Isaac: nec vulgariter matrē suam amasse, cuius mortē tam diuturno luctu prosequutus est. Atque hoc vtile est cognitu ne sanctos patres immani & ferrea duritie fuisse fingamus: sicuti quidam fortitudinē in feritate locant. Tantùm danda opera vt mitigetur dolor: ne vel in fremitus impios prorumpat, vel spem futuræ resurrectionis obruat. Nec verò mœrorem Isaac prorsus excuso: tantùm admoneo, quod est humanitatis non debere prorsus damnari. Etsi autem id vitiosum fuit non posse dolorem abstergere ex animo, donec præualeret opposita coniugii lætitia: Moses tamen hoc in Dei beneficiis numerat, quòd qualecunque remedium seruo suo adhibuit.

Cap. XXV.

1 ET addidit Abrahám, & accepit vxorem, cuius nomen erat Ceturáh.
2 Et peperit ei Zimrán, & Iocsán, & Medán, & Midián, & Isbáh, & Súah.
3 Et Iocsán genuit Sebá, & Dedán. Filii autē Dedán fuerunt Assurím, & Letusím, & Leummím.
4 Filii verò Midián, Hephah, & Hépher, & Hanóch, & Abidáh, & Eldaáh. omnes isti, filii Ceturáh.
5 Et dedit Abrahám omnia quæ erant sibi, ipsi Ishác.
6 Et filiis concubinarum quæ erant ipsi Abrahám, dedit Abrahám dona, & emisit eos ab Ishác filio suo, adhuc se viuēte, ad Orientem, ad terrā Orientalem.

7 Et iſti ſunt dies annorum vitæ Abrahám quos vixit,cẽtum anni & ſeptuaginta anni & quinque anni.
8 Et obiit,& mortuus eſt Abrahám in ſenectute bona,ſenex, & ſatur: & congregatus eſt ad populos ſuos.
9 Et ſepelierunt eum Iſhác & Iſmaél filii eius in Spelunca duplici,in agro Ephrón filii Sóhar Hittæi,quæ eſt ante Mamré.
10 *In* agro quem emit Abrahám à filiis Heth, ibi ſepultus eſt Abrahám & Saráh vxor eius.
11 Et fuit,poſtquam mortuus eſt Abrahám, benedixit Deus Iſhác filio eius, & habitauit Iſhác apud Puteum viuentis videntis me.
12 Et iſtæ generationes Iſmaél filii Abrahám,quem peperit Hagár AEgyptia ancilla Saráh ipſi Abrahám.
13 Et hæc nomina filiorum Iſmaél per nomina ſua, per generationes ſuas . primogenitus Iſmaél, Nebaióth,& Cedár,& Abdeél,& Mibſam,
14 Et Miſmáh,& Dumáh,& Maſá.
15 Hadár,& Themá,Ietúr,Naphís, & Cédmah.
16 Iſti ſunt filii Iſmaél , & iſta nomina eorum per villas ſuas , & per palatia ſua, duodecim principes per familias ſuas.
17 Et iſti ſunt anni vitæ Iſmaél,cétum anni, & triginta anni, & ſeptem anni: & obiit,& mortuus eſt,& congregatus eſt ad populos ſuos.
18 Et habitauerunt ab Hauilah vſque ad Súr,quæ eſt ante AEgyptum,ingrediente te in Aſſur:coram omnibus fratribus ſuis habitauit.
19 Et iſtæ ſunt generationes Iſhác filii Abrahám:Abrahám genuit Iſhác.
20 Et erat Iſhác quadragenarius quando accepit Ribcáh filiã Bethuél Aramæi de Padán Arám,ſororem Labán Aramæi,ſibi in vxorem.
21 Et orauit Iſhác ad Dominum reſpectu vxoris ſuæ,quia ſterilis erat:&exoratus eſt ab ipſo Dominus,& concepit Ribcáh vxor eius.
22 Et collidebant ſe filii in vtero eius,&dixit,Si ita,vt quid ego?& iuit ad interrogandum Dominum.
23 Et dixit Dominus ad eam, Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi à viſceribus tuis ſeparabunt ſe : & populus populo robuſtior erit , & maior ſeruiet minori.
24 Et impleti ſunt dies eius vt pareret,& ecce gemini *erant* in vtero eius.
25 Et egreſſus eſt prior rufus,totus ipſe ſicut pallium piloſum : & vocauerũt nomen eius Eſau.
26 Et poſtea egreſſus eſt frater eius,&manus eius tenebat calcaneũ Eſau,&vocarunt nomen eius Iahacób. Iſhác autem erat ſexagenarius quando peperit eos.
27 Et creuerũt pueri:& fuit Eſau vir peritus venationis, vir agricola: & Iahacób erat vir integer manens in tabernaculis.
28 Et dilexit Iſhác Eſau,quia venatio *erat* in ore eiº,& Ribcáh diligebat Iahacób.
29 Et coxit Iahacób coctionem:& venit Eſau ex agro,& erat laſſus.
30 Et dixit Eſau ad Iahacób,Fac me comedere nunc de rufo,rufo iſto:quia laſſus ſum.idcirco vocarunt nomen eius Edóm.
31 Et dixit Iahacób,Vende hoc tempore primogenituram tuam mihi.
32 Et dixit Eſau,Ecce ego vado vt moriar,& vtquid mihi primogenitura?
33 Et dixit Iahacób,Iura mihi hoc tempore. Et iurauit ei:& vendidit primoge-

nituram ſuam ipſi Iahacób.

34 Et Iahacób dedit Heſaú panem, & cóctionem lenticularum, & comedit, atque bibit. & ſurrexit, & abiit, contempſítque Heſaú primogenituram.

1 *Et addidit Abraham & accepit.* Valde abſurdum videtur, quòd Abraham, qui triginta octo ante Saræ mortem annis emortuo fuiſſe corpore dicitur, ea demum mortua nouam vxorem inducat. Certè id indignum fuit eius grauitate. Adde quòd Paulus fidem eius cõmendans, nõ modo effœtã fuiſſe vuluam Saræ dicit quũ gignẽdus eſſet Iſaac: ſed ipſius patris corpus fuiſſe emortuum. Ergo ridiculum fuit factũ Abrahæ, ſi poſt viduitatem ſenex pluſquã decrepitus vxorem duxit. Deinde à Pauli verbis diſcrepat, quòd anno centeſimo frigidus, & ad generandum impotens, quadraginta pòſt annis genuerit cõplures filios. Multi vt effugiant hoc abſurdũ, Ceturam eandẽ faciunt cum Hagar. Sed eorum commẽtum ſtatim refellitur in contextu: vbi dicit Moſes Abraham dona dediſſe filiis cõcubinarum. Et ex 1. Chron. 1. c. 32, idẽ apertè colligitur. Alii conficiũt viuẽte adhuc Sara Abrahã ſumpſiſſe ſibi nouã vxorem. Quod tametſi graui reprehenſione dignũ fuit, nõ tamen à fide abhorret. Scimus hoc eſſe ordinariũ, vt nimia licentiæ vſurpatione audaces reddantur homines. Ita legẽ coniugii ſemel tranſgreſſus Abrahã, fortaſſis poſt diſſidium Hagar polygamiæ finem non fecit. Adhæc veriſimile eſt, diuortio, quod illum cum Hagar facere coegit Sara, vulneratum fuiſſe eius animum. Hoc quidem ſancto Patriarchæ probroſum, vel ſaltem minus decorum fuit. Sed inter omnes coniecturas nulla mihi videtur probabilior. Eam ſi recipimus, alieno loco inſerta erit narratio: ſicuti frequenter ſolet Moſes, quæ tempore præcedunt, in alium ordinem reiicere. Atque vt hæc ratio non vrgeat, res tamen ipſa oſtendit eſſe in hac hiſtoria hyſteron proteron. Nonageſimum annum exceſſerat Sara quum peperit filium Iſaac: mortua eſt cẽteſimo viceſimo ſeptimo ætatis ſuæ anno. Duxit Iſaac vxorem annos quadraginta natus. Ergo ferè quadriennium inter matris obitum & nuptias interceſſit. Si poſtea vxorem duxit Abraham, quid illi in mentem venit, quum iam viduitati plures annos aſſueuiſſet? Coniicere ergo licet Moſen, vbi in ſcribenda Abrahæ vita ad extremum actum ventum eſt, interponere quod omiſerat. Nondum tamen ſolutus eſt nodus. Vnde enim nouus illi ad mulierem cõcubitum vigor, quum teſtetur Paulus iam prius emarcido fuiſſe corpore? Sentit Auguſtinus non exigui modo temporis datum illi fuiſſe robur, quod ad gignendum Iſaac ſufficeret, ſed Diuina inſtauratione refloruiſſe in reliquum vitæ tempus. Quam ego ſentẽtiam, tum quia miraculi gloriam amplificat, tum aliis de cauſis libenter amplector. Nec obſtat quod prius dixi, miraculo genitum fuiſſe Iſaac, quòd eſſet ſpirituale ſemen. nam propriè in eius gratiam reuiguit caducum Abrahæ corpus. Quòd alii poſtea geniti ſunt, quaſi accidentale fuit. Sic illa Dei benedictio, Creſcite, & multiplicamini, quæ coniugio annexa eſt, ad vagas libidines extenditur. Certè ſi vxorẽ, ſuperſtite adhuc Sara (quod mihi magis probatur) induxit Abraham, indignus erat cuius adulterino coniugio Deus benediceret. Cæterùm etſi nos latet cur hic gratiæ cumulus ad iuſtam menſuram acceſſerit, in eo tamen relucet mira Dei prouidentia, quòd quum ex aliis filiis deſcenderint multæ non obſcuræ gentes, penes ſolum Iſaac reſedit ſpirituale fœdus, cuius alii inſigne in carne ſua geſtabant. Rom. 4. d. 19

6 Et *filiis concubinarum.* Narrat Moſes, quũ propinquus eſſet morti Abrahã, cõſilium ab eo initum fuiſſe quo lites à morte ſua inter filios dirimeret: nempe quòd Iſaac vnicũ inſtituens hæredem, reliquos muneribus ornatos à ſe dimiſerit. Dura quidẽ in ſpeciem, & crudelis ablegatio: ſed Dei ordinationi ac decreto reſpõdens, vt poſteris Iſaac integra terræ poſſeſſio maneret. Neque enim Abrahæ licebat hæreditatem ſuo arbitrio partiri, qua iam in ſolidum donatus fuerat Iſaac. Quare nihil reſtabat, niſi vt hac illis ratione, quæ deſcribitur, cõſuleret. Nunc ſiquis vnũ ex filiis eligens ſibi hæredem, reliquos excludat, faciet ipſis iniuriam, ac iniuſtæ exhæredationis face pernicioſas lites domi ſuæ accendet. Quare notanda eſt ſpecialis ratio, qua nõ inductus modo, ſed cõpulſus fuit Abraham ad filios hæreditate priuandos, & procul dimouendos: ne ſcilicet illorum interuẽtu turbari neceſſe foret quod de Iſaac diuinitus pronuntiatum fuerat. Diximus alibi Hebræis vocari concubinam quæ thori eſt ſocia, nõ autem bonorum omnium. Idem etiam gentiũ omnium more receptum, & legibus ſancitum fuit. Sic poſtea videbimus Lea & Rachel primarias fuiſſe vxores: Bilha verò & Zilpha ſecundo fuiſſe gradu, vt ſeruilis maneret earum conditio, quanuis in thorum coniugalem receptæ forent. Cum hac lege Hagar & Ceturam vxores Abraham duxiſſet, licitum illi fuiſſe videtur exiguam tãtum ex bonis ſuis partem filiis earum erogare: imò ab vnico hærede ad eos æquas partes trãſferre, neq; fas, neque æquum fuiſſet. Et fortè nulla de ſucceſſione futura lis erat, vel contentio: ſed eos procul emittens, illud quod dixi periculũ anticipat, ne partem terræ occupent, quam Deus ſolis poſteris Iſaac totam deſtinauerat.

7 Et *iſti ſunt dies.* Deſcẽdit iam Moſes ad mortẽ Abrahæ. Ac primò quidem in eius ætate no-

tandus est numerus annorũ quibus peregrinatus est. Miræ enim & incõparabilis tolerãtiæ laus fuit,quòd per centũ annos oberrãs,quũ Dominus eũ variè circũageret,nuda Dei promissione cõtentus fuit tam in morte quàm in vita. Eant nunc,quibus anni vnius, vel paucorũ inquietudinẽ ferre molestum est:quũ Abraham pater fidelium nõ modò centũ annis inquilinus fuerit, sed etiã inter plurima exilia iactatus. Interea tamen disertè exponit Moses, Dominũ quod pollicitus fuerat illi præstitisse, *Morieris in senectute bona.* Quanquam verò duram & asperam militiã certauit: fuit tamen non leuis,nec exigua cõsolatio, quòd inter tot ærumnas Deo vitã suam curæ esse sciret. Quòd si vnus ille Dei intuitus eum tota vita sustinuit,ne inter grauissimos fluctus,inter multas dolorum acerbitates,inter curarũ æstus,immẽsam denique malorum congeriem deficeret:discamus & nos,ne vnquam fatigemur in hanc fulturam recumbere, quòd Dominus fœlicem vitæ exitum nobis promisit:& quidem longè clarius quàm patri nostro Abrahæ.

8 *Et obiit Abraham.* Falluntur qui putant hac particula notari subitam mortem:quasi nõ diutino morbo confectus fuerit, sed expirauerit sine dolore. Quin potius intelligit Moses non exẽptum fuisse à cõmuni sorte fidelium patrẽ:ne languescãt nobis animi,quũ exterior homo noster corrumpitur:sed illam renouationem, quæ in spe est abscondita,meditãtes, labascere fragile hoc tabernaculum æquis animis sinamus. Non est igitur cur nos exãgue & emarcidum corpus,hebetes oculi,tremulæ manus,& membrorum omnium defectio nos exanimet, quominus patris nostri exemplo læti & alacres ad mortẽ properemus. Cæterùm tametsi cõmune hoc habuerit Abraham cum genere humano,nẽpe senio concidere,& tãdem deficere:paulo pòst Moses quoad mortis formam,discrimen inter ipsum & promiscuum hominum vulgus ponit,nempe quòd *mortuus sit in senectute bona, & uitæ satur*. Huius quidem boni videntur increduli plerunque esse participes: imò cõqueritur Dauid hoc quasi priuilegio ipsos excellere. & in libro Iob similis habetur querimonia,ipsos fœliciter cõplere tempus suũ,donec in puncto ad sepulchrũ descendant. Sed tenẽdum est memoria quod prius dixi,præcipuam partem bonæ senectutis in bona conscientia,animo sereno & tranquillo cõsistere. Vnde sequitur,nõnisi in veros iustitiæ cultores cõpetere quod Deus Abrahæ promittit. Nam verè non minus quàm scitè dicit Plato,bonam spem esse ὑποθήκην: ideóque senes malè sibi conscios miserè cruciari,& intus lacerari quasi perpetua carnificina. Simul verò addendũ est quod Plato nesciuit,hoc nobis conferre pietatem, vt bona senectus nos ad sepulchrum vsque comitetur:quia tranquillæ mentis custos est fides. Eodem ferè pertinet quod mox additur, *Saturum fuisse dierum*, vt non appeteret vitæ prorogationem. Videmus quàm multos cõstringat vitæ cupiditas: imò vt totus ferè mundus inter fastidium præsentis vitæ, & inexplebilem famem langueat. Singularis ergo Dei gratia,vitæ saturitas,vt ex ea migrare parati simus.

Et congregatus est ad populos suos. Libenter amplector eorũ sententiam qui hac locutione statum futuræ vitæ notari volunt. Friuolum hoc fortè videbitur profanis hominibus, quum Dauid instar pecudum colligi dicat reprobos in sepulchrum. Verùm si propius expendas, non extabit hæc collectio,si in nihilum redigantur animæ. Sepulturæ continuò post fiet mentio. Nunc dicitur ad patres suos collectus esse Abraham: quod minimè congrueret,si euanescat hominis vita, & in nihilum homines diffluant. Quare Scriptura ita loquendo,residuum à morte facit alterius vitæ statum,vt migratio è mundo non sit totius hominis interitus.

9 *Et sepelierunt eum.* Hinc apparet,quanuis multò prius abdicatus esset Ismael, non fuisse tamen à patre suo alienum,qui in celebrandis mortui exequiis filii officio fungitur. Hoc autem Ismael potius quàm reliqui,eo quòd vicinior erat.

12 *Et istæ generationes Ismael.* Non est superuacua narratio. Initio capitis breuiter attigit quid factum esset filiis Ceturæ. Hîc consultò prolixior est, vt demonstret ratam conspicuo effectu fuisse Dei promissionem, quam decimoseptimo capite habuimus. Primò,non vulgare fuit Dei donum, filios illi duodecim nasci, qui nomen, & principatum in totidem familiis tenuerint. Sed quia promissioni euentus respondet, præcipuè reputanda nobis est Dei veritas cum singulari beneuolentia,& honore quo seruum suum Abraham dignatus est, quãdo in aduentitiis quoque beneficiis tam benignè ac liberaliter cum ipso egit. Nam aduentitium iure censebitur,quod superadditum est vltra spirituale fœdus. Ideò Moses postquam vicos recensuit, in quos distributa fuit posteritas Ismaelis,sepelit in posterum totam illam gentem, vt solida perpetuitas tantùm in Ecclesia maneat,iuxta illud Psalmi centesimi secundi,d.29,Filii filiorum habitabũt. Adhæc, Moses quasi digito admirabile Dei consilium ostendit, quòd regionem à terra Chanaan distinctam assignans filiis Ismael,cum illis prospexit in futurum tempus, tum vacuam hæreditatem filiis Isaac seruauit.

18 *Coram omnibus fratribus suis habitauit.* Maior pars interpretum hoc accipit de morte: acsi dixisset Moses,breuiorem fuisse Ismaelis vitam,quàm fratrum qui diu fuerunt illi superstites. Sed quia verbum נפל, refertur ad mortem violentam, Moses autem testatur Ismaelem fato suo de-

functum: probari nõ potest illa expositio. Chaldæus paraphrastes subaudit nomen sortis: atque hunc sensum elicit, Sortem illi cecidisse, vt non procul à fratribus habitaret. Ego etsi in re non multum discrepo, non puto tamen sic torquenda esse verba. Verbum נפל, iacêre interdum, vel quiescere, & habitare significat. Simplex igitur Mosis sermo est, Ismaeli datam fuisse habitationem eregione fratrum, vt vicinus quidem esset, suos tamen haberet discretos fines. Neque enim dubito quin ad oraculum respexerit, quod decimosexto capite habuimus, vbi inter alia dicebat Angelus matri eius Hagar, Manebit coram fratribus suis, vel figet tabernacula. Cur hoc de Ismaele potius, quàm de aliis? nisi quia migrarunt in Orientalem plagam: Ismael verò, licet gentem haberet diuisam à filiis Abrahæ, propriam tamen habuit sedem in eorum vicinia. Interim obseruandum quoque est Dei consilium, quòd Ismael, licet prope fratres suos subsisteret, subductus tamen fuit in suam stationem, ne mixtim cum illis ageret, sed in conspectu, vel eregione. Porrò iacendi, vel quiescendi verbum non restringi ad personam Ismaelis, satis clarum est.

19 Et *istæ generationes Isaac.* Quia velut accidentale erat quod de Ismaelitis dixit Moses, nunc ad præcipuum historiæ cõtextum reuertitur: vt scilicet Ecclesiæ progressus nobis describat. Ac primò quidem repetit de vxore, sumptam fuisse ex Mesopotamia. Sororem Laban Syri diserte vocat: quia futurus erat socer Iacob, ac de eo multa dicturus erat. Sed hoc in primis notatu dignum, quòd refert primis annis sterilem fuisse Rebeccam. Postea autem videbimus non tribus, vel quatuor, sed viginti annis durasse eius sterilitatem, vt concepta sobolis desperatio subitæ benedictioni plus lucis afferret. Sed nihil minus rationi consentaneum videtur, quàm quòd Ecclesiæ propagatio tam exigua, lentáque fuit. Abraham extremo senio iciunum, vt videtur, longæ orbitatis solatium accepit, quòd spem nominis reliquit in vno tantũ capite. Isaac prouectæ iam ætatis, imò in senium deuexæ nondum pater est. Vbi semẽ illud quod æquabit stellas cæli: Quis non illudere Deum putaret, quum inanes, & solitarias relinquit domos, quæ secundum eius verbum ingenti populo refertæ esse debuerant? Verum in Ecclesia oportet impleri quod in Psalmo habetur, quòd lætam habitare faciat multorum filiorum matrem, quæ fuerat sterilis. Parua enim & contemptibilis origo, lenti, & debiles progressus, propagationem, quæ postea spe, & opinione maior sequitur, clarius illustrant: vt sciamus cælesti virtute, & gratia, non modis naturalibus Ecclesiam nasci, & crescere. Fieri quidem potest vt Deus immodici amoris excessum corrigere, vel temperare voluerit in Isaac: sed illa ratio in primis obseruanda, sanctũ semẽ è cælo donari, non communi naturæ ordine nasci oportuisse: vt Ecclesiam non ex hominum industria prouenire, sed à sola Dei gratia manare discamus. *Psal. 112.9*

21 Et *orauit, &c. pro uxore sua* Sũt qui vertant *præsente uxore*: ac intelligunt. hoc ideo factum vt ipsa quoque adderet suas preces, vt coniunctim Deo supplicarent. Sed altera versio simplicior. Porrò orandi studium testatur Isaac sciuisse se ideo liberis priuari, quòd Deus non benedixisset. Deinde fœcunditatem peculiare esse Dei donum. Tametsi enim sparsa, & quodammodo effusa fuit in totum humanum genus gratia gignendæ sobolis, cum vocem illam protulit Deus, Crescite, & multiplicamini: vt tamen sciamus non fortuitò nasci homines, variè gignendi gratiã distribuit. Isaac ergo quod in hominũ arbitrio positum non est, à Deo petendum esse agnouit. Iam verò nõ vulgari fidei constantia præditum fuisse apparet. Quum illi notũ esset Dei fœdus, cupidè, si quis alius, semen appetebat. Non igitur tunc demũ illi in mentẽ precari venit, quũ spe sua per annos ferè viginti frustratus esset. Quanquã ergo Moses vno tantum verbo dicit precibus à Deo sobolem impetrasse: ratio tamẽ dictat cõtinuas fuisse multorũ annorũ preces. In eo relucet sancti viri tolerantia, quòd dum videtur frustrà in aerem vota fundere, orandi tamen ardorem non remittit. Sicuti autem Isaac nos suo exemplo ad orãdi perseuerantiã instituit: sic etiã ostendit Deus nunquam se ad vota fidelium surdas habere aures, licet in longum tempus differat.

22 Et *collidebant se.* Hic noua tentatio repente exurgit, quòd se infantes in vtero matris mutuò collidunt. Cõflictus iste tantum mœroris affert matri, vt mortem præoptet. Neque mirum: nam melius sibi fuisse cogitat centies mori, quàm horribile in se illud edi portentum, vt gemini fratres in vtero suo inclusi, iam intestinum bellum gererent. Itaque falluntur qui muliebri impatientiæ tribuunt hanc querimoniam, quæ non tam dolore, vel cruciatu extorta fuit, quàm monstri detestatione. Sensit enim proculdubio conflictum hunc non moueri naturaliter, sed monstrosum esse, & qui atrocem, ac tragicum aliquem exitum portenderet. Simul verò iræ Diuinæ metum obrepere necesse fuit: sicuti fideles non subsistunt in sensu præsentis mali, sed ad causam descendunt: atque ita apprehẽso Dei iudicio, expauescunt. Cæterùm tametsi initio grauius quàm par est, turbatur, & in fremitum erumpens, modum & temperiem non seruat: paulo pòst tamen remedium adhibet, ac solatium dolori suo. Atque ita suo exemplo nobis præscribit, dandam esse operam ne in rebus anxiis nimium indulgeamus tristitiæ, vel cæca tormenta intus fouentes, corda nostra vramus. Primos quidem motus cohibere difficile est: verum priusquam

impotentius se efferant,eos frænare,& in ordinem cogere oportet.Ac in primis à Domino petẽda est moderatio: sicuti hîc refert Moses iuisse Rebeccam vt Dominum consuleret: quia scilicet nihil sedando animo suo aptius fore censuit, quàm si de consilio Dei facta certior, sese ad eius obedientiam componeret.Quanuis enim triste responsum, vel minus optabile daretur, leuamen simul aliquod à Deo propitio sperauit in quo acquiescceret.Sed hîc emergit quæstio,qualiter Rebecca Deum consuluerit.Multorum consensu recepta opinio est,scisitatam ex aliquo Prophetta esse,quidnam hoc esset monstri.Et videtur innuere Moses aliquò profectam esse vt oraculum audiret.Sed quoniam diuinatio illa nihil habet coloris,magis in diuersam partem inclino,quòd secessu quæsito, intentius orauerit, vt reuelationem è cælo haberet . Nam eo tempore quosnam præter maritum, & socerum Prophetas in mundo, nedum in vicinia, reperisset ? Deinde video tunc ferè Deum voluntatem suam patefecisse oraculis . Tertio, si rei magnitudinem expendimus,arcanum illud ore Dei magis,quàm hominis testimonio manifestari decuit . Nostra ratio diuersa est. Nam neque talibus miraculis hodie res futuras Deus portendit: & in regendo vitæ cursu abundè nobis sufficit Legis & Prophetarum,& Euangelii doctrina,quæ perfectam sapientiam complectitur.

23 *Duæ gentes.* Primò respondet Deus, quòd inter se pugnant gemelli fratres, longius patere,quàm ad eorum personas. hoc enim modo ostendit quòd inter eorum posteros futurum erat dissidium.Emphatica autem est locutio quum dicit duas esse gentes.nam quum fratres essent & gemelli,adeóque vnus sanguis:non putabat mater ita disiunctum iri,vt diuersos populos efficerent:Deus tamen inter eos,qui coniuncti erant natura, discessionem fore pronuntiat. Deinde exprimitur diuersa cõditio,quòd victoria penes vnũ populũ futura sit. quãdoquidẽ hinc tumultus,quòd pares esse non poterant:sed altero reiecto alter eligebatur. Nam quum ægrè cedant reprobi,necesse est Dei filios pro sua adoptione multas molestias & certamina subire. Tertiò,Dominus affirmat, inuerso naturæ ordine natu minorem,qui inferior erat,fore victorem. Nũc videndum est quorsum pertineat hæc victoria. Qui ad terrenas diuitias,vel opes hoc restringunt, frigidè nugantur.Neque enim dubium est quin hoc oraculo edocti fuerint Isaac & Rebecca,fœdus salutis non fore duobus populis commune: sed tantùm in posteris Iacob conseruatum iri. Initio generalis erat in speciem promissio, quæ totum semen comprehenderet: nunc ad partem vnam restringitur. Hæc ratio conflictus, quòd Deus semen Iacob, cuius par & eadem videbatur esse conditio,diuidit,vt partem vnam adoptet, alteram abdicet: pars vna nomen, & ius Ecclesiæ obtineat,reliqui extranei censeantur:penes vnam partem resideat benedictio,qua priuentur alii, sicuti postea contigit.Scimus enim Idumæos fuisse abscissos ab Ecclesiæ corpore:fœdus autem gratiæ in familia Iacob fuisse depositum.Si causa discriminis quæritur, non reperietur in natura: nam eadem est vtriusque populi origo. Non reperietur in meritis: quia adhuc ambo capita in vtero matris inclusa erant quum exortum est dissidium . Quinetiam voluit Deus, vt carnis superbiam humiliaret,detrahere ipsis hominibus omnem fiduciæ & gloriæ materiam . Poterat priorem educere Iacob ex vtero:atqui primogenitũ alterũ constituit,qui inferior tandẽ futurus erat.Cur ita positum à se ordinem consultò inuertit,nisi vt sciamus posthabito dignitatis respectu,gratuitò electum esse Iacob, qui promissæ benedictionis hæres foret:Summa est igitur,quòd Deus prætulit Iacob fratri Esau, vt pater esset Ecclesiæ, hoc non fuisse redditum eius meritis, vel industria quæsitum, sed profectum à mera ipsius Dei gratia . Sed quum de toto populo agatur, non arcana, quæ in paucis rata est electio : sed communis notatur adoptio , quæ tam latè patet, quàm prædicatio externa verbi . Quia hoc tam breuiter perstrictum, obscurius esse possit: memoria repetant lectores quod suprà decimoseptimo capite exposui : nempe Deum adoptionis suæ gratia complexum esse omnes Abrahæ filios,quia cum omnibus fœdus pepigit, nec frustrà omnibus promiscue offerri voluit salutis promissionem,& Circuncisionis symbolo in eorum carne obsignari : cæterùm fuisse ex populo vniuerso speciale aliquod delectum semen, & eos demum censeri legitimos Abrahæ filios,qui arcano Dei consilio destinati sunt ad salutem . Fides quidem spirituales filios à carnalibus discernit:sed nunc de principio discretionis,non autem de symbolo vel nota quæstio est.Deus ergo totum semen Iacob sine exceptione elegit, sicuti pluribus locis testatur Scriptura:quia omnes pariter iisdem gratiæ suæ testimoniis dignatus est,verbo nempe, & sacramentis. Sed alia semper viguit peculiaris electio, quæ in certo & finito hominum numero continebatur, vt in communi interitu seruaret Deus quos vellet . Nunc exoritur nobis quæstio . nam quum de priori electionis specie nunc tractet Moses, Paulus ad secundam torquet eius verba.Siquidem dum probare vult non omnes qui origine sunt Iudæi,esse vitæ hæredes:nec omnes qui secundum carnem ex Iacob descendunt,pro veris Israelitis haberi:sed Deũ pro suo beneplacito quos voluit eligere : testimonium hoc adducit, Maior seruiet minori . Qui doctrinam gratuitæ electionis extinguere conantur, persuadere cuperent Pauli quoque verba

Rom.9.b.7.8.

nõnisi de externa vocatione debere intelligi: sed contextus apertè reclamat,séque nõ modo insulsos,sed impudentes esse ostendunt, dum tam claræ luci tenebras vel fumum tentãt inducere. Ne glorietur in carne Esau,inquiunt,ad fratrẽ natu minorẽ transfertur eius dignitas:quia noua huic affertur promissio. Fateor aliquid esse quod dicunt:sed quod in causa præcipuum erat,ab ipsis omitti dico.externa enim vocatione definiũt quod hic statuitur discrimen.Atqui nisi velint irritum facere Dei fœdus,concedant necesse est,consortes externæ vocationis peræquè fuisse Esau & Iacob:vnde patet,arcano Dei consilio segregari quibus communis erat vocatio.Et status disputationis Paulinæ notus est,quòd quum Iudæi inflati Ecclesiæ titulo Euangeliũ respuerent, labascebat fides simplicium: quia probabile non erat,Christum & salutem in eo promissam,ab electo populo,gente sancta,& naturalibus Dei filiis posse reiici. Hîc contendit Paulus,non omnes qui descendunt ex Iacob secundum carnem,esse veros Israelitas,quia Deus gratuito arbitrio eligat quos habere vult æternæ salutis hæredes.Quis non videt Paulum à communi adoptione ad particularem descendere:vt sciamus nõ omnes qui locum occupant in Ecclesia,pro veris Ecclesiæ membris reputari:Certè palàm ab ordine filiorũ Dei abdicat ad quos(sicut alibi dicit)spectabat adoptio:vnde certò conficitur ad probandam hanc sententiam,aptari ab ipso Mosis testimonium,quòd Deus ex filiis Abrahæ certos sibi eligat in quibus stabilis sit & efficax adoptionis gratia. Quomodo igitur Paulum cum Mose conciliabimus?Respondeo,quanuis Dominus totum semen Iacob à genere Esau separet,id tamen fieri Ecclesiæ intuitu,quæ in posteris Iacob inclusa erat.Et certè ad hunc finem referebatur generalis populi electio, vt Deus Ecclesiam haberet ex reliquo mundo segregatam. Quid igitur absurdi si Paulus ad specialem electionem,Mosis verba accommodat, quibus prædictum est Ecclesiam fore ex semine Iacob?Atque huius rei specimen in ipsis capitibus fuit exhibitum. Iacob enim non tantum externa voce à Domino vocatus est,sed præterito fratre hæres vitæ electus. Quod Dei beneplacitum in persona vnius Iacob Moses commendat, meritò Paulus longius trahit. ac nequis putaret postquam hoc oraculo distinctæ fuerunt duæ gentes,electionem indifferenter spectasse ad omnes filios Iacob: aliud oraculum opponit Paulus,Miserebor cuius miserebor. vbi videmus segregari ex promiscuo genere filiorum Iacob,certum numerum, in quibus seruandis specialis regnet Dei electio. vnde apparet Dei consiliũ prudenter animaduersum fuisse à Paulo:quòd scilicet primogenituræ honorem à maiori ad minorem transtulerit,vt sibi Ecclesiam ex semine Iacob,quam vellet,non hominum meritis,sed mera gratia deligeret. Tametsi autem colligendæ Ecclesiæ media, Deus toti populo cõmunia esse voluit,finis tamen in quẽ respexit Paulus præcipuè spectandus est,vt semper sit aliquod hominum corpus in mũdo,quod Deũ pura fide inuocans,custodiatur vsque in finem.Fixum itaque maneat hoc doctrinæ caput, Quòd ex hominibus alii pereũt,alii salutẽ consequuntur, causam ex arcano Dei beneplacito pendere. Vnde enim fit vt qui sunt ex Abraham geniti, non in eodem iure consistant:Dispar certè conditio neque huius virtuti,neque illius vitio ascribi potest,quia nondũ nati erant.Quia hoc respuit communis hominum sensus,extiterũt omnibus seculis acuti homines, qui Dei electionem proteruè vexarent.Mihi verò nunc propositum nõ est singulas eorum calumnias refellere,aut diluere:nobis tenere sufficiat quod ex Pauli interpretatione colligimus, quum eodem interitu dignum sit humanum genus, & eodem reatu constrictum, alios gratuita misericordia liberari, alios iustè relinqui suo exitio:nec ideo aliis præferri quos Deus eligit,quia sanctos Deus præuideat,sed vt sancti sint.Quòd si prima origo sanctitatis,Dei electio est: frustrà in hominibus quæritur discrimen,quod in solo Dei arbitrio residet.Siquis anagogen desideret:quia multi hypocritæ in medio Ecclesiæ vtero inclusi ad tempus, inani titulo superbiunt, & se insolenter iactando exultãt aduersus veros Dei filios: subinde exurgunt intestini conflictus qui matrem ipsam duriter torquent.

24 *Et impleti sunt dies.* Docet Moses intestinũ vteri certamen, vsque ad partum durasse.neque enim fortuitò accidit, quòd Iacob arrepto fratris talo conatus est prior exire. Hoc symbolo testatus est Dominus non statim electionis suæ constare effectum: quin potius medium iter multis certaminibus & molestiis refertum esse. itaque nomen à sua asperitate sortitus est Esau: quòd iam à prima infantia virilem in modum formatus esset:nomen verò Iacob, significat gigantem illum cum robusto suo insultu,frustrà luctando fuisse deiectum.

27 *Et creuerunt paruuli.* Nunc breuiter amborũ mores nobis Moses describit. Nec verò Iacob ab eximiis & præclaris dotibus cõmendat,quæ laude &memoria dignæ sint, sed tantùm dicit fuisse simplicem. תם quidem pro integro & sincero vtplurimum accipitur: sed hîc referri debet ad antithesin.postquam Esau robustum fuisse, & venationi addictũ,virúmque agrestẽ retulit:ingeniũ Iacob opponit mansuetũ, quia domi quietẽ coleret,vt potuerit videri ignauus sicuti Græci ἀνώμοτους appellãt, qui domi residēs,industriæ suæ specimen nõ proferunt. In summa,tantundẽ valet cõparatio,acsi Moses Esau à strenuitate laudaret:Iacob autẽ diceret otio domestico

fuisse deditum. talẽ fuisse prioris indolem,quæ virum animosum fore promitteret: huius verò, quæ nihil haberet cõmendatione dignum.Quum cælesti decreto ad Iacob delatus iam foret primogenituræ honor, cur illum Deus in tugurio iacere, & inter cineres torpere sinit: nisi quia electionem suam interdum ad tempus vult latere,nequid suis præparationibus tribuant homines?

28 *Et dilexit Isaac Esau.* Quo melius ostenderet Deus,satis in sua electione esse firmitatis,vt aliunde nullo adminiculo iuuetur,imò ad superãda quæuis obstacula satis esse validã: passus est Esau fratri suo patris amore & iudicio præferri, vt figura quædã reiectitii hominis in Iacob extaret.Quum ergo tot circunstãtiis clarè demonstret Moses,in solo Dei beneplacito fundatã fuisse adoptionem Iacob,minimè ferenda est eorum improbitas qui eam suspẽdunt ab hominis arbitrio:vel partem ad media(vt loquuntur)& præparationes transcribunt.Sed quî fieri potuit vt pater oraculi nõ ignarus,propensior tamen in primogenitũ foret,quem diuinitus reiectum sciebat?pietatis enim & modestiæ fuisset affectũ potius suũ subigere,vt Deo pareret. Priores amoris partes sibi naturaliter primogenitus vendicat: sed qui in ordinẽ coactus erat Dei oraculo, eum supra fratrẽ extollere,patri liberũ nõ fuit.Multo etiã magis pudendũ,& sancto Patriarcha indignum,quod mox subiicit Moses,gustu carnis ferinæ fuisse illectũ, vt filium Esau magis amaret. Tantúmne valuisse apud eũ palati delicias, vt oblitus oraculi,contẽneret in Iacob Dei gratiã:ad eum verò quem Deus reiecerat,animũ præposterè applicaret? Eant nũc Iudæi,& in carne glorientur:quũ Isaac pluris cibũ faciens quàm destinatã filio hæreditatẽ,gratuitũ Dei fœdus,quantum in se erat peruerterit. neque enim excusationi locus est,quin cæco, vel saltem nimis inconsiderato amore primogeniti filii alterũ posthabuerit.an aduerso vitio laborauerit mater, incertum est. Sic enim plerunque videmus scindi parentum studia,vt siquem ex filiis amari videt vxor à marito, contraria æmulatione in alterum magis inclinet. Amauit Rebecca filium Iacob præ Esau.Si vaticinium secuta, rectè: sed fieri potest vt fuerit etiam incompositus amor.Atque hac in parte nimium se prodit naturæ corruptela.Nullum sanctius coniugio vinculum est mutui cõsensus, accedunt etiam noui nexus in liberis:atqui dissidii occasionem sæpe præbẽt. Quia tamen paulo pòst videbimus Rebeccam præcipuè in Dei benedictionem intentam fuisse, probabilis coniectura est,Dei authoritate fuisse inductam,vt primogenito minorem præferret. interea stultus patris amor adoptionis Diuinæ gratiam magis illustrat.

29 *Et coxit Iacob coctionem.* Parum à lusu puerili differt hæc historia,Coquit Iacob pulmentũ: redit ex venatione frater lassus ac famelicus,cibum primogenitura redimit.Qualis obsecro ista cõuentio?Inediæ fratris vltrò succurrere debebat Iacob.Quum rogatus negat,quis nõ inhumanitatis eum damnet? Quòd iure primogenituræ cedere cogit, illicita esse videtur ac friuola pactio. Sed in re nõ magni momẽti probauit Deus ingenium Esau:& rursum specimen extare voluit pietatis Iacob:vel(vt magis propriè loquar)quid lateret in vtroque patefecit.Falluntur quidem multi,dum hinc causam electionis Iacob suspendunt,quòd aliquã in eo dignitatẽ præuiderit Deus : & Esau ideò reprobatum fuisse putant, quòd futura eius impietas Dei adoptione indignũ reddiderit priusquam nasceretur.Paulus gratuitam electionẽ statuens,quærendũ esse discrimen negat in hominũ personis,ac primò quidẽ illud axioma sumit, Quũ perditũ sit à sua origine humanũ genus,& exitio addictũ,quicunque salui fiunt,nõnisi mera Dei gratia ab interitu liberari.Ideóq; nõ præferri alios aliis proprio merito:sed quũ peræquè omnes gratia indigni sint, seruari quos suo arbitrio Deus elegit.Deinde altius cõscendit:quũ Deus mũdi sit opifex,suo iure ita esse vitæ &mortis arbitrũ,vt ratio nõ sit ab eo exigẽda:sed eius volũtas sit causa causarũ,vt ita loquar.Neque verò hoc modo Paulus tyrãnidẽ Deo affingit,sicuti Sophistæ de absoluta eius potestate nugantur.Sed quũ habitet lucẽ inaccessam,& iudicia eius omnes abyssos superẽt,prudẽter iubet Paulus in solo ei⁹ proposito acquiescere:ne si homines nimis curiosi esse appetãt,immensum illud chaos omnes illorũ sensus absorbeat.Stultè ergo ex hoc loco æstimãt quidã,quũ ex duobus fratribus alterũ Deus elegit,altero posthabito: præuisa fuisse vtriusque merita. Nam vt differret Iacob ab Esau,necesse fuit ipsum à Deo discerni:alioqui fratri nõ dissimilis futur⁹ erat.Et semper illud Pauli memoria tenendũ est,neminẽ præ altero excellere sua industria aut virtute,sed sola Dei gratia.Cæterùm quãuis pares essent natura ambo fratres,in Esau tamẽ persona quasi in speculo,Moses nobis repræsentat quales sint omnes reprobi,qui suo ingenio relicti,à Spiritu Dei nõ gubernãtur.In persona autẽ Iacob ostẽdit nõ esse otiosam adoptionis gratiã in electis: quia Dominus eã sua vocatione efficaciter obsignat. Vnde ergo fit vt venalem habeat primogenituram Esau,nisi quia Spiritu Dei priuatus,terram duntaxat sapit?vnde fratri Iacob vt se prio victu fraudans,inediam patienter ferat,nisi quia Spiritu sancto duce supra mundum se attollit,& ad cælestem vitã aspirat? Proinde discamus quoscunque Spiritus sui gratia nõ dignatur Deus, animales esse ac brutos,& vsqueadeo deditos caducæ vitæ,vt de spirituali Dei regno non cogitent : quos verò Deus regendos suscepit , non ita teneri implicitos carnis illecebris , quin

ſupernæ vocationi intenti ſint. Vnde ſequitur, reprobos omnes manere demerſos in corruptelis carnis: Electos verò Spiritu ſancto renouari, vt ſint Dei figmentum ad bona opera creati. Si quis excipiat, poſſe Deo partē culpæ aſcribi, qui ſtuporem & prauas cupiditates reprobis ingenitas non corrigit: ſolutio in promptu eſt, cōſcientiæ ipſorum teſtimonio, quo damnare ſe cogunt, Deum abſolui. Quare nihil aliud ſupereſt, niſi vt à facie Domini fileat omnis caro, ac totus mundus ſe obnoxium eſſe confitens eius iudicio, humilietur potius quàm ſuperbè litiget.

30 *Fac me cōmedere nunc de rufo.* Quanquam his verbis declarat Eſau, ſe minimè appetere lautitias, ſed qualicunque cibo cōtentum eſſe (vtpote qui pultē à colore, ſaporis immemor, contemptim deſignat) coniicere tamen licet, rem ſerio animaduerſam fuiſſe à parētibus. neque enim ex re ludicra nomen illi fuiſſet impoſitū. Cæterùm quòd appetit, & rogat, nihildū in eo reprehenſione dignum admittit: ſed vbi dicit, En ego moriar: ad quid mihi primogenitura? profanam cupiditatem, terræque & carni prorſus addictam prodit. Neque verò dubiū eſt quin ex animo teſtetur ſe mortis ſenſu vrgeri. Fallūtur enim qui ſic accipiūt eius verba, Ecce morior, acſi diuturnæ vitæ ſe fore negaret, quia venādo quotidie feris obiectus verſatur in diſcrimine. Ergo vt præſentem mortē effugiat, primogenitura cibū redimit: neque tamen ideo deſinit grauiter peccare, dum primogenituram nihili æſtimat, niſi in hac vita proſit. Nam hinc fit vt ſpirituale bonū terreno & caduco permutet. Qua ratione vocat eum Apoſtolus profanum: vtpote qui in præſenti vita ſub ſidē, altius non aſpiret. Atqui hoc demū fuiſſet verè ſapere, centū potius obire mortes, quàm ſe primogenitura abdicare, quæ adeò vnius ætatis anguſtiis incluſa nō erat, vt cæleſtis vitæ perpetuitatē ad poſteros quoque tranſmitteret. Nunc verò quia nullā, niſi in mūdo, fœlicitatē concipit Eſau, anima eius in pulmento ſepulta eſt. Iam ſibi quiſque noſtrū proſpiciat: quia terreſtre nobis omnibus ingeniū eſt, ſi naturā ſequamur ducē, cæleſti hæreditate facile nos abdicabimus. Veniat igitur ſubinde in mētem Apoſtoli exhortatio, Ne ſimus profani quemadmodum Eſau. *Hebr. 12. d. 16*

33 *Iura mihi* Non agit crudeliter Iacob cum fratre, quia nihil illi eripit, ſed tantum confirmationē appetit iuris ſibi diuinitus conceſſi: idque facit pio conſilio, vt electionis ſuæ fidē melius inde ſtabiliat. Interea ſtupor Eſau notandus eſt, qui interpoſito Dei nomine primogenitura vendere non dubitat. Quanuis prius fame, tanquam œſtro percitus, ad pulmentum inconſideratè rueret: vbi exactum eſt iuſiurandum, tunc ſaltem aliqua obrepere debuit religio, quæ brutam cupiditatem corrigeret. Atqui vētri addictus, ingratitudinis ſuæ teſtem conſtituit Deum ipſum.

34 *Et Iacob dedit.* Quanquā prima ſpecie frigida & ſuperuacua eſſe videtur narratio: magnū tamen ſubeſt pondus. Primò enim commendat Moſes pietatem ſancti Iacob, quòd ad cæleſtem vitam adſpirās, cibi appetitum frænare potuerit. Certè nō erat ſtipes: cibum, quo famem ſedaret parando, ſtomachum magis irritauerat. Quare ad tolerandā inediam, ſibi vim facere neceſſe habuit. Carni verò in hunc modū domandæ nunquā par fuiſſet, niſi in eo viguiſſet ſpirituale melioris vitæ deſiderium. Ab altera parte paucis verbis emphatice traducitur mira Eſau fratris ſecuritas, *Comedit, bibit, ſurrexit, abiit.* quorſum hæc quatuor ponuntur? Nempe vt ſciamus quod continuo pòſt ſequitur, pro nihilo duxiſſe illud incōparabile bonū quo priuatus erat. Celebratur ab hiſtoricis Lacedæmonii captiui querimonia. Exercitus diu obſeſſus, propter aquæ inopiam hoſtibus ſe dediderat. Poſtquā è fluuio biberūt, O cōmilitones (dixit ille) quantula voluptate inæſtimabile bonū perdidimus. Miſer ille, reſtincta ſiti ad ſe reuerſus, amiſſam libertatem gemebat. Eſau ſaturatus, ſe longe præſtantiore bono, quàm ſint centū vitæ, ſpoliatum non expendit, vt pabulum ſemihoræ redimeret. Ita ſolent profani omnes: alienati cæleſti vita, nihil ſe iacturæ feciſſe ſentiunt, donec à cælo fulminet Deus. Quandiu potiuntur carnis votis, à tergo illis eſt ira Dei: ita fit vt ſtupidi pergant in ſuum exitium. Quare diſcamus, ſiquando mundi illecebris decepti, à recta via deflexerimus, celeriter nos expergefacere.

Cap. XXVI.

1 ET fuit fames in terra præter famem priorem quæ fuerat in diebus Abrahám, & perrexit Iſhác ad Abimélech Regem Peleſthím in Gerár.

2 Et viſus eſt ei Dominus, & dixit, Ne deſcendas in AEgyptum: habita in terra quam dicam tibi.

3 Inhabita terram hanc, & ero tecum, & benedicam tibi: quia tibi & ſemini tuo dabo omnes terras iſtas: & ſtatuā iuramentū quod iuraui ad Abrahā patrē tuū.

4 Et multiplicare faciam ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & dabo ſemini tuo omnes terras iſtas: benedicentúrque in ſemine tuo omnes gentes terræ:

5 Eo quòd obediuerit Abrahám voci meæ, & cuſtodierit cuſtodiam meā, præcepta mea, ſtatuta mea, & Leges meas.

6 Et habitauit Iſhac in Gerár.

7 Et interrogauerũt viri loci de vxore eius,& dixit, Soror mea eſt. quia timuit dicere, Vxor mea eſt: ne fortè occiderent me viri loci: propter Ribcáh quia pulchra aſpectu erat.

8 Et fuit, quum prolõgati eſſent ei ibi dies, aſpexit Abimélech Rex Peliſthím per feneſtram,& vidit,& ecce Iſhác ludebat cum Ribcáh vxore ſua.

9 Et vocauit Abimélech Iſhác,& dixit, Verè ecce vxor tua eſt: & quomodo dixiſti, Soror mea eſt? Et dixit ad eũ Iſhác, Quia dixi, Ne forte moriar propter eã.

10 Et dixit Abimélech, Quid hoc feciſti nobis? paulum abfuit quin dormierit vnus è populo cum vxore tua,& venire feciſſes ſuper nos delictum.

11 Et præcepit Abimélech omni populo dicendo, Qui tetigerit virum hunc, & vxorem eius, moriendo morietur.

12 Et ſeuit Iſhác in terra ipſa,& reperit in anno ipſo centum modios: & benedixit ei Dominus.

13 Et creuit vir,& perrexit pergendo,& creſcendo, donec creſceret valde.

14 Et fuit ei poſſeſſio pecudum & poſſeſſio boum,& prouentus multus,& inuiderunt ei Peliſthím.

15 Et omnes puteos quos foderãt ſerui patris ſui in diebus Abrahám patris ſui, obthurauerunt Peliſthím, & impleuerunt eos terra.

16 Et dixit Abimélech ad Iſhác, Abi à nobis: quia fortior es nobis valde.

17 Et abiit inde Iſhác,& manſit in valle Gerár,& habitauit ibi.

18 Et reuerſus eſt Iſhác,& fodit puteos aquæ quos foderant in diebus Abrahám patris ſui: & obthurauerant eos Peliſthím mortuo Abrahám: & vocauit eos nominibus ſecundum nomina quibus vocauerat eos pater ſuus.

19 Et foderunt ſerui Iſhác in valle,& inuenerunt ibi puteum aquæ viuæ.

20 Et litigauerunt paſtores Gerár cum paſtoribus Iſhác, dicendo, Noſtra eſt aqua. & vocauit nomen putei Héſec: quia litigauerunt cum eo.

21 Et foderunt puteum alium,& litigauerunt etiam ſuper eo: & vocauit nomen eius Sitnáh.

22 Et trãſtulit ſe inde,& fodit puteum alium,& non litigauerunt ſuper eo: & vocauit nomen eius Rehobóth: & dixit, Quia nunc dilatationem fecit Dominus nobis,& creuimus in terra.

23 Et aſcendit inde in Beer-ſébah.

24 Et viſus eſt ei Dominus nocte ipſa, & dixit, Ego ſum Deus Abrahám patris tui: ne timeas, quia tecum ſum,& benedicam tibi,& multiplicare faciam ſemẽ tuum propter Abrahám ſeruum meum.

25 Et ædificauit ibi altare,& inuocauit nomen Domini,& tetendit ibi tabernaculum ſuum: & foderunt ibi ſerui Iſhác puteum.

26 Et Abimélech perrexit ad eum ex Gerár, & Ahuzáth *qui erat* ex amicis eius, & Phichol princeps exercitus eius.

27 Et dixit ad eos Iſhác, Cur veniſtis ad me,& vos odio habuiſtis me,& emiſiſtis me ne eſſem vobiſcum?

28 Et dixerunt, Videndo vidimus quòd eſſet Dominus tecum, & diximus, Sit nunc iuramẽtum inter nos, inter nos & inter te,& percutiamus fœdus tecum,

29 Si feceris nobiſcum malum: quemadmodum non tetigimus te, & quemadmodum fecimus tecum duntaxat bonum, & dimiſimus te in pace. tu nunc es benedictus Domini.

30 Et fecit eis conuiuium,& ederunt,atque biberunt.
31 Et ſurrexerunt mane: & iurauerunt alter alteri: & deduxit eos Iſhác,& abierunt ab eo in pace.
32 Et fuit,in die ipſa venerunt ſerui Iſhác,& nuntiauerũt ei de puteo quem foderant,& dixerunt ei,Inuenimus aquam.
33 Et vocauit eum Sibháh: idcirco nomẽ vrbis eſt Beer-ſébah vſque ad diẽ hãc.
34 Et erat Eſau quadragenarius, & accepit vxorem Iehudíth filiam Beerí Hittæi,& Boſmáth filiam Elón Hittæi.
35 Et irritabant ſpiritum Iſhác & Ribcáh.

1 Et *fuit fames*. Eodem ferè tẽtationis genere quo probatus bis fuerat Abraham,Iſaac quoque filium vexatũ fuiſſe refert Moſes.Quàm verò durus & violentus fuerit hic inſultus,antehac expoſui.Moleſta iam & aſpera erat illa conditio, quòd Deus ſeruos ſuos in terra quã ſe illis daturum promiſerat,hoſpites volebat eſſe,qui ſubinde in nouas ſedes migrarent: ſed hoc minus tolerabile videtur,quòd ne illic quidem peregrinari,ac inſtabilẽ,motoriámque (vt ita loquar) vitam agere paſſus eſt,ſed propemodum fame confecit.Quis non diceret Dominum ſui oblitum, vbi filiis ſuis quos in fidem,curámque ſuam recepit, ne parcè quidem & tenuiter alimẽta ſuppeditat? Verùm ita ſanctos patres exercuit Deus,vt eorum exemplis edocti,non ſimus in tentationibus nimis effœminati & molles. Quòd ad verba pertinet, quanquam duplex fuit ſterilitas tẽpore Abrahæ,Moſes tamen nonniſi vnius meminit,cuius recentior erat memoria.

2 Et *uiſus eſt ei Dominus*. Non dubito quin cauſæ ſit redditio cur ſe potius Iſaac in illam regionem contulerit,quàm profectus ſit in AEgyptum,quod fortè illi commodius fuiſſet: ſed cæleſti oraculo retentum fuiſſe docet Moſes, vt non fuerit libera optio. Nunc quæritur,cur Dominus Iſaac prohibeat ab AEgypti acceſſu,quò patrem eius deſcendere paſſus fuerat. Tametſi non exprimitur à Moſe ratio, coniicere tamen licet, iter illud magis periculoſum filio fuiſſe. Poterat quidem hunc quoque Spiritus ſui virtute inſtruere Dominus, vt patrem eius Abraham, ne eum AEgypti fœcunditas, & deliciæ ſuis illecebris corrumperent: ſed quia eo temperamento fideles ſuos gubernat, vt non ſtatim corrigat omnia eorum vitia, & in ſolidum purget: eorum infirmitatibus occurrit,& idoneis remediis mala quibus illaqueari poſſent,anticipat. Quia igitur plus infirmitatis eſſe cognouit in Iſaac quàm in Abraham fuerat, diſcrimini eum obiicere noluit. Fidelis enim eſt qui ſuos tentari non ſinit vltrà quàm ſunt ferẽdo. Sicut autem ſtatuendum eſt,quãlibet arduæ tentationes, & oneroſæ nobis incumbant, nunquam auxilium Dei nobis defore ad vires ſuggerendas:ita viciſſim cauere oportet ne temerè irruamus in pericula: ſed ſua quenque imbecillitas monere debet,vt ſolicitè & timidè ſe contineat. 1.Cor.10.c.13

Habita in terra. Iubet ſubſidere in terra promiſſa:ſed ea lege vt inquilinus in ea verſetur.Atque ita ſignificat nondum adeſſe tempus quo fruatur eius dominio. Spe quidem hæreditatis promiſſæ animum eius ſuſtentat: ſed hunc honorem vult haberi verbo ſuo, vt inter externas agitationes intus quieſcat Iſaac.Et certè nunquam meliori fulturæ innitimur, quàm dum ab ore Domini ſuſpenſi,poſthabito rerum præſentium aſpectu,benedictionem eius quæ nondum apparet,fiducia apprehendimus. Cæterùm promiſſionem antè datam rurſus inculcat, vt ad parendum alacrior reddatur Iſaac.Sic enim ab ignauia ſeruos ſuos expergefacere ſolet Dominus, vt ſtrenuè ſibi militẽt, dum ſubinde affirmat non irritum fore eorum laborem. Etſi enim gratuitum & liberale obſequium à nobis tanquam pater à filiis,exigit, eò tamen vſque ſe demittit ad captum noſtrum, vt oſtenſo præmio nos inuitet atque hortetur.

5 *Eo quòd obediuerit Abraham*. Non intelligit Moſes,Abrahæ obedientiam fuiſſe cauſam cur ei firma, ratáque fuerit Dei promiſſio: ſed ſuprà capite 22.d.18, vbi ſimilem locum habuimus, dictum fuit quod gratis fidelibus largitur Deus, interdum ipſis præter meritum aſcribi, vt ſuum ſtudium probari Domino ſcientes, ſe totos ardentius in eius cultum addicant & impendant.Ita nunc Abrahæ obedientiam commendat, vt ad eius imitationem ſtimuletur Iſaac. Tametſi autem nondum erant ſcriptæ leges, ſtatuta, ritus, præcepta & cæremoniæ, his tamen vocibus vſus eſt Moſes, quo melius exprimeret quàm ſedulò vitam ſuam compoſuerit Abraham ad vnius Dei arbitrium: quàm ſtudioſè abſtinuerit ab omnibus Gentium inquinamentis, & quàm exactè tenuerit rectum pietatis curſum, ne deflecteret ad dexteram, vel ſiniſtram. Nam his elogiis Legem ſuam ſæpe Dominus celebrat cohibendæ laſciuiæ noſtræ cauſa:acſi diceret, nihil illic ad perfectam regulã deeſſe: ſed omnes abſolutæ ſanctitatis numeros eam complecti. Senſus eſt igitur,Abraham vita ſua penitus ad Dei nutũ formata, in puro eius cultu ambulaſſe.

7 Et *interrogauerunt uiri loci illius.* Refert Moſes,ſimili modo quo patrem Abraham, tentatum fuiſſe Iſaac in vxoris raptu. Nec dubium eſt quin per illius veſtigia deductus fuerit, vt ſimilitudine ipſa admonitus,ſe ſocium adiungeret eius fidei. Quanquam hac in parte vitium patris fugere potius debebat, quàm imitari. Nec enim dubium eſt quin ſatis teneret,matris pudicitiam bis fuiſſe in magno diſcrimine: & quanuis mirabiliter Dei manu erepta foret, vtrunque tamen ſuæ diffidentiæ pœnas dediſſe.Quòd ergo nunc Iſaac ad eundem impingit lapidem, in eo excuſari non poteſt eius ſocordia. Expreſſis quidem verbis vxorem non abnegat: ſed in eo primùm culpandus eſt, quòd ſeruandæ vitæ cauſa, ad ſimulationem mendacio non abſimilem confugit.deinde quòd vxorem à fide coniugii,abſoluens, alienis proſtituit. Sed præcipuè culpam,vt dixi,exaggerat, quòd domeſticis exemplis non attendens, ſponte illā in manifeſtum diſcrimen proiicit. Vnde apparet quanta ſit naturæ noſtræ ad diffidentiam propenſio,& quàm facilè ſit in rebus perplexis conſilio deſtitui. Quum autem tot pericula nos vndique circunſtent, rogandus eſt Dominus vt nos Spiritu ſuo confirmet, ne mentes noſtræ metu & trepidatione diffluant & euaneſcant:alioqui ſubinde perperam aliquid tentare continget,cuius ſtatim,& tamen ſerò nos pœniteat.

8 *Aſpexit Abimelech Rex Peliſthim per feneſtram.* Mira Dei indulgentia, quòd non modò duplicem culpam ſeruo ſuo ignoſcere dignatus eſt, ſed manum etiam illi porrexit, & remedio maturè adhibito,quod ille ſibi accerſierat malum ,mirabiliter auertit. Non paſſus eſt vxorem è gremio eius rapi, quod bis Abrahæ contigerat,ſed excitauit Regem profanum, qui ſtultitiam eius placidè & ſine moleſtia corrigeret. Cæterùm quanuis tale ſuæ benignitatis exemplum proponat Deus, vt fideles ſiquando lapſi fuerint, ſibi clementem & propitium fore confidant:ſecuritas tamē cauenda eſt, quando videmus ſingulari priuilegio exemptam à probro fuiſſe ſanctam mulierem, quæ tunc vnica Eccleſiæ erat in terris mater. Interea coniicere licet ex iudicio Abimelech,quàm ſanctè & pudicè verſatus fuerit Iſaac, in quem ſiniſtra ſuſpicio cadere nó potuit. deinde quanto maior tunc viguerit integritas,quàm noſtro ſeculo.Cur enim non damnat Iſaac ſcortationis? nam probabile erit,aliquid flagitii latere,quum ſororis nomen aſtutè obtendens, vxorem eſſe tacitè negaret.Ego igitur non dubito quin religio, vitæque honeſtas ad tuendam eius exiſtimationem profuerit. Quo exemplo docemur ſic colendam eſſe iuſtitiam tota vita, ne quid de nobis ſceleſtum vel turpe ſuſpicari poſſint homines. nihil enim eſt quod melius ab omni infamiæ nota vindicet, quàm vita pudicè & temperanter acta. Addendum tamen eſt illud quoque quod poſterius attigi,non ita vulgatas & profuſas illo tempore fuiſſe libidines,vt de hoſpite non improbo obliqua ſuſpicio animum Regis ſubiret. Quare ſibi facilè perſuadet,Rebeccam vxorem eſſe, non ſcortū.Inde etiam probatur ſeculi illius caſtitas,quòd familiarem luſum Iſaac cum Rebecca pro coniugii indicio accepit Abimelech. Non enim de coitu loquitur Moſes,ſed de aliquo liberiore geſtu:qui vel diſſolutæ laſciuiæ,vel coniugalis amoris teſtis eſſet.Núc eò perrupit licentia,vt mariti diſſolutos vxorum cum alienis luſus taciti ferre cogantur.

10 *Quid hoc feciſti nobis?* Non caſtigat Dominus Iſaac ſicut erat promeritus: fortè quia non ita ad patientiam inſtructus erat vt pater. quare ne ipſum exanimet vxoris raptus, clemēter Deus anteuertit.Quo tamen plus verecundiæ afferat reprehenſio, magiſtrum & cēſorem illi deſtinat hominem profanum. Adde quòd non tam nocendi,quàm exprobrādi animo,eius ſtultitiā obiurgat Abimelech.Hoc verò penitus animū ſancti viri vulnerare debuit,quum delictum ſuum videret etiam cæcorum iudicio obnoxium eſſe. Quare meminerimus in luce quam nobis Deus accendit,eſſe ambulandum: ne increduli ipſi qui tenebris ignorantiæ impliciti ſunt,ſtuporē noſtrum coarguant.Et certè quum voci Dei obtemperare negligimus,digni ſumus quos ad boues & aſinos ableget.Non exagitat quidē, nec perſequitur Abimelech totum peccatū Iſaac, ſed vnā tantùm culpæ partem attingit. Verùm leuiter vno hoc verbo admonitus debuit vltrò ſe dānare,quòd ſe & vxorem Deo non cōmendans,qui ſe vtriuſque cuſtodē fore promiſerat,ſua incredulitate ad illicitum remedium delapſus eſſet. Hoc enim proprium habet fides, quòd nos intra metas diuinitus præſcriptas continet,nequid tentemus niſi ex eius mādato,vel permiſſu. Vnde ſequitur vacillaſſe fidem Iſaac,quū ab officio mariti deflexit. Colligimus præterea ex verbis Abimelech,ſenſum hūc gentium omnium animis infixum fuiſſe, vt ſancti coniugii violationem crimen eſſe ſcirent cæleſti vindicta dignum, ſibique à Dei iudicio metuerent. Nam etſi craſſis nebulis obtenebratæ ſunt hominum mentes,vt ſubinde hallucinentur,Deus tamen aliquod iuſti & iniuſti diſcrimen manere voluit, vt ſuum quiſque reatum circunferat, ſintque omnes inexcuſabiles.Quòd ſi incredulos quoque ad ſuum tribunal citat Deus,nec iuſtam damnationem effugere patitur,quàm horribilis pœna nos manet, ſi notitiam quam Deus conſcientiis noſtris inſculpſit,malitia noſtra delere conamur?

11 Et *præcepit Abimelech.* Quòd capitalē pœnam denuntiat,ſi quis homini inquilino iniuriam

fecerit,singulari priuilegio hoc fuisse edictũ coniicere licet. Neque enim cuiuslibet iniuriæ tam rigidè vindicari solẽt. Vnde porrò hoc studium Regi, vt sanctiorẽ habeat Isaac omnibus indigenis,& eum ferè sibi æquiparet, nisi quòd in eo relucet quædã Dei maiestas, quæ talem ei reuerentiam conciliat? Deus autem vt serui sui infirmitatẽ subleuet,modis omnibus ad hunc fauorem profani hominis inflectit animum. Nec dubium est quin Regem etiam eius verecundia impulerit ad eum tam solicitè tuendum. Nam hominẽ trepidum esse videns,qui propriæ vxoris iactura vitam redimere paratus fuerat,eo propensiore animo fauet eius periculis, quo tutus in sua ditione,securúsque degat.

12 *Et seuit Isaac.* Hîc Moses narrare pergit quomodo Isaac manifestum fructũ perceperit promissæ sibi à Deo benedictionis. Dicit enim,quũ seminasset,prouentum centuplo fuisse maiorẽ: quæ rara est etiam in illis terris vbertas. Addit etiã fuisse diuitem pecoris, habuisse amplum famulitium. Horũ verò omnium laudẽ tribuit Dei benedictioni: sicut etiam habetur in Psalmo, *Psal.127.4.a* Dominum suis dormientibus affatim suggerere quod illis sufficiat. Quæritur tamen quomodo ferere potuerit Isaac quẽ Deus tota vita peregrinari iubebat. Sunt qui putãt agrũ aliquẽ emisse, & ita vocem נקח,interpretantur possessionẽ: sed contextus eorũ errorẽ coarguit:quia paulo pòst nulla venditio sanctum virum morata est quominus vasa aliò trãsferret:deinde quum eius vocationi, Deíque mandato agrorum emptio contraria esset, hoc proculdubio tam notabile vitiũ nõ præteriisset Moses. Adde quòd dũ statim fit expressa mẽtio tabernaculi,hinc colligimus,quocunque venisset,hospitis more precariò habitasse. Ergo tenẽdum est,sationem hanc in agris conductitiis esse factam. Quanquam enim pedem non habebat propriæ possessionis, vt tamen officium boni patrisfamiliâs præstaret,familiæ suæ victum parare debuit:&fortè eius sedulitatem ac industriam acuit fames,vt sibi in posterum diligentius prospiceret. Memoria tamen repetere conuenit quod nuper attigi,abundantiam quam suo labore adeptus est,Dei gratiæ ferri acceptã.

14 *Et inuiderunt ei Philisthim.* Docemur hac historia benedictiones Dei quæ ad præsentis ac terrenæ vitæ vsum spectant,nunquam puras esse & liquidas, sed permixtas aliquibus molestiis,ne socordiam ex nimia quiete & deliciis cõtrahant. Quare discamus omnes,nõ nimis cupidè magnas opes appetere. Siqua inquietudine vexẽtur diuites,sciant se expergefieri à Domino, ne suis lautitiis indormiãt:pauperes hoc solatio fruãtur,quòd inopia suis etiam cõmodis nõ caret. Neq; enim vulgare bonũ est,extra inuidiã,tumultus & rixas viuere. Siquis obiiciat,Hoc in gratia non esse imputandũ,quòd Deus Isaac opibus amplificans,inuidiæ,contentionibus, & multis turbis eum exposuit:solutio in prõptu est,molestias omnes quibus suos Deus exercet, nõ obstare quominus quæcunque largitur beneficia,paterni eius amoris gustũ retineãt, Denique sic temperat quẽ in hoc mũdo fauorẽ declarat filiis suis,vt acerbis interea punctionibus eos extimulet ad cælestis vitæ respectũ. Cæterùm non leuis ista fuit tentatio, quòd elementum bestiis etiã omnibus cõmune,sancto Patriarchæ negatũ est:quo æquius nos ferre decet mediocres iniurias. Quòd sibi quando indignè læsi efferuescimus, subeat in memoriam,nondum saltem adeò immaniter nobiscum agi vt cum sancto Isaac,qui de aqua certare coactus est. Adde quòd non simpliciter eretrema igitur fuit ista crudelitas, hospitem non solùm omni officio fraudare, sed etiam eripere quod patris sui labore quæsitum,sine cuiusdam incommodo possidet.

16 *Dixit etiam Abimelech.* Incertũ est spõténe expulerit Isaac Rex Gerar ex sua ditione,an aliò cõcedere iusserit,quia videbat popularibus esse inuisum. Potuit enim hoc modo amicè illi cõsulere. quanquã verisimile est alienatũ fuisse eius animũ ab Isaac. nã sub finem capitis referet Moses,odiosè de ipso quoq;,vt de aliis,conquestũ fuisse sanctũ hominẽ. Sed quia de eius affectu nihil certò asserere possum⁹, tenere sufficiat quod plus habet momẽti: fieri cõmuni hominũ malitia, vt vulgo suspecti sint qui longè super alios eminẽt. satietas enim ferocitatem parit. Quare nihil magis procliue est,quàm vt superbè se iactent diuites,sẽque insolentius quàm par sit,efferant,& suæ potentiæ neruos intendant aliis opprimendis. Nulla quidem talis suspicio cadere potuit in Isaac: sed communis vitii inuidiam sustinuit. Vnde colligimus quanto vtilior nobis sæpe sit,& magis optabilis mediocris fortuna, quæ saltem quietior est, nec tam exposita odiorum procellis,vel sinistris suspicionibus obnoxia. Cæterùm quàm rara & insolita fuerit Dei benedictio in augendo Isaac,hinc colligitur, quòd eius opes tam Regi quàm populo formidabiles sunt. Copiosa quidem à patre hæreditas illi obuenerat:sed Moses ostendit,ex quo terram illam ingressus est,ita breui creuisse vt incolis visus fuerit minimè tolerabilis.

18 *Et fodit puteos aquæ.* Primùm videmus sanctũ virũ tã odiosum fuisse vicinis,vt coactus fuerit sibi recessum quærere aquarũ inopẽ. Nulla autẽ æquè molesta,& ad vitæ vsum incõmoda habitatio,quàm quæ aquarũ penuria laborat. Adde quòd pecoris copia,& seruorũ amplitudo instar parui exercitus,aquatione opus habebat. quare videm⁹ miris angustiis fuisse cõstrictũ. Quod autẽ hæc vltima necessitas eũ ad tentãdã vindictã nõ instigat, singularis tolerãtiæ signũ est. Scim⁹

enim vt sæpe humanis & modestis hominibus patientiam extorqueant leuiores iniuriæ. Siquis vires defuisse obiiciat: fateor quidem bello gerendo parem nō fuisse. sed quū pater Abrahā quadringentos seruos armauerit, ipse quoque certè habuit seruorū turmam, quæ vim à vicinis illatā facilè repelleret. Cæterùm spes quam sequutus erat, quum in vallem Gerar cōcederet, iterum illi repentè abscinditur. Sciebat patrem Abraham illic proprijs puteis, & à se repertis vsum esse. Quanquam autem occlusi erant, satis tamen erat venas aquarum cognitas habere, ne fodiendo laborem frustrà impenderet. Porrò quòd putei post Abrahæ discessum obstructi fuerant, hinc colligitur quàm parum gratus fuerit hospes incolis. Quanuis enim puteis ipsorum regio melior reddita esset, hac tamen vtilitate se priuare malunt, quàm habere vicinum Abraham. nequa enim commoditas ipsum inuitet, obductis puteis viam illi quodammodo præcludunt. Mos veteribus fuit, siquem volebāt extinctum & resectum ab hominum societate, interdicere aqua & igni. Philisthini vt è sua vicinia Abraham submoueant, ei subtrahunt aquæ elementum. *Vocauit eos nominibus.* Noua puteis nomina non indidit, sed quæ imposita fuerant à patre suo Abraham in vsum restituit, vt hac memoria vetus possessio renouaretur. Sed superueniēs violentia mutare nomina ipsum cogit, vt saltē monumēto aliquo testatū faciat, ac Philisthinis exprobret quā fecerant iniuriam. Nam quum puteum vnum vocat Iurgium vel rixam, alterum Hostilitatem, iure, vel honesto titulo possidere negat quod hostiliter vel prædonum more rapuerint. Interim reputare conuenit inter istas rixas non minus asperum fuisse illi certamen cum siti & aquæ inopia, qua illum conficere tentabant Philisthini. sic enim texenda est historia. Primùm suo more breuiter perstringit Moses rei summam, quòd scilicet Isaac in animo habuerit puteos olim à patre inuentos rursus sibi aptare, & quasi postliminio repetere amissam possessionem. Deinde fusius exequitur, quum opus aggressus foret, suo labore iniquè fraudatum esse. Quòd autem in tertio puteo gratias Deo agit, & Latitudines ideo appellat quòd per Dei gratiam liberior aquæ copia nunc suppetat: specimen est inuictæ patiētiæ. Ergo quālibet duriter vexatus fuerit, quum tamen molestiis defunctus tam placidè gratias agit Deo, & eius bonitatem celebrat, se inter medias turbas compositum, & sedatum animum retinuisse ostendit.

23 *Et ascendit in Beersebа.* Sequitur vberior cōsolatio, & ad recreandum sancti viri animum planè efficax. Quòd tranquillo puteo fruitur, inde iam agnoscit propitium sibi esse Deum. Sed quia apud fideles plus habet pōderis vna vox Dei, quàm bonorum omnium cōgeries: nō dubiū est quin lætius oraculū hoc exceperit Isaac, quā si mille nectaris riui fluxissent. Et certè Moses consultò gratiam hanc, quòd eum Dominus verbo suo erexit, magnificè cōmendat: quo discamus reliquis Dei beneficiis ita suum honorem tribuere, vt palmam semper obtineat paterni amoris testimoniū, quod nobis verbo suo reddit. Victus, vestitus, bona valetudo, pax, & alii prosperi successus diuinæ bonitatis gustum nobis præbent. sed quum familiariter nos alloquitur, ac disertè pronūtiat se esse patrem, illic verò est quod nos ad satietatem penitus reficiat. Quænam migrandi causa fuerit vt Isaac ascēderet Beersēba in vetus patris hospitiū, non explicat Moses. fieri potest vt Philisthini subinde eum lacessere nō desierint: atque ita Sanctus vir implacabilis eorū malitiæ pertæsus, lōgius discesserit. Temporis quidem circūstantia probabile facit, mœstum & anxium fuisse. Ex quo appulit in locum illum, prima nocte Deus illi apparet. hic notatur aliqua temporis opportunitas. Porrò quoties antehac retulit Moses Deum apparuisse Abrahæ, simul docebat Sanctum virum vel grauibus curis torqueri, vel perplexum teneri in aliquo timore, vel demersum esse in tristitia, vel post multas ærumnas quasi lassitudine confectum: vt constaret tempestiuè, sicuti poscebat necessitas, manum à Deo illi porrectam, ne malis succumberet. Ita nunc ad Isaac venire interpretor, vt variis miseriis defessum & semifractum instauret.

24 *Et visus est ei Dominus.* Visio hæc, sicut alibi diximus, præparatio fuit, vt Deum attentius audiret, ac certior fieret sibi negotium esse cum Deo. Sola enim vox, minus habuisset energiæ. Apparet ergo Deus, vt fidem, ac reuerentiam verbo suo conciliet. In summa, visiones fuerunt Diuinæ præsentiæ quasi symbola, ne dubitarent sancti Patres Deum esse qui verba facturus erat. Siquis obiiciat, non satis hoc firmū fuisse, quū similibus præstigiis sæpe illudat Satā, sitque velut Dei simia: tenendum memoria est quod alibi diximus, dilucidam, & minimè ambiguam notam Dei visionibus fuisse insculptam, vnde eas à fallaciis certò discernerent fideles, ne fides eorum suspēsa foret. Et certè quū Satan nōnisi in tenebris illudat, ab hoc periculo eximit Deus filios suos, vultus sui splēdore eorū oculos illustrās. Cæterùm gloriā suā nō in solidū patefecit Deus sanctis Patribus, sed formā induit ex qua eum pro captus sui modulo agnoscerēt. nam vt immensa est Dei maiestas, neq; humano sensu cōprehēdi potest, & sua magnitudine totum mū-dū absorbet. Adde quòd ad Dei præsentiam necesse est homines pro sua infirmitate non modo

liquescere, sed prorsus in nihilum redigi. Quare non significat Moses visum fuisse Deum qualis & quantus in se est, sed prout eius conspectum ferre poterat Isaac. Cæterùm quòd diximus visionem Diuinitatis testē fuisse, vt fides cōstaret oraculo, ex contextu melius patet. Neque enim mutum spectrum fuit: sed mox sequutus est sermo, qui fidem adoptionis gratuitæ, & salutis stabiliret in animo Isaac. *Ego sum Deus Abraham.* Huc spectat præfatio, vt omnium promissionum, quæ factæ antè fuerant, memoriam renouet, ac mentem Isaac dirigat ad perpetuum fœdus, quod cum Abraham percussum, ad posteros quasi per manum transmitti debuit. Præfatur ergo Dominus se illum esse Deum qui ab initio Abrahæ loquutus est: ne hoc oraculum à prioribus separet Isaac. Quoties enim gratiæ suæ testimoniū repetiit apud fideles, nouas quidem futuras suppositit eorum fidei, ipsam tamen in primo fœdere, quo sibi eos adoptauerat, fundatam manere voluit. Atque hæc nobis ratio tenenda est, vt Dei promissiones, sicut indiuiduo nexu cohærent, colligere discamus. Et principium illud semper occurrat, Deum tam benignè nobis promittere gratiā, quia gratis nos adoptauit. *Ne timeas.* Quoniam hæc verba alibi exposita sunt, nunc ero breuior. Primò notandum est, in hunc finem Deum alloqui fideles, vt tranquillet eorum animos. Nam sublato eius verbo, vel stupidos torpere, vel inquietudine torqueri necesse est. Vnde sequitur, non aliunde prodire nobis pacem, quàm ex ore Domini, dum salutis nostræ præsidem se testatur. nō quòd tunc immunes simus ab omni metu: sed quia ad sedandas perturbationes satis efficax est fidei securitas. Postea Dominus amorem suum ab effectu demonstrat, quum se benedicturum Isaac promittit.

25 *Et ædificauit ibi.* Ex aliis locis satis cognoscimus, Mosem hîc de solenni cultu loqui. Nam interior Dei inuocatio neque altari indiget, nec peculiarem habet loci delectum. & certum est, Sanctos, vbicunque agerent, Deum coluisse. Sed quia pietas testimonium habere debet apud homines, Isaac erecto, & consecrato altari profitetur se verum, & vnicum Deum colere: atque hoc modo à pollutis Gentium sacris se disiūgit: nec sibi vni, sed toti familiæ altare erexit, vt illic cum suis omnibus sacrificia perageret. Porrò quum ad externa fidei exercitia conditum fuerit altare, inuocatio Dei tantundem valet acsi dixisset Moses, Isaac celebrasse Dei nomen, & de sua fide testatum esse. Habet etiam alterum vsum visibilis iste Dei cultus, vt scilicet homines pro sua infirmitate ad timorem Dei se extimulent, & exerceant. Adhæc, quum sciamus tunc mandata fuisse sacrificia, tenendum est, Isaac non temerè lusisse in Deo colendo, sed fidei regulam seruasse, nequid nisi ex Dei verbo susciperet. Vnde etiā colligimus quàm præposteram sit, & erratica patrum imitatio, nisi Dominus simili mandato nos illis coniungat. Interea clarè sonant verba Mosis, quæcunque fideles pietatis exercitia suscipiunt, ad hunc scopum esse destinanda, vt colatur, & inuocetur Deus. Huc igitur ritus omnes, & cæremonias referri oportet. Cæterùm quanquam sanctis Patribus ordinarium fuit, quocunque loco tabernacula figebant, altare extruere: colligimus tamen ex serie verborum, postquam Deus seruo suo Isaac apparuit, hac de causa extructum fuisse ab eo altare, vt gratitudinis suæ signum daret. *Et foderunt ibi serui Isaac puteum.* Mirum est, quum loco iam impositum esset nomen à puteo, Isaac rursus aquam illic quærere, præsertim quum ius putei Abraham sibi, & posteris à Rege emisset. Adde quòd difficilis, & laboriosa fuit effossio. Neque enim frustrà dicit Moses, venisse postea seruos qui nuntiarent inuentā esse aquam. Ego itaque non dubito quin vbique inter illius regionis homines inita fuerit conspiratio, vt sanctum hominem aquarum inopia expellerent, vt hic quoque puteus Seba fraude obstructus fuerit. Ostendit etiam contextus, priorem colendi Dei curam fuisse sancto patriarchæ: quia postquam narrauit Moses extructum fuisse altare, de puteo meminit. Iam operæpretium est notare, cum quantis molestiis assiduè luctati sint sancti illi patres: quibus vincendis, vel ferendis nunquam pares fuissent, nisi lōgè alieni à nostris lautitiis. Quàm enim nobis acerba esset aquæ difficultas, qui sæpe Deo obstrepimus, nisi suppetat vini copia? His ergo exemplis ad tolerantiam se assuefaciant fideles: & siquā-do alimenta, & reliqua vitæ subsidia illos deficiunt, oculos conuertant in Isaac, qui siticulosus in hæreditate sibi diuinitus promissa errauit.

26 *Et Abimelech perrexit ad eum.* Similem prorsus historiam habuimus capite 21. c. 22. Ergo Dominus filium Isaac eodem fauore prosequutus est, quem Abrahæ ostēderat. Hæc enim benedictio est non vulgaris, quòd Abimelech eius amicitiam vltrò appetit. Adde quòd illi non parua cura, & anxietas eximitur, quòd vicini, qui tot modis eum infestauerant, nunc sibi ab eo timentes, amicum habere cupiunt. Ergo Dominus insigni honore affecit seruum suum, & simul eius tranquillitati consuluit. Certè arcano Dei instinctu adductum fuisse Regem, minimè dubium est. Cur enim, si metuit, non alio remedio sibi cauet? Cur eò se demittit, vt priuato homini supplicet? Cur saltem potius non accersit, vel mandat pro imperio quid facere ipsum velit? Sed animū eius Deus perculerat, vt regalis superbiæ oblitus, pacem, & fœdus ab homine nec cupido, nec bellicoso, nec magnis copiis instructo peteret. Itaque hominum animos in Dei manu esse discamus, vt eos non

modo ad mãſuetudinẽ flectat,qui prius ferocia turgebãt,ſed terrore humiliet,quoties illi placet.

27 *Cur ueniſtis ad me?* Non modò de acceptis iniuriis expoſtulat Iſaac,ſed denuntiat in poſterum ſe illis non poſſe fidem habere,quum expertus ſit ipſos in ſe hoſtili eſſe animo. Atque hic locus docet,licere fidelibus de ſuis aduerſariis conqueri, vt eos à nocendi libidine, ſi poſſunt, reuocent,ac prohibeant ipſorum vim, fraudes, & iniurias. Neque enim libertas patientiæ repugnat: neque hoc à ſuis requirit Deus, vt quicquid noxæ illatum fuerit, taciti deuorent, ſed tantum vt animos & manus contineant à vindicta. Quòd ſi puri,& compoſiti erunt animi,neque etiam virulentæ erunt linguæ,vt delicta exprobrent:ſed hoc tantùm habebunt propoſitum,vt improbos pudore compeſcant à malitia. Nam vbi nulla ex querelis ſpes eſt profectus, tacendo pacem alere præſtat:niſi fortè vt qui ſibi in maleficiis placent,reddantur inexcuſabiles. Cauendum ſemper quidem eſt,ne vlciſcendi cupidine ad exprobrandum linguæ proſiliant: & quemadmodum dicit Solomon,Odium detegat rixas. *Vidimus Dominum tibi adeſſe.* Hoc argumento probant ſe non

Prouerb.10.b.12

inſidioſè,ſed bona fide fœdus petere,quia Dei fauorem agnoſcant erga Iſaac. Purganda enim fuit illa ſuſpicio,quòd tam comiter ſe illi offerrent,cui prius ſine cauſa infenſi fuerant. Continet tamen hæc eorum confeſſio valde vtilem doctrinam. Profani homines dum benedictum Domini appellant,cui rectè & fœliciter ſuccedunt omnia, Deum teſtãtur bonorum omnium eſſe autorem,à quo ſolo fluat omnis proſperitas. Nimis itaque pudenda eſt noſtra ingratitudo, ſi Dei benedictionem clauſis oculis præterimus,vbi nobiſcum benignè agit. Deinde profani homines eius amicitiam ſibi expetendam ducunt,cui Dominus fauet:vt certè nulla eſt melior,nec ſanctior commendatio quàm ex Dei amore. Nimis ergo peruerſè cæcutiunt, qui non modò negligunt quos Deus ſibi charos eſſe teſtatur,ſed iniquè etiam vexant. Pronuntiat Dominus ſe fore vindicem ſi quis lædat,quos ſub præſidio ſuo habet. maior pars hac tam horribili denũtiatione nó mouetur, quin ſceleratè bonos & ſimplices affligat. Atqui videmus incredulis hoc dictatum fuiſſe à naturæ ſenſu,quod ore Dei teſtatum vix credimus. Sed mirum eſt cur ſibi timeãt ab homine innoxio:& iuramentum exigant,nequid noxæ vel damni afferat. Debebãt quidem ex Dei fauore ſtatuere probum eſſe virum,ideóque nihil inſtare ab eo periculi:quia tamen ex ſuo ingenio & moribus eum æſtimant, probitati quoque diffidunt. Et talis perturbatio ferè incredulos exagitat, vt ſecum ipſi diſſideant, vel ſaltem inter repugnantes ſententias alternent ac æſtuent, nec quicquam habeant fixum & æquabile. Principia enim recti iudicii quæ exurgunt in eorum animis,mox prauis affectibus ſuffocãtur. ita fit vt euaneſcat quod probè conceptum eſt:vel ſaltem corruptum non perueniat vſque ad bonam frugem.

29 *Quemadmodum non te tetigimus.* Mala conſcientia eos vrget,vt cupiant ſibi deuinctum, & obſtrictum habere, ideò iuſiurandum poſtulant ne noceat. Sciebant enim iure humano poſſe vlciſci quas perpeſſus erat moleſtias: hoc tamen diſſimulant: imò mirificè iactant ſua beneficia. Fuerat quidem initio non vulgaris Regis humanitas: nec hoſpitaliter modò egerat cum Iſaac, ſed peculiari honore eum dignatus fuerat:ſed ad extremum minimè perſtitit. Cæterùm faciũt ex communi hominum more, quum ſua delicta quocunque poſſunt artificio, & colore fucant. Atqui ſiquid peccauimus,ingenuè potius fateri culpam deceret, quàm negando, eorum animos qui læſi ſunt, magis vulnerare. Iſaac tamen quia ſatis habet pupugiſſe eorum conſcientias,non vlterius eos inſequitur. Neque enim extranei nobis ita vt domeſtici tractandi ſunt: ſed ſi nihil proficitur, relinquendi ſunt Dei iudicio. Quanquam ergo iuſtam ab illis cõfeſſionem non extorquet Iſaac: nequid tamen hoſtile intus alere putetur, ferire cum illis fœdus non recuſat. Ita ſuo exemplo docet,ſiqui ſe à nobis alienarunt,non eſſe repellendos vbi ſe offerunt. Nam ſi pacẽ iubemur perſequi,etiam quum videtur à nobis fugere, lõgè minus difficiles eſſe conuenit,dum ſe vltrò inimici reconciliant:præſertim ſiqua in futurum correctio ſperatur, etiam ſi nondum vera reſipiſcentia apparet. Et eos conuiuio excepit non tantùm redimendæ pacis cauſa, ſed ſimul vt oſtenderet ſe omni offenſa depoſita,illis eſſe amicum. *Tu nunc es benedictus Dom.* Vulgò ita exponunt quaſi blanditiis eliciant gratiam, vt blandiri ſolent qui rogant: ſed hoc magis fuiſſe additũ arbitror diuerſo ſenſu. Cõqueſtus fuerat Iſaac de ipſorum iniuriis,quòd per inuidiam expulſus foret:reſpondẽt non eſſe cur aliquid doloris reſiduum maneat in eius animo quum tam benignè,& pro voto à Domino tractetur:acſi dixiſſent, Quid tibi vis? annon contẽtus es præſenti fortuna? vt demus nos bonorum hoſpitum officio nõ fuiſſe functos, benedictio tamẽ Dei ad delendam temporis illius memoriam abundè ſufficit. Fortè tamen his verbis iterum confirmant ſe bona fide cum eo agere,quia ſit in Dei tutela.

31 *Et iurauerunt alter alteri.* Iurare non dubitat Iſaac:partim vt Philiſtinos magis pacatos habeat,partim ne ſit illis ſuſpectus. Atque hæc legitima eſt iurandi ratio, dum ſeſe mutuò obligãt homines ad pacem colẽdam. Sufficere quidem deberet ſimplex promiſſio: ſed quia facit hominum vel ſimulatio, vel inconſtantia, vt alii aliis diffidant, Dominus nomen ſuum commodat,

vt hæc pactis noſtris accedat ſanctior confirmatio. nec tantum permittit, ſed etiam mandat vt iuremus quoties id neceſſitas exigit. Interim cauendũ ne eius nomen temerè iurãdo profanetur. Deut. 6. c. 13

31 *Et fuit in die ipſa.* Hinc apparet (vt paulo antè dxi) non vno tẽporis momento repertas fuiſſe aquas. Si quæritur, vnde ei iumentis, & familiæ per illos dies aquatio: ego quidem nõ dubito quin vel pretio emerit, vel longè coactus merit petere, ſiquis humanior repertus eſt, vnde precariò ſumeret. Quod ad nomen ſpectat, falluntur meo iudicio, qui aliud eſſe putant, quàm prius impoſuerat Abraham. nam quia vox Hebræa ambigua eſt, Abraham ad fœdus alluſit, quod cum Rege Gerar pepigerat: nunc verò Iſaac veterem memoriam repetens, fœdus à ſe percuſſum cõiungit.

34 *Et erat Eſau quadragenarius.* Multis de cauſis refert Moſes coniugia Eſau. Quòd enim ſe miſcuit cum terræ incolis à quibus diuiſum erat ſanctum Abrahæ genus, & affinitates contraxit, quæ illum implicitum tenerent, quoddam fuit abdicationis eius præludium. Hoc etiam mirabili Dei conſilio factum eſt, vt ſancto Patriarchæ, eiúſque vxori graues & moleſtæ fuerint nurus, ne paulatim ſe applicarent ad reprobum illum populum. Si placuiſſent Gentis mores, & nacti fuiſſent probas, & morigeras puellas, fortè ex eorum conſenſu inde Iſaac quoque duxiſſet vxorem. Cõiugii autem inter ſe illigari fas non fuit, quos Deus volebat eſſe hoſtes perpetuos. Vnde enim Abrahæ poſteris terræ hæreditas, niſi ex eorum interitu, apud quos ad tempus peregrinabantur? Ergo inauſpicatis iſtis coniugiis illecebras Deus præcidit, vt poſitum à ſe diſſidium maneret. Hinc verò conſtat quàm paternè dilectus fuerit Eſau ab Iſaac. Nam etſi ſanctus vir filii vxores iure habet odio, & in eas exacerbatus eſt eius animus, illum tamen ſumma beneuolentia proſequi non deſinit, vt poſtea videbimus. De polygamia alibi dictum eſt. Sic inualuerat corruptela hæc paſſim apud multos populos, vt mos quanuis vitioſus pro lege eſſet. Non mirum igitur ſi homo carni ſuæ addictus, ſuæ libidini duas vxores ſumendo indulſit.

Cap. XXVII.

1 ET fuit, quum ſenuiſſet Iſhac, & caligaſſent oculi eius ita vt non videret, vocauit Eſaú filium ſuum maiorem, & dixit ad eum, Fili mi. Et dixit ad eum, Ecce adſum.

2 Et dixit, Ecce nunc ſenui: non noui diem quo moriar.

3 Nunc igitur cape quæſo inſtrumenta tua, pharetram tuam, & arcum tuum, & egredere in agrum, & venare mihi venationem.

4 Et fac mihi cibos ſapidos quemadmodum diligo, & affer mihi, & comedam: vt benedicat tibi anima mea antequam moriar.

5 Ribcáh autem audiebat dum loqueretur Iſhác ad Heſaú filium ſuum: & perrexit Heſaú in agrum, vt venaretur venationem, vt afferret.

6 Et Ribcáh dixit ad Iahacób filium ſuum, dicendo, Ecce audiui patrem tuum loquentem ad Heſaú fratrem tuum, dicendo,

7 Affer mihi venationem, & fac mihi cibos, & comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam moriar.

8 Nunc igitur fili mi, obedi voci meæ in eo quod præcipio tibi.

9 Vade nunc ad pecudes, & cape mihi inde duos hœdos caprarum bonos, & faciam ex eis eſcas ſapidas patri tuo quemadmodum diligit.

10 Et afferes patri tuo, & comedet, vt benedicat tibi antequam moriatur.

11 Et dixit Iahacób ad Ribcáh matrem ſuam, Ecce Heſaú frater meus, eſt vir piloſus, & ego vir læuis.

12 Si fortè palpauerit me pater meus, ero in oculis eius tanquam illuſor: & venire faciam ſuper me maledictionem, & non benedictionem.

13 Et dixit ei mater ſua, Super me *ſit* maledictio tua fili mi: veruntamen obedi voci meæ, & vade, cape mihi.

14 Et perrexit, & accepit, & attulit matri ſuæ, & fecit mater eius cibos ſapidos, quemadmodum diligebat pater eius.

15 Et accepit Ribcáh veſtes Heſaú filii ſui maioris delectabiles, quæ *erant* apud ſe in domo, & induit Iahacób filium ſuum minorem.

16 Et pelles hœdorum caprarum circũdedit manibus eius,& læuitati colli eius.
17 Dedítque cibos ſapidos & panem,quos parauerat,in manu Iahacób filii ſui.
18 Et venit ad patrem ſuũ,& dixit,Pater mi. Ille autem reſpondit,Ecce adſum: quis es fili mi?
19 Et dixit Iahacób ad patrem ſuum , Ego ſum Heſaú primogenitus tuus,feci quemadmodum loquutus es ad me: ſurge nunc, ſede, & comede de venatione mea,vt benedicat mihi anima tua.
20 Et dixit Iſhác ad filium ſuum, Quid hoc *quòd* feſtinaſti ad inueniendam *feram* fili mi? Cui reſpondit, Quia occurrere fecit Dominus Deus tuus coram me.
21 Et dixit Iſhac ad Iahacób,Appropinqua nunc, & palpabo te fili mi,vtrum ſis ipſe filius meus Heſaú,an non.
22 Et appropinquauit Iahacób Iſhác patri ſuo:qui palpauit eum,& dixit, Vox, vox Iahacób eſt:& manus,manus Heſaú.
23 Et non agnouit eum:quia erant manus eius ſicut manus Heſaú fratris ſui pilоſæ:& benedixit ei,
24 Et dixit,Tu es ipſe filius meus Heſaú? Reſpondit,Sum.
25 Et dixit,Admoue mihi,& comedam de venatione filii mei,vt benedicat tibi anima mea. Et admouit ei,& comedit:attulítque ei vinum,& bibit.
26 Et dixit ad eum Iſhác pater eius, Appropinqua nunc,& oſculare me,fili mi.
27 Et appropinquauit , & oſculatus eſt eum, & odoratus eſt odorem veſtimentorum eius,& benedixit ei,& dixit,Vide odorem filii mei ſicut odorem agri cui benedixit Dominus.
28 Et det tibi Deus de rore cæli, & *de* pinguedinibus terræ, & multitudinem frumenti & muſti noui.
29 Seruiant tibi populi,& incuruent ſe tibi populi: eſto dominus fratribus tuis, & incuruent ſe tibi filii matris tuæ:maledicentes tibi,maledicti erunt: & benedicentes tibi,benedicti.
30 Et fuit,quando compleuit Iſhác benedicere Iahacób, fuit inquam,tantùm egrediendo egreſſus erat Iahacób à facie Iſhác patris ſui, & Heſaú frater eius venit à venatione ſua.
31 Et fecit etiam ipſe cibos ſapidos, & attulit patri ſuo: dixítq; patri ſuo, Surgat pater meus,& comedat de venatione filii ſui,vt benedicat mihi anima tua.
32 Et dixit ei Iſhác pater eius,Quis es? Ille reſpõdit,Ego ſum filius tuus,primogenitus tuus Heſaú.
33 Et expauit Iſhác pauore magno vehementiſſimè, & dixit, Quis *eſt,&* vbi eſt qui venatus eſt venationem, & attulit mihi, & comedi ex omnibus, antequam venires:& benedixi ei,etiam benedictus erit?
34 Quum audiſſet Heſaú verba patris ſui, clamauit clamore magno , & amaro valde valde,dixítque patri ſuo,Benedic mihi,etiam ego *filius tuus ſum* pater mi.
35 Et dixit,Venit frater tuus doloſè,& accepit benedictionem tuam.
36 Et dixit,Verè vocatum eſt nomen eius Iahacób,&ſupplantauit me iam duabus vicibus:Primogenituram meam accepit,& ecce nunc accepit benedictionem meam. Et dixit,An non reſeruaſti mihi *apud te* benedictionem?
37 Et reſpõdit Iſhac,& dixit ad Heſaú,Ecce dominũ poſui eũ tibi, & omnes fratres ei⁹ dedi ei in ſeruos,frumẽtũq;,& vinũ adixi ei,&tibi nũc quid faciã fili mi?
38 Et dixit Eſaũ ad patrem ſuum,Nunquid benedictio vna eſt tibi pater mi? be-

nedic mihi,& etiã ego *filius tuus* pater mi. & eleuauit Heſaú vocem ſuã, & fleuit.
39 Et reſpondit Iſhác pater eius,& dixit ad eum, Ecce *de* pinguedinibus terræ erit habitatio tua,& de rore cæli deſuper.
40 Et in gladio tuo viues,& fratri tuo ſeruies: & erit,quando dominaberis,franges iugum eius à collo tuo.
41 Et odio habuit Heſaú Iahacób propter benedictionem qua benedixerat ei pater eius: & cogitauit Heſaú in corde ſuo, Appropinquabunt dies luctus patris mei,& occîdam Iahacób fratrem meum.
42 Et nuntiata ſunt ipſi Ribcáh verba Heſaú filii ſui maioris:& miſit,& vocauit Iahacób filium ſuum minorem,& dixit ad eum, Ecce Heſaú frater tuus conſolatur ſe ſuper te,vt occîdat te.
43 Et nũc fili mi obedi voci meæ, & ſurge,fuge ad Labán fratrẽ meũ in Charã:
44 Et habita cum eo dies aliquot,donec auertatur furor fratris tui à te,
45 Donec auertatur ira fratris tui à te , & obliuiſcatur eorum quæ feciſti ei. & mittam,& accipiam te inde.vtquid orbabor etiam ambobus vobis die vna?
46 Et dixit Ribcáh ad Iſhác, Anguſtiis affecta ſum in vita mea propter filias Heth: ſi acceperit Iahacób vxorem de filiabus Heth, ſicut iſtas de filiabus terræ, vtquid eſt mihi vita?

1 *Et fuit,quũ ſenuiſſet Iſaac.* In hoc capite hiſtoriã cui non magna videtur ſubeſſe vtilitas,multis verbis proſequitur Moſes. Hæc ſumma eſt,Quũ patris iuſſu egreſſus domo eſſet Eſau ad venãdũ, Iacob ſub eius habitu,matris aſtu furtim inductũ fuiſſe vt benedictionẽ iure naturæ primogenito debitã ſubriperet. Puerilis etiã luſus videtur eſſe, quòd pro carne ferina patri hœdũ porrigit: quòd exuuiis indut⁹ſe hirſutũ eſſe ſimulat:quòd ſub fratris nomine benedictionẽ mẽdacio elicit. Atqui vt ſciamus Moſen nõ fruſtrà,vt in re maximè ſeria inſiſtere: primò notandũ eſt quòd benedictus fuit Iacob à patre,hoc ſymbolo cõfirmatũ fuiſſe oraculũ quo Dominus eũ fratri prætulerat. Benedictio enim de qua hic agitur,nõ vulgaris fuit precatio,ſed legitima autoritas diuinitus interpoſita,quæ teſtatã faceret electionis gratiã. Promiſerat Deus ſanctis Patribus ſe illorũ ſemini perpetuò fore Deũ. Illi vt poſteris certa eſſet ſucceſſio,morituri eos in poſſeſſionem mittebãt, quaſi acceptã à Deo gratiã de manu in manũ traderẽt. Sic Abrahã benedicẽdo filiũ Iſaac, cũ ſolenni ritu ſpiritualis vitæ hæredẽ cõſtituit. Eodem nunc cõſilio Iſaac, quia ſenio cõfectus, paulò pòſt è vita ſibi migrandũ eſſe cogitat,vult primogenito filio benedicere,vt in ſua familia reſideat æternũ Dei fœdus. Nec verò hoc vel temerè,vel priuato nomine ſibi Patriarchæ ſumpſerũt: ſed publici fuerũt ac diuinitus ordinati teſtes. Huc pertinet illud Apoſtoli ad Heb. cap. 7. b. 7, qui minor eſt,à potiore benedici. Solebãt enim iam tũc fideles mutuo charitatis officio alii aliis benedicere: ſed Patriarchis Dominus peculiare hoc munus iniunxit, vt fœdus quod cũ illis pepigerat, & quod toto vitæ curſu ſeruabãt,quaſi depoſitũ ad poſteros tranſmitterẽt. Idem poſtea mandatũ ſacerdotibus datũ fuit,ſicuti cõſtat ex Numerorũ cap. 6. d. 24,& aliis ſimilibus locis. Ergo Iſaac filiũ benedicendo aliã quàm patris & priuati hominis ſuſtinuit perſonam. Dei enim Propheta & interpres fuit,qui eiuſdem quã acceperat,gratiæ filiũ hæredem nuncuparet. Vnde apparet quod iam dixi, Moſen in hac re tractãda non abs re tam prolixũ eſſe. Singulas verò circũſtantias ſuis locis expendemus:quarum hæc prima eſt, Quòd Deus benedictionẽ Eſau ad Iacob errore patris tranſtulit. ideò dicit Moſes hebetes fuiſſe eius oculos. Obtuſo etiam viſu fuit Iacob,quum nepotes ſuos Ephraim & Manaſſe benediceret. ſed non obſtitit caligo illa quin manus ſuas tranſuerſas prudenter dirigeret. Deus autem paſſus eſt Iſaac decipi, vt oſtenderet non hominum arbitrio Iacob, præter naturæ ordinem,ad ius & honorem primogenituræ extolli.

2 *Eœ nũc ſenui,nõ noui diẽ quo moriar.* Minimè dubiũ eſt quin Iſaac quotidie filiis ſuis bene precatus ſit tota vita. conſtat ergo extraordinariũ fuiſſe hoc benedictionis genus. Porrò quòd dicit ſe neſcire diem mortis, tantundẽ valet acſi dixiſſet, mortẽ ſibi decrepito & caduco ſingulis momẽtis inſtare,vt nihil tẽporis ſibi promittere auderet. Quemadmodũ ſi mulier grauida dicat,quum maturũ aduenit pariendi tempus,ſibi nullũ eſſe iam certũ diem. Ferunt quidem ſinguli in medio ætatis vigore ſecum mille mortes : imò fœtus adhuc in matrum vtero incluſos mors ſibi vẽdicat,& per ſingulos ætatum gradus comitatur. ſed quo propius ſenes vrget,ita eã ſibi aſſiduè ante oculos ponere debent: nec ſecus in mũdo peregrinari,quàm ſi alterũ iam pedẽ in ſepulchro ha-

berēt. In ſumma, Iſaac morti vicinus vult in filii ſui perſona ſuperſtitē Dei Eccleſiā relinquere.

4 Vt *benedicat tibi anima mea*. Mirè implicita fuit Sancti viri fides: cū ſtulto tamē & inconſidera to carnis affectu, generale in eius animo fidei principiū viget, quū filium benedicens, ius hæreditatis ſibi diuinitus promiſſæ duce Spiritu ſancto cōſignat. Interim cæcus rapitur in amorē primogeniti filii, vt eū alteri præferat, atque ita cū oraculo Dei ducetur. Neque enim eum latere potuit quid pronūtiaſſet Deus antequā naſcerētur. Siquis eū excuſet, quòd nullo Dei præcepto iuſſus fuerit minorē præferre, atque ita conſuetum mutare naturæ ordinem: facile hoc refellitur, quia quum ſciret repudiatum eſſe primogenitū, in eo amādo nimis pertinax fuerit. Deinde quòd ab vxore certior factus cæleſtis reſpōſi, de ſuo officio inquirere neglexit, minimè excuſabilis fuit eius ignauia. Neque enim ſuæ vocationis prorſus erat neſcius: peruerſus ergo filii amor, quædā fuit cæcitatis ſpecies, quæ illi magis obſtitit, quàm externa oculorum caligo. Hoc tamen vitium quanuis reprehenſione dignum ſit, benedicendi iure non priuauit ſanctum virum, quin & illi ſalua authoritas maneret, & vis atque efficacia eius teſtimonio integra conſtaret, perinde acſi loquutus è cælo foret Deus ipſe. qua de re iterum paulo pòſt aliquid attingam.

5 Et *Ribcah audiebat*. Nunc fuſius exponit Moſes quo artificio ad benedictionem peruenerit Iacob. Friuolum ſanè hoc videtur, quòd ſenex muliebri aſtutia deceptus, per inſcitiam & errorē effutiuerit quod nolebat. Et certè vitio non caruit Rebeccæ dolus. quanuis maritum ſano conſilio regere non poſſet, non tamen hæc legitima fuit agendi ratio, vt eum circunueniret tali fallacia. Iam quum per ſe damnabile ſit mendacium, in eo grauius peccauit, quòd talibus præſtigiis in re ſacra ludere auſa eſt. Sciebat immutabile eſſe decretum, quo electus & adoptatus fuerat Iacob. cur non igitur patienter expectat, dum re ipſa confirmet Deus, ratúmque eſſe oſtendat quod ſemel è cælo pronuntiauit? Ergo cæleſte oraculum ſuo mendacio obſcurans, quantum in ſe eſt, promiſſam filio gratiā abolet. Iam ſi reputemus vnde illi tātus ſatagēdi feruor: ex aduerſa parte ſe proferet eximia eius fides. Nā quòd maritum in ſe prouocare, hoſtile inter fratres odiū accendere, dilectū filiū Iacob obiicere præſenti mortis periculo, totámque domū turbare non dubitat: hoc certè nō aliūde quàm ex fide manauit. Animo eius penit⁹ infixa erat hæreditas à Deo promiſſa, eā ſciebat filio Iacob decretā eſſe. Ergo in fœdus Dei recūbens, & memor accepti oraculi, mūdum obliuiſcitur. Itaque videmus nō recto, nec moderato zelo permixtā fuiſſe eius fidē. Quod diligenter notandū eſt, vt ſciamus, nō ſemper purā & liquidam notitiā lucere in animis piorū, vt in ſingulis actionibus à Spiritu ſancto regātur: ſed exiguā lucem, quæ viā illis monſtrat, variis ignorantiæ & errorū nebulis eſſe implicitā: vt rectū curſum tenētes, & in ſcopum intenti, ſubinde tamen labātur. Denique tam in Iſaac quàm in vxore primatū obtinuit generalis fides. Vterque verò particulari ignorantia & aliis vitiis, vel à via paululum deflexit, vel certè impegit in ipſa via. Quòd autem nihilominus firma ſtetit Dei electio, immò quòd per muliebrem fallaciam conſilium ſuum exequitur, hoc modo gratuitæ ſuæ bonitati totam benedictionis laudem vendicat.

11 Et *dixit Iahacob ad Ribcah*. Quòd Iacob non ſpōte ſe patri offert, quin potius metuit ne deprehenſa impoſtura maledictionem reportet: fidei valde contrariū eſt. Nam quū docet Apoſtolus peccatū eſſe quicquid ex fide non eſt, ad hāc ſobrietatē inſtituit filios Dei, nequid dubia & perplexa cōſcientia aggredi ſibi permittant. Hæc certitudo vnica eſt bene agēdi regula, quū Dei mādato freti, intrepidè pergimus quocūque ipſe vocat. Iacob ergo ſecū diſceptans, ſe fide deſtitui oſtendit: & certè quanquā ea nō prorſus vacuus erat, hac tamen in parte coarguitur eius defectus. Verùm hoc exēplo rurſus docemur, particulari vitio nō ſemper extingui fidem. nec tamē ſi Deus interdū ſeruis ſuis hucuſque indulget, vt in eorū ſalutē vertat quod perperā ab illis agitur, ideò à nobis ſumēda eſt peccādi licentia. Mirabili Dei miſericordia factū eſt vt non exciderit Iacob à gratia adoptionis. Quis nō ſibi potius metuat, quàm audacior reddatur? Quū autem dubitatione obtenebratā videmus fuiſſe eius fidē, diſcamus à Domino petere Spiritū prudētiæ, qui greſſus omnes noſtros gubernet. Acceſſit alterū nō leue erratū: cur enim nō potius Deū reueretur, quàm patris irā formidat? cur nō illi in mentē venit, turpē ſanctæ Dei adoptioni maculā aſpergi, dū rēpta mēdacio videtur? Nā quanuis in rectū finē ſpectaret, obliquo tamen iſto cuniculo irrepere nō licuit. Interea nō dubiū eſt quin fides inter iſta impedimenta excelluerit. Quid enim fuit cauſæ cur nuda, & in ſpeciem inania patris vota quieti ſuæ, qua tūc potiebatur, domeſticis cōmodis, propriæ deniq; vitæ præferret? Secūdū carnē res imaginaria erat, patris benedictio, cuius tā cupidus fuit, vt ſciēs & volēs ſe proiiceret in magna diſcrimina. Quorſum hoc, niſi quia ſimplici Dei verbo fidē adhibēs, ſpē abſcōditam pluris fecit, quàm optabilem ſtatū quo fruebatur? Adde quòd iræ paternæ metus ex vero Dei timore oriebatur. Vereri ſe dicit ne ſibi maledictionem accerſat. Atqui non tantopere à verbali increpatione ſibi timeret, niſi pluris faceret depoſitam in manu patris gratiam, quàm mille vitas. Dei ergo intuitu patrem, qui illius miniſter erat, timuit. Nam quum Dominus videat nos in terra reptare, per hominum manus nos ad ſe deducit.

Rom. 14. d. 16

13 *Super me sit maledictio tua, fili mi.* Rursum hîc peccat Rebecca, quòd ita præcipiti zelo ardet, vt non expendat, Deo improbari quod malè tentatum persequitur. Securè maledictionis ream se facit. Vnde autem tam supina confidentia? Nullo enim Dei mandato instructa, cõsilium ex suo capite ceperat. Nemo tamẽ zelũ hunc, quanuis præposterũ, tam ex pietate, quàm ex speciali verbi Dei reuerẽtia profectum esse negabit. Nam quum oraculo admonita esset, potiorem coram Deo esse Iacob, arcanæ eius electioni posthabuit quicquid visibile erat in mundo & quod naturæ sensus dictabat. Ergo hoc exemplo docemur, vt modestè quisque & solicitè ambulet in mensura suæ vocationis: nec vltrà progredi audeat, quàm Dominus verbo suo permittit.

14 *Et perrexit, & accepit.* Quanquàm verisimile est, non sola matris authoritate cõmotum fuisse Iacob, vt illi morem gereret, sed rationibus quoque fuisse persuasum: peccauit tamen, vocationis suæ metas transiliẽs. Quum noxam in se susciperet Rebecca, docuit proculdubio nemini fieri iniuriã: quia ius alienũ Iacob non subriperet, sed benedictionẽ peteret cælesti oraculo sibi decretã. Fraudis etiã honesta fuit, & probabilis excusatio, quòd Isaac, nisi deceptus foret, ad labefactandã Dei electionem iam accinctus erat. Ergo Iacob non simpliciter ab eo quod rectum est deflectit in matris obsequiũ, sed potius Dei verbo obtẽperat. Interim vitio (vt dixi) nõ caret particularis error: quia talibus fallaciis adiuuanda non fuit Dei veritas. Paterna quidem benedictio Diuinæ gratiæ signaculũ erat: fateor: sed expectare potius debuit dum è cælo Deus remedium afferret, mutans animũ patris Isaac, & linguam eius gubernans, quàm illicitum aliquid tentare. Nam si Balaam qui linguã vænalẽ prostituerat, cohibitus à Spiritu fuit, vt præter animi sui sensum benediceret electo populo, quem exitio deuouere optabat: quanto potentius idem Spiritus linguam sancti Isaac flexisset, qui mercenarius non erat Propheta, sed Deo fideliter obsequi cupiens, tantum errore in contrariã partem rapiebatur? Quanquam ergo in summa rei, fides præluxit sancto Iacob, hac tamen in parte temeritatis culpam sustinet, quòd Dei prouidentiæ diffidens, ad benedictionem patris occupandam fraude obrepsit. *Numer. 22. c. 12*

19 *Ego sum Esau.* Prius timidus, & anxius erat Iacob: nũc depositio metũ audãter, & securè mentitur. Quo exẽplo docemur, vbi quis semel legitimos officii fines trãsgressus est, nullũ esse licentiæ modũ. Quare nihil melius, quàm vt se quisque contineat intra cancellos sibi diuinitus præscriptos, nec plus tentãdo quàm fas est, ianuã Satanæ aperiat. Quòd benedictionẽ fraude petit, sẽque mendaciter insinuat, prius admonui quatenus id cum fide pugnet. Neque enim obstitit hoc particulare vitiũ, & deflexio à recta via, quin tamen fides ex oraculo semel cõcepta cursum vtcunque teneret. Quòd reditus celeritatẽ excusans, ferã sibi à Deo oblatam dicit, appositè ad regulã pietatis loquitur: peccat nihilominus quòd sacrũ Dei nomen suis mendaciis permiscet. Ita vbi à veritate discessum est: quæ Deo in speciem defertur reuerentia, nihil aliud est quàm gloriæ eius profanatio. Quòd prospernm successum habuerit venatio, Dei prouidẽtiæ tribui æquum est, nequod imaginemur fortuitum bonũ. Sed quũ eius boni quod sibi non contigit, falsò Deum esse authorem obtendit Iacob, ídque ad captionem suam tegendam, periurii culpa non caret.

21 *Appropinqua nunc, & palpabo.* Hinc apparet suspectam fuisse fraudem pio viro, ideóque vacillasse. Quare videtur irrita benedictio, quæ nullam fidei fulturã habet. Sed ita placuit Deo peragere opus suum per manum Isaac, vt ipsum tamen ministrum, consilii sui participem non faceret. Nec absurdum est quòd instar cæci, nesciens in alium, quàm putabat, benedictionem transtulit. Et quiddam simile habet ordinaria pastorum functio. nam quum Deo homines ex eius mandato reconcilient, non discernunt tamen ad quos perueniat reconciliatio. ita semen proiiciunt, incerti de fructu. Quare Deus quod illis iniungit munus, & potestatem, minimè ad eorum iudicium astringit. In hunc modum non abolet ignorantia Isaac cæleste oraculum: ac Deus ipse, quanuis deficiant ministri sensus, implere non desinit quod statuerat. Atque hîc satis clarè refellitur Papistarum figmentum, quòd in Sacramento, totavis ab intentione hominis consecrantis pendeat. quasi verò in arbitrio hominis sit Deum frustrari. Cæterùm memoria tenendum est quod iam aliquoties dixi, quanuis hallucinetur Isaac in filii persona, non tamen frustrà benedicere: quia vniuersalis fides in animo eius residet, eúmque ex parte gubernat. Quòd ex tactu iudiciũ facit, voce posthabita, fidei naturæ cõsentaneũ non est. Itaque quòd ad personã, planè in eius mẽte dominatus est error. Neque tamẽ id secura negligentia factum est: quia sedulò, imò anxiè in omnes partes se vertit, ne primogenitum iure suo priuet. Sed Domino placuit ita hebetare eius sensus, partim vt ostenderet frustrà obniti homines ad mutandum quod semel decreuit: quia fieri nó potest quin stabile ratúmque maneat eius consilium, vel toto mundo repugnante. partim etiam vt præposterum amorem, quo nimis primogenito suo affixus erat Isaac, corriperet hoc castigationis genere. Vnde enim tam curiosa inquisitio, nisi quòd immodicus amor Esau animum eius prorsus occupãs, ab oraculo ipsum auertit? Quia ergo naturæ plusquam par sit indulget, dignus est qui vtroque modo cæcutiat. Quo magis cauendum est ne in gerendis Dei negotiis frænum

humanis noſtris affectibus laxemus.

26 *Appropinqua nunc,& oſculare me.* Scimus oſculum tunc fuiſſe in vſu,quē hodie quoque multæ Gentes retinent.Cæterùm profani homines dicerent merum eſſe ludicrum,quòd ſenex obtuſo iam ingenio,deinde ſatur ac bene potus,vota ſua in comicā perſonam effundit. Sed quia prius Moſes retulit Dei oraculum, quo deſtinata erat minori adoptio, reuerenter arcanam Dei prouidentiam ſuſpicere conuenit, cuius nullus eſt reſpectus apud profanos homines. Nec verò cibi, & potus illecebris ita captus fuit Iſaac quin ſobria mente reputaret quid ſibi mandatum eſſet diuinitus,ac ſeriò ex certa ſuæ vocationis fide hoc ipſum aggreſſus ſit,in quo pro carnis ſuæ infirmitate vacillat,ac claudicat. Ideo non ab externa ſpecie, ſed ex cæleſti decreto æſtimanda nobis benedictio eſt : ſicuti deinde ex ſucceſſu patuit, neque Deū fruſtrà luſiſſe, neque hoc ab hominibus temerè profectū.Et ſanè ſi eadem nobis adſit religio quæ in corde ſancti Patriarchæ viguit, nihil impediet quominus in hominis infirmitate nobis clarior refulgeat Dei virtus.

27 *Vide odorem filij mei.* Non diſplicet allegoria quam inducit Ambroſius huic loco. Iacob natu minor ſub perſona fratris primogeniti benedicitur: veſtes, quas à fratre mutuatus eſt,gratum ſuauémque Patri odorem ſpirant.Ad eum modū nos benedici Ambroſius docet,vbi ſub Chriſti nomine in conſpectū Patris cæleſtis prodimus:veſtem iuſtitiæ,quæ nobis odore ſuo fauoré conciliet,ab eo ſumimus: denique vbi ſubſtituimur in eius locū. Videtur autē Iſaac hîc nihil optare filio,& vouere niſi terrenum.Hæc enim verborum ſumma eſt,vt bene illi ſit in mūdo,vberem terræ prouentum colligat, fruatur læta pace,& honore inter alios emineat. Cæleſtis regni nulla mentio.Atque hinc factum eſt vt indocti homines,minúſque in vera pietate exercitati,Sanctos illos Patres fingerent nonniſi huius caducæ & fluidæ vitæ intuitu, benedictos fuiſſe à Domino. verùm longè aliter eſſe, ex pluribus locis conſtat. Quòd autem in terrenis Dei gratiis hîc ſubſtit Iſaac,facilis eſt ſolutio.Neque enim Dominus ſicuti nos hodie rectà ad cælum vocat & extollit:ita olim Patribus eādem ſpem futuræ hæreditatis ſimpliciter poſuit ante oculos, ſed quaſi obliquo circuitu eos deduxit.Sic terram Chanaan cæleſtis hæreditatis ſpeculum,& pignus illis eſſe voluit.In omnibus beneficiis ſymbola exhibuit fauoris paterni : non quidem vt contenti bonis præſentibus cælum negligerent, vmbram tantùm inanem ſectantes, vt quidam delirant : ſed vt pro temporis ratione talibus adminiculis adiuti,paulatim in cælum aſſurgerent.Quia enim nōdum patefactus erat Chriſtus, primitiæ reſurgentium, & æternæ ac incorruptibilis vitæ hypoſtaſis, ſpirituale eius regnum ſic ſub figuris tantùm adumbratum fuit, donec veniret plena temporis maturitas. Sicut autem omnes Dei promiſſiones externis illis ſymbolis implicitæ erant,& quaſi veſtitæ : ita ſanctorum Patrum fides eandem tenuit menſuram, vt per terrena rudimenta ſuos progreſſus in ſublime faceret. Quanquam ergo temporales Dei gratias in medium proponat Iſaac , nihil tamen minus in animo habet, quàm ſpem filii includere in mundo: quin potius in eandem altitudinem, ad quam intentus erat,eum attollit. Cuius rei nonnulla etiam ex verbis probatio elici poteſt. hoc enim eſt præcipuum caput , quòd dominium illi in populos aſſignat. Vnde autem ſpes tantæ dignitatis , niſi quia genus ſuum electum eſſe à Domino perſuaſus erat: & quidem hac lege, vt ius regni penes vnum conſiſteret ? Interim illud principium tenere ſufficiat,Sanctum virum,vbi proſperum vitæ curſum filio precatur,Deum illi propitium optare, in cuius paterno fauore ſolida & æterna fœlicitas nobis conſtat.

29 *Maledicentes tibi.* Memoria tenendum eſt quod prius diximus , non eſſe hæc nuda vota, qualiter ſolent patres bene precari filiis ſuis:ſed promiſſiones Dei ſimul eſſe incluſas. Nam Iſaac legitimus eſt Dei interpres,ac Spiritus ſancti organum: ideóque efficaciter,tanquam ex Dei perſona maledictos fore pronuntiat,quicunque filii ſalutem oppugnauerint. Itaque hæc promiſſionis ſanctio eſt,qua Deus fideles in præſidium ſuum recipiens,futurum ſe hoſtem denuntiat eorū hoſtibus.Huc ſpectat tota benedictionis ſumma, vt Deus ſeruo ſuo Iacob beneficum ſe in omnibus patrem exhibeat,vt illum principem conſtituat,& caput ſancti & electi populi:vt eum tuea-tur ſua virtute,ac propugnet,ſalutémque eius cuſtodiat contra omne genus hoſtium.

30 *Tantum egrediendo egreſſus erat.* Hîc additur quomodo repulſam paſſus fuerit Eſau:quæ circunſtantia ad ſanciendam benedictionem Iacob non parum valuit . Niſi enim repudiatus eſſet Eſau,videri poterat honore nondum priuatus quem illi natura dabat . Nunc verò declarat Iſaac, fieri non poſſe quin ratum ſit quod geſſit ex Patriarchæ officio. Hîc verò rurſus apparet gratuiti hoc doni fuiſſe,quòd Iacob fratre præterito, primogenituram obtinet . Nam ſi vtriuſque opera inter ſe conferas,Eſau patri obſequitur,fructum venationis ſuæ affert,ex præda labore ſuo parta cibum patri ſuo coquit, nihil niſi verè affirmat: denique nihil in eo reperies non laude dignum. Iacob domo non egreſſus, hœdum pro ferina carne ſupponit,mendaciis ſe pluribus inſinuat, nihil affert quod eum iure commendet,multis autem in rebus reprehenſionem meretur. Fateri ergo neceſſe eſt, cauſam euentus non pendere ex operibus , ſed latere in æterno Dei conſilio . Ne-

que tamen iniuria reprobatur Esau, quia susc ipere recto animo nihil possunt qui non reguntur Dei Spiritu: tantùm illud fixum maneat, quum æqualis sit omnium cõditio, si quis alteri præfertur, non proprio merito excellere, sed quia eum Dominus gratuitò elegit.

33 *Et expauit Isaac.* Hîc iam rursus emicat fides, quæ in corde sancti viri suffocata fuerat, nouásque scintillas profert. Nec enim dubium est quin timor hic oriatur ex fide. Adde quòd non vulgaris à Mose describitur, sed qui sanctum virum prorsus attonitum reddidit. Nam quum sibi probè conscius sit suæ vocationis, ac ideo persuasus sit iniunctas sibi esse diuinitus partes nuncupandi hæredis, apud quem fœdus vitæ æternæ deponat: cognito suo errore expauescit, quòd in re tanta, & tam seria passus sit Deus ipsum errare. Nisi enim reputasset Deum fuisse huius actionis præsidem, quid obstabat quominus ignorantiam prætexeret, atque etiam excandesceret in Iacob, qui fraude, & malis artibus obrepserat? Verum erroris sui pudore confusus, simul tamen collecto animo ratam esse benedictionem agnoscit quam protulerat: nec verò dubito quin tunc expergefactus in memoriam reuocare cœperit oracul um, cui minus attentus fuerat. Quare sanctum virum non impulit ambitio vt sui propositi adeò tenax esset: vt præfracti homines solent, quod semel, licet stultè, aggressi sunt, ad extremum vsque persequi: sed raræ, & eximiæ fidei vox ista fuit, Quem benedixi, ille erit benedictus. nam carnis affectui renuntians, Deo iam se totum addicit, & illũ benedictionis à se prolatæ authorem agnoscens, debitam illi gloriam tribuit, vt retractare non audeat. Atque huius doctrinæ vtilitas ad totam Ecclesiam pertinet, vt certò sciamus efficax, & stabile fore quicquid Dei mandato nobis promittunt Euangelii præcones: quia non loquuntur vt priuati homines, sed tanquam ex Dei ipsius mandato. Neque enim obstat ministri infirmitas, quin Dei verbo constet sua fides, vis, & effectus. Communibus miseriis, & morti obnoxius est, qui æternæ fœlicitatis, & vitæ sponsorem se offert: atqui nihilominus efficax est promissio. Peccator est, qui nos à peccatis absoluit: at quia munus illi diuinitus iniunctum est, huius gratiæ stabilitas in Deo fundata, nunquam labascet.

34 *Clamauit clamore magno.* Tametsi in petenda benedictione persistit Esau, simul tamen desperationis signum edit. quo fit vt nihil proficiat: quia fidei ianuam non ingreditur. Fletus quidem, magnósque clamores vera quoque pietas exprimit Dei filiis: sed trepidans Esau, plenúsque formidine eiulat: postea fortuitò in aerem votum illud emittit, vt ipse quoque benedictionem percipiat. Quibus verbis coarguitur cæca eius incredulitas. nam quum vnica tantum benedictio deposita foret apud patrem, alteram sibi dari postulat, quasi in eius arbitrio sit promiscuè efflare benedictiones præter Dei mandatum. Hic nobis succurrat Apostoli admonitio, quòd Esau lachrymis & clamoso vlulatu amissam benedictionem reposcens, pœnitentiæ locum nõ inuenerit. Nam qui vocantem Deum sequi negligunt, frustrà postea ipsum inuocant, vbi terga vertit. Quandiu nos alloquitur Deus, & inuitat, quodammodo aperta est regni cælorum ianua: hac opportunitate vtendum est, si ingredi cupimus secundum illud Prophetæ, Quærite Dominum dũ inueniri potest, inuocate eũ dum propè est. Cuius interpres Paulus, tẽpus acceptabile, & diẽ salutis esse definit, quũ nobis per Euangeliũ affertur gratia. Qui tempus illud elabi sinunt, serò deinde, & sine profectu pulsant: quia Deus eorũ socordiã vlciscitur. Timendũ ergo ne si præsentẽ Dei vocẽ surdis auribus effluere sinimus, ipse vicissim surdus sit ad clamores nostros. Sed quæritur, quomodo cum hac repulsa promissio illa cõueniat, Simul ac ingemuerit peccator, &c. Deinde non videtur congruere Dei clemẽtiæ, reiicere eorum gemitus, qui miseria sua fracti, ad eius misericordiam confugiunt. Respondeo, pœnitentiam, si modo vera sit, ac sincera, intempestiuam nunquam fore quin veniam impetret peccator qui sibi ex animo displicet: sed hoc quoque modo gratiæ suæ contemptum vindicat Deus, quòd in animum seriò non inducũt ad eum reuerti, qui obstinatè repudiarunt eius gratiam. Ita fit vt in reprobum sensum dati, nunquam vera pœnitentia tangantur. erumpẽt quidem in lachrymas hypocritæ, sicuti facit Esau, sed cor indutus quasi ferreis vectibus obstructum manebit. Ergo quum fide, & pœnitentia vacuus ad petendam benedictionem Esau prorumpat, nihil mirum est si reiicitur.

Hebr. 12. d. 17

Esa. 55. b. 6

2. Cor. 5. d. 17

Exech. 18. c. 23

36 *Verè uocatum est nomen eius Iahacob.* Hinc apparet nullo pœnitentiæ sensu tangi animũ Esau, quia fratrem accusans, in se nihil culpæ recipit. Atqui initium pœnitentiæ est, dolor ex peccato conceptus, & sui ipsius displicentia. Debuerat in se descendere Esau, vt suus esset iudex. Primogenitura vendita, quasi famelicus canis, ad offam & pulmẽtum prouolauerat: nunc quasi nihil peccauerit, tantùm fratri irascitur. Deinde si quid ponderis habet benedictio, cur non expendit, non sola hominis fraude, sed Dei prouidentia se inde fuisse depulsum? Videmus ergo vt palpãs quasi cæcus in tenebris, viam non teneat.

37 *Ecce dominum posui illum tibi.* Apertius confirmat Isaac quod prius dixi, quum author benedictionis sit Deus, irritam fieri non posse, vel euanidam. Neque enim hîc magnificè iactat

ſuam dignitatem,ſed intra miniſtri fines,ac menſurã ſe continens, ſibi liberum eſſe negat quicquam mutare. Semper enim reputat quod verum eſt,quum Dei perſonam ſuſtinuerit, ſibi non licere vltrà progredi, quàm ferat mandatum. Hinc ſcilicet debuit Eſau diſcere vnde excidiſſet ſua culpa, vt ſe humiliaret,fratríque ſuo potius ſe adiungeret benedictionis eius particeps futurus ſecundo gradu, quàm vt aliquid ſeorſum appeteret. Sed praua cupiditas eum abripit, vt regni Dei oblitus,nonniſi priuata ſua commoda ſectetur, ac curet. Iterum notanda eſt loquutio, qua ſuæ benedictioni Iſaac certam vim,& effectum aſſerit,acſi in eius voce incluſum fuiſſet imperium, frumenti & vini copia, adeóque quicquid Abrahæ Deus promiſerat. Sic enim Deus à ſe vno pendere vult Fideles, vt tamen ſecurè in verbum recumbant, quod illis annuntiari iubet hominum lingua. Sic remittere peccata dicuntur, qui tantùm gratuitæ veniæ nuntii ſunt, ac interpretes.

38 *Nunquid benedictio mea eſt tibi?* Videtur animum colligere Eſau: ſed poſthabita animæ cura, ad carnis ſaginam inſtar porci deuoluitur. Audierat nihil patri eſſe reſiduum, nempe quia ſic reſidebat in Iacob plena, ſolidáque Dei gratia,vt nulla eſſet extra eius domũ fœlicitas. Quare ſi bene ſibi eſſe optabat Eſau, ex illo fonte haurire debuit,ſéque potius fratri ſubiicere,quàm abdicare à fœlici eius conſortio. Mauult tamen priuari ſpirituali gratia, modo proprium aliquid, & ſeparatum poſſideat, quàm domi eſſe inferior. Quòd vnica eſſet benedictio, qua frater Iacob Diuini fœderis hæres nuncupatus fuerat, latere eum non potuit. quotidie enim concionabatur Iſaac de ſingulari illo priuilegio, quo Deus Abraham,& eius poſteros dignatus fuerat. Nec tam grauiter paulo antè conqueſtus eſſet, niſi ſenſiſſet incomparabili bono ſe fuiſſe priuatum. Ergo ab vnica benedictione diſcedens, obliquè Deo renuntiat, & ſe ab Eccleſiæ corpore reſcindit,tantum caducam hanc vitam curans. Atqui ſatius ei fuiſſet rerum omnium inopia miſere confici in hoc mundo, & languentem ſpiritum ægrè trahere, quàm torpere in temporalibus deliciis Quod poſtea ſequitur, ipſum fleuiſſe cum eiulatu, ſæuæ, ac ſuperbæ indignationis magis,quàm pœnitentiæ ſignum eſt. Neque enim quicquam remiſerat ex ſua ferocia,ſed fremebat, quemadmodum ſolent truces beſtiæ. Sic impii, quum vrget eos pœna, ſalutem ſuam amiſſam lugent,ſed interea non deſinunt ſibi placere in ſuis vitiis: adeóque non aſpirant ex animo ad Dei iuſtitiam,vt potius cupiãt extinctum eſſe eius numen. Talis eſt in ipſis inferis ſtridor dentium,& fletus, non qui reprobos ad Deum quærendum extimulet, ſed tantum cæcis tormentis eos conficiat.

39 *Ecce de pinguedinibus terræ.* Impetrat tãdem Eſau quod petiit. Nam ſe primogenituræ gradu,& honore deiectum videns,maluit extra ſanctum populũ ſibi proſperè eſſe in mundo,quàm ſubire minoris fratris iugum. Sed videtur ſecum pugnare Iſaac,qui nouam benedictionem profert: quum antè teſtatus ſit ſe dediſſe filio Iacob quicquid apud ſe erat depoſitum. Reſpondeo,idem hoc loco notari quod prius de Iſmaele dictum eſt. Nam Deus, quod ad præſentem vitam ſpectat,exaudiens Abrahæ preces,mox tamen addita exceptione reſtringit,quòd in Iſaac tamen vocandum eſſet ſemen. Nec verò dubito,quin ſanctus vir cernens filium minorem Iacob diuinitus ordinatum eſſe beatæ vitæ hæredem,conatus ſit primogenitum Eſau in fraternæ ſocietatis vinculo retinere,vt ab Eccleſia,ſanctóque & electo grege non diſcederet. Nunc vbi videt pertinaciter ipſum aliò tendere, pronuntiat qualis futura ſit eius conditio. Interim ſpiritualis benedictio penes vnum Iacob integra reſidet: cui ſe adiungere Eſau recuſans, ſponte à regno Dei exulat. Videtur tamẽ huic vaticinio refragari quod dicit Malachias,1.a.3:nam duos fratres Eſau & Iacob inter ſe comparans,inde odio habitum fuiſſe Eſau docet, quia illi poſſeſſio data ſit in deſertis: atqui Iſaac pinguem illi promittit terram. Duplex ſolutio eſt,vel quòd Propheta comparatiuè loquens, Idumæam meritò vocet deſertum præ terra Chanaan, quæ longè erat vberior. Vel quòd ætatem ſuam reſpiciat. tametſi enim horrenda fuerat vtriuſque terræ vaſtitas, breui tamen reflоruerat terra Chanaan, quum regio Edom quaſi perpetuæ ſterilitati damnata, & draconibus addicta foret. Quanuis ergo Deus populi ſui reſpectu ablegauerit Eſau in montes deſertos, illi tamen terram ſatis per ſe fœcundam dedit, vt minimè inanis fuerit promiſſio. Nam mõtoſa illa regio tum ſuã habuit pinguedinem,tum cæleſti rore adiuta fuit,vt victum incolis produceret.

40 *Et in gladio tuo uiues,& fratri tuo ſeruies.* Notandum eſt hîc prædici quæ nunquam impleta ſunt in perſona Eſau: ideóque vaticinium eſſe de rebus procul adhuc remotis. Nam adeò nihil dominationis obtinuit Iacob in fratrem, vt reuerſus ex Padan Aram, ſupplex obſequia illi ſua detulerit: & ſubiectionis excuſſio, cuius hîc meminit Iſaac, in longinquum tempus refertur. Denuntiat igitur qualis poſteros Eſau maneat conditio. Et primum dicit gladio ſuo victuros. cuius verbi duplex eſſe poteſt ſenſus: vel quòd cincti hoſtibus, militarem & inquietam vitam

acturi sint: vel quòd liberi futuri sint, ac sui iuris. Nullum enim ius gladii, vbi nulla est libertas. Videtur prior sensus magis quadrare, vt promissionem suam restringat Deus, ne se Esau minis efferat. nam pace nihil est optabilius. Monetur quidem & sanctus populus, semper aliquos hostes fore qui eum infestent. Sed hoc longè aliud, est quàm suo gladio viuere, quod tantundem valet acsi dixisset, filios Esau prædonum more præsidium suũ in armis, & violentia magis, quàm in iure legitimo habituros. Secunda restrictio est, quòd gladio armatus licet, non tamen effugiet fratris subiectionem. Nam Idumæi tandem electo populo facti sunt tributarii. sed non fuit diuturna seruitus: quia diuisis regnis concisa fuit illa potentia, quæ vicinos omnes in officio, & sub metu tenebat. Voluit tamen Dominus vel ad breue tempus, in ordinem cogi Idumæos vt visibile specimen huius vaticinii proferret. Reliquo tempore vaga, & effrænis libertas Esau omni subiectione fuit miserior.

41 Et *odio habuit Esau Iahacob*. Hinc clarius patet lachrymas Esau adeò profectas nõ fuisse à vera pœnitentia, vt furiosæ magis iracundiæ testes fuerint. Neque enim occulto modo odium fouet aduersus fratrem, sed palàm in sceleratas minas erumpit. Atque hinc apparet quàm altæ fuerint malitiæ radices, quòd sibi in nefanda fratris cæde indulget. Profana etiam, & sacrilega in eo contumacia se prodit, quòd se ad decretum Dei abolendum gladio comparat. Efficiam inquit, ne promissa sibi hæreditate fruatur. Quid hoc aliud est, quàm vim benedictionis exinanire, in qua patrem sciebat Dei præconem fuisse, ac ministrum? Viua præterea hypocritæ effigies nobis proponitur. Mortem patris sibi luctuosam fore simulat: & certè pietatis officium est, lugere mortuum patrem. Sed quum ad impiam fratris cædem properanti tarda sit mors patris, & simul eius propinquitate lætetur: mera fictio est quòd diem luctus nominat. Qua etiam fronte humanum affectum obtendit, qui fraternæ cædi inhians, eodem momento omnia naturæ iura euertere molitur: Fieri etiam potest vt ipse naturæ sensus confessionem ei extorserit, qua seipsum grauius damnaret. Sicut Deus impios sæpe propria voce coarguens, magis inexcusabiles reddit. Quòd verò crudelem animum cohibet sola verecũdia: neque magnæ laudi tribuendum est, & stupidum brutúmque Dei contemptum prodit. Valet quidem interdum etiam apud pios hominum reuerentia, sicuti de Iacob proximo capite habuimus: sed altius mox conscendunt, vt prævaleat timor Dei, cuius obliuio sic occupat impiorum corda, vt in hominibus solis subsidant. Ergo quisquis hominum metu & pudore à maleficio abstinet, non multum adhuc profecit. Hoc tamen maximè elogio à Papistis sua confessio laudatur, quòd multos absterret à peccando, ne cogantur suum dedecus proferre. Longè verò alia est pietatis regula, vt conscientia nostra sibi Deum testem & arbitrum proponat.

42 Et *nuntiata sunt ipsi Ribcah*. Nunc transitum facit Moses ad nouam historiam, quomodo Iacob è domo patris profugus, in Mesopotamiam se contulerit. Fuit autem haud dubiè hæc perquàm molesta, duráque tentatio sanctæ matronæ, dum ex suo facto mortis discrimen filio instare videt. Cæterùm fide luctata est, vt semel partam gratiæ possessionem retineret. Nam si muliebri affectu propensa fuisset in amorem minoris filii, hoc certè optimum erat compendium, vt primogenitura ad Esau rediret. sic enim sublata fuisset æmulatio, & placatus eius furor, qui dolore amissi iuris sui ardebat. Quòd ergo non transigit Rebecca, sed filium suum hortatur ad voluntarium exilium, & priuari mauult eius præsentia, quàm vt ille benedictione semel recepta cedat: hoc certè raræ fidei signum est. Iam lusoria videri poterat patris benedictio, vt mirum sit à Rebecca & Iacob tanti fieri: adeò tamen eos non pœnitet, vt acerbam exilii pœnam non recusent, modò secum auferat Iacob prolatam à patre vocem. Porrò hoc exemplo docemur, patienter ferendum esse, si spem melioris vitæ crux sequitur comes: imò si hac lege Dominus nos adoptat regni sui hæredes, vt instabiles in mundo peregrinemur. Ideo enim extrusus è domo paterna, vbi quietus vitam finire poterat, in alienam terram migrare cogitur Iacob: quia illi prodimissa est Dei benedictio. Sicuti autem acceptæ gratiæ iactura temporalem cum fratre pacem redimere non tentauit: sic nobis cauendum est, ne vlla carnis commoditas, vel mundi illecebræ nos à cursu vocationis abducant. quin potius magno animo feramus varias iactationes, modo spei anchora nobis in cælo fixa consistat. Quum dicit Rebecca hanc Esau consolationem esse, vt fratrem interficiat, sensus est, non posse alio modo placari, quàm impia cæde.

44 *Habita cum eo dies aliquot*. Hac circunstantia mitigat exilii acerbitatem. Nam ad leuãdum in rebus aduersis mœrorem non parum valet temporis breuitas. Et credibile erat non tam pertinax fore odium Esau, quin illud leniret fratris absentia. Hebraicè ad verbum habetur, Vnis diebus. Verùm significat Rebecca, simulatque vltrò cesserit Iacob, memoriam offensæ ex corde Esau deletum iri: acsi dixisset, Tantùm paulisper aliò te confer, & momento sedabimus eius iracundiam.

45 *Vtquid orbabor etiam ambobus uobis die una?* Cur duplicem orbitatē metuit Rebecca? neque enim periculum erat vt Iacob tam placido mitíque ingenio prædituſ,aduerſus fratrem inſurgeret. Videmus ergo vt Rebecca Deum nefandæ cædis fore vltorem ſtatuat. Deinde quanuis ad tempus diſſimulet Deus,ac iudicium ſuſpendat,neceſſe tamen illi fuiſſet ſe à parricida ſubducere.Ex illo itaque naturæ iure pronuntiat ſe penitus orbam fore:quia eum qui ſuperſtes erit,horrere ac deteſtari cogetur.Quòd ſi Dei iudicium antequam patefieret,animo præſumpſit Rebecca,& homicidam exterminio addixit,quòd perſuaſa eſſet tātum ſcelus nō fore impunitum:multo minus ad manifeſta Dei flagella conniuere nos decet.

46 *Dixit Ribcah ad Iſhac.* Quum poſſet clanculum aufugere Iacob,mater tamen illi diſceſſum à patre impetrat. Sic enim ferebat benè cōpoſita œconomiæ ratio,& diſciplina.Quòd autem aliam cauſam prætexit apud maritum,excuſari à mendacio poteſt,quia neque totum,neque nihil dicit. Minimè dubium eſt quin verè affirmet, ſe cruciari ob nurus Hetheas vſque ad vitæ tædium:interius verò malum prudenter celat,ne lethale infligat marito vulnus:deinde ne magis inflammet rabiem Eſau:vt ſæpe impii,quum detectū eſt eorum ſcelus,deſperatione magis efferātur. Etſi autem prauis nuruum moribus factum eſt vt Rebeccæ odioſa ſit totius gentis affinitas, in eo tamen rurſus enituit mirabilis Dei prouidentia, quòd ſe non immiſcuit neque implicuit Iacob cum futuris Eccleſiæ Dei hoſtibus.

Cap. XXVIII.

1 ET vocauit Iſhác Iahacób,& benedixit ei:præcepítque ei,& dixit ei,Non capies vxorem de filiabus Chenáan.

2 Surge, vade in Padán Arám, ad domum Bethuél patris matris tuæ, & cape tibi inde vxorem de filiabus Labán fratris matris tuæ.

3 Et Deus omnipotēs benedicat tibi,& creſcere faciat te,& multiplicare faciat te,& ſis in cœtum populorum.

4 Et det tibi benedictionem Abraham,tibi,& ſemini tuo tecum,vt hæreditate accipias terram peregrinationum tuarum,quam dedit Deus ipſi Abrahám.

5 Et miſit Iſhác Iahacób, & perrexit in Padán Arám ad Labán filium Bethuél Aramæi fratris Ribcáh,matris Iahacób & Heſaú.

6 Et vidit Heſaú quòd benedixiſſet Iſhác Iahacób,& miſiſſet eum in Padán Arám vt caperet ſibi inde vxorē:& benedicendo ei,præcepiſſet ei dicendo, Non accipies vxorem de filiabus Chenáan:

7 Et obediuiſſet Iahacób patri ſuo & matri ſuæ,& iuiſſet in Padán Arám:

8 Videns præterea Heſaú quòd malæ filiæ Chenáan in oculis Iſhác patris ſui:

9 Tunc abiit Heſaú ad Iſmaél,& accepit Mahaláth filiam Iſmáél filii Abrahám ſororem Nebaióth,ſuper vxores ſuas,ſibi in vxorem.

10 Iahacób verò egreſſus eſt è Beer-ſebáh,& perrexit in Arám,

11 Et occurrit in locum,& pernoctauit ibi, quia occubuerat ſol: & tulit de lapidibus loci,& poſuit ſub capite ſuo,& dormiuit in loco eodem.

12 Et ſomniauit,& ecce ſcala erecta erat ſuper terram,& caput eius tangebat cælum:& ecce Angeli Dei aſcendebant & deſcendebant per eam.

13 Et ecce Dominus ſtabat ſuper eam, & dixit, Ego Dominus Deus Abrahám patris tui,& Deus Iſhác:terram ſuper quam tu dormis,tibi dabo & ſemini tuo.

14 Et erit ſemen tuum ſicut puluis terræ,& multiplicaberis ad Occidentē,& ad Orientem, & ad Aquilonem, & ad Meridiem:& benedicentur in te omnes familiæ terræ,& in ſemine tuo.

15 Et ecce ſum tecum,& cuſtodiā te quocunque profectus fueris,& redire faciā te ad terrā hanc,quia nō derelinquā te, donec faciam quod loquutus ſum tibi.

16 Et expergefactus eſt Iahacób à ſomno ſuo, & dixit, Verè eſt Dominus in loco iſto,& ego neſciebam.

17 Et timuit, & dixit, Quàm terribilis est locus iste! non est hîc nisi domus Dei, & hîc est porta cæli.

18 Et surrexit Iahacób mane, & tulit lapidem quem posuerat sub capite suo, & posuit eum in statuam, & effudit oleum supra summitatem eius.

19 Et vocauit nomẽ loci ipsius Bethél: & quidẽ Luz erat nomen ciuitatis prius.

20 Et vouit Iahacób votum, dicendo, Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via ista per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad operiendum,

21 Et reuersus fuero in pace ad domum patris mei, erit Dominus mihi in Deũ.

22 Et lapis iste quem posui in statuam, erit domus Dei: & omne quod dederis mihi, decimando decimabo illud tibi.

1 *Et uocauit Isaac Iahacob, & benedixit.* Quæritur an ideo quòd infirma esset prior benedictio, nunc de integro idem repetat Isaac quod prius dixit. Atqui si Dei erat propheta, ac interpres, stabile ac perpetuũ esse oportuit quod semel ex ore eius prodierat. Respondeo, quanuis per se efficax esset benedictio, tamẽ fidem Iacob tali subsidio habuisse opus: sicuti Dominus dum easdem subinde promissiones iterans, sibi ac suo verbo nihil derogat, sed potius eius certitudinem commendat seruis suis, nequando in eorum cordibus propter carnis infirmitatem vacillet. Porrò memoria tenendum est quod dixi, Isaac precari non vt priuatũ hominem, sed speciali Dei mandato instructum, vt fœdus apud se depositum, in filium suum Iacob trãsmittat. Magnopere autem interfuit, Iacob nunc demum à patre sciente, & volente benedici, ne in posterum tempus ex paterni erroris, ac propriæ fraudis memoria obreperet dubitatio. Nunc igitur Isaac consultò ad filium suum Iacob verba dirigens, iure illi benedictionẽ deberi pronũtiat, ne putetur, quum prius deceptus fuit, frustrà sub alieno nomine verba sparsisse.

2 *Surge, uade.* Priore loco mãdat vt accipiat vxorẽ è genere materno. Poterat per aliquem ex seruis accersere, sicuti adducta fuerat illi Rebecca: sed inuidiam fortè declinat, ne hoc acciat Esau in suam contumeliam, quòd fratris coniugium magis solicitè quàm suum curetur.

3 *Et Deus omnipotens benedicat tibi.* Iam sequitur benedictionis forma, quæ verbis aliquantum à priore differt, in eundem tamen scopum tendit. Primò optat Iacob à Deo benedici, hoc est augeri & propagari in sua sobole, vt crescat in cœtum populorum, hoc est vt generet multos populos, qui in vnum corpus sub eodem capite coalescant, acsi dixisset, Orientur ex te plures tribus, quæ vnum populum efficiẽt atque hoc quidem aliqua ex parte impletum fuit, quum Moses populum in tredecim classes distribuit. Quanquam altius respexit Isaac, quòd scilicet aggregandi tandem essent ex variis gentibus ad domum filii sui, vt hoc modo ex ingenti, & prius dispersa multitudine fieret cœtus vnus. Neque enim dubium est quin per manus tradere voluerit quod acceperat, quemadmodum continuò pòst memoriam primi fœderis celebrat, inde velut ex fonte, suam hanc benedictionem deriuans: acsi dixisset, quidquid habebat iuris à patre, se in eum transferre, vt penes eum maneret vitæ hæreditas secũdum Dei fœdus cum Abraham percussum. Qui hoc per similitudinem dictum esse exponunt, quasi optaret Iacob, quæ prius Abrahæ Deus beneficia contulerat, in filium suum pariter conferri: sensum verborum nimis extenuant. Nam quia Deus hac lege fœdus pepigerat cum Abraham, vt ad posteros manaret, ab eius persona, tanquam à radice initium fieri oportuit. Ergo hæredem Abrahæ constituit Isaac filium Iacob, qui depositæ apud eum benedictioni, eiúsque semini promissæ succedat. Quod etiam clarius patet ex proximo contextu, vbi terræ dominiũ illi assignat, eo quòd Abrahæ data fuerit. Porrò in hoc membro, perspicimus quanta fidei constantia recubuerint sancti Patres in verbum Domini. nam aliâs non vulgaris erat tentatio, iactari hospites, & peregrinos in terra, cuius possessio iam ante centum annos diuinitus illis addicta fuerat. Videmus autem vt in suis erroribus, & inquieta vita non minoris æstiment quod Dominus illis pollicitus est, quàm si plena iam constaret fruitio. Atque hæc vera est fidei probatio, quum solo Dei verbo fulti, quanuis agitemur inter mundi fluctus, non aliter perstamus, quàm si fixa iam nobis esset in cælis statio. Et Isaac contra hanc tentationem disertè filium suum munit, *terram peregrinationum eius* vocans, cuius eum constituit dominum. Nam his verbis admonet, fieri quidem posse vt vagetur tota vita, verùm id non obstare quo minus rata sit Dei promissio, vt ea vna contentus, patiẽter tempus reuelationis expectet. Videtur etiam pluralis numerus maius quiddam exprimere, quòd scilicet non semel dũtaxat, sed diuersis modis & assiduè futurus sit peregrinus Iacob. Quia tamen Hebraica phrasis non semper habet talem emphasim, ego hac in re nõ insisto.

Hoc magis notandum est, serio, rigidóque examine probari fidem Iacob, dum illi verbo tenus solum promittitur terra, vnde procul reipsa eiicitur ob hãc ipsam causam. Videtur enim ludibrio haberi, quum iubetur vt potiatur terræ dominio, ea relicta, & valere iussa, in longinquum exilium abire.

6 *vidit quòd Esau.* Inseritur hîc breuis narratio de Esau: quæ ideo cognitu vtilis est, quia ex ea discimus, impios, quanuis lasciuiant aduersus Deum, & cõtempta eius gratia, votis suis potiti sibi plaudãt, nõ tamen posse illã penitus contenere. Ita nũc Esau benedictionis desiderio pũgitur, non vt ad illã sincerè, & ex animo aspiret, sed rã pretiosam esse videns, ad eam expetendã inuitus compellitur. Accedit alterum vitiũ, quia non quærit vt oportet. nouum enim & alienum modum excogitat, quo sibi Deum, & patrem recõciliet: ideo profectu caret eius studium. quanquam Deum non ita videtur curare, modò propitiũ habeat patrem. Atqui ante omnia debuerat profanũ ingenium, peruersos mores, & corruptos carnis affectus exuere. Deinde placidè ferre castigationẽ sibi impositam. nam hunc sensum illi dictabat pœnitẽtiæ ratio, Quia hactenus indignũ me primogenitura reddidi, meritò fratri sum posthabitus. Nihil ergo residuum est nisi vt me humiliem: & quia ex honore capitis depulsus sum, mihi sufficiat vnũ saltem esse ex Ecclesiæ membris. Et certè optabilius illi fuisset in obscuro aliquo Ecclesiæ angulo hærere, quàm resectũ, & auulsum ab electo populo, cum superbo primatu eminere in terra. Nihil tale aggreditur, sed per ambages nescio quas patrem vtcunque placare conatur. Ac Moses sub hoc typo nobis ad viuum depingit omnes hypocritas. Nam quoties ipsos vrget Dei iudicium, licet vulnerẽtur pœnarũ dolore, non tamen quærunt vera remedia. nam vna tantum satisfactionis arrepta specie, simplex & integra ab illis conuersio negligitur: deinde in illa quoque specie nihil quàm fucum faciunt. Quum totus resipiscere deberet Esau, nonnisi vnũ coniugii vitium corrigere tentauit. hoc iam nimis præposterè. Sequitur tamen alter defectus. nam vxores, quæ parentibus exosæ erant, retinens, se defunctum putat tertia inducta. Atqui hoc modo non leuatur parentũ molestia, nec purgatur domus. Iam verò vnde sibi tertiam inducit vxorem? Ex genere Ismael, quem scimus fuisse degenerem, & cuius posteritas à puro Dei cultu desciuerat. Huius rei insigne hodie documentum cernitur in fictis, ac perfidis Mediatoribus, qui religionis dissidia pulchrè se componere putant, si modo inductis coloribus, corruptelæ nimis crassæ tegantur. Res ipsa fateri eos cogit, adeò fœdos errores, atque abusus in Papatu grassatos esse, vt reformatione omnino sit opus: sed fœtorem illius Camarinæ moueri nolunt: tantum igitur emplastris cuperent fœditatem occulere: idque etiam coacti faciunt. Nam prius suas abominationes vocabant sacrum Dei cultum: sed quia verbo Dei in lucem nunc protracti sunt, ideò descendunt ad hæc noua artificia. Sed frustrà sibi delicias faciunt, in quibus sub persona Esau hîc à Mose damnantur. Valeat igitur putida, quam simulãt, reformatio, quæ nihil simplex affert, nec sincerum. Porrò quia hîc morbus humano generi insitus est, vt libenter quisque aliquo fictitio prætextu eludere Deum tentet, sciamus nos nihil agere, donec reuulsis à radice peccatis, penitus Deo nos addicere studebimus.

10 *Et egressus Iahacob.* In huius historiæ cõtextu hoc in primis notandum est, quomodo in vnius hominis capite Dominus Ecclesiam suam tutatus sit. Nam Isaac propter senium, instar trunci aridi iacebat: & quanuis lateret in eius corde viua radix, nulla tamen amplius in effœta & sterili ætate spes sobolis restabat. Esau viridi quidem, & florido ramo similis, plurimum ostentationis & pompæ habebat: sed momentaneus tantùm erat ille vigor. Iacob tanquam exectus surculus, in terram longè distantẽ transfertur: neque vt illic insitus, vel plantatus robur & magnitudinem acquirat, sed vt cælesti irrigatione tinctus, nõ secus atque in aere pullulet. Mirabiliter enim eum fouet Dominus, & vigorem ei suppeditat, donec rursus eum traducat in domum patris. Interea diligenter obseruent lectores, quòd dum ipse benedictus Dei in exilium eiicitur, data fuit reprobo Esau gloriandi materia, cui relicta erat vacua possessio, vt iam sine æmulo securè regnaret: ne turbemur siquando impii tanquã votorum cõpotes, nobis oppressis triũphos suos efflant. Nomen Beerseba ponit Moses, quia quum vnus esset ex finibus terræ Chanaã, ísque magnum desertum & Meridiem versus, ab Orientali plaga in quam tẽdebat Iacob, remotior erat. Deinde Charras subiicit, vbi Abrahã è patria sua egressus, aliquãdiu habitauerat. Apparet autẽ pium senem Thare, quum filium sequutus est, vel se illi itineris comitem adiunxit, non venisse solum Charras, vbi mortuus est, sed alterũ quoque filiũ Nachor cũ suis eodem migrasse. Nam capite vndecimo habuimus, Thare sumpsisse filiũ suum Abraham, & Lot nepotem, & Sarai nurum suã. Vnde colligimus substitisse tunc Nachor in Chaldæa suo natali solo. Nunc quum dicat Moses Laban habitasse Charris, inde coniicere licet, ne inhumanus videri posset Nachor patrem deserens, collectis vasis ad eum postea veniisse. Paucis autem verbis admonet Moses, quàm

durum, ac laborioſum ſancto viro iter fuerit ob longam diſtantiam. Cui etiam additur altera circunſtantia, quòd humi ſanctus vir ſub dio cubuit ſine comite, ſine hoſpitio. Sicuti autem breuiter hæc tantum attingit Moſes, ita neque ego prolixis verbis vtar: res enim per ſe loquitur. Quare ſiquando nobis videmur aſperius tractari, in mentem veniat ſancti viri exemplum, quod lautitias noſtras corrigat.

12 *Et ſomniauit.* Docet hîc Moſes quàm opportunè ſeruo ſuo Dominus, & in ipſo (quod aiunt) temporis articulo ſuccurrerit. Quis enim non dixiſſet ſanctum Iacob à Deo negligi, qui ad incurſum ferarum expoſitus, & obnoxius omnibus cæli terræque iniuriis, nihil vſquam auxilii, vel ſolatii reperiebat? Verùm vbi ita redactus eſt in vltimam neceſſitatem, Dominus repente illi manum porrigit, eiúſque moleſtias præclaro oraculo mirificè ſubleuat. Sicuti ergo prius enituit inuicta eius perſeuerantia, ſic Dominus nũc paternæ erga Fideles ſuos curæ memorabile ſpecimen edit. Tria autem hîc ordine notanda ſunt: primò, quòd Dominus apparuit ipſi Iacob in ſomnio: deinde ſpecies viſionis, qualis deſcribitur à Moſe: tertiò, verba oraculi. Quum ſomnii fit mentio, non dubium eſt notari certum illud reuelationis genus, quo Dominus olim erga ſeruos ſuos vti ſolebat. Cognouit ergo Iacob, hoc ſibi diuinitus offerri ſomnium quod à vulgaribus differret: idque ſonant Moſis verba, quum dicit apparuiſſe Deum in ſomnio. Deum enim videre non poterat Iacob, vel ſentire præſentem, niſi certis notis diſtincta fuiſſet eius maieſtas. *Et ecce ſcala.* Hîc narratur forma viſionis, quæ ad rem maximè pertinet, quòd Deus ſe oſtenderit ſcalæ inſidens, cuius extremi fines cælũ & terram tangebãt, & quæ Angelos vehebat, vt commearent è cælo in terram. Quòd à quibuſdam Hebræis Scala accipitur pro figura diuinæ prouidentiæ, quæ cæli & terræ gubernationem complectitur, quadrare non poteſt: aliud enim ſignum aptius dediſſet Dominus. Nobis verò qui principiũ hoc tenemus, in Chriſto fundatum fuiſſe Dei fœdus, & Chriſtum eundem æternam fuiſſe imaginem Patris, in qua ſanctis Patribus ſe patefecit, nihil in hac viſione perplexum eſt, vel ambiguum. Nam quum per peccatum alienati ſint homines à Deo, quanuis ipſe omnia impleat ſua virtute & ſuſtineat, à nobis tamen non percipitur illa communicatio, quæ nos viciſſim ad ipſum allíciat: quin potius tale diſſidium eſt, vt eum à nobis auerſum eſſe putantes, eum viciſſim fugiamus. Porrò Angeli, quibus mandata eſt humani generis cuſtodia, tametſi in ſuum munus ſtrenuè incumbunt, non tamen mutuò communicant nobiſcum, vt familiaris ſit & quaſi ſenſibilis eorum propinquitas. Solus ergo Chriſtus eſt, qui cælum terræ coniungit: hîc ſolus eſt Mediator, qui pertingit à cælo vſque ad terram: ille idem eſt per quem omnium bonorum cæleſtium plenitudo deorſum ad nos fluit, nóſque viciſſim ad Deum conſcendimus. Idem quum ſit caput Angelorum efficit vt membris ſuis terrenis miniſtrent. Itaque (vt legimus Iohan. 1. g. 51.) hunc ſibi honorem propriè vendicat, quòd poſtquam manifeſtatus fuerit mundo, Angeli aſcendent ac deſcendent. Ergo ſi ſcalam dicimus eſſe Chriſti effigiem, hæc expoſitio nihil habet coactum. Nam ſcalæ ſimilitudo optimè conuenit Mediatori, per quem miniſterium Angelorum, iuſtitia, & vita, omnéſque Spiritus ſancti gratiæ gradatim ad nos deſcendunt. Nos etiam, qui non tantum eramus defixi in terra, ſed in maledictionis abyſſo, ipſíſque inferis demerſi, ad Deum vſque cõſcendimus. Scalæ autem inſidet Deus exercituum: quia in Chriſto habitat plenitudo diuinitatis. & hinc etiam fit vt ad cælũ vſque pertingat. Tametſi enim humanæ etiam eius naturæ data eſt à Patre omnis poteſtas, non tamen fidem noſtram verè fulciret, niſi eſſet Deus in carne manifeſtatus. Qui particulam וו, vertunt prope, totum ſenſum corrumpunt. Exprimere enim voluit Moſes plenam deitatem reſidere in Mediatoris perſona. Nec verò Chriſtus tantum ad nos acceſſit, ſed induit naturam noſtram, vt nos vnum ſecum efficeret. Quòd autem ſcala ſymbolũ fuerit Chriſti, hæc etiam ratio confirmat, quia nihil magis conſentaneum fuit, quàm vt Deus in Filio ſuo fœdus æternæ ſalutis ſanciret ſeruo ſuo Iacob. Atque hinc ad nos peruenit inæſtimabile gaudiũ, vbi audimus Chriſtũ ita excellere ſupra omnes creaturas, vt ſit tamen nobis coniũctus. Dei quidem maieſtas, quæ ſe hîc conſpicuam profert, terrorem incutere debet, vt omne genu coram Chriſto curuetur, eum ſuſpiciant, atque adorent omnes creaturæ, & ſileat in conſpectu eius omnis caro. Sed amica & ſuauis eius imago ſimul pingitur, vt ſciamus eius deſcenſu, cælum nobis eſſe apertum, & Angelos nobis familiares eſſe redditos. Nam inde nobis fraterna cum ipſis ſocietas, quòd commune vtriſque caput ſtationem habet in terra. Num. 12. b. 6.

13 *Ego Dominus Deus Abraham.* Hoc tertium eſt caput, quod notandum eſſe dixi: frigerent enim mutæ viſiones. itaque verbum Domini quaſi anima eſt, quæ eas viuificat. Figura igitur ſcalæ inferior appendix fuit huius promiſſionis: ſicuti externis ſymbolis Deus verbum ſuum illuſtrat & ornat, vt maior illi tum claritas, tum authoritas accedat. Vnde etiam probamus friuola eſſe Sacramenta in Papatu, quia nulla illic Dei vox auditur quæ animas ædificet. Notemus itaque Deum, quoties ſe Patribus oſtendit, loquutum eſſe, ne ſuſpenſos teneret muta viſio. No-

mine יהוה admonet Deus se vnicum esse mundi opificem, ne alios sibi deos quærat Iacob. Sed quia per se incomprehensibilis est eius maiestas, vt se ad captum serui sui accommodet, statim addit, se esse Deum Abrahæ & Isaac. Etsi enim necesse est tenere, Deum, quem colimus, eum esse qui solus est: quia tamen dum ad eius altitudinem aspirant sensus nostri, inter prima initia euanescunt, colenda nobis sedulò est hæc sobrietas, ne plus de ipso scire appetamus, quàm nobis ostendit, & ipse pro immensa sua bonitate ad nostrum modulum se accommodans, nihil omittit quod expediat in salutem nostram. Quia autem speciale fœdus pepigerat cum Abraham & Isaac, Deum se illorum nominans, ad veram fidei originem reuocat seruum suum Iacob, & in perpetuo fœdere eum retinet. Hoc sacrum est pietatis vinculum, quo inter se cohærent omnes filii Dei, quum à primo ad vltimum eandem salutis promissionẽ audiunt, & consentiunt in spem vnam. Atque hic fructus est eius benedictionis quam nuper à patre acceperat: quia Deus ore suo pronuntiat eum fœderis hæredem, ne putetur inane fuisse hominis præconium. *Terram in qua dormis.* Terram eius posteris fuisse datam legimus: ipse verò non solum vsque ad mortem in ea fuit hospes, sed ne mori quidem potuit. Vnde colligimus, sub terræ pignore, vel arrhaaliquid ei melius, & præstantius fuisse datum: sicuti Abraham spiritualis fuit eius terræ possessor, ac nudo eius intuitu contentus in cælum præcipuè suspexit. Notemus autem, semen Iacob hîc reliquis Abrahæ filiis opponi, qui secundum carnem ex eo promiscuè genus ducebant: sed execti erant à gente sancta. Ex quo verò ingressi sunt filii Iacob in terram Chanaan, perpetua illis fuit hæreditas vsque ad Christum, cuius aduentu renouatus est mundus.

14 *Et erit semen tuum sicut pulvis terræ.* Huc redit summa, quicquid Abrahæ pollicitus fuerat Dominus, transmitti ad filios Iacob. Interim sanctum virum oportuit hoc Dei testimonio fretum, contra spem sperare. Quanuis enim ampla, & magnifica esset hæc promissio, quocunque tamen se verteret Iacob, nihil bonæ spei affulgere tunc potuit. Videbat se hominem solitarium: nulla tunc conditio exilio melior erat: reditus incertus erat, & plenus discriminis. sed ita eum mediis omnibus destitui vtile fuit, vt à solo Dei verbo pendere disceret. Ita hodie si liberaliter omnia nobis promittit Deus, interea verò vacuus ad nos accedere videtur, hoc tamen honoris, & reuerentiæ eius verbo nos deferre conuenit, vt fide diuites simus, ac pleni. Tandem verò post mortem Iacob euentus docuit quàm efficax fuerit hæc promissio. Quo exemplo docemur, Dominum minimè frustrari suos fideles, quanuis eorum bonorum quæ promittit, effectum post eorum mortem vsque differat. *Et benedicent se in te omnes fines terræ.* Hoc membrum plus habet ponderis, quòd in Iacob & eius semine recuperanda sit benedictio, à qua in primo parente totum humanum genus excidit. Quid autem sibi velit hæc locutio, suprà exposui, nempe quòd Iacob non tantum futurus sit exemplar benedictionis, vel formula, sed fons & causa, vel hypostasis. Quanquam enim sæpe hoc genere loquendi notatur eximia quædam fœlicitas, in multis tamen Scripturæ locis tantundem valet ac benedictionem suam petere ab aliquo, eique acceptam referre: sicuti benedicere se in Deo homines dicuntur, qui illum agnoscunt omnis boni authorem. Ita nunc fore promittit Deus, vt se in Iacob, & eius semine benedicant omnes gentes, quia nulla vsquã reperietur fœlicitas, nisi ex hoc fonte prodeat. Cæterùm quod Christi proprium est non absurdè transfertur ad Iacob, cuius in lumbis tunc erat Christus. Ergo quatenus eo tempore Christi personam sustinuit Iacob, in ipso dicuntur benedicendæ omnes gentes: sed quia aliunde pendebat tanti boni exhibitio, mox vice expositionis additur, *in semine*. Nec obstat (quemadmodum alibi dixi) quòd nomen seminis est collectiuum. Nam quia omnes increduli honore & gratia se abdicant, & hoc modo extranei censentur, vt seminis vnitas constet, ad ipsum caput necesse est venire. Hoc quisquis reuerenter expendet, facile videbit in hac interpretatione, quæ Pauli est, nihil esse tortuosum, vel coactum. *Custodiam te.* Iam tentationi, quæ obrepere poterat Sancto Iacob, maturè Deus occurrit. Nam etsi in alienam terram ad tempus extruditur, se tamen illi fore custodem pronuntiat donec eum reduxerit. Longius deinde extẽdit promissionem, quòd nũquam eum deseret, vsque dum completa sint omnia. Duplex autem huius promissionis vsus fuit. Nam & animum eius retinuit in fide Diuini fœderis: deinde vt sciret non aliter secum bene agi, nisi promissæ hæreditatis compos foret.

16 *Et expergefactus est Iahacob.* Iterum confirmat Moses non vulgare fuisse somniũ. Nam qui expergiscitur, tũc saltem agnoscit se delusum fuisse somniando. Deus autem signũ insculpsit animo serui sui, vt vigilãs cognosceret cæleste fuisse oraculum quod dormiẽs audierat. Porrò in suis verbis vltrò se accusat Iacob, ac Dei bonitatem extollit, qui se non quærenti offerre dignatus est. Putabat enim Iacob se illic esse solum: nunc post quam apparuit Deus, miratur, & exclamat se plus adeptũ esse, quàm sperare ausus fuisset. Nec tamen dubiũ est quin Deum inuocauerit Iacob, & cõfisus fuerit sibi ducẽ esse itineris: sed quia nõ eò vsque progressa erat eius fides, vt persuasus esset Deum sibi esse tam propinquũ, meritò gratiam hanc amplificat. Sic quoties nos anteuertit Dominus, & plus præstat quàm conceperint mentes nostræ, exemplo patris nostri mure

mur Deum nobis adfuiſſe. Porrò ſi quiſque noſtrum reputet, quàm exigua ſit fides ſua, ſemper omnibus iuſta erit ſic loquendi ratio. quis enim modulo ſuo capit immenſam donorum congeriem, qua nos ſubinde cumulat Deus?

17 *Et timuit ac dixit.* Mirum eſt cur timuerit Iacob, quum tam ſuauiter loquutus eſſet Deus: cur locum vocet terribilem, vbi incredibili gaudio refectus fuerat. Reſpondeo, quanuis ſeruos ſuos exhilaret Deus, ſimul incutere illis metum, vt cum vera humilitate, ſuíque abnegatione diſcant eius gratiam amplecti. Non igitur intelligas formidine attonitum fuiſſe Iacob, qualiter reprobi, ſimulac ſe oſtēdit Deus, expaueſcunt: ſed incuſſus fuit illi timor piæ ſummiſſionis magiſter. Appoſitè etiam locum illum vocat *Portam cæli*, propter Dei manifeſtationē. Nam quia Deo in cælis locatur quaſi regia ſedes, verè prædicat Iacob ſe viſo Deo, in cælum penetraſſe. hoc ſenſu Euangelii prædicatio vocatur regnum cælorum, & ſacramēta dici poſſunt cælorū portæ, quia in Dei conſpectum nos admittunt. Inſulſè tamen Papiſtæ hunc locū ad ſua templa detorquent, quaſi in fœtidis lupanaribus habitet Deus. Atque vt demus, non eſſe impiis ſuperſtitionibus polluta loca quæ hoc titulo inſigniunt, tamen in nullum locum competit hic honor, ex quo Chriſtus deitatis ſuæ præſentia totum mundum impleuit. Tantum fidei adminicula, vt nuper docui, quibus nos ad ſe Deus attollit, cælorum portæ vocari queunt.

18 *Et ſurrexit Iahacob.* Refert Moſes ſanctū patrē nō fuiſſe contentū præſenti gratiarū actione, niſi gratitudinis ſuæ memoriam ad poſteros tranſmitteret. Ergo monumentū erigens, noménque loco imponens, dignum eſſe ſignificat tam inſigne Dei beneficium, quod ſeculis omnibus celebretur. Ideo Scriptura non tātùm Fideles iubet canere Deo laudem inter ſuos æquales, ſed illis etiam præcipit vt filios ad officia pietatis erudiant, cultúmque Dei propagent ad nepotes. *Et poſuit eum in ſtatuam.* Non intelligit Moſes factum eſſe ex lapide idolum, ſed vt viſionis inſigne μνημόσυνον foret. Vtitur quidem Deus hac voce מצבה, quum ſtatuas ſibi erigi vetat, Leuitici 26. a. 1, quia ad venerationem ferè proſtabant omnes ſtatuæ, acſi Dei eſſent imagines. ſed aliud fuit conſilium Iacob, nempe vt teſtimonium relinqueret viſionis ſibi exhibitæ, non autem vt Deum ſymbolo illo, vel figura repræſentaret. Nō ergo poſitus fuit ab eo lapis, vt in craſſam aliquam ſuperſtitionē deprimeret hominū mentes, ſed potius vt ſurſum erigeret. Oleum adhibuit quaſi conſecrationis ſignum. neque immeritó. nam quum in mundo nihil ſit niſi profanum abſque Spiritu Dei: nulla eſt etiam pura religio, niſi quam cæleſtis vnctio ſanctificat. Atque huc ſpectauit ſolennis conſecrandi ritus, quem Deus in Lege ſua præcepit, vt diſcerēt fideles nihil ſuum inferre, ne templum ac Dei cultum polluerent. Etſi autem nulla adhuc tempore Iacob, literis tradita erat doctrina, certum tamen eſt illo pietatis principio fuiſſe imbutum, quod Deus ab initio piorum cordibus indidit. Quare non eſt ſuperſtitioni tribuendum quòd oleum ſuper lapidem effudit: quin potius teſtatus eſt quod dixi, nullum ſine ſanctificatione Spiritus, placere cultum Deo, vel purum eſſe. Alii ſubtilius philoſophantur, lapidem ſymbolum fuiſſe Chriſti, in quem effuſæ ſunt omnes Spiritus gratiæ, vt de eius plenitudine hauriant omnes. Sed neſcio an Moſi, & ipſi Iacob venerit tale aliquid in mentem. Mihi ſufficit quod prius retuli, erectum fuiſſe lapidem, vt teſtis eſſet, vel memoriale, vt loquūtur, eius viſionis, cuius vtilitas ad omnes ætates pertinet. Quæritur, vnde oleū ſancto viro in ſolitudine. Qui reſpondent ab vrbe vicina fuiſſe emptum, longè meo iudicio falluntur. Locus enim tunc vacuus incolis fuit, vt mox dicam. Ego verò potius coniicio, pro temporis neceſſitate, quòd non ſemper occurrerēt hoſpitia, ſecum aliquid tuliſſe viatici. Porrò quia ſcitur frequentē in illis partibus olei vſum fuiſſe, nihil mirū, ſi olei lagenulā cum pane geſtauerit.

19 *Et uocauit nomen loci ipſius Beth-el.* Abſurdū eſſe videtur, quòd Moſes vrbem fuiſſe cōmemorat, vbi paulo antè dixit, Iacob ſub cælo dormiſſe. Cur enim hoſpitium non quærebat, vel ſe abdebat in aliquem tecti angulum? Sed facilis eſt ſolutio, quòd vrbs nondum extructa tunc fuerit. neque enim ſtatim obtinuit hoc loci nomen quod Iacob impoſuerat, ſed diu ſepultum latuit: imò quū poſtea illic conditum eſſet oppidum, nulla facta eſt mentio Bethel, acſi nunquam illac tranſiſſet Iacob. Neque enim ſciebant incolæ quid illic geſtum eſſet: ſuo igitur arbitrio vocarunt vrbem Luz: quæ nomen hoc retinuit vſque dum Iſraelitæ occupata terra, quaſi poſtliminio prius nomē quod abolitum fuerat, in communem vſum vocarunt. Notandum autem eſt quòd quum poſteri ſtulta æmulatione Deum colerēt in Bethel, quia id fiebat præter Dei mandatum, ſeuerè in illum cultum inuecti ſunt Prophetæ, vt locū nominarent Bethauen, hoc eſt Domum iniquitatis. Vnde colligimus, quàm tutum non ſit inniti Patrum exemplis ſine Dei verbo. Cauendum ergo ſummopere, vbi agitur de cultu Dei, ne in legem trahatur quod ab hominibus ſemel factum eſt, ſed inflexibilis maneat regula, quam Deus ipſe verbo ſuo præſcripſit.

20 *Et uouit Iahacob uotum.* Voti huius finis fuit, vt ſe gratū & memorē oſtenderet Iacob, ſi Deū expertus eſſet beneficum. Sic pacifica in Lege offerebant, ad teſtandam ſuam gratitudinem. Quū autem gratiarum actio ſacrificium ſit optimi odoris: quæ huc ſpectabant vota, Dominus ſibi pla

cere ostendit. Itaque huc quoque nobis spectandum est, vbi quæritur quidnã, & quomodo liceat Deo vouere. Nimia enim est quorundam morositas, qui in totum damnare vota malunt, quàm ianuã aperire superstitionibus. Atqui si peruersa est eorum temeritas, qui sine delectu vota profundunt, cauendum est ne simus illis similes in aduersa parte, vota omnia promiscuè tollendo. Porrò vt legitimum sit votum, ac Deo placeat, primò necesse est vt tendat in rectum finem: deinde nequid voueant homines nisi quod per se Deo probatur, & quod illis dedit in manum. Vbi excussæ fuerint singulæ huius voti partes, videbimus sanctum Iacob ita sibi moderatum esse, vt horum, quæ dixi, nihil omitteret. Primò nihil aliud in animo habet, quàm gratitudinem suam testari. Deinde ad legitimum Dei cultum restringit quicquid facturus est. Tertiò, non superbè promittit supra quàm data est facultas, sed decimas suorum bonorum in sacram oblationem destinat. Quare facilè refellitur Papistarum stultitia, qui vt confusam votorum suorum farraginẽ probent, vnum vel alterum votum sobriè conceptum arripiunt: quum interim eorum licentia nullum modum teneat. quicquid in buccam venit, nihil pudet eos Deo obtrudere: hic sibi cultũ fingit in carnis abstinentia: alter in peregrinatione: ille si dies certos vel cilicio, vel aliis rebus sanctificet. Nec Deo tantùm vota nuncupant: sed quoscunque visum est ex mortuis, admittunt in societatem huius honoris. Electionem perpetui cælibatus sibi arrogant. quid talis proteruia simile habet, vel affine exemplo Iacob, vt sibi inde integumentum captent? Verùm vt hæc omnia ad liquidum constent, in primis tenenda est verborum expositio. Videtur absurdum esse, quòd Iacob cum Deo paciscitur, se fore eius cultorem si dederit quod optat. Quasi verò eum gratuitò colere, in animo non habuerit. Respondeo, hoc minimè ex diffidentia nasci quòd talis conditio interponitur, quasi dubitet Iacob de assiduo Dei præsidio: sed infirmitati suæ hoc modo consulere, dum se voto concepto ad celebrandam Dei bonitatem comparat. Superstitiosi non secus agunt cum Deo atque cum homine mortali: suis ergo illecebris eum delinire tentant. Longè diuersum fuit consilium Iacob, nempe vt se magis stimularet ad pietatis officia. Sæpius audierat ex ore Dei, Semper tibi adero. Huic promissioni votum annectit, vt sit quasi appendix. Videtur quidem prima specie quasi mercenarius seruilem in modum agere: sed quia totus pendet à promissionibus sibi datis, & ad illas format suos affectus, & verba: nihil aliud quàm se in fidei confirmationem exercet, & adminicula colligit quæ nouit infirmitati suæ congruere. Itaque quum panis & vestium meminit, non est quod propterea dicamus illum de terreno solum victu fuisse solicitum: quin potius instar fortis athletæ, contra violentas tẽtationes luctatur. Rerum omnium se inopem videbat: fames & nuditas mortem illi assiduè minabantur, vt de innumeris periculis taceam. Ergo sese armat fiducia, vt omne subsidii genus in Dei gratia sibi repositum esse statuẽs, per quæuis obstacula, & difficultates pergat. Nam extremæ inopiæ confessio est quum dicit, Si Dominus panem mihi, & vestitum suppeditet. Quæritur tamen, quum auus Abraham seruum suum misisset cum splendido comitatu, cum camelis & pretiosa supellectile, cur nunc Isaac filiũ suum ableget sine vllo comite, ac propè sine viatico. Fieri potest sic fuisse dimissum, vt crudelis Esau animus tam miserabili spectaculo ad mollitiem flecteretur. Quanquam alia, meo iudicio, potior ratio fuit. Nam Abraham veritus ne filius Isaac maneret cum suis cognatis, iusiurandũ exegerat à seruo ne illum pateretur in Mesopotamiam ire. Nunc quia sanctum Isaac cogit necessitas aliud de filio Iacob decernere, saltem hoc cauet nequid eum moretur quo minus tandem ad se redeat. Nullis ergo opibus eum instruit, vel lautitiis, quæ mentem eius illaqueent: sed pauperem, & vacuum consultò amandat, quo expeditior sit ad reditum. Itaque videmus vt domum patris sui præferat Iacob regnis omnibus, nec sibi stabilem quietem alibi optet.

21 *Erit Dominus mihi in Deum.* His verbis se obstringit Iacob, ne vnquam à puro vnius Dei cultu desciscat. Nec enim dubium est quin hic cõplexus sit pietatis summam. Sed videtur promittere quod longè superat eius vires. Neque enim vitæ nouitas, spiritualis iustitia, integritas cordis, piáque totius vitæ moderatio penes ipsum erant. Respondeo, quum vouent sancti quæ ab illis requirit Deus, & quorum ex pietatis officio debitores sunt, simul amplecti quod de peccatorum remissione, & auxilio sui Spiritus Deus promittit. Ita fit vt propriis viribus nihil arrogent: deinde vt quicquid exactæ perfectioni deest, non vitiet eorum cultum, quia Deus clementer, & paterna indulgentia illis ignoscit.

22 *Et lapis iste quem posui in statuam.* Hæc cæremonia appendix fuit Diuini cultus. neque enim externi ritus veros faciunt Dei cultores, sed tantùm pietatis sunt adminicula. Cæterùm quia tunc liberum fuit sanctis Patribus vbique erigere altaria, libamen fudit Iacob super lapidem: quoniam alio sacrificio tũc carebat. Non quòd suo arbitrio Deum coluerit: (nam directio Spiritus vice legis scriptæ fuit) sed quod propitio, & volente Deo licebat, erexit eo in loco lapidẽ, qui testis esset visionis. Porrò hæc locutio metonymica est, Quòd lapis erit Bethel: sicuti vsu communi receptum est ad externa signa transferre, quod proprie rebus figuratis conuenit.

Quàm inſcitè hoc ſancto pietatis exercitio abuſa fuerit poſteritas, nuper attigi. Quod de offerendis decimis proximè ſequitur, non ſimplex eſt cæremonia, ſed charitatis officium annexum habet. tria enim ordine enumerat Iacob, Spiritualem cultum Dei: deinde externum ritum, quo pietatem ſuam adiuuet, ac ſimul profiteatur apud homines: tertio, oblationem, qua ſe ad fratres benigne iuuandos exerceat. neque enim dubium eſt quin decimæ in vſum illum ceſſerint.

Cap. XXIX.

1 ET leuauit Iahacób pedes ſuos, & perrexit ad terram filiorum Orientalium.
2 Et vidit, & ecce puteus erat in agro, ecce quoque ibi tres greges pecudum qui cubabant iuxta illum: quia è puteo ipſo potum dabãt gregibus, & lapis magnus erat ſuper os putei.
3 Et congregabant ſe illuc omnes greges, & reuoluebant lapidem ab ore putei, potúmque dabant pecudibus: & reſtituebãt lapidẽ ſuper os putei in locũ ſuũ.
4 Et dixit ad eos Iahacób, Fratres mei vnde eſtis? Et dixerũt, De Charán ſumus.
5 Et dixit ad eos, Nunquid noſtis Labán filiũ Nachór? Et dixerunt, Nouimus.
6 Et dixit ad eos, Nunquid eſt pax ei? Et dixerunt, Pax: & ecce Rachél filia eius veniens cum pecudibus.
7 Et dixit, Ecce adhuc dies magnus: non eſt tempus vt congregetur pecus: potũdate pecudibus, & ite, paſcite.
8 Qui dixerũt, Non poſſumus, donec congregentur omnes greges, & reuoluãt lapidem ab ore putei, & potum demus pecudibus.
9 Adhuc eo loquente cum eis, Rachél venit cum pecudibus quæ erãt patri ſuo: quia paſtor erat.
10 Fuit autẽ, quando vidit Iahacób Rachél filiã Labán fratris matris ſuæ, & pecudes Labán fratris matris ſuæ, acceſſit Iahacób, & reuoluit lapidem ab ore putei, & potum dedit pecudibus Labán fratris matris ſuæ.
11 Et oſculatus eſt Iahacób Rachél, qui eleuauit vocem ſuam, & fleuit.
12 Et nuntiauit Iahacób ipſi Rachél quòd frater patris ſui eſſet, & quòd filius Rebcáh eſſet: cucurrit itaque, & nuntiauit patri ſuo.
13 Et fuit, quum audiſſet Labán auditionem Iahacób filii ſororis ſuæ, cucurrit in occurſum eius, & amplexatus eſt eum, oſculatúſque eſt eum, & deduxit eum ad domum ſuam, & narrauit ipſi Labán omnia hæc.
14 Et dixit ei Labán, Profecto os meum, & caro mea es. Et habitauit cum eo mẽſem integrum.
15 Et dixit Labán ad Iahacób, Num quoniã frater meus es, ſeruies mihi gratis? indica mihi quæ ſit merces tua.
16 Et Labán *erant* duæ filiæ: nomen maioris, Leáh: & nomen minoris, Rachél.
17 Et oculi Leáh, erant teneri: at Rachél erat pulchra forma, & pulchra aſpectu.
18 Et dilexit Iahacób Rachél: & dixit, Seruiam tibi ſeptem annos pro Rachél filia tua minore.
19 Et Dixit Labán, Melius eſt vt dem eam tibi, quàm dem eam viro alteri: mane mecum.
20 Seruiuit itaque Iahacób pro Rachél ſeptem annos: & fuerunt in oculis eius ſicut dies pauci, eo quòd diligeret eam.
21 Et dixit Iahacób ad Labán, Da vxorem meam: quia completi ſunt dies mei, & ingrediar ad eam.
22 Et congregauit Labán omnes viros loci, & fecit conuiuium.
23 Fuit autẽ veſperi, in veſpera accepit Leáh filiã ſuam, & adduxit eam ad illum,

& ingreſſus eſt ad eam.

24 Et dedit Labán ei Zilpáh ancillam ſuam, Leáh filiæ ſuæ ancillam.

25 Et fuit mane, & ecce erat Leáh: & dixit ad Labán, Quid hoc feciſti mihi? nunquid non pro Rachél ſeruiui tibi? & vtquid decepiſti me?

26 Et dixit Labán, Non fit ita in loco noſtro, vt detur minor ante primogenitã.

27 Comple hebdomadam huius, & dabimus tibi etiam hanc pro ſeruitute quam ſeruies mihi adhuc ſeptem annos alios.

28 Et fecit Iahacób ſic, & compleuit hebdomadã illius, & dedit ei Rachél filiam ſuam in vxorem.

29 Et dedit Labán Rachél filiæ ſuæ Bilháh ancillam ſuam, in ancillam.

30 Et ingreſſus eſt etiam ad Rachél: & dilexit etiam Rachél magis quàm Leáh, ſeruiuítque ei adhuc ſeptem annos alios.

31 Et vidit Dominus quòd exoſa eſſet Leáh, & aperuit vuluam eius, & Rachél erat ſterilis.

32 Et concepit Leáh, & peperit filium, vocauítque nomen eius Reubén: quia dixit, Nempe vidit Dominus afflictionem meam. nunc enim diliget me vir meus.

33 Et cõcepit adhuc, & peperit filium, & dixit, Quia audiuit Dominus quòd exoſa eſſem, dedit mihi etiam hunc. & vocauit nomen eius Simhón.

34 Et concepit adhuc, & peperit filium, & dixit, Nunc vice hac copulabitur vir meus mihi, quia peperi ei tres filios. idcirco vocauit nomen eius Leuí.

35 Et concepit adhuc, & peperit filium, & dixit, Vice hac confitebor Domino. idcirco vocauit nomen eius Iehudáh: & deſtitit à pariendo.

1 *Et leuauit Iahacób pedes ſuos.* Refert iam Moſes aduentum Iacob in Meſopotamiã, & quomodo à Laban auunculo ſuo exceptus fuerit. Tametſi autem videtur ſuperuacua eſſe narratio, nihil tamen continet non vtile cognitu. Præclarum enim fidei robur cõmendat in Iacob, quum dicit leuaſſe pedes, vt veniret in terram incognitam. Rurſum Dei prouidẽtiam vult à nobis expendi, quòd inciderit Iacob in paſtores Laban, à quibus in hoſpitium, quod quærebat, deductus eſt. Neque enim hoc fortuitò contigit, ſed occulta Dei manu in illum locum directus eſt: & ſimul diuinitus oblati ſunt paſtores, qui eum docerent, ac certiorem redderent de omnibus. Ergo quoties inter perplexos circuitus incerti vagabimur, fidei oculis contemplanda eſt arcana Dei prouidentia, quæ nos noſtráque negotia gubernans, ad inſperatos exitus perducit.

4 *Fratres mei unde eſtis?* In hoc congreſſu apparet quanta fuerit ſeculi illius integritas. Etſi enim fraternum nomen ſæpe ab improbis & ſceleratis per abuſum polluitur, non dubium tamen eſt quin tunc fidelius culta fuerit humana ſocietas. Hinc fit vt Iacob fratres compellet homines ignotos, haud dubiè ex recepto vſu. Frugalitas autẽ in eo perſpicitur, quòd Rachel oram ſuam gregi aquando impendit. nam quum ſeruis abundet Laban, quî fit vt filiam ſuam ad vile & ſordidum miniſterium demittat, niſi quia turpe erat in otio, mollitie, ac deliciis educare liberos? Sicut hodie contrà, poſtquam ambitio, ſuperbia, & mollior cultus mores effœminarunt, vileſcit cura rei domeſticæ, vt magnam partem officii ſui pudeat. Ex eadem morum integritate manauit, quòd Iacob ad conſobrinæ ſuæ oſculum properare auſus eſt. nam in vita caſta, & modeſta multò maior erat libertas. Hodie impuritas, & libidinum intemperies, facit vt non modò ſuſpecta ſint oſcula, ſed aſpectus quoque metuatur. neque immeritò: quando mundus omne genus corruptelis refertus eſt, tantáque perfidia graſſatur, vt rari ſint virorum & mulierum pudici congreſſus. Quare antiqua illa ſimplicitas acerbos gemitus exprimere nobis debet, vt fœda hæc corruptio in quam prolapſus eſt mundus, nobis diſpliceat, neque nos, ac domos noſtras inficiat eius contagio. Cæterùm in contextu Moſis inuerſa eſt ſeries. Neque enim prius oſculatus eſt Rachelem Iacob, quàm docuiſſet ſe eſſe eius cognatum. Atque hinc etiam ille fletus: quia partim gaudio, partim memoria domus paternæ, humanóque affectu in lachrymas erumpit.

13 *Et narrauit ipſi Laban omnia hæc.* Quum prius vidiſſet Laban vnum ex ſeruis Abrahæ non vulgari opulentia refertum, ſiniſtra de nepote opinio ſtatim illi venire in mentem potuit. Ergo

neceſſe fuit ſancto Iacob, diſceſſus ſui cauſas exponere, & cur in illo contemptibili habitu dimiſſus eſſet. Et credibile eſt à matre fuiſſe edoctum, quibus indiciis ac notis fidem ſuæ cognationis faceret. Ideò exclamat Laban, *Verè os meum & caro mea es*, ſignificans ſatis ſibi eſſe factum: ac ſignis minimè dubiis perſuaſum ſe adduci vt Iacob agnoſcat nepotem. Hæc notitia eum ad humanitatem inclinat. Nam hoc dictat naturæ ſenſus, vt qui ſanguine coniuncti ſunt, alii alios iuuare ſtudeant. Quanquam autem arctius eſt inter cognatos vinculum, latius tamen patere debet noſtra benignitas, vt ſe ad totum humanum genus diffundat. Quòd ſi inter ſe vltrò citróque cõiuncti ſunt omnes Adæ filii, multò efficacior eſſe debet ſpiritualis cognatio, quam Deus inter Fideles conciliat, & qua nullum eſt ſanctius mutuæ beneuolentiæ vinculum.

14 *Et habitauit cum eo menſem integrum.* Quanquam non dubitat Laban quin Iacob ſuus ex ſorore ſit nepos, eius tamen mores vnius menſis decurſu explorat. Deinde cũ eo de mercede trãſigit. Hinc autem colligitur ſancti viri probitas, quòd ignauus non fuit apud auunculum, ſed ſe honeſtis laboribus exercuit, ne gratis in otio alienum panem ederet: vt fateri cogatur Laban, ei præter victum, mercedis aliquid deberi. Quum dicit, *Nunquid quoniam frater meus es, ſeruies mihi gratis?* poteſt duplex eſſe ſenſus, Vel quòd nimis abſurdum ſit ac iniurium, fraudare iuſta mercede propinquum, cuius maior habenda ſit ratio, quàm extranei cuiuſlibet: vel quòd ſub colore propinquitatis nolit gratuitas operas exigere. Hæc ſecunda expoſitio melius quadrat, ſicuti etiam ferè omnium conſenſu recepta eſt. Nam vno contextu legunt, An quia tu frater meus es, ideo ſeruies gratis? Porrò notandum eſt quorſum hæc narrentur à Moſe. Nam primò ſumma æquitas nobis proponitur in Laban, ſicuti hic ſenſus ferè omnium mentibus ingenitus eſt, Iuſtitiam mutuò colendam eſſe, donec aliò ipſos abſtrahit cæca cupiditas. Et Deus æquitatis iudicium inſculpſit hominum naturæ, vt prorſus excuſatione careant quicunque immodico priuati commodi ſtudio ab ea regula declinant. Sed paulo pòſt, vbi ad rem ventum eſt, Laban huius æquitatis oblitus, tantùm quid ſibi vtile ſit cogitat. Notabile certè exemplum. nam rarò in generalibus principiis errant homines, ideò fatentur vno ore, ius ſuum cuique reddendum. Simul autem atque ad propria negotia deſcendunt, excæcat eos peruerſus ſui amor, vel ſaltem tales nebulas obducit, vt in contrariam partem ferantur. Quare diſcamus frænum nobis iniicere, ne propria vtilitas ad opprimendam iuſtitiam præualeat. Atque hinc natum eſt prouerbium, Neminem in ſua cauſa idoneum eſſe iudicem: quia ſinguli pluſquam par eſt ſibi addicti, quid rectum ſit obliuiſcuntur. Quare rogandus Deus vt affectus noſtros Spiritu recti iudicii temperet, ac cohibeat. Quòd ex compacto agere vult Laban, ad vitandas lites & querelas valet. Notum eſt vetus illud dictum, Legitimè agendum eſſe cum amicis, ne legitimè agere poſtea cogamur. Vnde enim tot ſtrepitus forenſes, niſi quòd quiſq; plus æquo erga ſe liberalis, in alios eſt reſtrictior? ideo certis pactionibus opus eſt ad concordiã fouendam, quæ iniquitatem hinc inde præueniãt.

18 *Seruiam tibi ſeptem annos.* Momento ſe prodit iniquitas Laban. Turpis enim barbaries eſt, quòd filiam ſuam mercedis loco permutat cum operis Iacob. Nam hæc quædam eſt venditionis ſpecies. Potius debuerat non modò filiæ dotem cõſignare, ſed liberalius agere cum futuro genero. Atqui affinitatis prætextu laboris eum mercede fraudat, quod prius iniuſtum eſſe cõfeſſus eſt. Clarè ergo perſpicimus quod prius attigi: quanuis ex vtero matris generalẽ iuſtitiæ notiam habeant homines, ſimul tamen ac eorum vtilitas in medium prodit, reipſa iniuſtos eſſe niſi Dominus eos Spiritu ſuo reformet. Neque enim hîc rarum aliquid, vel inſolitum refert Moſes, ſed quod ferè ſemper accidit. Etſi enim filiæ ad quæſtum non proſtant, pleroſque tamen ſic tranſuerſos agit lucri cupiditas, vt proſtituant honorem ſuum, animáſque vendant. Cæterùm quòd in amorem Rachel magis propenſus fuit Iacob, ſiue quia propter lippitudinem minus formoſa erat Lea, ſiue quòd ſola oculorum gratia placebat, quum Rachel formæ elegantia omni ex parte excelleret, non eſt penitus vitio tribuendum. Videmus enim vt naturaliter arcanus quidam affectus amores conciliet. Tantùm cauenda eſt intemperies, & quidem eo diligentius, quòd difficile eſt eiuſmodi affectus frænare, ne ad ſuffocandam rationem laſciuiant. Ergo qui formæ elegantia ducetur in appetenda vxore, non ſimpliciter peccabit, modo ſemper emineat ratio quæ in ordinem & obſequium amoris laſciuiam cogat. In eo tamen fortè peccauit Iacob, quòd nimium ſibi indulgens, cum primogenitæ iniuria Rachelem natu minorem ſibi dari petiit: imò etiam quòd oculos ſuos ſequutus, minoris quàm decebat, fecit virtutes Leæ. hæc enim nimis vitioſa eſt intemperies, quum ſibi quis vxorem ex formæ tantum intuitu eligit, quum ingenii præſtantia ordine præire debeat. Vehementia autem, & feruor amoris in eo ſe profert, quòd nullum ſentit laboris tædium per ſeptem annos: ſed caſtitas ſimul coniuncta fuit, quòd tam longum tempus patienter, & quieto animo inter aſſiduos labores tranſegit. Ac iterum refulget ſeculi illius integritas, & continentia, quòd quum ſub eodem habitarent tecto, & familiaris vſus intercederet, pudicè tamen ſe geſſerit Iacob, & ab omni flagitio abſtinuerit. Ideò poſt exactum tempus di-

cit, *Da mihi uxorem, vt ingrediar ad eam*: quo significat intactam adhuc esse virginem.

22 *Et congregauit Laban.* Non intelligit Moses instructam fuisse cœnam toti populo, sed plurimos vocatos fuisse conuiuas, vt in splendidis nuptiis fieri solet. Nec dubium est quin maiore studio incubuerit ad conuiuium illud ornandum, vt pudore obstrictum teneret Iacob: ne coniugium in quo deceptus erat, pro nihilo tamen ducere auderet. Hinc autem colligimus, quanta fuerit tunc coniugalis thori religio. Hæc enim occasio fallendi Iacob fuit, quòd vt spósarum pudori consulerent, velatas ducebant in cubiculum: nunc reiecta veteri disciplina, homines facti sunt quasi semibestiæ.

25 *Et dixit ad Laban.* Iure expostulat Iacob de fraude sibi facta. Et responsio Laban, tametsi habet aliquid coloris, fraudem tamẽ minimè excusat. Non erat moris elocare filias natu minores maioribus præteritis: & iniuriam fecisset primogenitæ, consuetum ordinem turbando. sed non ideo debuit dolosè spondere Rachelem, & in locum eius Leam supponere. Potius debuit in tempore monere ipsum Iacob, vt animum adiiceret ad Leam: vel ab vtroque coniugio desisteret. Sed hinc discamus improbos, & fallaces, vbi semel deflexerint, nullum facere peccandi finem. interea fucum semper aliquem obtendere, vt culpam à se reiiciant. Iniustè prius egerat cum nepote, septem annorum operas pro filia exigendo: iniustè sine dote filiam mercedis loco prostituerat: hoc verò longè indignius, sponsam perfidè nepoti furari, peruertere sacras coniugii leges, & nihil integrum vel saluum relinquere. Videmus tamen vt fumum spargens, honestam defensionem se habere putet, quia mos regionis non erat minores præferre maioribus.

27 *Comple hebdomadam huius.* Iam occalluit Laban ad maleficia. alteros enim septem annos nepoti extorquet vt illi nubat altera filia. Si decẽ alias habuisset, paratus fuisset omnes exponere: imò filiam vltrò quasi venalem obtrudit, súsque déque faciens illicitæ nundinationis dedecus, modò inde lucrum reportet. In eo autem grauiter peccat, quòd non tantùm polygamia implicat nepotem suum, sed incestis coniugiis ipsum & filias polluit. Siqua vxor à marito non diligitur, eam repudiari præstat, quàm altera inducta teneri velut captiuam, & mœrore confici. Itaque Dominus per Malachiam diuortium polygamia magis tolerabile esse pronuntiat. Laban auaritia cæcus, filias inter se committit, vt hostiliter tota vita dissideant. Peruertit etiam omnia naturæ iura, dum germanas sorores in lectum vnum coniicit, vt altera sit alterius pellex. Quum hæc flagitia Israelitis proponat Moses in generis sui primordiis, non est quod eos inflet sua nobilitas, vt nimium glorientur se ex Patribus sanctis esse genitos. Quantumuis enim excellat Iacob, non tamen illi nascitur soboles nisi ex impura colluuie, dum præter naturam miscentur vno in lecto duæ sorores quasi belluino more, & duæ postea concubinæ velut in cumulum accedunt. Vidimus quidem suprà hanc licentiam nimis fuisse vulgarem inter Orientales: sed non fuit in hominum arbitrio, legem coniugii diuinitus ab initio sancitam, praua consuetudine euertere. Itaque modis omnibus inexcusabilis est Labã. Etsi autem culpam Iacob aliquatenus excusat necessitas, non tamen eum prorsus absoluit. Poterat enim Leam dimittere, quòd vxor non esset legitima. Coniugium enim facit, mutua maris & fœminæ voluntas & consensus: cui nihil magis contrarium est quàm error. Iacob autem sic eam vxorem, à qua solutus erat ac liber, inuitus retinet, vt malum duplicet polygamia, triplicet verò incestuosis nuptiis. Ita videmus efferbuisse immodicum amorem Rachelis, qui semel in eius animo accensus fuerat, vt neque moderatio, neque consilium vigeret. Quòd ad verba spectat, diuersos sensus afferunt interpretes. Quidam pronomen demõstratiuum ad hebdomadem referunt: alii verò ad Leam, quasi dictum esset, non ducturum esse Rachelem, donec habitasset cum sorore eius hebdomade vna. Ego verò potius de Rachele interpretor, vt coniugium eius altero septennio redimat: non quòd Laban in finem vsque illius temporis distulerit nuptias, sed quia in nouam seruitutem se addicere coactus est Iacob.

30 *Et dilexit etiam Rachel, magis quàm Leã.* Non dubium est quin Mosis consilium fuerit traducere peccata Iacob: vt nobis timere discamus, omnésque nostras actiones ad vnicam verbi Dei normam exigere. Nam si ita prolapsus est sanctus Patriarcha, quis nostrum à simili ruina securus erit, nisi Dei præsidio seruetur? Et simul apparet quàm periculosa sit Patrum imitatio, posthabita Lege Domini. Et tamen in ea sibi tantopere placent stulti Papistæ, vt pro Lege seruandum non dubitent quicquid à Patribus factum legunt. Adde quòd sibi Patres asciscunt talibus filiis dignos: vt delirus quilibet monachus pluris sit apud eos, quàm omnes Patriarchæ. Quòd spernitur Lea à marito, non sine eius culpa accidit, meritóque eam Dominus castigat, quòd ipsa quoque paternæ fraudis cõscia, sorori maritum indignè abduxerat: sed eius culpa non excusat libidinem Iacob.

Malach. 2. c. 14

31 *Et vidit Dominus.* Hoc loco ostendit Moses præposterum amorem Iacob fuisse correctum à

Domino,vt ſolet Fidelium affectus,quum nimis ebulliunt, ferulis domare. Diligitur Rachel nō ſine ſororis iniuria,cui nō habetur debitus honor. Dominus ergo ſe vindicem interponit,& apto remedio animum Iacob flectit in eam partem à qua nimis auerſus erat. Docet autem hic locus, ſobolem peculiare eſſe donum Dei, quum illi diſertè tribuitur hæc poteſtas, quòd alteram reddat fœcundam,alterius vtero maledicat. Notandum præterea, quòd ſobolis procreatio maritos vxoribus magis conciliet. Vnde &cōmunes liberos veteres dixerunt pignora:quia ad augendum mutuum amorem,& fouendū non parum valeant. Quòd Moſes exoſam fuiſſe Leam tradit,ſenſus eſt,non fuiſſe dilectam vt par erat. Neque enim infenſus illi erat Iacob,vel eam odio proſequebatur:ſed hoc verbo amplificat Moſes vitium illud,quia non præſtabat mariti officium: nec ſatis amicè,& honorificè priorem vxorem tractabat. Hoc diligenter notare operæpretium eſt, quia multi ſe defunctos putant,modo ne erumpant in odium capitale. Videmus autem vt Spiritus ſanctus odio haberi pronuntiet,qui non ſatis amantur. Iam ſcitur,in hunc finem creatos eſſe homines,vt inter ſe diligant. Quare nemo ab odii crimine innocēs erit coram Deo, niſi qui proximos ſuos amore complectitur. Non modò obſcura ſimultas in odium reputabitur, ſed neglectus fratrum,& frigus charitatis,quod paſſim regnat in mundo. Cæterùm vt ſinguli propius inter ſe cōiuncti ſunt: ita danda illis opera eſt vt ſanctiore amoris nexu inter ſe cohæreant. Adde quòd inter coniuges,etiam ſi aperte non diſſideant,ſi tamen minus amanter ſe colunt,faſtidium nō procul abeſt ab odio.

32 *Vocauit nomen eius Ruben.* Refert Moſes Leam non fuiſſe Deo ingratam. Nec ſanè dubito quin tunc melius expenſa vulgò fuerint Dei beneficia,quàm hodie. Profanus enim ſtupor mentes ferè omnium occupat,vt pecudum inſtar quæcunque bonitatis ſuæ documēta profert Deus, ingurgitent. Porrò Lea non modò ſuæ fœcunditatis Deum facit authorem, ſed cauſam ſimul aſſignat, quòd afflictio ſua reſpecta fuerit à Domino: & filius fuerit datus, qui mariti affectum ad ipſam conuertat. Vnde probabile eſt,quum ſe videret contemni,ad preces confugiſſe, vt leuamē aliquod è cælo haberet. Nam gratiarum actio documentum eſt quòd ſe homines antè in precibus exercuerint:ſicuti qui nihil à Deo ſperarunt, ſua ſocordia obruunt quicquid bonorum in eos contulerit. Inſculpit ergo Lea in perſona filii μνημόσυνον, quo ſe ad Dei laudes incitet. Docet etiam hic locus reſpici à Domino, qui iniuſtè ab hominibus ſpernuntur. Vnde apprime vtilis cōſolatio redit ad Fideles, quos vtplurimum contemptibiles eſſe in mundo experientia oſtendit. ergo quoties duriter,ac contumelioſè tractantur, ad hoc aſylum confugiant, hac de cauſa magis propitium eſſe Deum. Idem ſequuta eſt in ſecundo filio Lea. Nam ab auditu nomen illi imponit,vt ſibi in memoriā reuocet exauditos à Domino fuiſſe ſuos gemitus. Vnde coniicimus(quod paulo antè dixi)quo tempore vrgebat afflictio,depoſuiſſe ſuos dolores in ſinum Dei. Tertium filium à coniunctione nominat:acſi diceret,iam nouam copulā intercedere,vt magis ametur à marito In quarto ſuā rurſus erga Deū pietatem declarat. nam eum à laude ideo nūcupat, quòd ſingulari Dei beneficio datus ſit. Iam prius quidem gratias egerat Domino:ſed quia vberior laudis materia ſuppetit,fatetur non ſemel,neque vno modo,ſed ſæpius ſe Dei gratia adiutam eſſe.

Cap. XXX.

1 ET vidit Rachel quòd non páreret ipſi Iahacób: & inuidit Rachél ſorori ſuæ,
& dixit ad Iahacób, Da mihi filios:ſin minus,mortua ſum.
2 Et iratus eſt furor Iahacób in Rachél, & dixit, Nunquid pro Deo ſum, qui
prohibuit à te fructum ventris?
3 Et dixit,Ecce ancilla mea Bilháh,ingredere ad eā,& pariet ſuper genua mea:
& erit etiam mihi filius ex ea.
4 Et dedit ei Bilháh ancillam ſuam in vxorē,& ingreſſus eſt ad eam Iahacób.
5 Et concepit Bilháh,& peperit ipſi Iahacób filium.
6 Et dixit Rachel, Iudicauit me Deus, & etiam audiuit vocem meam, & dedit
mihi filium. idcirco vocauit nomen eius Dan.
7 Et concepit adhuc, & peperit Bilháh ancilla Rachél, filium ſecundum ipſi
8 Iahacób.
Et Dixit Rachél,Luctationibus Diuinis luctata ſum cum ſorore mea,etiam
9 prævalui. & vocauit nomen eius Naphtali.
Et vidit Leáh quòd ceſſaſſet párere, & accepit Zilpáh ancillam ſuam, & de-

dit eam Iahacób in vxorem.

10 Et peperit Zilpáh ancilla Leáh ipſi Iahacób filium.

11 Et dixit Leáh, Venit turba. & vocauit nomen eius Gád.

12 Et peperit Zilpáh ancilla Leáh filium ſecundum ipſi Iahacób.

13 Et dixit Leáh, Vt beata dicar: quia beatam me dicent filiæ. & vocauit nomen illius Aſſér.

14 Et perrexit Reubén in diebus meſſis triticeæ, & reperit mãdragoras in agro, & attulit eas Leáh matri ſuæ. Et dixit Rachél ad Leáh, Da quæſo mihi de mandragoris filii tui.

15 Et dixit ei, Nunquid parum eſt quòd abſtuleris virum meum, vt auferas etiã mandragoras filii mei? Et dixit Rachel, Idcirco dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui.

16 Et venit Iahacób ex agro veſperi, & egreſſa eſt Leáh in occurſum eius, & dixit, Ad me ingredieris: quia mercando mercata ſum te mãdragoris filii mei. & dormiuit cum ea nocte illa.

17 Exaudiuit Deus Leáh, & concepit, & peperit ipſi Iahacób filium quintum.

18 Et dixit Leáh, Dedit Deus mercedem meam: quia dedi ancillam meam viro meo. Et vocauit nomen eius Iſſachar.

19 Et concepit adhuc Leáh, & peperit filium ſextum ipſi Iahacób.

20 Et dixit Leáh, Dotauit me Deus dote bona: vice hac habitabit mecum vir meus: quia peperi ei ſex filios. & vocauit nomen eius Zebulún.

21 Et poſtea peperit filiam, & vocauit nomen eius Dináh.

22 Et recordatus eſt Deus Rachél, & exaudiuit eam Deus, & aperuit vuluã illius.

23 Et concepit, & peperit filium, & dixit, Amouit Deus probrum meum.

24 Et vocauit nomen eius Ioſéph, dicendo, Addat Dominus mihi filium alium.

25 Fuit autẽ, quum peperiſſet Rachél Ioſéph, dixit Iahacób ad Labán, Dimitte me, & ibo ad locum meum, & ad terram meam.

26 Da vxores meas, & liberos meos, propter quas ſeruiui tibi, & ibo: tu enim noſti ſeruitium meum quod ſeruiui tibi.

27 Et dixit ad eum Labán, Si, quæſo, inueni gratiã in oculis tuis: expertus ſum quòd benedixit mihi Dominus propter te.

28 Et dixit, Indica mercedem tuam mihi, & dabo.

29 Et dixit ad eum, Tu noſti qualiter ſeruierim tibi, & quale fuit pecus tuum mecum:

30 Quia puſillum quod fuit tibi ante me, creuit in multitudinem, & benedixit Dominus tibi ad *ingreſſum* pedis mei. & nunc quando faciã etiã ego domui meæ?

31 Et dixit, Quid dabo tibi? Reſpondit Iahacób, Nõ dabis mihi quicquam. ſi feceris mihi hoc, reuertar, paſcam, pecudes tuas cuſtodiam.

32 Tranſibo per omnes pecudes tuas hodie, remouendo inde omne pecus paruum punctis paruis reſperſum, & reſperſum maculis latis: & omnem agnum rufum in ouibus, & reſperſum maculis latis, & reſperſum punctis paruis in capris: & erit merces mea *quicquid tale fuerit*.

33 Et teſtificabitur mihi iuſtitia mea in die craſtino quum venerit ad mercedẽ meam coram te: quicquid nõ erit punctis paruis reſperſum, & maculis latis reſperſum in capris, & rufum in ouibus, furto ablatum erit à me.

34 Et dixit Labán, Ecce vtinam ſit ſecundum verbum tuum.

35 Et remouit in die illa hircos minores variegatos & maculis latis reſperſos, & omnes capras punctis paruis reſperſas, & maculis latis reſperſas, omne in quo erat candor, & omne rufum in ouibus: & dedit in manu filiorum ſuorum.

36 Et poſuit viam trium dierũ inter ſe & inter Iahacób: & Iahacób paſcebat pecudes Labán reſiduas.

37 Tulit autẽ ſibi Iahacób virgam populeã viridem, & amygdalinam, & caſtaneam, & decorticauit in eis cortices albos, denudationem candoris qui erat in virgis.

38 Et ſtatuit virgas quas decorticauit, in fluẽtis, in canalibus aquarum (ad quos veniebant pecudes ad bibendum) eregione pecudum, vt coirent dum venirẽt ad bibendum.

39 Et coibant pecudes prope virgas, & pariebant pecudes *fœtus* lineis diſtinctos, & punctis paruis reſperſos, & maculis latis reſperſos.

40 Et oues ſeparauit Iahacób, & poſuit facies pecudum ad *fœtus* lineis diſtinctos: & omne rufum in pecudibus *erat* Labán: & poſuit ſibi greges ſeorſum, & non poſuit eos iuxta pecudes Labán.

41 Fuit autẽ, in omni coitu pecudũ primitiuarum, ponebat Iahacób virgas in oculis pecudum in canalibus, vt coirent ad virgas.

42 Ad ſerotinos verò coitus pecudum non ponebat: & erant ſerotina, ipſius Labán: primitiua autem ipſius, Iahacób.

43 Et creuit vir ſupra modum: fuerúntque ei pecudes multæ, & ancillæ, & ſerui, & cameli, & aſini.

1 *Et audit Rachel.* Hîc incipit narrare Moſes domeſticis iurgiis diſtractũ fuiſſe Iacob. Quanquam autẽ Dominus de eo pœnã ſumebat, quòd vxores duas, & præcipuè ſorores ducendo, non leuiter peccaſſet, fuit tamen paterna caſtigatio: & Deus ipſe, vt filiis ſuis clementer ignoſcere ſolet, manũ quodãmodo ſuſtinuit. Vnde etiã factum eſt vt nõ ſtatim reſipuerit, ſed noua delicta addiderit prioribus. Primò autẽ de Rachele dicendũ eſt. Quia ſororis cõtemptu, & dolore exultat, Dominus hanc prauam lætitiã compeſcit, benedictionẽ ſuam in Leam inclinans, vt æqualis ſit vtriuſque conditio. Audit claram ſororis confeſſionem: & quatuor filiorum nominibus monetur, Deum illius miſertũ eſſe, vt gratia ſua ſubleuaret, quæ indignè ab hominibus deſpecta erat. Inuidia tamen vritur, nec ferre poteſt quicquam in ea eſſe vxoriæ dignitatis. Videmus quid faciat ambitio. dum enim excellere appetit Rachel, ne ſorori quidem parcit: ac parum abeſt quin iracundiam ſuam euomat in Deum, quia fœcunditatis dono eam ornauit. æmulatio enim non ex iniuriis nata eſt: ſed quia ſociam ferre, ac parẽ non ſuſtinet, quæ tamẽ iure inferior erat. quid faceret prouocata, quæ ſorori ſua ſorte contentæ inuidet? Porrò Moſes hunc morbum in Rachele oſtendens, omnibus infixum eſſe admonet, vt quiſque noſtrum euulſis eius radicibus, ad ſe purgandum inuigilet. Vt autem medeamur inuidiæ, ſuperbiam faceſſere, ac noſtri amorẽ oportet: ſicuti Paulus hoc vnum cõtentionibus remedium præſcribit, nequid per inanem gloriam fiat. *Philipp. 2.a.*

2 *Et iratus eſt furor Iacob.* Impedit amoris mollities ne vxorẽ offendat Iacob: rei tamen indignitas tandẽ eum cogit, quũ videt eam petulanter inſurgere nõ modo in ſororẽ, quæ piè ſanctéque cum gratiarũ actione Dei donis fruebatur: ſed in Deũ ipſum, cuius merces eſt fructus vẽtris, vt habetur Pſal. 127. b. 3. Ergo iraſcitur Iacob, quòd vxor nihil tribuat Dei prouidẽtiæ, ac liberos fortuitò naſci fingẽs, illi generis humani curã ac gubernationẽ eripiat. Fortè iam triſtis erat Iacob ob vxoris ſterilitatẽ. Nũc ergo veretur ne ipſius ſtultitia Deũ magis exaſperet, vt duriorib⁹ flagellis vtatur. Hæc ſancta fuit indignatio, quum Deo legitimum honorẽ aſſerat Iacob, & vxorem caſtigans, admonet neque temerè, neque fruſtrà accidiſſe quòd hactenus fuerit ſterilis. Nam quũ affirmat vterũ eius clauſum fuiſſe à Domino, eam obliquè perſtringit vt ſe poti⁹ humiliet,

3 *Ecce ancilla mea Bilha.* Hîc vanitas muliebris ingenii perſpicitur. Neque enim inducitur Rachel vt ad Dominũ cõfugiat, ſed illicitis artibus prorũpit ad victoriã. Itaque ad tertiũ coniugiũ rapitur Iacob. Vnde colligimus nullũ eſſe peccatis finẽ, vbi ſemel neglecta eſt Dei inſtitutio. Atque hoc eſt quod dixi, non ſtatim Dei ferulis reductũ ad ſanã mentẽ. Facit quidẽ hoc vxoris impulſu: ſed an vxor illi pro Deo eſt, à quo ſolo cõiugii lex petenda eſt? Atqui vt morigerũ ſe vxori præbeat, vel eius importunitati obtemperet, recedere nõ dubitat à Dei mãdato. Párere ſuper ge-

nua, nihil aliud est quàm fœtum alteri educandũ tradere. An cilla erat Bilha. Sibi igitur nõ peperit, sed dominæ quæ fœtum sibi vendicans, inde matris honorem adepta est. Ideo exegeticè additur, *filiabor*, vel ædificabor *ex ea*. nam verbum quo hîc vtitur Moses, à filio deducitur: quia liberi sunt quasi domus fultura. Impiè verò Rachel, quæ peruerso modo, nõ secus ac inuito Deo, materfamilias fieri appetit.

5 *Et concepit Bilha.* Mirũ est quòd Deus adulterinũ coniugium prolis honore dignatus fuerit: sed ita interdũ beneficiis certat cum hominum malitia, & indignos sua gratia prosequitur. Nec verò semper æqualiter punit suorũ delicta: nec torporẽ eadẽ celeritate excutit, sed maturũ correctionis tẽpus expectat. Itaque inter legitimos filios cẽseri voluit qui ex hoc vitioso cõiugio progeniti erãt, sicuti paulo antè Moses vxorẽ vocauit Bilha, quæ tamen pellex dici merebatur. Atq; hîc cessat vulgaris regula, Quod ab initio nõ valuit, nũquã tractu tẽporis cõualescere. Quãuis enim irrita esset pactio, in quã maritus & vxor perperã cõtra Dei mandatũ, sanctúmque naturæ ordinẽ descenderãt, fit tamẽ singulari priuilegio vt cõiugii honorẽ obtineat quæ per se adulterina erat coniunctio. Tandem verò incipit Rachel Deo adscribere quod suum est: sed hæc eius cõfessio ambitione implicita nihil sincerũ, vel rectum spirat. Magnificè prædicat susceptã fuisse causam suã à Domino. Quasi verò læsa esset à sorore, vt Dei fauore erigi debuerit: quasi etiam non se priuare tẽtauerit eius auxilio. Videmus ergo vt sub laudis specie, potius iniuriam Deo faciat, eum suæ cupiditati subiiciens. Adde quòd hypocritas imitatur, qui in rebus aduersis contra Deũ clausis oculis ruẽtes, vbi prosperior afflauit fortuna, vẽtosa iactantia insolescũt, acsi omnibus eorũ factis, & dictis faueret Deus. Nõ tam ergo Dei bonitatẽ celebrat Rachel, quàm sibi ipsa plaudit. Quare ei⁹ exẽplo edocti Fideles abstineãt à sacro Dei nomine per hypocrisin polluendo.

8 *Luctationibus Diuinis.* Alii vertunt, Cõiunctionibus Dei cõiuncta sum. vt glorietur se recuperasse quod perdiderat: vel certè, gradu honoris se æquatã fuisse sorori. Alii, Duplicata sum duplicationib⁹ Dei. vtrique vero deducũt nomẽ & verbũ à radice נפל quod est filũ retortũ. Et prior quidẽ sensus huc redit, quũ parẽ sortẽ adepta sit Rachel, nõ esse iã cur soror quicquã sibi propriũ arroget. Alter verò, maiorẽ iactãtiã exprimit, dum se victricẽ & quasi duplo superiorẽ facit. Simplicior tamẽ sensus ab aliis, meo iudicio, affertur, quòd luctata sit Diuinis aut præclaris luctationib⁹. Nã Hebræi omnẽ excellentiã Dei nomine significãt: quia vt maximè vna quæque res excellit, ita Dei gloria in ea refulget. Atqui peruersa est gloriatio qua sorori insultat, quũ potius veniã suppliciter precari debuerit. In Rachele autẽ nobis depingitur humani ingenii superbia: quia vt plurimũ ita se efferũt quos Deus suis beneficiis ornauit, vt in proximos suos cõtumelioseẽ ferociãt. Adde quòd stultè se præfert in fœcũditate sorori, qua adhuc est inferior. Sed hũc quoq; morẽ habent qui fastuose inflati sunt, vt præ suis opibus licet exiguis, quæ aliis Dominus contulit, dona malignè extenuent. Fortè etiam numerosam sobolem, acsi Deum haberet sibi obnoxium, sperauit. non qualiter solent pii ex acceptis beneficiis spem concipere: sed secura carnis præsumptione sibi ex reipsa nihil non promisit. Nullũ igitur hactenus piæ modestiæ signum dedit. Vnde hoc, nisi quia temporalis sterilitas nondum eam probè domuerat? Quo magis cauendum est siquando nobis pœnas relaxat Deus, ne eius benignitate inflati euanescamus.

9 *Et uidit Lea quòd cessasset parere.* Redit Moses ad Leã, quæ filiis quatuor nõ cõtenta, rationẽ excogitat qua semper retineat superiorẽ gradũ: itaque ancillã quoque suam vicissim supponit. Et digna quidẽ erat Rachel tali peruersi cõsilii mercede. nã sorori palmã eripere cupiens, nõ reputat idẽ quod in eam machinatur, sibi paulo pòst instare. Grauius tamẽ peccat Lea, quũ malis & improbis artibus certat. Intra breue tẽpus experta fuerat mirã Dei benedictionẽ: nunc quia pauliſper párere desiit, quasi nũquam experta esset Dei gratiã, in posterũ desperat. Quòd si eã solicitat desiderii feruor, cur nõ ad fontẽ benedictionis recurrit? Quòd igitur obtrudit ancillã, non impatientiæ modò, sed etiam diffidentiæ signũ est: quia simul cum memoria Diuinæ misericordiæ extincta est in corde eius fides. Et scimus, quicũque in Dominũ recumbũt, eos tranquillo, sedatóque esse animo, vt patienter quod daturus est expectẽt. Iusta autẽ infidelitatis pœna est, quũ quis nimia festinatione impingit. Quo magis cauendi sunt nobis carnis impetus, si cupimus rectã tenere viã. Quantũ ad nomen Gad, variè exponitur hic locus ab interpretibus. In hoc quidẽ conueniunt, idem valere בגד: acsi dixisset Lea, venit fœlicitas: sed alii בר, putant fauslum esse Iouis sydus: alii Mercuriũ fingunt: alii secundã fortunã. Adducunt Isaiæ sexagesimũ quintũ caput, b. 11, vbi habetur, Offerũt Gad libamẽ. Sed cõtextus Prophetæ potius de cælesti militia, vel falsorum deorũ turba hoc debere intelligi ostẽdit, quia mox sequitur, quòd stellis immolẽt, mẽsáque impleãt multitudine deorũ. pœna demũ subiicitur, quòd sicuti ingentẽ numerũ deorũ fabricarũt, ita numerabit eos Dominus. Quòd ad præsentẽ locum spectat, nihil minus probabile est quàm Leã magica superstitione extollere Iouis sydus in Dei locum, quæ saltẽ principiũ illud retinebat, ab vno Deo fluere propagationem humani generis. Miror etiam interpretes de prospera fortuna hoc accipere, quum Moses infrà, cap. 49. c. 19, in contrariũ sensum nos ducat. Neque enim

quadraret alluſio,quã ponit,*Exercitu eum inuadet*:niſi cõſilium Leæ fuiſſet de filiorũ turma ſibi gratulari. Nam quum ſeſquialtera parte ſuperior eſſet, prædicat ſe habere in magna copia liberos. Quòd ſe fœlicem prædicat in ſexto filio, hinc rurſus apparet quanti habita tunc fuerit fœcunditas. Et certè hic rarus eſt honor, quum mortales inſignit Deus ſacro parẽtum titulo,& per eos humanum genus ad imaginem ſuam conditum propagat.

14 *Et ſurrexit Reuben.* Videtur in ſpeciẽ leuis,& puerilis eſſe narratio,quòd puer fructus neſcio quos ex agris domum reportet,eos dono matri ſuæ afferat:inde mater à ſorore redimat noctis vnius concubitum. Continet tamen vtilem doctrinam. Scimus quàm ſtultè ſuperbiãt Iudæi in extollenda gentis ſuæ origine: vix enim dignãtur agnoſcere ſe ex Adam, & Noe cum reliquis fuiſſe progenitos. Et certè excellũt Patrũ dignitate, vt Paulus teſtatur: ſed hoc nõ referũt Deo acceptũ. Quare data opera voluit Spiritus arrogantiã illã retundere,quũ eorũ genus deſcripſit à ſuo exordio tam humile &abiectũ. Neque enim hîc nobile theatrũ erigit,in quo ſe oſtentẽt, ſed eos humilians,gratiã Dei attollit,quòd Eccleſiam ſuam eduxerit ex nihilo. Quantũ ad ſpeciem fructus pertinet, nihil habeo quod pro certo afferam. Odoriferum quidem fuiſſe,ex Cantici capite 7.d. 13,colligitur:quia tamen Mandragoras,omnes vertunt,ea de re non litigo. *Rom.9.a.5*

15 *Nunquid parum eſt quòd abſtuleris uirum.* Plus cogitandũ lectoribus relinquit Moſes,quàm verbis exprimat,nẽpe aſſiduis contentionibus,& iurgiis refertam fuiſſe domũ illã. Stomachoſè enim loquitur Lea,quòd pridem exacerbatus erat animus,vt ſororem ſuam blandè & comiter affari non poſſet. Fortè non adeò rixoſæ erant natura:ſed Deus confligere eas inter ſe paſſus eſt, vt polygamiæ pœna ad poſteros extaret. Nec dubium eſt quin ſimultas iſta domeſtica, imò hoſtile diſſidium ſancto viro magnum dolorem &cruciatum attulerit:ſed ideò ſe diſtrahi videt in diuerſas partes,quia coniugalis vinculi vnitatem præter ius & fas abruperit.

17 *Exaudiuit Deus Leam.* Diſertè poſuit hoc Moſes,vt ſciamus quàm indulgenter egerit Dominus cum illa domo. Quis enim putaret,dum odioſè ſorori ſuæ negat Lea fructus à puero collectos,& hoc pretio noctem mariti mercatur, vllum eſſe precibus locum? Admonet igitur Moſes iſtis delictis veniam fuiſſe datam, vt Dominus opus ſuum in tãta infirmitate complere non deſierit. Inſcitè verò Lea, quòd filium ſibi datum,peccati mercedem eſſe iactat. Nam fidem violauerat ſancti cõiugii,quum nouam pellicem opponeret ſorori ſuæ. Tantum verò abeſt à confeſſione culpæ,vt meritum ſuum prædicet. Fateor aliquid fuiſſe coloris: ſignificat enim non tam libidine ſe ad zelotypiam accendi, quàm pudico amore, quia familiam augere, & honeſtæ matriſſamiliâs officiũ præſtare cupiat. Sed quanuis ſpecioſus ſit prætextus hic apud homines, Deo tamen placere non poteſt ſancti coniugii profanatio. Errat igitur, non cauſam pro cauſa ſumendo: idque eo magis notandum eſt, quòd vitium hoc in mundo nimis graſſatur, vt gratuita Dei dona ſibi in mercedẽ homines deputent: imò etiam iactent ſua merita, vbi Dei verbo damnantur. In ſexto filio purius,ac rectius æſtimat Dei bonitatem, quum Deo gratias agit, quòd eius beneficio maritus poſthac futurus ſibi ſit coniunctior. Etſi enim prius cum ea habitabat, Racheli tamen plus ſatis addictus, magna ex parte alienus erat ab altera. Liberos autem,qui in legitimo coniugio naſcuntur,ſociandis parentum animis vincula eſſe,prius dictum eſt.

21 *Et poſtea peperit filiam.* Neſcitur an alias quoque filias habuerit Iacob. neque enim Scripturæ inſolens eſt quum genealogias recenſet,fœminas omittere,quæ proprium nomen non ſuſtinent,ſed latent ſub virorum vmbra. Interea ſiquid memoratu dignum quibuſdam fœminis acciderit,ſpecialis earum fit mentio. quod in Dina propter raptum (de quo poſtea dicetur) locum habet: ſed quoniam poſtea indignum iudicant filii Iacob vt ſoror in alienam gentem abnubat: de aliis autem filiabus Moſes nihil meminit,vel quòd elocatæ ſint in terra Chanaan,vel in AEgyptum ductæ: probabile eſt ſolam hanc ei fuiſſe natam.

22 *Et recordatus eſt Deus Rachelis.* Quum nihil prius,vel poſterius ſit coram Deo,nulla in eum obliuio cadit, vt ſucceſſu temporis reminiſci opus habeat: ſed Scriptura, Dei præſentiam, & memoriam ab effectu nobis deſcribit: quia talem eum concipimus, qualis re ipſa apparet. Porrò an omnium poſtrema conceperit Rachel, certò colligi non poteſt ex verbis Moſis. Qui in hoc loco ὕστερον πρότερον eſſe affirmant, mouentur hac ratione, quòd ſi natus eſſet Ioſeph poſt reliquos fratres,non cõgrueret ætas,quã Moſes notabit capite 41.f.46. Sed in eo fallũtur quòd nuptias Rachelis ab altero ſeptennio numerant. Atqui ex contextu certò euincitur, quanuis operas ſuas pactus eſſet Iacob pro Rachele,fuiſſe tamen ea mox potitũ,quia ab initio erupit æmulatio inter duas ſorores. Certè Moſes hoc loco ſignificat ſeram Dei benedictionem fuiſſe, quum de liberis iam deſperaſſet Rachel,diúque probro habita fuiſſet eius ſterilitas. Porrò fauſti ominis cauſa imponit nomen filio,ſibi ex vno ſpem duorum faciens.

25 *Dimitte me,& ibo.* Quum propoſita laborum mercede retentus fuerit Iacob, videri poſſet hoc aſtutè captaſſe,dum miſſionẽ petit à ſocero. Ego tamen non dubito quin iam tunc in animo

habuerit reuerti, & ſuum conſilium ingenuè profeſſus ſit. Primò quia multis modis expertus erat, quàm iniquus, quámque perfidus, & crudelis eſſet Laban: nihil mirum ſi ab eo diſcedere optauerit ſimul ac data eſt facultas. Deinde quum longo temporis ſpatio interpoſito ſperaret placatum eſſe fratris animum, fieri non potuit quin redire ad parentes magnopere cuperet: præſertim tot moleſtiarum pertæſus, vt vix deterior alibi timenda eſſet conditio. Sed Dei promiſſio ad reditus deſiderium acerrimus fuit ſtimulus. Neque enim benedictionem abiecerat, quæ illi propria vita fuerat charior. Huc etiam pertinet quod dicit, Vadam ad locum meum, & terram meam. non enim ideo tantùm ſic nominat terram Chanaan, quòd illic natus eſſet, ſed quia diuinitus ſibi datam eſſe nouerat. Nam ſi natalis ſoli reſpectu dixiſſet ſe reditum appetere, ludibrio excipi poterat, quòd pater eius erraticam, & inſtabilem vitam egiſſet, in varia ſubinde hoſpitia migrans. Sic igitur ſtatuo, quãuis alibi commodè habitaſſet, viguiſſe tamen ſemper in eius animo Dei oraculum, quo terra Chanaan illi deſtinata erat. Quòd autem iniecta eſt illi ad tempus remora, conſilio diſceſſus non repugnat. nam hoc illi partim extorſit neceſſitas, quia ſe extricare non poterat è ſoceri laqueis: partim etiam voluntariè ceſſit, vt ſibi & familiæ aliquid acquireret, ne inops, ac nudus rediret in patriam. Hîc verò detegitur immanis ipſius Laban improbitas. Poſtquam nepotem ſuum, & generum duris, & aſſiduis quatuordecim annorum laboribus ferè confecit, nihil tamen mercedis in futurum offert. Euanuit iam illa æquitas quam initiò præ ſe tulerat. Nam quo maior fuerat ſancti viri tolerantia, eo plus vſurpat in ipſum licentiæ. Sic piorũ facilitate abutitur mundus: & quo ſe placidius gerunt, eo ferocius inſultat. Cæterùm quanuis ouiũ inſtar, luporũ violentiæ, & iniuriis in hoc mundo ſumus expoſiti, metuẽdum tamen non eſt ne lacerent nos, vel deglutiant, quando nos cæleſtis Paſtor ſuo præſidio tuetur.

27 *Si quæſo inueni gratiam.* Hinc perſpicimus quàm nõ oneroſus fuerit hoſpes Iacob, quem iſtis blanditiis demulcet Laban vt moram longiorem ab ipſo impetret. Nam vt ſordidus, & tenax erat: niſi certum ex eius præſentia lucrum ſenſiſſet, non fuiſſet paſſus momento temporis domi ſuæ hærere. Quòd ergo non modò ipſum non extrudit, ſed anxiè retinere ſtudet, hinc colligimus ſanctum virum incredibiles labores ſumpſiſſe, qui nõ modò populoſæ familiæ alimentis ſufficerent, ſed vberem etiam quæſtum afferrent ſocero. Quare non immeritò poſtea queretur ſe diei æſtum, & noctis frigus pertuliſſe. Quanquam minimè dubium eſt quin pluris quibuſvis laboribus fuerit Dei benedictio, vt perſpiceret Laban Iacob eſſe veluti quoddam copiæ cornu. quod etiam ipſe fatetur. neque enim eius modo fidem, & diligentiam commendat, ſed nominatim prædicat quòd in eius gratiam benedictus fuerit à Domino. Apparet igitur ſic creuiſſe opes Laban ab aduentu Iacob, vt è cælo ſtillaret quaſi viſibilis quæſtus. Porrò quia verbum נחש apud Hebræos idem valet atque auguriis vel diuinatione cognoſcere, diuinant quidam interpretes magicis artibus edoctum fuiſſe Laban, ſibi vtilem ac lucroſam fuiſſe præſentiam Iacob. Alii tamen exponunt ſimplicius, quòd experimento probauerit. Mihi videtur eſſe tranſlatio: acſi dixiſſet, nõ ſecus ſibi perſpectam eſſe Dei benedictionem, acſi vaticinio teſtata foret, vel augurio comperta.

29 *Tu noſti qualiter ſeruierim tibi* Hæc reſponſio Iacob non eò tendit, vt mercedis ſuæ pretium augeat: ſed expoſtulãs cum Laban, iniquè & inhumaniter eum facere docet, quòd adhuc de tempore prorogando ſatagit. Neque enim dubium eſt quin omnibus animi ſui votis raperetur in terram Chanaan. itaque reditus quibuſlibet diuitiis fuiſſet illi potior. Interim tamen obliquè ſocerũ ſuum tam doli, quàm inhumanitatis inſimulat, vt aliquid ab eo extorqueat, ſi diutius manendum ſit. Neque enim ſperare poterat vt ſe vltrò ad æquitatem demitteret perfidus ille veterator. nec verò ſimpliciter diligentiam ſuam laudat Iacob, ſed negotium ſibi fuiſſe oſtendit cum homine iniuſto & crudeli. Hoc interea notandum eſt, quanquam ſtrenuè laborauerat, ipſum tamen nihil aſcribere labori ſuo, ſed Dei benedictioni hoc ferre acceptũ, quòd locupletatus fuerit Laban. Etſi enim quum bona fide incumbunt homines in munus ſuum, non ludunt operam, profectus tamen ex ſola Dei gratia pendet. Quod etiam de efficacia doctrinæ Paulus teſtatur, longius patet, eum qui plãtat, & eum qui rigat nihil eſſe: ſicuti illa ſimilitudo ex generali experientia ſumpta eſt. Duplex autem eſt huius doctrinæ vſus. quicquid enim aggrediar, vel ad quodcũque opus manus meas applicem, meum eſt petere à Domino vt laborem meum benedicat, ne irritus ſit, ac inanis. Deinde ſiquid ſim adeptus, ſecundæ partes ſunt laudem Deo tribuere, ſine cuius gratia fruſtrà homines mane ſurgunt, ſe fatigãt totum diem, ſerò eunt cubitum, manducant anguſtum panem, & pauxillum aquæ guſtant cũ mœrore. Quòd ad verba attinet, quum dicit Iacob, *Exiguum erat quod habebas in conſpectu meo*: bene & dextrè tranſtulit Hieronymus, Antequam venirem. nam faciem Iacob poſuit Moſes pro eius aduentu, & habitatione.

1. Cor. 3. b. 9

30 *Nunc quando faciam etiam ego?* Quum alteri tandiu impenderit ſuas operas, iniquum eſſe ratiocinatur propriam domum negligi. Nam hunc ordinẽ natura præſcribit, vt quiſque familiæ

ſibi commiſſæ curam gerat. Quò etiam pertinet Solomonis dictum, Bibe aquam ex fontibus tuis,& defluant riui ad vicinos. Si ſolus fuiſſet Iacob,liberalius poterat alienis commodis ſe totum addicere: nunc quum maritus ſit quatuor vxorum, & pater numeroſæ ſobolis, non debet quos ex Dei manu alendos ſuſcepit obliuiſci. *Prouer.5.c.15.*

31 *Non dabis mihi quicquam.* Notãda eſt antitheſis inter hoc membrum & poſterius. Nam Iacob non poſtulat ſibi certum & finitum mercedis pretium,ſed hac cõditione tranſigit cum Laban, vt ſibi acquirat quicquid ex puris & vnius coloris ouibus, & capris varium, & maculis aſperſum naſcetur. Porrò in verbis aliqua eſt obſcuritas. videtur enim Iacob maculoſas oues ſibi poſcere iam in præſentia mercedis loco. Sed ex tertio verſu, qui poſtea ſequitur, alium ſenſum colligere licet, quòd ſcilicet Iacob ſegregari paſſus fuerit quicquid variegatum erat in grege, ac filiis Laban paſcendum tradi: ipſe autem retinuerit oues & capras nullis aſperſas maculis. Et certè abſurdum eſſet,Iacob partem gregis nũc ſibi vendicare,quum nuper confeſſus ſit ſe hactenus nihil feciſſe lucri.deinde quæſtus fuiſſet iuſto vberior:nec ſpes erat hoc poſſe impetrari à Laban. Exoritur tamen quæſtio,qua ſpe,vel quo conſilio inductus fuerit Iacob, vt hanc conditionem offerret. Paulo pòſt narrabit Moſes aſtutia ipſum fuiſſe vſum,vt ex puro grege naſcerentur varii & maculoſi fœtus. ſed capite ſequenti longè plus exprimet, Iacob diuinitus fuiſſe admonitum. Quanquam ergo credibile non erat pactionem hanc vtilem ſancto viro fore,cæleſti tamen oraculo obſequitur,nec aliter diteſcere cupit quàm ex Dei placito. Tractatus autem fuit Laban pro ſuo ingenio. nam quod ſibi lucroſum fore putabat,libẽter arripuit: Deus autem improbam eius cupiditatem fruſtratus eſt.

33 *Et teſtificabitur mihi iuſtitia mea.* Ad verbum eſt, Reſpondebit in me iuſtitia mea. Sed particula, ב, tantundem valet ac Mihi, vel Pro me. Senſus tamen clarius eſt, quòd Iacob proſperum ſucceſſum nonniſi ex fide,& integritate ſua expectat. In proximo verbo diſſentiũt interpretes. Quidam enim legunt,Quando tu venies ad mercedem meam. Alii verò vertentes in tertia perſona,de iuſtitia exponunt,quòd ſcilicet ad mercedem ventura ſit,vel ad remunerandum Iacob. Quanquam vterque ſenſus bene congruit, ego tamen ad iuſtitiam referre malo: quia mox ſubiicitur, *Coram te*. Eſſet autem impropria locutio, Venies coram oculis tuis ad mercedem meam. Nunc ſatis liquet quid ſibi velit Iacob. teſtatur enim ſe à Domino ſperare fidei & probitatis ſuæ teſtimonium, ex fœlici laboris prouentu: acſi dixiſſet, Dominus qui optimus eſt iuſtitiæ meæ teſtis ac vindex,re ipſa monſtrabit quàm ſincerè,& fideliter me hactenus geſſerim. Etſi autem ſæpe Dominus improbos malis artibus locupletari patitur, & vberem illis quæſtum permittit, dum fraudando,aliena bona ad ſe rapiunt: hoc tamen non obſtat quin benedictio eius, bonæ fidei & æquitatis ordinaria ſit comes. Quare hoc fiduciæ ſuæ ſignum meritò Iacob dedit, quòd laboris ſui fructum commiſit Domino, vt inde pateret qualis fuiſſet eius integritas. Iam clarus eſt verborum ſenſus, Iuſtitia mea palàm pro me teſtabitur: quia ſponte occurret ad me remunerandum: idque tam manifeſtè, vt te quoque non lateat. Subeſt autem tacita exprobratio,ſenſurum eſſe Laban quàm iniquè ſuppreſſerit ſancti viri labores, quàm nequiter diſſimulauerit ſe illi debere quantum re ipſa breui Deus oſtendet. Eſt enim ſubaudienda antitheſis inter futurum ac præteritum tempus,quum dicit,Cras mihi reſpondebit: quia ſcilicet heri & nudius tertius nihil æquitatis exprimere potuerat ab ipſo Laban. *Quicquid non erit punctis paruis reſperſum.* Obligat ſeſe Iacob ad crimen ac pœnam furti, ſiquam ouem puram ex grege ſubduxerit:acſi diceret, Siquid apud me reperias non aſperſum maculis,volo mihi in furtum imputari:quia nihil præter maculoſam ſobolem mihi dari poſtulo. Alii ſecus exponũt, Quicquid ex grege tuo deſiderabis,à me repoſcas,acſi furatus eſſem. ſed hoc mihi videtur nimis coactum.

35 *Et remouit in die illo.* Hinc certius cognoſcitur pactionis forma. Separat Laban oues,& capras maculis diſtinctas à puro grege,hoc eſt albo vel nigro,& eas filiis ſuis paſcendas committit interpoſito tridui itinere,ne ex promiſcuo coitu verſicolor naſcatur ſoboles. Sequitur ergo, in grege quem paſcebat Iacob, nihil reſiduum fuiſſe niſi vnius coloris. ita exigua ſpes lucri ſancto viro reſtabat:commodis vero ipſius Laban optimè erat conſultum. Apparet etiam ex loco rum diſtantia,qua ſuos greges diuiſit,non minus ſuſpicioſum fuiſſe,quàm auarum,vt ſolẽt improbi alios metiri ſua vlna:vnde fit vt ſemper diffidant ac trepident.

37 *Et tulit ſibi Iacob uirgam populeam.* Primo intuitu abſurda videri poſſet Moſis narratio. nam vel fraudis damnare voluit ſanctum Iacob,vel laudare eius induſtriam. Atqui ex contextu patebit aſtutiam hanc vitio non verti. Ergo videndum quomodo ſit excuſabilis. Siquis obtendat coactum fuiſſe multis ſoceri iniuriis,nec aliud quæſiiſſe niſi vt priores iacturas ſarciret: aliquid fortè coloris habebit defenſio, coram Deo tamen nec firma eſt, nec probabilis. nam quanuis iniuſtè nobiſcum agatur,non eſt tamen certandum pari malitia. Et ſi ſingulis proprias iniurias vlciſci, vel incommoda ſarcire permiſſum foret: nihil opus eſſet iudiciis, indéque emergeret

horribilis confusio. Non debuit igitur Iacob ad hanc versutiam confugere, vt degeneres haberet fœtus, sed regulam potius sequi quam Dominus per os Pauli tradit, vt studeant fideles bono malum vincere. Hæc simplicitas, fateor, colenda fuit ipsi Iacob, nisi Dominus è cælo aliud mandasset. Sed in eo est ὕστερον πρότερον, quòd Moses prius rem gestam narrat, deinde subiiciet Iacob nihil tentasse nisi ex Dei præcepto. Quare non est quod eum sibi patronum asciscant qui malignis & fraudulentis hominibus similes opponunt fallacias, quia tantum licentiæ sibi non dedit proprio arbitrio, vt callidè circunueniret socerum, à quo indignè deceptus fuerat: sed quod à Domino concessum erat sequutus, intra iustas metas se continuit. Frustrà etiam meo iudicio disputant quidam vnde hoc didicerit Iacob, longóne vsu, an ex Patrum doctrina. nam fieri potest vt de re prius incognita subitò edoctus fuerit. Siquis obiiciat, absurdum esse, hanc fallendi artem à Deo suggeri: facilis est responsio, nullius fraudis autorem esse Deum, quum seruo suo manum porrigit. Nihil illi magis proprium, eiusque iustitiæ magis consentaneum, quàm se vindicem interponere, vbi aliquid iniuriæ factum est. Nostrum verò non est agendi modum illi præscribere. Passus est retineri à Laban, quod iniustè possidebat: sex verò annis benedictionem suam ab eo subtractam trāstulit in seruum suum Iacob. Si terrenus iudex furem damnet in duplum, vel quadruplū, nemo obstrepit: cur per nos Deo minus licebit, quàm homini mortali, & caduco? Habebat alias rationes in manu, sed arcanam suam gratiam coniungere voluit cum studio & industria Iacob, vt palàm illi mercedem penderet, qua per longum tempus fraudatus fuerat. Coactus enim fuit Laban aperire oculos, quibus clausis alienum sudorem, imò sanguinem haurire consueuerat. Porrò quantum ad physicam rationem spectat, satis notum est, aspectum in coitu ad formam fœtus multum valere. Id quū mulieribus accidat, præcipuè in brutis pecudibus locum habet, vbi nulla viget ratio, sed violentus libidinis impetus grassatur. Tria autem fecit Iacob. Nam virgas decorticauit, vt aliquam albedinem nudaret corticibus incisis: & ita varius, ac multiplex esset color. Deinde tempus elegit, quo masculi & fœminæ aggregabantur. Tertiò posuit in aquis virgas: quia sicut potus animalia vegetat, sic incitat etiam ad coitū. Hoc modo accidit, vt virgæ in conspectu essent quum incalescebant. Quòd de robustis, ac debilibus dicit Moses, sic intellige, in priore admissura, quæ fit sub initium Veris, Iacob posuisse virgas in canalibus, vt sibi vernos fœtus acquireret, qui meliores erant: in serotina verò admissura circa Autumnum, tali artificio vsum non esse.

Rom. 21. d'32.

43 *Et creuit ur supra modum.* Hoc ideo addidit Moses, vt sciamus non sine miraculo factum esse vt tam repēte ditescceret. Videbimus postea quātæ fuerint eius opes. Nam inops prorsus maiores sibi copias intra sex annos de nihilo confecit, quàm quispiam mediocriter dives viginti, aut triginta annis posset. Nequis fabulosum ducat quod cum vsitata ratione non congruit, occurrit Moses, ac dicit extra ordinem auctum fuisse sanctum virum.

Cap. XXXI.

1 ET audiuit verba filiorum Labán dicentium, Tulit Iahacób omnia quæ erāt patri nostro: & de his quæ erāt patri vestro, acquisiuit omnē gloriam hanc.
2 Et vidit Iahacób faciē Labán, & ecce nō erat cū eo sicut heri & nudiustertius.
3 Et dixit Dominus ad Iahacób, Reuertere ad terram patrum tuorum, & ad cognationem tuam, & ero tecum.
4 Et misit Iahacob, & vocauit Rachél & Leáh in agrum ad pecudes suas.
5 Qui dixit ad eas, Video faciem patris vestri quòd nō sic erga me sicut heri & nudiustertius, & Deus patris mei fuit mecum.
6 Et vos nostis quòd omnibus viribus meis seruierim patri vestro.
7 Et pater vester mentitus est mihi, & mutauit mercedem meam decem vicibus: & non permisit ei Deus vt malefaceret mihi.
8 Si ita dicebat, Punctis paruis respersa erunt merces tua: pariebant omnes pecudes pūctis paruis respersa. & si ita dicebat, Lineis distincta erunt merces tua: tunc pariebant omnes pecudes lineis distincta.
9 Et abstulit Deus pecus patris vestri, & dedit mihi.
10 Et fuit, in tēpore quo coibāt pecudes, leuaui oculos meos, & vidi in somnio, & ecce hirci maiores ascēdebant super capras variegatas, punctis paruis respersas, & maculis latis respersas.

11 Et dixit ad me Angelus Dei in somnio, Iahacób. Et dixi, Ecce adsum.
12 Et dixit, Leua nunc oculos tuos, & vide omnes hircos maiores ascendentes su
per capras lineis distinctas, punctis paruis respersas, & maculis latis respersas.
vidi enim omnia quæ Labán facit tibi.
13 Ego Deus Bethél, vbi vnxisti statuam, vbi vouisti mihi votum: nunc surge,
egredere de terra hac, & reuertere ad terram cognationis tuæ.
14 Et respondit Rachel & Leáh, & dixerunt ei, Numquid adhuc est nobis pars &
hæreditas in domo patris nostri?
15 Nónne extraneæ reputatæ sumus ab eo, quòd vendidit nos, & consumpsit e-
tiam consumendo argentum nostrum?
16 Quia omnes diuitiæ quas abstulit Deus à patre nostro, nostræ sunt, ac filio-
rum nostrorum: nunc igitur omnia quæ dixit Deus ad te, fac.
17 Et surrexit Iahacób, & sustulit filios suos & vxores suas super camelos,
18 Et abduxit omnes pecudes suas, & omnẽ substantiã suam quam acquisierat,
pecudes acquisitionis suæ quas acquisierat in Padán Aram, vt veniret ad Isháac
patrem suum in terram Chenáan.
19 Labán autem profectus erat ad tondendũ oues suas, & furata est Rachél idola
quæ erant patri suo,
20 Et furatus est Iahacób cor Labã Aramæi, quia non indicauit ei quòd fugeret:
21 Et fugit ipse, & omnia quæ erant ei: & surrexit, & trãsiuit flumen, posuítque
faciem suam ad montem Gilhád.
22 Et nuntiatum fuit ipsi Labán die tertia, quòd fugeret Iahacób.
23 Et tulit fratres suos secum, secutúsque est eum itinere septem dierum, & as-
secutus est eum in monte Gilhád.
24 Et venit Deus ad Laban Aramæum in somnio noctis, & dixit ei, Caue tibi
ne forte loquaris cum Iahacób à bono vsque ad malum.
25 Et assecutus est Labã ipsum Iahacób: & Iahacób fixerat tabernaculum suum
in monte, & Labán fixit cum fratribus suis in monte Gilhád.
26 Et dixit Labán ad Iahacób, Quid fecisti, & furatus es cor meũ, & abduxisti fi-
lias meas sicut captiuas gladio?
27 Vt quid abscondisti te vt fugeres? & furatus es me, & non indicasti mihi, & di
misissem te cum lætitia, & canticis, cum tympano & cithara.
28 Et non permisisti mihi vt osculares filios meos & filias meas: nũc stultè egisti
sic faciendo.
29 Est fortitudo in manu mea ad inferendum vobis malum: sed Deus patris ve
stri nocte præterita dixit ad me, dicendo, Caue tibi ne loquaris cum Iahacób à
bono vsque ad malum.
30 Et nunc eundo iuisti. si desiderando desiderabas ire ad domum patris tui, vt-
quid furatus es deos meos?
31 Et respondit Iahacób, & dixit ad Labán, Quia timui, si dixissem, ne fortè rape
res filias tuas à me.
32 Is cũ quo inueneris deos tuos, nõ viuat corã fratrib⁹ nostris: agnosce siquid
est apud me *de tuo*, & cape tibi. nesciebat autẽ Iahacób q̃ Rachel furata esset eos.
33 Et venit Laban in tabernaculum Iahacób, & in tabernaculum Leáh, & in ta-
bernaculum ambarum ancillarum, & non inuenit. & egressus de tabernaculo
Leáh, venit in tabernaculum Rachél.

34 Rachél autem acceperat idola,& posuerat ea in clitellis cameli,& sedebat super ea:& contrectauit Laban totum tabernaculum,& non inuenit.

35 Et dixit ad patrẽ suũ,Ne sit ira in oculis domini mei, ꝙ nõ possim surgere à facie tua:quia cõsuetudo mulierũ est mihi.& scrutatus est,& nõ inuenit idola.

36 Et ira fuit ipsi Iahacób,& iurgatus est cũ Labán:& respõdit Iahacób,& dixit ad Labán,Quæ est præuaricatio mea, quod peccatũ meũ, ꝙ persecutus es me?

37 Quando contrectasti omnem supellectilem meã,quid inuenisti ex omni supellectili domus tuæ?pone hic coram fratribus meis & fratribus tuis, & declarent inter nos ambos.

38 Iam viginti annos *fui* tecum,oues tuæ & capræ tuæ non abortiuerunt:& arietes pecudum tuarum non comedi.

39 Raptum non attuli tibi,ego pœnas luebam pro eo:de manu mea requirebas illud quod furto ablatum erat tam die quàm nocte.

40 *ita* fui vt interdiu consumeret me æstus, & gelu in nocte, & recedebat somnus meus ab oculis meis.

41 Iam mihi *sunt* viginti anni in domo tua:seruiui tibi quatuordecim annos pro duabus filiabus tuis, & sex annos pro pecudibus tuis,& mutasti mercedem meã decem vicibus.

42 Nisi Deus patris mei,Deus Abraham,& pauor Ishác fuisset pro me,certè nũc vacuum dimisisses me: afflictionẽ meam & laborem manuum mearum vidit Deus,& increpauit *e* nocte præterita.

43 Et respondit Labán,& dixit ad Iahacób,Filiæ,filiæ meæ sunt:& filii,filii mei sunt:& pecudes,pecudes meæ sunt: & quicquid vides,meũ est. & filiabus meis quid faciam istis hodie,vel filiis earum quos pepererunt?

44 Et nunc veni, percutiamus fœdus ego & tu, & erit in testimonium inter me & inter te.

45 Et tulit Iahacób lapidem, & erexit illum in statuam.

46 Et dixit Iahacób fratribus suis, Colligite lapides.& tulerunt lapides, & fecerunt cumulum, & comederunt ibi super cumulum.

47 Et vocauit eum Labán Iegár Sahaduthá:& Iahacób vocauit eum Galhéd.

48 Et dixit Labán, Cumulus iste sit testis inter me & te hodie. Idcirco vocauit nomen eius Galhéd,

49 Et Mispáh: quia dixit, Speculetur Dominus inter me & te, quando latebimus alter alterum.

50 Si afflixeris filias meas, & si acceperis vxores super filias meas, non est quisquam nobiscum,vide, Deus est testis inter me & te.

51 Et dixit Labán ad Iahacób, Ecce cumulus iste, & ecce statua quam ieci inter me & te:

52 Testis cumulus iste,& testis statua quòd ego non transibo *ueniens* ad te cumulum istũ:& ꝙ tu non transibis *ueniens* ad me cumulum istũ & statuã istã ad malũ.

53 Deus Abraham & Deus Nachor iudicet inter nos, Deus patris eorũ. & iurauit Iahacób per pauorem patris sui Ishác.

54 Et mactauit Iahacób victimam in monte,& vocauit fratres suos vt comederent panem. & comederunt panem:& pernoctauerunt in monte.

55 Et surrexit Labán mane,&osculatus est filios suos ac filias suas,benedixítque eis,& abiit:& reuersus est Labán ad locum suum.

1 *Et audiuit uerba.* Quanquã Iacob flagrabat patriæ deſiderio,vt de reditu aſſiduè cogitaret, hinc tamen apparet mira eius tolerãtia,quòd animũ ſuũ ſuſpenditdonec noua occaſio ſe offert. Neque tamen virtuti mixtum fuiſſe vitium nego,quòd non magis feſtinauerit ad reditum: ſed infixam eius animo ſemper fuiſſe Dei promiſſionem paulo pòſt conſtabit. Tantum in hac parte aliquid humanum paſſus eſt,quòd peculii parandi cauſa,reditum ſuum in ſex annos diſtulit. nam quum ſubinde pacta mutaret Laban, meritò potuit illi vale dicere. Cæterùm vi & metu ſimul fuiſſe retentum,ex clandeſtina fuga colligimus. Nunc ſaltem miſſionis petendæ honeſta cauſa erat,quòd filiis Laban graues & odioſæ eſſent eius diuitiæ: non tamen audet liberè ab hac inuidia ſe eximere, ſed clàm fugere cogitur. Quãuis tamen aliquo modo excuſabilis ſit tarditas, pigritiæ coniunctam fuiſſe probabile eſt.ſicuti Fideles,dum ad Deum contendunt,non tanto feruore ſæpe properant vt deceret. Quare ſiquando nos retardat carnis ſegnities, diſcamus ardorẽ Spiritus flabellis accendere.Nec dubium eſt quin ſerui ſui infirmitatem correxerit Deus, eúmque lentè pergentem ſtimulauerit. Nam ſi benignè, & hilariter cum eo egiſſet Laban, inductus fuiſſet eius animo ſopor:nunc triſti aſpectu expellitur. Sic Dominus ſæpe ſuorum ſaluti melius conſulit,improborum odiis,liuori,& maleuolentiæ eos ſubiiciens,quàm ſi blanditiis mulceri ſineret.Longè vtilius fuit ſancto Iacob, ſocerum, eiuſque filios habere ſibi infenſos, quàm comiter obſequentes ſuis votis:quia illorum fauor,Dei benedictione eum priuaſſet.Nos quoque plus ſatis experimur quid valeant mundi illecebræ,& quàm facilè illis affluentibus,bonorum cæleſtium obliuio nobis obrepat. Quare ne moleſtè feramus expergefieri à Domino, quũ rebus aduerſis iactamur,vel nobis parum propitius eſt mundus. nam odia, minæ,probra,obtrectationes plus ſæpe nobis afferunt vtilitatis, quàm ſi omnes vndique applauderent. Porrò notanda eſt inhumanitas filiorum Laban,qui perinde queruntur acſi ſpoliati eſſent à Iacob. Sed hoc morbo laborant ſordidi & nimium tenaces,vt ſibi ereptum eſſe putent quicquid non ingurgitãt. Nã quũ inſatiabilis ſit eorum cupido,neceſſe eſt vt proſpera aliorum fortuna non ſecus eos excruciet ac ſi hoc modo redacti eſſent ad egeſtatem. Non reſpiciunt iuréne,an iniuria Iacob tantas opes acquiſierit:ſed ideò vruntur,& inuident,quia tantundem ſibi detractum eſſe interpretantur. Prius confeſſus fuerat Laban ſe ditatum fuiſſe aduentu Iacob: imò in eius gratiam ſe benedictũ fuiſſe à Domino.nunc obmurmurant eius filii, & ipſe quoque mœrore torquetur, quòd eiuſdem benedictionis Iacob ipſe factus ſit particeps. Hinc perſpicimus quàm cæca ſit auaritia quæ nullũ habet ſatietatis modum. Vnde etiam meritò radix omnium malorum vocatur à Paulo, quia & perfidos,& crudeles, & ingratos, & modis omnibus iniquos eſſe oportet, qui omnia vorare cupiunt.Notandum præterea eſt,quòd filii Laban pro ætatis feruore dolorem ſuum euomunt.Pater,vt callidus veterator tacet,vultu tamen malitiam ſuam prodit. 1. Tim. 6. b. 10.

3 *Et dixit Dominus ad Iahacob.* Hinc clarius perſpicitur ſancti viri timiditas, quòd malum ſibi à ſocero inſtare videns,non tamen pedem mouere audet,niſi nouo oraculo erectus. Dominus autem qui reipſa iam illi oſtenderat moram non eſſe longius trahendam, verbis quoque ſuis eum ſolicitat. Hoc exemplo diſcamus, quanuis Dominus rebus aduerſis nos ad officium incitet, parum tamen inde profecturos, niſi accedat verbi ſtimulus. Et videmus quid reprobis contingat: nam vel ſtupent in ſuis malis,vel in rabiem proſiliunt. Quare vt nobis proſint rerum documẽta,rogandus eſt Dominus, vt nobis verbo ſuo affulgeat. Huc tamen præcipuè ſpectat Moſis cõſilium, vt ſciamus Iacob Deo duce reuerſum eſſe in patriam. Terra verò Chanaan non ideò dicitur eſſe Abrahæ & Iſaac,quòd inde oriundi eſſent,ſed quia illis in hæreditatem diuinitus promiſſa erat.Quare hac voce admonitus fuit ſanctus vir,quanuis peregrinus eſſet Iſaac, corã Deo tamen hæredem ac dominum eſſe eius terræ,in qua nihil præter ſepulchrum poſſidebat.

4 *Et miſit Iahacob.* Vxores ſuas accerſit,vt ſuum illis conſilium exponat, eáſque ad fugæ ſocietatem hortetur. nam probi mariti officium erat, ſecum ipſas abducere: ideò conſcias fieri oportuit. Neque verò tam cæcus erat quin multa pericula ſecum reputaret. Difficile erat mulieres quæ nunquã paterna domo egreſſæ erant,in longinquam regionem per iter incognitum trahere. quinetiam timendum erat, ne præſidium ſibi quærentes, maritum ſuum hoſtibus prodérent. Multos in tali perturbatione animus linqueret, vt coniugali fide poſthabita, priuatim ſibi cõſulerent.Conſtanter ergo Iacob,qui diſcrimen ſubire mauult, quàm probi mariti,& patriſſamiliâs officium deſerat. Si negaſſent vxores,cogebat Dei vocatio diſcedere. Sed quod longè fuit optabilius,illi Deus conceſſit,vt tota familia vno conſenſu ad ſequendum parata foret. quinetiã vxores,quarum mutuis rixis domus antea ſtrepebat, libenter nunc in exilium conſentiunt. Sic Dominus, vbi officio noſtro bona fide defungimur, nec quicquam ſubterfugimus eorum quæ ipſe mandat, in rebus quoque valde perplexis votorum nos compotes facit. Porrò quod vxores ad ſe in agrum euocat Iacob, hinc colligimus quàm laborioſa fuerit eius vita. Certè hæc illi vel prima fuiſſet vitæ commoditas,habitare domi cum vxoribus. Senex iam erat, multis laboribus

confectus: quo magis egebat illarũ ministerio. tugurio tamẽ contentus, vt gregi inuigilet, seorsum ab illis degit. Quòd si gutta æquitatis in Labã & eius filiis fuisset, nullã habebãt inuidiæ causã.

5 *Video faciem patris.* Duo sunt huius orationis capita. Nam primò de sua integritate disserit, ac de soceri perfidia expostulat. Deinde testatur profectionis authorem sibi esse Deum: quo libentius Rachel & Lea se comites adiungant. Quia autem exiguo tẽpore ad magnas diuitias peruenerat, sinistram omnem suspicionẽ diluit: suæ etiam diligẽtiæ testes eas appellat. Quãquam autem non omnia sigillatim persequitur Moses, non tamen dubium est quin iam multis documẽtis perspecta illis esset viri probitas: & rursum notæ patris iniuriæ, fraudes, & rapacitas. Quòd mercedem decies sibi mutatam esse conqueritur, probabile est numerum denarium pro multis vicibus poni. Quanquam fieri potest vt intra sex annos toties pacta resciderit Laban, quum duplex quotannis admissura esset, Veris scilicet, ac Autumni, quemadmodum diximus. Cæterùm narratio hæc somnii tametsi posterior est in cõtextu, ostendit tamen sanctum Iacob nihil tentasse nisi ex Dei præscripto. Prius rem gestam simpliciter retulerat Moses, vnde profectum esset consilium subticens: sed nunc in persona ipsius Iacob dubitationem tollit. neque enim mentitum fuisse significat, vt hoc artificio eluderet vxores, sed sanctum Dei seruum verè, & absque fuco profitentem inducit quod res erat. Nam alioqui non absque nefando sacrilegio abusus fuisset Dei nomine, visionem hanc coniungens cum priore illa, in qua vidimus apertam illi cælorum ianuam fuisse.

13 *Ego Deus Bethel.* Non mirũ est quòd Angelus suscipiat Dei personam: vel quia in verbo suo Deus Pater sanctis patribus tanquam in viuo speculo, apparuit, idque sub Angeli specie: vel quia Angeli ex Dei mandato loquentes, meritò tanquam ex eius ore verba concipiunt. Nam & Prophetis hæc loquendi forma vsitata est, non vt se extollant in Dei locum, sed tantùm vt Dei maiestas in eius verbo, cuius ministri sunt, refulgeat. Nunc quid valeat loquutio hæc, propius expendere conuenit. Non ideo se vocat Deum Bethel, quòd vnius loci angustiis inclusus sit, sed vt promissionis suæ memoriam seruo suo renouet. Neque enim eousque perfectionis conscenderat sanctus Iacob, quin adhuc crassioribus rudimentis opus haberet. Exigua tunc vigebat lux doctrinæ, & ea quidem multis obscuris vmbris implicita. Totus ferè mundus ad fictitios deos desciuerat: regio illa, imò domus soceri, adulterinis superstitionib⁹ referta erat. Ergo inter tot obstacula nihil illi difficilius fuit, quàm fidem suam vni vero Deo obstrictam, deuinctámque tenere. Quare in primis pura illi religio cõmendatur, vt inter vagos mundi errores, in eius Dei, quẽ semel cognouit, obedientia, & cultu se contineat. Deinde promissio, quam prius accepit, deinde integro illi confirmatur, vt semper ad peculiare illud fœdus intentus sit, quod pepigerat Deus cum Abrahã, eiúsque posteris. Ita dirigitur ad terrã Chanaã, quæ propria erat eius hæreditas: ne temporalis Dei benedictio, quam sensurus erat paulo pòst, eius animum in Mesopotamia occupet. Nam quum hoc oraculum prioris illius tantùm appendix fuerit, quicquid postea bonorum contulit Deus, referri ad illum primum finem debuit. Coniicere etiam licet ex hoc loco, Iacob prius domi suæ de vero Deo, & vera pietate cõcionatũ esse, vt sanctum patremfamiliâs decebat. Absurdè enim effutiret hunc sermonem, nisi iam edoctæ fuissent vxores de magnifica illa visione. Eodem etiam spectabat quod prius dixit, *Deum Patris sui opem sibi tulisse.* Perinde enim est ac si palàm Deum, quem colit, à deo Laban discerneret. Iam verò quia tanquam de rebus notis familiariter eiusmodi sermonem habet ad vxores, probabilis est coniectura non stetisse per Iacob quominus ipsas vnius Dei notitia sinceráque pietate imbueret. Hoc autem oraculo testatus est Dominus se piorum semper esse memorem, etiam dum proiecti, ac deserti esse videntur. Quis enim nõ dixisset miserum Iacob iam omni cælesti auxilio nudatũ esse? Et Dominus quidem serò illi apparet, sed præter spem ostendit nũquam se eius fuisse oblitum. Eundem hodie quoque ipsum erga se sentiẽt omnes fideles, si modo iniusta violentia tyrannicè oppressi ab improbis, patienter sustineant, donec eos tandem opportuno tempore vindicet.

14 *Et respondit Rachel.* Hic impletum cernimus quod docet Paulus ad Rom. 8. c. 28, filiis Dei omnia adiumento esse in bonum. Nam quòd iniquè à patre suo tractatæ fuerant vxores Iacob, quod minimè ferebat sexus mollities, quum eas maritus abducere vult in longinquam, & ignotam regionem, ad sequendum voluntariæ sunt. Ergo si plurimos, & acerbissimos dolores haurire coactus est Iacob, optima nunc compensatio eum solatur, quòd vxores eius non retinet nimius paternæ domus amor: quin potius malorum tædio victæ, fugam vnà cum eo cupidè capessunt. Nihil est, inquiunt, quod nos moretur apud patrem: ideo enim adhærent filiæ patribus, quòd censentur familiæ membra. Quàm verò crudelis hæc fuit abdicatio, quòd non tantum fine dote nos prostituit, sed venales etiam habuit, & pretium vorauit quo nos vendiderat? Pecuniam accipio pro venditionis pretio. Querũtur enim, nõ saltem dotis loco ad se fructum peruenisse quod à marito iniustè extortum fuerat: sed hoc quoque lucrũ ab auaro patre suppressum.

ideò interponitur particula גם, quæ amplificat apud Hebræos. Nam hoc indignitatem non parum augebat,quòd inexplebilis hic gurges,quæstum ex turpissima nundinatione factum absorbuerat. Notandum autem est addictas tunc fuisse marito, ideóque liberum illis fuisse à patre discessum,præsertim quum scirent manum sibi à Deo porrigi. Neque enim dubium est,quum persuasæ essent Iacob fidum esse Dei Prophetam, cæleste oraculum ex eius ore libenter esse amplexas. nam in ipsa clausula non tam eius voto se subscribere,quàm Dei mandato ostendunt.

16 *Quia omnes diuitiæ quas abstulit Deus.* Confirmant quidem Rachel & Lea sermonem Iacob, sed tamen profano vulgi more, non viuo & puro pietatis sensu. Quòd enim Deus serui sui misertus,cum peculiari fauore dignatus fuerat,obiter attingunt: interim verò rationi parum firmæ insistunt,sibi iure deberi quod auferunt,quia pars hæreditatis ad eas pertineat. Non enim ratiocinantur,quas possident diuitias esse suas, quòd iusto mariti labore quæsitæ fuerint: sed quia nō debuerint fraudari sua dote,& nunc legitima hæreditate priuari. Hac de causa etiam liberos secum nominant,qui ex sanguine Laban erant progeniti. Hoc modo non solum obscurant benedictionem Dei,sed plus sibi indulgent licentiæ, quàm æquum sit. Malignè etiam æstimant mariti sui labores,dum illorum fructum à se prouenire iactant. Quare hinc minimè petēda est regula,quomodo suum cuique tueri,vel quod iniustè ereptum est,recuperare liceat.

17 *Et surrexit Iahacob.* Discessum Iacob pluribus exequetur postea Moses: nunc tantùm breuiter surrexisse dicit:quo significat simulatque impetrare potuit ab vxoribus vt secum migrarēt, nullis amplius obstaculis cessisse. In quo virile animi eius robur, & constantia perspicitur. Multa enim lectoribus cogitanda relinquit Moses,ac præsertim tempus illud intermedium, quo sanctus vir inter multiplices curas hauddubiè æstuauit. Crediderat exilium suum exigui fore temporis:per viginti annos parentum & natalis soli conspectu priuatus, multa grauia & acerba pertulit,quorum tolerantia potuit obdurescere, vel saltem ita opprimi,vt quod residuum erat vitæ, illic consumeret. Iam in senium vergebat ætas eius: senes autem frigus tardiores reddit. Atqui fuga quam parabat,non carebat periculo. Ergo spiritu fortitudinis instrui necesse fuit,vt hic vigor de quo loquitur Moses, & alacritas pedes eius attolleret. Quum autem legimus furtiuum sancti viri discessum,& plenum dedecoris, discamus siquando nos Deus humiliet,ad hæc exempla mentes nostras conuertere.

19 *Furata est Rachel.* Quanquam Hebræi interdum תרפים vocant imagines quæ non prostant ad cultum:quia tamen nomen hoc ferè in malam partem accipitur, non dubito quin fuerint dii penates domus Laban. Et ipse disertè paulo pòst vocabit deos suos. Hinc verò apparet quanta sit humani ingenii propensio ad idololatriam: quando sæculis omnibus grassatum est hoc vitiū, vt sibi homines expeterent visibiles Dei figuras. Nondum à morte Noah elapsi erant anni ducēti:Sem verò paulo antè decesserat:illius doctrina per manus tradita maximè inter posteros Thare vigere debuerat, quia hanc sibi domum, quasi vnicum in terris sacrarium elegerat Dominus, vbi purius coleretur: vox autem ipsius Sem, vsque ad mortem Abrahæ personabat in illorum auribus: atqui iam ab ipso Thare illuc quoque exundauerant communes superstitionum sordes, ipso Patriarcha Sem viuo adhuc & loquente. Quanquam autem minimè dubium est,eum qua potuit vehementia conatum fuisse,posteros suos reducere ád sanam mentem, videmus tamen quid profecerit. Nec verò credibile est,Bathuelem vocationis Abrahæ prorsus fuisse ignarum,neque tamen ideo retractus est cum suis ab illa vanitate. Non tacuit etiam sanctus Iacob per annos viginti,quin consulendo,& monendo crassa illa vitia corrigere studeret:sed frustrà,quia violento suo cursu prævaluit superstitio. Ergo idololatriam humanis mentibus ferè esse ingenitam,ipsa originis vetustas testis est. Sic autem infixam esse,vt vix reuelli queat, ostendit obstinatio. Iam verò hoc magis absurdum, quòd ne Rachel quidem ab hac contagione sanari potuit tam longo temporis tractu. Maritum sæpe audierat de vero & genuino Dei cultu concionantem:sic tamen addicta est corruptelis,quas à pueritia imbiberat,vt illis terram à Deo electam inficere paret. Deum se fingit ducem sequi cum marito:interim idola,quibus eius cultum peruertat,secum trahit. Fieri etiam potest vt nimia indulgentia vxoris nimium dilectæ superstitiones aluerit. Quare discant sancti patresfamiliâs nihil diligentiæ facere reliquum, nequa vitiorum macula in suis vxoribus vel filiis hæreat. Quidam parum considerate Rachelem excusant,quòd pio furto,patris domum idolis purgare voluerit. Nam si hoc fuisset consilium,cur in transitu Euphratis inquinamenta illa non abiecit? cur non post discessum patris prodidit marito quod egerat? Sed nihil opus est coniecturis, quum ex contextu historiæ palàm sit, idolis pollutam fuisse domum Iacob vsque ad raptum Dinæ. Non ergo pietas Rachelem, sed insanus superstitionis pruritus ad hoc furtum impulit: quia Deum coli non putabat,nisi sub idolis. nam hic morbi fons est,quòd homines quum sint carnales,carnalem quoque Deum imaginantur.

20 *Et furatus est Iahacob cor Laban.* Hebraica locutio, qua significat Moses Iacob clàm, vel furtim

migrasse celato socero. Interim quibus angustiis cõstrictus fuerit Iacob notare voluit, quòd nullum nisi in fuga exitum habuit. Laban enim tota vita captiuum tenere statuerat, non secus ac si glebæ addictus, vel in metallum damnatus foret. Proinde nos quoque eius exemplo discamus, vbi Dominus nos vocat, fortiter contra omnegenus obstacula eniti: nec miremur si multæ arduæ difficultates se nobis ingerant.

22 *Et nuntiatum fuit.* Tridui spatium Dominus seruo suo dedit, donec traiecto Euphrate in fines terræ promissæ ingressus esset. Et forte interea refrixit iracundia Laban, cuius primo feruore sæuiores fuissent impetus. Quòd autem deinde permisit in medio itinere eum intercipi, voluit hoc modo suũ auxiliũ illustrius reddere. Optabile quidẽ erat nõ interpellari eius cursum, nec hostili soceri aduentu mortis terrorem ei incuti: sed quum Laban instar truculentæ feræ nihil quàm cædes spirans, repente à Domino compescitur, hoc ad confirmandam sancti viri fidem longè aptius, & vtilius fuit. Nam sicuti in ipso iuuando clarius enituit Dei potentia: ita eius præsidio fretus, per reliquas tentationes animosius perrexit. Quo docemur, quæ nobis ad tempus molestæ sunt perturbationes, eas tamen in salutem cedere: si modo obedienter nos Dei arbitrio subiicimus, qui ita nos consultò exercet, vt reipsa melius ostendat quam de nobis gerit curam. Triste erat, ac miserabile spectaculum, quòd Iacob tantam familiã trahens, profugeret quasi sibi malè cõscius: hoc verò lõgè acerbius, magisque formidabile, quòd Laban eius capiti imminet, exitiũ intentãs. Modus verò liberationis qui describitur à Mose, omnibus triumphis nobilior fuit. Nam Deus è cælo ad opem seruo suo ferendam descendens, se medium opponit, ac momento compescit indomitum illum furorem quo ardebat Laban.

23 *Et assecutus est eum itinere septem dierum.* Quia iam placata, vel saltem frænata erat crudelitas Laban, non audet atrocius minari: sed deposita ferocia, ad fictas, & mendaces blanditias descendit. Factam enim sibi iniuriam conqueritur, quòd celatus fuerit de discessu Iacob, quem solenni gaudio prosequi in signum paterni amoris, optasset. Ita hypocritæ, vbi ablata illis est lædendi & nocendi facultas, falsis querimoniis bonos & simplices onerãt, quasi penes ipsos resideat culpa. Quare siquãdo iniqui homines, & perfidi, vbi nos improbè vexauerint, prætextum æquitatis à sua parte obtendunt, deuoranda est nobis hæc iniquitas: non quòd prorsus omittenda sit iusta defensio, sed quia effugere non possumus quin peruersi homines semper ad maledicendum facundi sint, ac scelerum culpam in nos, qui sumus innoxii, sine pudore retorqueant. Interim prudenter cauendum est ne occasionem, quam captant, ipsis demus.

29 *Est fortitudo in manu mea.* Diuersa est apud Hebræos loquutio, Manus mea est ad robur. Sensus tamen clarus est, quòd denuntiat Laban sibi vltionẽ esse in promptu. Quidã exponunt, Manus mea est ad Deũ. Sed ex aliis locis apparet, אל pro virtute accipi. Verùm stulta iactãtia inflatus Laban, secum ipse pugnat. nam quum à Deo prohibitus fuerit quicquam tentare aduersus Iacob, vbinã erunt illæ vires quas prædicat? Videmus itaque vt cæco impetu se præcipitet, quasi pro sua libidine quiduis inuito Deo possit. Deum enim sibi aduersum esse sentiens, gloriari tamen de suis viribus non dubitat. quorsum id, nisi tanquam futurus Deo superior? Denique semper incredulitatis comes est superbia: vt increduli quanuis fracti, contra Deum tamen proteruè insurgere non desinant. Accedit deinde aliud malum, quòd se à Deo iniustè opprimi causantur.

Sed Deus patris uestri. Cur non etiam fatetur Deum suum, nisi quòd prius eius mentem fascinauit Satan, vt in tenebris errare malit, quàm se ad oblatã lucem vertere? Velit nolit, cedere cogitur Deo Abrahæ: & tamen debita illum gloria fraudat, commentitias deitates, in quibus delusus fuerat, retinens. Videmus ergo vt impii, licet Dei virtutem experti, non tamen eius imperio se in solidum subiiciant. Quare vbi se patefecit nobis Deus, simul petẽdus è cælo est Spiritus mansuetudinis, qui in illius obsequium nos inflectat & subigat.

30 *Vt quid furatus es deos meos?* Hoc secundum est accusationis caput, quo grauatur Iacob, quòd non desiderio patriæ, neque alia iusta & probabili causa discesserit: quandoquidem furto se implicuit. Graue & probrosum crimen, à quo tamen procul aberat Iacob. Sed hinc discamus neminem tam innoxiè posse viuere in mũdo, quin probra interdũ, & dedecoris notas immeritò sustineat. Quoties id nobis contigerit, sustentet nos eximia illa promissio, quòd Dominus suo tempore innocentiam nostram instar auroræ proferet. Nam hoc artificio nos à studio rectè agendi abducere molitur Satã, quũ citra culpam nostram falsis calumniis traducimur. Atque vt ingratus est mũdus, pessimã sæpe mercedẽ benefactis repẽdit. Reperti sunt quidã qui heroica magnitudine sinistros rumores conténerẽt, quia pluris apud eos esset recta conscientia, quàm peruersa populi opinio. Sed Fideles, ne vnquã eos deficiat cõscientia, in Deũ respicere conuenit. Cæterùm videmus vt Labã תרפים vocet deos: non quia deitatẽ illic putaret esse inclusam, sed quia in honorẽ deorũ imagines illas colebat. Vel potius quòd Deo sacra facturus, vertebat se ad illas imagines. Hodie solo vocis discrimine Papistæ se argutè elapsos existimant, quia ido-

lis ſuis non tribuant nomen deorum. Atqui friuolum effugium eſt, quum ſint in re ipſa prorſus ſimiles. nam quicquid honoris deberi fatentur vni Deo, coram picturis, vel ſtatuis profundunt. Veteribus autem idololatris non defuit prætextus, quòd metonymicè deos vocarent imagines repræſentandi Dei cauſa confictas.

31 *Et reſpondit Iahacob.* Breuiter diluit vtrũque accuſationis caput. De furtiuo diſceſſu modeſtè ſe, ac verecũdè excuſat, quia veritus fuerit ne ſpoliaretur vxoribus. Hoc autem modo partẽ culpæ in ſe ſuſcipit, quia ſatis habet à concepta malitia ſe purgare. Non diſputat rhetoricè, an furtim diſcedere licuerit, ſed in medio relinquit vitioſúſne fuerit ille timor. Hanc modeſtiam imitari diſcant omnes filii Dei, ne immodico tuendæ famæ ſtudio ad contentiones proſiliant: ſicuti multos videmus de nihilo ſæpe tragœdias mouere, dum nihil quantumuis leuiculum ſibi obiici ſuſtinent. Hac igitur excuſatione contentus fuit Iacob, dum ſe nihil ſceleratè egiſſe probat. Sequitur alterius capitis defenſio, in qua Iacob fiduciam ſuam oſtendit, morti adiudicans apud quem deprehenſum fuerit furtum. Et loquitur quidem ex animo, ſed ſi comperta tunc fuiſſet veritas, neceſſe erat ipſum leuitatis ſuæ pudere. Quanquam ergo ſibi nõ malè conſcius eſt, nimia tamen feſtinatione peccat, quòd non prius ſedulò inquirit, quàm de re ſibi dubia pronũtiet. Debuerat tam vxores, quàm filios vocare, & à ſingulis ſciſcitari vt res haberet. Perſuaſus quidem eſt tam bene moratam ſe habere familiam vt nulla in eius mentem veniat furti ſuſpicio: ſed diſciplinæ ſuæ non ita cõfidere debuit quin metueret vbi crimen obiicitur. Quare diſcamus de rebus incognitis ſuſpendere iudicium. diſcamus item pro aliis non ſpondere, ne temeritatis noſtræ ſerò nos pœniteat. Adde quòd hinc etiam factum eſt, vt pollutio, quæ ſtatim exterminari potuit, diutius ſubſtiterit in domo Iacob.

32 *Quòd Rachel furata eſſet Deos.* Narrat Moſes quomodo ſuum furtum occultauerit Rachel, nempe quòd inſidens idolis, menſtrua ſe pati ſimulauit. Quæritur autem, pudoréne an pertinacia id fecerit. probroſum erat in furto deprehendi: timebat etiam grauem mariti ſententiam. Mihi tamen probabile eſt, non tam pudorẽ apud eam valuiſſe, quàm obſtinatum idololatriæ ſtudium. Nam ſcimus quantopere mentes hominum dementet ſuperſtitio. Ergo quaſi incomparabilem theſaurum nacta foret, quiduis ſibi potius tentandum eſſe ducit, quã vt eo priuetur. Quin etiam patris & mariti offenſam mauult incurrere, quàm abiicere ſuperſtitionis materiam. Dolo etiam accedit verborum mendacium, vt multiplici reprehenſione digna ſit.

36 *Et ira fuit ipſi Iahacob, & iurgatus eſt* Peccat iterum Iacob, litigans cum ſocero de re non ſatis comperta, & crimen ei calumniæ perperam impingens. Quanuis enim ſuos omnes putaret eſſe extra noxam, ſua tamen negligentia deceptus eſt. Sibi quidem moderatur, quòd expoſtulãs cum Laban non certat conuitiis: ſed in eo excuſabilis non eſt, quòd ſuſcipit totius familiæ cauſam, quum extra noxam non eſſet. Siquis metu retentum fuiſſe excipiat, quoniam magnam comitum manum ſecum adduxerat Laban: res ipſa oſtendit animi potius ſui modeſtia ita compoſitum fuiſſe. Liberè enim reſiſtit, nec vllum oſtendit formidinis ſignum: tantùm à maledicendi proteruia abſtinet. Deinde ſubiicit iuſtas ſibi cauſas ſuppetere cur accuſet Laban: non quòd recrimi nandi animo contra ſocerum velit inſurgere, ſed quia vtile erat cognatos & comites Laban omnium fieri teſtes, vt ex longa tolerantia Iacob, eius integritas melius pateret. Cõmemorat autem Iacob non modò ſe fidum fuiſſe gregis cuſtodem, ſed laborem quoque ſuum Dei benedictione proſperũ fuiſſe: addit præterea ſe multatum fuiſſe omnibus damnis. In quo Laban magnæ iniquitatis inſimulat. neque enim Iacob vltrò ſoceri ſui auaritiam, & rapacitatem oblatis fomentis accendere debuit, ſed coactus ceſſit eius iniuriis. Quum dicit *ſomnum ſuum ab oculis fugiſſe*, non tantùm ſignificat noctes ſe duxiſſe inſomnes, ſed luctatum eſſe cum ipſa natura, vt debita quiete ſe fraudaret.

42 *Niſi Deus patris mei.* Hîc Dei gratiæ aſcribit Iacob, quòd domum non redeat prorſus vacuus. quo non ſolum exaggerat peccatum Laban, ſed occurrit obiectioni, quæ videri poterat eius querimoniis aduerſa. Quòd ergo diues eſt, ſoceri benignitate factum eſſe negat, ſed ſe à Domino reſpectum eſſe teſtatur: acſi dixiſſet, Per te non ſtetit quin mihi vlterius noceres: ſed Deus quẽ habui propitiũ, tibi obſtitit. Iam quũ Deus non ſit patron⁹ malæ fidei, nec improbos iuuare ſoleat, inde cognoſcitur integritas Iacob, quòd Deus ſe eius vindicẽ interpoſuit. Notãdũ autẽ eſt, quòd Deum Abrahæ nominatim ab omnibus diis fictitiis ſeparans, nõ aliũ eſſe verũ Deum admonet. quo ſimul demõſtrat ſe veræ pietatis eſſe cultorẽ. Timorem Iſaac paſſiuè accipe pro Deo quẽ Iſaac reuerebatur, ſicut propter reuerẽtiam quæ illi debetur, vocatur timor, & tremor populi ſui. Et paulo pòſt eodẽ capite ſimilis locutio recurret. Pii autẽ Deũ ſic timẽt vt minime horreãt ad eius cõſpectũ ſicuti reprobi: ſed trepidãtes ad eius iudiciũ, ſolicitè corã ipſo ambulãt.

Afflictionem meã, & laborẽ manuũ mearũ. Hoc dictũ eſt ex pietatis ſenſu, quòd Deus afflicto, & fideliter probéq; ſe gerẽti opẽ tulerit. Ergo vt nos fauore ſuo ſubleuet Dominus, diſcam⁹ officio no-

ſtro ritè defungi:nõ fugiamus legitimos labores:multis etiam moleſtiis pacẽ redimere ne detrectemus. Deinde ſi duriter & iniquè nos tractent de quibus benè erimus meriti,in ſpe & ſilentio feramus crucem noſtram,donec ſuccurrat nobis Dominus. neque enim ad extremum vſque nos deſeret,ſicuti toties teſtatur Scriptura. Diſertè verò Iacob ſocerum ſuum vrget propria confeſſione. Cur enim eum increpuerat Deus, niſi quia contra ius & fas innoxiũ hominem perſequebatur? nam ſicuti nuper attigi,malis & iniuſtis cauſis fauere,à natura Dei abhorret.

43 *Filiæ,filiæ meæ ſunt.* Nunc lõgè aliter loqui incipit Labã,quàm prius. videt ſe nullam amplius habere litigandi cauſam. Ergo conuictus,ſepultis iurgiis ad placidum, amicúmque ſermonem delabitur. Cur ego,inquit,tibi infeſtus eſſem,quũ ſint omnia inter nos cõmunia? An ego in viſcera mea ſæuirẽ? nam & vxores tuæ,& liberi tui,ſanguis meus ſunt. quare ita me erga vos affici par eſt,acſi gererem omnium perſonam. Perinde iam reſpondet atque homo æquiſſimus. Vnde autem tam repentè illi nata humanitas,qui nuper nullo recti vel praui delectu,in perniciem Iacob rapiebatur, niſi quòd agnoſcit Iacob bona fide ſecum egiſſe,& tandem neceſſitate fuiſſe coactũ, vt conſiliũ hoc furtiui diſceſſ9 caperet? Atque hoc ſignũ fuit hominis nõ prorſus deſperati. nam multos cernere licet tam perditæ impudentiæ, vt rationibus victi & obruti, ſtupida tamen contumacia ruere non deſinant. Colligimus autem ex hoc loco,licet auaritia,peruerſique alii affectus iudicium & ſanam mentem eripiant,manere tamen in animis hominum inſculptam veri notitiam, quæ ſcintillas excitata emittit, niſi in totum malitia dominetur. Siquis prius dixiſſet,Quid agis Laban? quænam iſta feritas,contra viſcera tua inſurgere? minimè fuiſſet auditus. præcipiti enim furore ardebat. Nunc vltrò ipſe ſibi ſuggerit,ac prædicat quod ab alio audire noluiſſet. Conſtat igitur lucem æquitatis, quæ nunc emergit, fuiſſe in eius animo ſuffocatam. In ſumma, ſolus amor noſtri nos excæcat: quia rectè quiſque noſtrum iudicat, vbi non ſunt intermediæ perſonæ. Cæterùm ſi contigerit nos ad tempus turbari, danda ſaltem opera eſt vt præualeat tandem ratio, & æquitas. Quòd ſiquis ad malitiam ſe obduret, manebit tamen inſculpta illa,quam dixi,interior & occulta notitia, quæ ad eum damnandum ſufficiat.

44 *Percutiamus fœdus ego & tu.* Hic facit Laban quod ſolent homines malè ſibi conſcii,dum ſibi cauet à mutua vindicta. ac talis trepidatio & anxietas, iuſta eſt maleficiorum merces. Adde quòd improbi alios ſemper æſtimãt ex proprio ingenio:vnde fit vt vndique ſibi metuãt. Quare tale ferè exemplum antè narrauit Moſes,quũ Abimelech fœdus cum Iſaac percuſſit. Quo magis ſtudendũ eſt,ſi animis ſedatis eſſe cupimus,vt ſyncerè & innoxiè verſemur cum proximis. Interea docet Moſes quàm placabilis fuerit Iacob, & quanta facilitate paſſus fuerit ſe adduci ad concordiam. Plurimas & grauiſſimas iniurias pertulerat:nunc omnium oblitus,manum ad benevolentiam libenter porrigit: & adeò pertinax non eſt in tuendo iure ſuo, vt quodammodo præueniat ipſum Laban,lapidem primus ſtatuens. Et ſanè filios Dei nõ modò pacem alacriter amplecti decet,ſed etiam cupidè inquirere, ſicuti iubemur Pſalmo 34.c.15. Quòd ad lapidum aceruum ſpectat,ſemper vſu receptum fuit, cæremoniam aliquam adhibere, quæ pacta vtrinque ſanciret. Nunc congeries lapidum extruitur,vt etiã ad poſteros vigeat fœderis memoria. Quòd has partes occupat Iacob,iam diximus ſignum eſſe propenſi ad pacem animi. Liberè quidem conqueſtus eſt,dum ita oportuit: ſed vbi ad pacificationem ventum eſt, demonſtrat ſe nihil alere veneni. Quum mox ſubiicit Moſes, eos *comediſſe ſuper aceruum*, non obſeruat hiſtoriæ ſeriem. Prius enim vtrinque pactæ ſunt ac dictæ leges, quàm celebratum conuiuium. ſed hæc figura (vt prius vidimus)ſatis vſitata eſt.

47 *Et vocauit eum Laban.* Eodem ſenſu vterque nomen ex ſua lingua tumulo imponit. Vnde apparet Laban vſum fuiſſe lingua Syriaca,quanuis ex genere Heber eſſe progenitus. Sed nõ mirum eſt,quòd inter Syros habitãs, tam linguæ,quàm moribus gẽtis aſſueuerit. Et paulo antè bis vocatus eſt Syrus:acſi Moſes degenerem & alienum ab Hebræis dixiſſet. Sed hoc ſuperiori hiſtoriæ minimè congruere videtur,vbi legimus filias Laban impoſuiſſe filiis ſuis Hebraica nomina. Verùm ſolutio non eſt difficilis. nam quum magna ſit iſtarum linguarum inter ſe affinitas,facilis fuit vnius vocis in alteram inflexio. deinde,ſi morigeras ſibi vxores habuit Iacob,nõ mirum eſt,ſi eius linguam didicerint. Ipſe autem proculdubio in hoc incubuit: vtpote qui ſciebat familiam ſuam à reliquis gentibus ſegregatam eſſe. Quòd autem ſuprà vſus eſt Moſes nomine Galaad,prolepſis fuit. nam quum ætati ſuæ ſcriberet, non dubitauit receptum nomen ponere. Cæterum hinc colligimus, cæremonias & ritus ad id quod inter ſe cõſtituunt homines,referri debere. Quæ etiam regula in Sacramentis valere debet: quia ſi tollatur verbum, quo nobiſcum paciſcitur Deus,inutiles tantum,& mortuæ figuræ reſtabunt.

49 *Speculetur Dominus.* Iudicio Dei vindicandum commendat Laban quicquid alter in alterũ abſentem peccauerit. quaſi diceret,Quanuis ad me vſque nõ perueniat iniuriæ notitia, quia procul abero,Dominus tamẽ qui vbique adeſt,ſpeculetur. Quam ſententiam clarius paulo pòſt ex-

primit dicens, Nemo nobiſcũ eſt, Deus inter me & te erit teſtis. Quibus verbis ſignificat Deum tunc acerrimũ fore cuiuſlibet ſceleris vindicẽ, vbi nullus ſedebit in mũdo iudex. Et certè ſiqua in nobis vigeret religio, longè magis nos moueret Dei præſentia, quàm omniũ hominũ conſpectus. ſed fit bruto carnis noſtræ ſtupore, vt nonniſi homines reuereamur: quaſi impunè illudere Deo liceat, vbi nõ coarguimur hominũ teſtimonio. Verũ ſi hoc cõmunis naturæ ſenſus dictauit ipſi Laban, venturas in Dei iudicium fraudes, quæ mundo ſunt abſconditæ: pudeat nos qui in Euãgelii luce verſamur, latebras fallaciis noſtris captare. Hinc etiam collige legitimum iuriſiurãdi vſum, quem etiam Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos notat, nempe quòd homines finem con- *Heb.6.d.16*
trouerſiis ſuis facturi, ad Dei iudicium confugiunt.

50 *Et ſi acceperis uxores ſuper filiàs meas.* Hanc perfidiæ ſpeciem fore intelligit Laban ſi alias ſibi vxores Iacob adiungat. Atqui ipſe eum ad polygamiam coegerat. vnde enim plures vxores ſancto viro, niſi quòd doloſè in locum Rachelis ſuppoſita fuerat Lea? Sed vitium, cuius perperã author fuerat, auaritia ſua excæcatus, nunc ex ſyncero naturæ ſenſu damnat. Et certè vbi abrũpitur coniugii vinculum, quo nullum inter homines ſanctius eſt, tota humana ſocietas labefactatur. Quare phrenetici homines, qui hodie in tuenda polygamia ſibi placent, non alio iudice opus habent, quàm Laban.

53 *Deus Abrahæ.* Hoc quidem ritè fit & ordine, quòd Laban per Dei nomen adiurat Iacob. Hæc enim fœderum eſt ſanctitas, Deũ vtrinquè aduocare, vt inultam perfidiã nõ ſinat. Sed perperã vero Deo idola cõmiſcet, quibuscum nihil illi eſt cõmune. Ita ſcilicet homines ſuperſtitionibus impliciti, ſacra profanis, & puræ deitati hominum figmenta promiſcuè miſcere ſolẽt. Cogitur Deo Abrahæ aliquid dare honoris, in ſuis tamen ſordibus demerſus iacet: & ne deterior videatur ſua religio, antiquitatis fuco eam colorat. Deum enim patris ſui appellãs, gloriatur ſibi à maioribus eſſe traditũ. Interim Iacob ſuperſtitioſè nõ iurat. Diſertè enim exprimit Moſes, nõniſi per timorem Iſaac iuraſſe, vt ſciamus non annuiſſe ſocero præpoſterã formam dictanti, ſicuti multi, vt impiorum gratiam captent, eandem ſibi religionẽ cum ipſis eſſe ſimulant. Atqui vbi ſemel innotuit vnus Deus, malignè ſupprimitur à nobis eius veritas, niſi ſua luce omnes errorũ nebulas diſcutiat. Nec dubium eſt quin iurãdi formæ reſponderit ſacrificium, vt ſcilicet à puro Dei cultu omnia inquinamenta arceret.

54 *Et uocauit fratres ſuos ut comederent.* Quòd hoſpitio comiter recipit Iacob affines ſuos, à quibus male tractatus fuerat, in eo manſuetudinem ſuam teſtatur. Singulari etiam Dei beneficio factum eſſe notat Moſes, quòd poſt atrocem illã procellam, quæ interitum ſancto viro minitabatur, repente enituit placida ſerenitas. Eodem pertinet quod ſtatim ſequitur, Laban amicè digreſſum fuiſſe. nam hoc modo palàm oſtendit Dominus ſe cuſtodem eſſe ſerui ſui, qui eum velut ouem perditam mirabiliter è lupi faucibus eripuit. Nec verò tantùm ſedatus fuit furor Laban, ſed paternum affectum, quaſi mutatus in nouum hominem, induit.

55 *Benedixitque eis.* Notanda eſt circunſtantia perſonæ, quòd ſcilicet Laban, qui à pietate deſciuerat, & improbis erat ac ſceleſtis moribus, morem tamen benedicendi retinuit. Nam hinc docemur, nequa impiis ſuperſit excuſatio ignorantiæ, principia quædam notitiæ Dei hærere in ipſorum cordibus. Nam inde mos benedicendi, quòd certò perſuaſi ſint homines, Deum vnum, bonorum omnium eſſe authorem. Quanuis enim ſuperbè quiduis ſibi arrogent, vbi tamen ad ſe ipſos redeũt, velint nolint ſentire cogũtur, quicquid bonorũ eſt, nonniſi à ſolo Deo prouenire.

Cap. XXXII.

1 ET Iahacób abiit in viam ſuam, & occurrerunt ei Angeli Dei.
2 Et dixit Iahacób, quando vidit eos, Caſtra Dei ſunt hæc. & vocauit nomẽ loci illius Mahanáim.
3 Et miſit Iahacób nuntios ante ſe ad Heſaú fratrem ſuum ad terram Sehír in regionem Edóm.
4 Et præcepit eis dicẽdo, Sic dicetis domino meo Heſaú, Sic dixit ſeruus tuus Iahacób, Cum Labán habitaui & moratus ſum hucvſque.
5 Et ſunt mihi boues & aſini, pecudes, & ſerui, & ancillæ, & miſi vt nuntiarem domino meo, vt inuenirem gratiam in oculis tuis.
6 Et reuerſi ſunt nuntii ad Iahacób, dicendo, Venimus ad fratrẽ tuum, ad Heſaú, & etiam pergit in occurſum tuum, & quadringenti viri cum eo.
7 Et timuit Iahacób valde, & anguſtiis affectus eſt, & diuiſit populum qui erat

ſecum,& pecudes,& boues,& camelos in duas turmas.

8 Et dixit, Si venerit Heſaú ad turmam vnam, & percuſſerit eam, turma quæ remanſerit euadet.

9 Et dixit Iahacób, Deus patris mei Abrahám, & Deus patris mei Iſhác, Domine qui dixiſti ad me, Reuertere ad terram tuam,& cognationem tuam, & benefaciam tibi,

10 Minor ſum cunctis miſericordiis, & omni veritate quam feciſti cum ſeruo tuo: quia in baculo meo tranſiui Iardén hũc,& nũc factus ſum in duas turmas.

11 Erue me nunc de manu fratris mei,de manu Heſaú. timeo enim eum, ne forte veniat,& percutiat me,matrémque cum filiis.

12 Et tu dixiſti,Benefaciendo benefaciam tibi, & ponam ſemen tuum ſicut harenam maris quæ non numeratur præ multitudine.

13 Et pernoctauit ibi nocte ipſa, & accepit ex iis quæ occurrebãt ad manum ſuã munus *mittendum* ad Heſaú fratrem ſuum,

14 Capras ducentas,& hircos viginti:boues ducentos, & arietes viginti:

15 Camelos lactantes,& pullos earum triginta:vaccas quadraginta, & iuuencos decem:aſinas viginti,& pullos decem.

16 Et dedit in manũ ſeruorum ſuorũ, ſingulos greges ſeorſum: dixítque ad ſeruos ſuos,Tranſite ante me,& interſtitium ponetis inter gregem & gregem.

17 Et præcepit primo,dicendo, Si occurrerit tibi Heſaú frater meus, & interrogauerit te,dicendo,Cuius es,& quò pergis,& cuius ſunt iſta ante te?

18 Dices, Serui tui Iahacób munus eſt, miſſum ad dominum meum Heſaú: & ecce etiam ipſe eſt poſt nos.

19 Et præcepit etiam ſecundo,etiam tertio, etiam cunctis pergentibus poſt greges,dicendo,Secũdum verbum hoc loquemini ad Heſaú quãdo inuenietis eũ.

20 Et dicetis etiam, Ecce ſeruus tuus Iahacób eſt poſt nos. dixit enim, Placabo faciem eius munere quod vadit ante me: & poſtea videbo faciem eius. ſi fortè ſuſcipiat faciem meam.

21 Et tranſiuit munus ante eum:& ipſe pernoctauit nocte ipſa cum turma.

22 Et ſurrexit nocte ipſa, & accepit duas vxores ſuas, & duas ancillas ſuas, & vndecim liberos ſuos,& tranſiuit vadum Iabbóc:

23 Et accepit eos,& tranſire fecit eos torrentem,tranſire inquam fecit *omnia* quæ erant ſibi:

24 Et remãſit Iahacób ſolus ipſe:& luctatus eſt vir cũ eo donec aſcendit aurora.

25 Et vidit quòd non præualeret ei,& tetigit palam femoris eius:& mouit ſe pala femoris Iahacób,luctante illo cum eo.

26 Et dixit,Dimitte me,quia aſcendit aurora. Cui reſpõdit, Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.

27 Et dixit ad eum,Quod eſt nomen tuum?Et ait,Iahacób.

28 Et dixit, Non Iahacób dicetur vltrà nomen tuum, ſed Iſraél: quia princeps fuiſti cum Deo,& hominibus præualebis.

29 Et interrogauit Iahacób,& dixit,Indica quæſo nomẽ tuum. Et dixit, Vtquid interrogas de nomine meo?& benedixit ei illic.

30 Et vocauit Iahacób nomen loci,Peniel: Quia vidi Deum facie ad faciem, & euaſit anima mea.

31 Et ortus eſt ei ſol,quando tranſiuit Penuel,& claudicabat in femore ſuo.

32 Idcirco non comedunt filii Iſraél neruum cõtractionis qui eſt in pala femoris, vſque ad diẽ hãc: quia tetigit palam femoris Iahacób in neruo cõtractionis.

1 Et *Iahacob abiit in uiam ſuam.* Poſtquam è ſoceri ſui manibus, hoc eſt ex præſenti morte elapſus eſt Iacob, nunc in fratrem incidit, cuius æquè, vel etiam magis timenda erat atrocitas. nam eius minis expulſus fuerat à patria. nulla autem melior illi ſpes proponitur. Trepidè ergo non ſecus atque ad mactationem pergit. Cæterùm quia fieri vix poterat, quin mœrore fractus concideret, tẽpeſtiuè Dominus ſuccurrit, & eum tam ad hoc certamẽ, quàm ad alia præparat, vt ſe fortem in omnibus, inuictúmque athletam præſtet. Ergo vt ſciat Dei præſidio ſe tegi, Angeli diſpoſitis vtrinque caſtris, obuiam ei procedunt. Hebræi interpretes putant ab vna parte locata fuiſſe Angelorũ caſtra, Deum potius ex oppoſito ſtetiſſe. Atqui multo probabilius eſt, Angelos fuiſſe in bina caſtra diſtributos à diuerſis lateribus Iacob, vt agnoſceret ſe vndique cinctum, ac munitum eſſe cæleſtibus copiis: ſicuti Pſalmo 34. b. 8, habetur, Angelos, vt Dei cultores ſeruent, caſtra per circuitum ipſorum metari. Quanquam nõ diſplicet eorum ſententia, qui dualem numerum loco pluralis ſimpliciter accipiunt, vt fuerit Iacob circũdatus continuo Angelorum exercitu. Porrò duplex fuit huius viſionis vtilitas. nam quia ſanctus vir in futurum tempus valde anxius erat, hunc cruciatum maturè illi eximere Dominus voluit, vel ſaltem leuationis aliquid afferre, ne tẽtationi ſuccumberet. Deinde voluit poſtquam liberatus eſſet à fratre, præteriti beneficii memoriam infigere eius animo, nequando efflueret. Scimus quàm procliuis ſit in hominibus beneficiorum Dei obliuio: imò dum manum ſuam ad eos iuuandos extentam habet Deus, vix centeſimus quiſque oculos ſurſum attollit. Ideo neceſſe fuit viſibilem Dei tutelã ſancto viro ſtatui in cõſpectu, vt tanquã in illuſtri theatro cerneret non fortuitò ſe nuper ereptum eſſe ex manu Laban, ſed quòd Angelos Dei pro ſe haberet pugnantes, vt certò ſperaret contra fratris conatus paratum ſibi fore eorum auxilium. Denique vt ſuperato diſcrimine, memor eſſet ab illis ſe fuiſſe protectum. Hæc autem doctrina ad nos omnes extenditur, vt diſcamus, in manifeſtis Dei gratiis inuiſibilem eius præſentiam intueri. Præcipuè tamen ſanctum virum nouis armis ad ſubeundum quod inſtabat certamen inſtrui neceſſe fuit. Neſcit an mutatus ſit frater Eſau, an verò factus deterior. Atque huc magis inclinat ſuſpicio, virum ſanguinarium nihil niſi hoſtile moliri. Ergo ad firmandam in futurum tempus eius fiduciam, nõ minus quàm ad præteritæ gratiæ recordationem, apparent Angeli. Fiduciam quoque non parum amplificat numerus. nam etſi ſatis ſit ſingulos Angelos nobis dari cuſtodes, liberalius tamen agit nobiſcum Dominus. Quare malignè extenuant Dei gratiam, qui tantum ab vno Angelo quenque noſtrum defendi putant. Nec dubium eſt quin Diabolus hoc aſtu fiduciam noſtram aliqua ex parte minuere conatus ſit. Gratitudo ſancti viri notatur à Moſe dũ loco nomen imponit, quaſi perpetuæ memoriæ ſymbolum.

3 Et *miſit Iahacob nuntios.* Iã tunc Dei prouidentia factũ eſt, vt Eſau relicto patre verſus montem Seir vltrò ſe contulerit: atque ita ceſſerit ex terra promiſſa, quò vacua eius poſſeſſio maneret poſteris Iacob abſque fraterna cæde. Neque enim vel patris imperio coactum credibile eſt, vel ideo habitationẽ mutaſſe, quia fratre inferior haberi vellet. potius cõiicio multis opibus locupletatum fuiſſe, quæ illum ex paterna domo extruderent. Scimus enim profanos, & huius ſeculi filios præſentibus cõmodis tam cupidè inhiare, vt quum ſe aliquid offert eorum cupiditati conſentaneum, illuc bruto impetu ferãtur. Imperioſus & ferox erat Eſau, matri infenſus, patris quoque reuerentiam excuſſerat, & ſe viciſſim ſciebat illis eſſe exoſum. vxores aſſiduas pugnas mouebant: durum illi, ac moleſtum erat filiifamiliâs perſonam ſenili iam ætate agere. nec enim ſuperbi homines liberi ſibi videntur quum quis ſupra eos eminet. Ergo vt ſolutus alienis legibus degeret, ſeorſum à patre degere maluit, ac tali illecebra ineſcatus eſt, vt promiſſæ hæreditatis immemor, locum fratri ſuo relinqueret. Diuinitus autem id factum eſſe dixi, quemadmodum per Malachiã Deus ipſe pronuntiat, fuiſſe hanc quaſi relegationis ſpeciem, quòd in montem Seir deductus eſt Eſau. Etſi enim ſponte migrauit, arcano tamen Dei conſilio terra illa priuatus eſt, quã tãtopere appetierat. Præſenti verò dominãdi cupidine illectus, in delectu cæcutiit, quum terra Seir montuoſa & aſpera, minúſque fertilis & amœna eſſet. Porrò celebrẽ virum fuiſſe apparet, qui nomen regioni ex ſuo nomine impoſuit. quanquam veriſimile eſt, terrã Edom dici per prolepſin à Moſe, quæ deinde ita vocari cœpit. Quæritur iam, vnde reſciuerit Iacob fratrem ſuum in illa parte habitare. Quanquam pro certo nihil aſſero, probabilis tamen eſt coniectura, fuiſſe à matre admonitum. neque enim in tanta ſeruorum copia defuit fidelis nuntius. Et facile ex verbis Moſis colligitur, antequam terram ingreſſus eſſet Iacob, de nouo fratris domicilio ſciuiſſe id quod erat. Scimus autem multa eius generis à Moſe fuiſſe omiſſa, quæ lectoribus facilè in mentem venire poſſunt.

Malach. 1. v. 3

4 *Sic dicetis domino meo.* Narrat hîc Moſes quàm anxius fuerit Iacob in placando fratre. Supplex enim iſta deprecatio nonniſi ingenti ac diro cruciatu extorta fuit. Sed videtur abſurda eſſe ſubmiſſio, qua dominium illi defert, pro quo vſque ad vitæ diſcrimẽ certauerat. Si enim primogenitus eſt Eſau, quid ſibi reſiduum facit Iacob? quorſum attinuit tantum ſibi accerſere inuidiæ, tot ſubire diſcrimina, & tandem viginti annorum exilio multari, ſi nunc ſe fratri ſubiicere non recuſat? Reſpondeo, quòd dominium temporale concedit, hinc nihil decedere arcanæ benedictionis iuri. Scit effectum Diuinæ promiſſionis adhuc eſſe ſuſpẽſum: ergo ſpe futuræ hæreditatis contentus, in præſentia nõ dubitat fratrem ſibi honore præferre, ac ſe profiteri eius ſeruum. Nec verò in his verbis quicquam fictum fuit, quia paratus erat fratrẽ humeris portare: modò ne ius futuri temporis, quod adhuc erat abſconditum, perderet.

5 *Sunt mihi boues.* Non iactantiæ cauſa ſuas diuitias prædicat Iacob, ſed vt hoc modo ad humanitatem flectatur Eſau. Nimis enim turpe ac pudendum fuiſſet, qui in longinqua terra per Dei gratiam ditatus fuerat, immaniter fugare. Adde quòd futuræ æmulationi anſam præcidit: nam ſi inanis, ac famelicus veniſſet, poterat Eſau ex diſpendii ſui metu nouam indignationem concipere. Teſtatur ergo Iacob ſe non venire vt patris ſubſtantiam ſuggat, vel ditetur cum fratris iactura: acſi dixiſſet, Salua ſit tibi hæreditas terrena: ius enim tuũ per me non minuetur: tantùm me ſinas viuere. Hoc exẽplo monemur qualiter fouenda ſit nobis pax cum improbis. Non prohibet quidem Dominus quin ius noſtrum tueamur, quoad permittent aduerſarii: ſed iure noſtro potius cedendum eſt, quàm vt certamen oriatur noſtra culpa.

6 *Et reuerſi ſunt nuntii.* Eſau beneuolentiæ cauſa progreditur obuiam fratri ſuo: ſed Iacob reputans immanem eius ferociam, inflatos ſpiritus, ac truces minas, nihil humanum ab eo expectat. Et Dominus ſerui ſui animum tali anxietate, licet de nihilo, ad tempus premi voluit, vt precandi feruorem magis accenderet. Scimus enim quale in hac parte frigus generet ſecuritas. Ergo ne fides nullis ſtimulis excitata in nobis torpeat, multa ſæpe nos timere patitur Deus, quæ timenda nõ ſunt. Nam quanuis vota noſtra præueniens, occurrat malis noſtris, remedia tamen occultat, donec fidem noſtram exercuerit. Interea notandum eſt, filios Dei nũquam pollere tam robuſta conſtantia, quin ſimul carnis infirmitas in illis ſe prodat. Nam qui fiduciam imaginantur omni timore vacuam, nunquam guſtarunt quidnam ſit vera fides. Non enim ſe in hunc finem Dominus nobis adfore promittit, vt periculorum ſenſu exuat: ſed ne præualeat metus, & nos deſperatione obruat. Adde quòd nũquam omni ex parte ſolida eſt noſtra fiducia, vt prauas dubitationes, & vitioſos metus repellat, ſicuti optandum foret.

7 *Et diuiſit populum.* Refert Moſes, Iacob ex re præſenti cepiſſe conſilium. Familiam enim in duas turmas diuidens, ancillas priore loco ſtatuit, vt primum inſultum, ſi ita neceſſe ſit, ſuſtineant: vxores verò liberas longius à periculo ſubducit. Atque hinc quidem colligimus, non ita expauefactum fuiſſe Iacob, quin res ſuas componeret. Scimus vbi panicus terror occupat animos, nihil ſuppetere conſilii, ſed velut exanimes ſtupere, qui rebus ſuis proſpicere deberẽt. Ergo ex fidei Spiritu hoc manauit, quòd aliquam diſtãtiam interpoſuit Iacob inter duas familiæ ſuæ partes, ne ſiqua inſtaret clades, totum ſaltem intercideret Eccleſiæ ſemen. Nam hoc conſilio dimidiã partẽ mactationi obtulit, vt ad reliquos ſuperſtites tãdem perueniret hæreditas promiſſa.

9 *Deus patris mei Abrahæ.* Rebus ſuis, vt præſens ſuadebat neceſſitas, diſpoſitis, iam ad preces ſe conuertit. Teſtis autem eſt hæc precatio, nõ fuiſſe tanto metu oppreſſum ſanctum virum, quin victrix emergeret fides. Neque enim dubitãter ſe, & ſuos Deo commẽdat: ſed tam promiſſionibus Dei, quàm acceptis beneficiis confiſus, ſuas curas, & moleſtias in eius ſinum reiicit. Diximus autem ſuprà, quorſum ſpectent hæc epitheta quæ tribuit Deo, & quid valeant: nempe quum longius diſtent homines à Deo, quàm vt ad eius altitudinem per ſe conſcendant, ipſe ad Fideles deſcendit. Ita ſe Deum Abrahæ vocans & Iſaac, filium ipſorum Iacob comiter ad ſe inuitat. neque enim ſancto viro difficilis ad domeſticum Deum erat acceſſus. Deinde quia totus mundus in ſuperſtitiones defluxerat, peculiari nota diſcerni voluit Deus a domnibus idolis, vt populum electum in fœdere ſuo teneret. Ergo Iacob Deum Patrum ſuorum nominatim compellans, promiſſiones in illorum perſona ſibi datas, in medium ſibi proponit: ne dubio animo precetur, ſed tutò recumbat in illam fulturam, quòd promiſſæ benedictionis hæres, Deum propitium habiturus ſit. Et ſanè orandi regula nobis ex verbo petenda eſt, ne temerè ad Deum perrumpere tentemus, ſed ad eum pergamus quatenus ſe nobis patefecit. quod ex proximo contextu clarius patet, vbi Iacob Dei mandatum, & promiſſionem in memoriam reuocans, quaſi duabus columnis innititur. Et certè hæc legitima eſt orandi ratio, vt Fideles Deo vocanti reſpondeant: atque ita inter huius verbum, & illorum vota mutuus ſit conſenſus: ſicuti nulla ſuauior, vel magis concinna ſymphonia fingi poteſt. Domine, inquit, iuſſu tuo redeo: deinde ſalutem reuerſo pollicitus es: AEquum eſt igitur vt te mihi præbeas itineris ducem. Hæc ſancta eſt

præsumptio, quum officio nostro defuncti secundum Dei vocationem, familiariter ab ipso petimus quicquid promisit, quando se nobis gratis obstringens, factus est quasi voluntarius debitor. Quisquis autem nullo Dei mandato aut promissione fretus, vota concipit: nihil quàm vanas ampullas proiicit in aerem. Hic etiam locus certius cõfirmat quod prius dictum fuit, Iacob non falsò prætexuisse apud vxores, Deum sibi reditus esse authorem. Nam si tunc mentitus foret, nulla nũc suppeteret benè sperandi materia. Atqui ad cæleste tribunal cum hac fiducia prodire nõ dubitat, se manu Dei protectum iri, cuius auspiciis redire in terram Chanaan ausus est.

10 *Minor sum cunctis miserationibus.* Tametsi loquutio hæc dura est Latinis auribus, sensus tamen obscurus non est. Fatetur Iacob pluribus se Dei beneficiis fuisse cumulatum, quàm sperare ausus foret: ideóque multum abesse vt ad impetrandum quod postulat, quicquam afferat dignitatis, vel meriti. Dicit ergo se minorem fuisse Dei gratiis: quia indignus erat in quem Dominus tam liberaliter præclara dona conferret. Porrò vt melius pateat sancti Patriarchæ consilium, notandus est Satanæ astus. nam vt propriæ indignitatis sensu nos ab orando deterreat, cogitationem hanc nobis suggerit, Quis tu es, vt in Dei conspectum prodire audeas? Hanc tẽtationem maturè præuertit Iacob, dum præfatus se esse indignum superioribus Dei donis, simul tamen agnoscit non esse Deum hominibus similem, vt continuandis, & augendis beneficiis vnquam lassetur. Interea Iacob ex eo fiduciæ materiam colligit: quia Deum tam beneficum sæpe iam expertus erat. Ergo in duplicem scopum respexit: quia & occurrere voluit diffidentiæ, quæ ex ingenti donorum Dei cumulo obrepere poterat: & dona illa in diuersam partem conuertit, vt sibi promitteret eundem erga se Deum fore, qui hactenus fuerat. Duas autem voces ponit, Miserationes, & Veritatem, vt significet Deum mera sua bonitate induci vt nobis benefaciat: & hoc modo fidem suam probare. Atque hæc copula Misericordiæ cum Veritate passim occurrit in Scripturis: vt sciamus bona omnia nobis ex gratuito Dei fauore fluere: eorum verò nos fieri capaces, dum eius promissiones fide amplectimur. *Quia in baculo meo.* Non enumerat Iacob singulas Dei gratias: sed sub vna specie alias comprehendit, quòd quum inops & solitarius viator Iordanem transisset, nunc diues, & multis copiis refertus veniat. Notãda est autem antithesis inter Baculum & Duas turmas: in qua priorem solitudinem, & inopiam cum præsenti abundantia comparat.

11 *Erue me.* Postquã pluribus Dei beneficiis se obstrictum esse meminit, quàm vt sua merita iactare posset, & se inde ad spem maiorem erexit: nũc suam necessitatem commemorat, acsi diceret, Domine, nisi tot præclara dona in nihilum velis recidere, iam tempus est vt mihi succurras, & exitium auertas quod mihi à fratre impendet. Expositio autem suo metu, clausulam adiungit de benedictione sibi promissa, vt se iterum promissionibus sibi datis confirmet. Matrem cum filiis occidere, prouerbialiter apud Iudæos dictum fuisse puto, pro nihil reliquum facere. metaphora ab auibus sumpta, quum pullos vnà cum matribus rapiunt aucupes, totúmque nidum euacuant.

13 *Et accepit de his quæ ad manum.* Quòd muneribus placare fratrem studet, non facit diffidentia, quasi Dei præsidio se tutum fore dubitet. Hoc quidem inter homines nimis commune est vitium, vt Deum precati, se huc & illuc circumagãt, sibíque vana subsidia comminiscantur: quum hic præcipuus sit orationis fructus, in silentio & quiete expectare Dominum. Sed aliud propositum fuit sancto viro, quàm satagere, & tumultuari: quasi vnico Dei auxilio contentus non foret. Quãuis enim certo persuasus sit, hoc vnum sibi sufficere, quòd Deum habet propitium, non tamen omittit quæ in manu sunt media, successum in manu Dei reponens. Etsi enim precando curas nostras reiicimus in Deum, vt pacatis simus ac tranquillis animis, non tamen hæc securitas ignauos reddere nos debet. Nam Dominus quæcunque nobis adminicula porrigit, vult in vsum aptari. Multum verò à turbulẽtis mundi studiis differt hæc piorum sedulitas: quia mundus à Dei benedictione industriam suam separans, quid rectum sit, vel liceat non expendit: deinde semper trepidat, & satagendo inquietudinem suam magis ac magis solicitat: Pii autẽ non aliunde laboris sui profectũ sperantes, quàm ex Dei misericordia, mentem suam quærendis mediis tantum ideo applicant, ne suo torpore sepeliant Dei dona: defuncti suo officio, pendent ab eadem Dei gratia: mediis verò destituti, nihilominus quiescunt.

14 *Capras ducentas.* Hinc perspicimus quanti promissionem sibi datam æstimauerit Iacob, dum tantam rerum suarum iacturam facere non recusat. Scimus quæ magno sudore, ac molestiis parta sunt, in maiori haberi pretio. Itaq; vtplurimũ magis restricti sunt ac tenaces, qui suo labore ditati sunt. Hæc verò etiam ex magnis opibus nõ leuis fuit diminutio: quadraginta vaccas, triginta camelos cum pullis, tauros viginti, & totidem asinas cum pullis, capras ducentas, & totidem oues, cum viginti arietibus, & totidem hircis dare. Atqui libẽter hanc sibi mulctam injungit Iacob, vt securum in patriam reditum comparet. Certè non difficile fuisset angulum a-

quem reperire, vbi rebus integris degeret: nec minus cõmoda alibi fuisset habitatio. Sed ne perdat promissionis fructum, tanto pretio quietum in terra Chanaan hospitium à fratre suo redimit. Pudenda est igitur nostra mollities & tarditas, qui pedem malignè reducimus à recto vocationis nostræ cursu simulatque aliquid perdendum est. Clara & sonora voce mandat Dominus quidnam agere nos velit: sed quia aliis molestum est sarcinas colligere, torpidi iacent: alios deliciæ retinent: alios impediunt vel diuitiæ, vel honores: denique pauci sequuntur Deum, quia vix centesimus quisque diminui sustinet. Quòd distinguit spatia inter nuntios, & alios aliis diuerso tempore submittit, hoc facit vt paulatim mitiget fratris ferociã: vnde iterum colligimus, non ita perculsum fuisse metu, quin sua negotia prudenter disponeret.

22 *Et surrexit nocte ipsa.* Postquam Dominum precatus est, rebúsque suis consuluit, iam sumpta fiducia se committit periculo. Quo exemplo docentur Fideles, quoties instat discrimen aliquod, hunc tenendum esse ordinem: primò vt ad Dominum rectà confugiant: deinde vt accommodent in præsentem vsum quæcunque se offerunt media: tertiò vt ad quemlibet euentum parati, intrepidè pergant quocũque Dominus præcipit. Sic Iacob, ne in ipso articulo deficiat, trãsitum non formidat, quem cernit plenum esse periculi, sed velut clausis oculis cursum suũ prosequitur. Ergo eius exemplo in rebus perplexis superanda est anxietas, ne ab officio nos prohibeat, vel moretur. Solus manet, præmissis vxoribus, ac liberis: non vt audita illorum clade effugiat, sed quia solitudo ad precandum erat aptior. Neque enim dubium est quin vltima quæque metuens, totus inuocandi Dei ardore correptus fuerit.

24 *Et luctatus est vir cum eo.* Quanquam hæc visio priuatim ipsi Iacob apprimè vtilis fuit, vt præsciret multa sibi adhuc restare certamina, & se omnium fore victorem certò statueret: minimè tamen dubium est quin Dominus in eius persona cõmune suis omnibus tentationum, quæ ipsos manent, & assiduè in hac caduca vita subeundæ sunt, specimen exhibuerit. Quare huc visionis finem tenere cõuenit, omnes Dei seruos in hoc mundo esse velut athletas: quia Dominus eos variis luctarum generibus exercet. Porrò non dicitur vel Satan, vel mortalis quispiam homo cum Iacob luctatus esse, sed ipse Deus: vt sciamus ab ipso probari fidem nostram: & quoties tentamur, verè nobis esse cum eo negotium: non tantum quia militamus sub eius auspiciis: sed tanquam antagonista nobiscum in arenam descendit, vt vires nostras exploret. Hoc quanquam prima specie absurdum videtur, experientia tamen, & ratio verum esse docet. Nam sicuti ex eius gratia prosperi omnes successus manant: ita res aduersæ vel ferulæ sunt, quibus peccata nostra castigat: vel fidei ac patientiæ documenta. Quum autem nullum sit tentationis genus quo non examinet Dominus suos Fideles, aptè congruit similitudo, quòd velut consertis manibus congreditur ad luctam. Ergo quod sub visibili forma semel demonstratum fuit patri nostro Iacob, quotidie in singulis Ecclesiæ membris impletur, vt cum Deo luctari in tentationibus necesse habeant. Alio quidem modo tentare nos dicitur quàm Satan: sed quia solus ipse crucis & afflictionum author est: lucémque & tenebras, sicut apud Iesaiam dicitur, solus creat: tentare dicitur, quatenus probationem fidei nostræ sumit. Sed iam quæritur, quisnam contra talem antagonistam subsistere queat, cuius solo flatu disperit, & euanescit omnis caro, cuius aspectu liquescunt montes, cuius voce vel nutu concutitur totus mundus. Itaque vel minimum certamen cum eo tentare, insana esset temeritas. Verùm huius nodi facilis solutio est. Neque enim aduersus eum pugnamus, nisi & eius virtute, & armis. nos enim ad luctam prouocans, simul ad resistendum instruit, vt contra nos, & pro nobis pugnet. Denique talis est huius luctæ partitio, vt nos vna manu aggrediens, altera defendat: imò quia plus roboris suppeditat nobis ad resistendum, quàm in nobis oppugnãdis explicet, appositè & propriè dicemus sinistra manu ipsum contra nos luctari, dextera autem pro nobis. Nam leuiter nos oppugnans, vires inuictas suppeditat quibus superiores simus. Ipse quidem apud se integer manet: sed aliter exprimi non potest duplex illa ratio qua nobiscum agit, quòd humana virga nos percutiens, non exerit plenas vires in tentatione: fidei verò nostræ concedens victoriam, seipso in nobis fortior est. Quanquam autem istæ loquendi formæ asperæ sunt, durities tamen facile mitigabitur vbi ventum fuerit ad praxin. Nam si tentationes sunt certamina: scimus autem non esse fortuitas, sed diuinitus nobis iniungi: hinc sequitur Deum agere antagonistæ personam: vnde reliqua dependent, quòd scilicet in ipsa tentatione infirmus apparet contra nos, vt vincat in nobis. Quidam hoc ad vnam tentationum speciem restringunt, vbi Deus palàm & quasi ex professo aduersarium ostendit, quasi in exitium nostrum armatus. Et certè à vulgaribus luctis differre illam fateor: & præ aliis eximiũ & quasi heroicũ robur postulare. Ego tamen libenter omnegenus certamina complector quibus suos Fideles Deus exercet: quãdoquidem in omnibus Deũ habent antagonistã, licet non semper se illis infensum apertè clamet. Quòd virũ nominat Moses, quẽ paulo pòst Deum fuisse testatur, locutio est satis trita. Quia enim sub hominis specie apparuit Deus, inde nomen

Esa. 45. 4. 7

mutuatur:ſicuti propter viſibile ſymbolum,Spiritus vocatur columba: & viciſſim nomẽ Spiritus tranſfertur ad columbam. Quòd autem nõ citius exhibita fuit hæc viſio ſancto viro, hac ratione factum eſſe interpretor,quòd Deus ipſum tanquam robuſtum,& bellandi peritum militem ad duriores pugnas vocare ſtatuerat. Sicuti enim tyronibus parcitur,nec ſtatim trahuntur iuuenci ad aratrum:ita mollius ſuos Dominus exercet, donec viribus collectis magis obdurucrint.Ergo Iacob ferendis ærumnis aſſuefactus,nũc ad ſeriam militiam producitur. Forte etiam Dominus ad certamen reſpexit quod tũc inſtabat. Sed ego in ipſo terræ promiſſæ ingreſſu admonitum fuiſſe arbitror,non eſſe cur tranquillam vitam ſibi deinde ſperaret. Poterat enim reditus in patriam videri quædam miſſionis ſpecies:ita Iacob inſtar emeriti militis,ad quietem ſe dediſſet. Quare pluſquam vtile ei fuit doceri,qualis eum maneret conditio.Nos quoque in eius perſona docemur,toto vitæ curſu bellandum eſſe: nequis ſibi quietem promittens,vltrò ſe decipiat. Atque hæc admonitio valde neceſſaria nobis eſt. Videmus enim quàm procliues ad deſidiam ſimus. Vnde fit vt nõ ſolum inducias in continuo bello,ſed in medio cõflictu pacem imaginemur,niſi nos Dominus excitet.

25 *Et uidit quòd non præualeret ei.* Hîc nobis deſcribitur victoria Iacob,quam tamen non ſine vulnere adeptus eſt.Quòd dicitur Angelus,vel Deus luctator velle ex arena diſcedere,quia ſe non fore victorem videt:more humano loquitur Moſes. Scimus enim vt Deus è ſua maieſtate ad nos deſcendens,quæ propria ſunt hominum,in ſe tranſferre ſoleat. Nouerat certè Dominus pugnæ euentum, antequam in arenã deſcenderet: imò iam ſtatuerat quid facturus eſſet. verũ eius cognitio pro ipſa rei experientia ponitur. *Tetigit palam.* Quanquam victoria potitur Iacob: percutit tamen eum Angelus in femore,vnde illi vſque ad vitæ finem durat claudicatio. Etſi autem nocturna viſio fuit,Dominus tamen extare veſtigiũ illud diebus omnibus voluit,vnde pateret inane nõ fuiſſe ſomniũ. Porrò hoc ſigno piis omnibus oſtẽſum eſt, quomodo in tentationibus emergãt victores:nempe ſic vt interim lædantur,ac vulnerentur.Scimus enim Dei virtutem in noſtra infirmitate perfici, vt gloriatio noſtra cum humilitate coniuncta ſit. nam ſi ſtarent nobis integræ vires, nulláque eſſet ex certamine læſio,vel luxatio, ſtatim caro inſoleſcerer, & obliuiſceremur Dei auxilio nos viciſſe.Acceptum autem vulnus,& quæ inde ſequitur debilitas,ad modeſtiam nos cogit.

26 *Dimitte me.* Deus victoriæ laudem ſeruo ſuo concedit,& diſcedere paratus eſt tanquam virtute impar:non quòd inducias petere opus habeat, cuius partes ſunt inducias, vel pacem dare, quoties ita placuit:ſed vt gloriari poſſit Iacob de gratia ſibi collata. Mirabilis triumphandi ratio:vbi Dominus, cuius virtuti tota laus in ſolidum debetur: infirmum tamen homũcionem quaſi victorem vult excellere, & cum inſigni elogio in ſublime attollit. Simul commendat infractam tolerantiam Iacob, quòd longo duróque conflictu perfunctus, ſtrenuè tamen pergat.Et certè hic legitimus eſt certandi modus,ne fatigemur donec vltrò Dominus recedat. Petere quidem licet vt conſulat noſtræ infirmitati, & pro ſua paterna indulgentia teneris ac debilibus parcat.Sub onere etiam licet gemere,& exitum optare certaminum: interea tamen cauendum eſt ne laſſitudine molleſcant animi,vel ſaltem ne deficiãt.quin potius danda opera, vt collectis animis & viribus, indefeſſi in lucta perſtemus. Ratio quam aſſignat Angelus, quòd *exorta iam ſit aurora*, huc tendit, vt ſciat Iacob nocturna viſione ſe diuinitus fuiſſe edoctum. *Non dimittam te niſi.* Hinc apparet à ſancto viro tandem cognitum fuiſſe antagoniſtam.neque enim hæc vulgaris precatio eſt, quòd benedici poſtulat.Qui inferior eſt,à maiore benedicitur: ideo vnius Dei propriũ eſt nos benedicere.Nec verò ipſum Iacob benedixerat pater, niſi cæleſti mandato,quaſi Dei perſonam ſuſtinens.Tale etiam munus Sacerdotibus erat impoſitum ſub Lege, vt tanquam diuinæ gratiæ miniſtri & interpretes, populo benedicerent. Cognouit ergo Iacob athletam illum, quocum pugnauerat, Deum eſſe: quia benedictionem ab eo petit, quam ab homine mortali ſimpliciter petere non licebat. Sic meo iudicio intelligi debet Oſeæ locus capite duodecimo,a.3,Inualuit Iacób præ Angelo, & roboratus eſt, fleuit & rogauit eum. Significat enim Propheta, poſtquã victor euaſerat Iahacób, ſupplicé tamé fuiſſe Deo,& cũ lachrymis precatum.Cæterùm docet hic locus ſemper nobis expetendam eſſe Dei benedictionem, quãuis vſque ad membrorum luxationem, duram & grauem eius præſentiam experti ſimus. Nam filiis Dei longè præſtat, mutilos & ſemifractos à Deo benedici,quàm pacem in qua torpeſcant,appetere:vel ſubducere ſe à Dei conſpectu,vt ipſo valere iuſſo,cum impiis laſciuiant.

Hebr.7.b.7.

Numer.6.d.23.

28 *Non Iahacob dicetur ultrà nomen tuum.* Iacob ab vtero nomen adeptus erat,ſicuti vidimus: quia fratrem ſuum arrepta planta pedis conatus fuerat retinere. Nunc Deus nouo eum nomine, & magis heroico inſignit:non vt alterum illud prorſus aboleat,quod ſymbolum erat memorabilis gratiæ: ſed vt altiorẽ gratiæ ſuæ progreſſum teſtetur. Ex duobus ergo nominibus, priori ſecũdum tanquã magis honorificũ præfertur. Nomen à verbo שרה ſiue שור deducitur,quod do-

minari significat,acsi Princeps Dei vocatus foret. Nam paulo antè admonui Deum fortitudinis suæ laudem transferre in Iacob,vt in eius persona triumphet.Expositio nominis quæ continuo pòst annectitur, sic habet ad verbum apud Mosen, Quia dominatus es cum Deo, vel erga Deum,& erga homines,& prævalebis.Sensus tamen ab Hieronymo fideliter redditus esse videtur,quòd si Iacob se heroicè gessit cum Deo,multo magis superior futurus sit hominibus.Nam certe consilium Dei fuit, seruum suum tam insignis victoriæ fiducia instructum,ad varias pugnas dimittere,ne in posterum vacillaret.Non enim hominum more nomen imponit, sed rem ipsam simul confert,vt certò respondeat euentus.

29 *Indica quæso nomen tuum.* Videtur hoc pugnare cum superiore doctrina.Nuper enim dixi, quum Iacob benedictionem peteret, signum hoc fuisse submissionis. Cur ergo nunc tanquam animi dubius,de eo inquirit quẽ prius Deũ confessus est? Sed facilis est solutio. Quanquã enim Deũ agnoscat Iacob, obscura tamen & humili notitia non contentus, altius conscẽdere optat. Nec mirũ est,si sanctus vir in hoc votũ prorũpat,cui se Deus patefecerat sub multis inuolucris, vt nondum familiaris esset,nec liquida cognitio: imò certum est tali desiderio flagrasse sanctos omnes sub Lege.Talis etiam Manue precatio legitur Iudicũ 13.c.18 Cui eadem adiungitur Dei respõsio,nisi quòd illic Dominus nomen suũ pronũtiat mirificum esse, & arcanum,ne vlterius instet Manue.Sũma igitur hæc est,quòd Dominus,licet piũ sit votũ Iacob,nõ obtemperat,quia nondum maturũ erat tẽpus plenæ reuelationis. Nam Patres initiò oportuit in exigua auroræ luce ambulare:& Dominus gradatim se illis patefecit:donec tandẽ exortus est Sol iustitiæ Christus,in quo perfectus apparet fulgor. Hæc ratio est cur se magis conspicuũ exhibuerit Mosi,cui tamen datũ non est,illius gloriã conspicere nisi à tergo.Sed quia inter Patriarchas,& Apostolos medius erat,Deum,qui Patribus abscõditus fuerat,facie ad faciem vidisse præ illis dicitur. Iam quum ad nos propius accesserit Deus,nimis impia est,ac detestãda nostra ingratitudo, nisi ardẽti studio tantæ gratiæ obuiam currimus,quemadmodũ etiam Petrus admonet primo capite prioris Epistolæ. Notandum est,quanuis piè expetat Iacob Deum plenius cognoscere: quia tamen vltra suæ ætatis metas prouehitur,repulsam pati.Nam Dominus ansam eius cupiditati præcidens,in sua benedictione acquiescere ipsum iubet.Quòd si sancto viro negata fuit mediocris claritas,quam nunc adepti sumus:minimè tolerabilis erit nostra curiositas,si vltra præscriptam à Deo mensuram perrumpat.

Exod.33.d.23

Exod.33.c.11

30 *Et uocauit Iahacob nomen loci.* Laudatur iterum gratitudo Patris nostri Iacob,quòd sedulò curauerit ne vnquam intercideret memoria gratiæ Dei. Monumentum ergo posteris relinquit,vnde cognoscant Deum illic apparuisse:sicuti etiam nõ erat priuata visio,sed ad totam Ecclesiam spectabat. Porrò non tantum prædicat Iacob se Dei faciem vidisse,sed simul gratias agit quòd *à morte fuerit ereptus*. Hæc locutio frequenter occurrit in Scriptura, ac trita fuit in veteri populo.Nec verò ratione caret:nam si à Dei conspectu contremiscit terra,liquefiunt montes,caligo cælis obducitur,quid miseris hominibus accidere necesse est? Imò quum ne ab Angelis quidem capi possit immensa Dei maiestas, quin eos potius absorbeat, simul ac nobis affulserit eius gloria, totos euanescere, ac in nihilum redigi necesse erit, nisi nos sustentet, ac protegat. Quandiu præsentem non sentimus Deum, superbè nobis placemus. Atque hæc imaginaria est vita,quam stultè sibi arrogat caro,vbi deorsum inclinat. Fideles autem, dum se illis Deus ostendit,quolibet fumo se magis euanidos esse sentiunt. Denique vt cõfusa iaceat carnis superbia,ad Deum venire necesse est.Sic fatetur Iacob singulari Dei indulgentia factum esse vt liberatus sit ab interitu,vbi Deum conspexit.Quæritur tamen,quum tenuem duntaxat gustũ perceperit gloriæ Dei,cur iactet se ipsum vidisse facie ad faciem. Respondeo,nihil esse absurdi quòd Iacob visionem hanc magnificè præ aliis celebrat,in quibus non ita palàm apparuerat illi Dominus.Et tamen si comparetur cum splendore Euangelii,imò etiam Legis,erit instar scintillæ, vel obscuri radii.Simplex ergo sensus est,quòd Deum insolito,& extraordinario modo viderit.Iam si Iacob tantopere exultat, sibíque gratulatur in illa tenui notitiæ mensura, quid nobis hodie agendum est, quibus Christus viua dei imago per Euangelii speculum ante oculos versatur? Discamus ergo oculos aperire,ne in meridie cæcutiamus:sicuti nos Paulus hortatur,secundæ ad Corinth.capite 3,& 4.

31 *Et claudicabat.* Probabile est,ac colligere etiam licet ex verbis Mosis,claudicationem fuisse absque doloris sensu,vt clarius pateret miraculum.Nam Deus in carne serui sui spectaculum exhibuit omnibus seculis, ex quo discerent Fideles neminem tam robustum esse athletam, qui non ex lucta spirituali plagam aliquam referat: quia in omnibus semper hæret infirmitas, nequis vltra modum sibi placeat. Quòd recitat Moses Iudæos abstinuisse à neruo fracto,vel parte illa coxendicis, superstitione factum non est. Scimus enim illud seculum fuisse Ecclesiæ pueritiam.Quare Dominus fideles,qui tunc vixerunt,sub pædagogia continuit. Nunc quanuis post

Christi aduentum liberior sit nostra conditio, vigere apud nos debet eius rei memoria, in qua Deus veterem populum sub externo ritu exercuit.

Cap. XXXIII.

1 ET leuauit Iahacób oculos suos, & vidit,& ecce Esau veniebat, & cum eo erant quadringenti viri:& diuisit liberos cũ Leáh & cum Rachel,& cum ambabus ancillis.

2 Et posuit ancillas & liberos earum prius, & Leáh & liberos eius posteriores, Rachél autem & Ioseph postremos.

3 Et ipse transiuit ante eos,& incuruauit se super terram septem vicibus,donec appropinquaret fratri suo.

4 Et cucurrit Hesaú in occursum eius,& complexus est eum,& iactauit se super collum eius,& osculatus est eum,& fleuerunt.

5 Et leuauit oculos suos,& vidit vxores & liberos,& dixit, Qui isti tibi? Et dixit,Liberi *sunt* quos donauit Deus seruo tuo.

6 Et appropinquauerunt ancillæ ipsæ,& liberi earum,& incuruauerunt se.

7 Et appropinquauit etiam Leáh, & liberi eius,& incuruauerunt se: & subinde appropinquauit Ioséph & Rachél, & incuruauerunt se.

8 Et dixit,Qui isti,tuáne omnis turma illa quam obuiam habui? Et dixit,Vt inuenirem gratiam in oculis domini mei.

9 Et dixit Hesaú,Est mihi multum frater mi, sit tuum quod tuum est.

10 Et ait Iahacób,Ne quæso:si nũc inueni gratiam in oculis tuis,accipe munus meum è manu mea:quia idcirco vidi faciem tuam acsi viderem faciem Angeli:& propitius eris erga me.

11 Cape quæso benedictionẽ meã quæ allata est tibi: quia donauit mihi Deus, & quia sunt mihi omnia.& coegit eum,& accepit.

12 Et dixit,Proficiscamur,& ambulemus,& ambulabo ante te.

13 Et dixit ad eum,Dominus meus scit quòd pueri teneri sunt:& pecudes,& boues fœtæ sunt mihi:& *si* pulsauerint eas die vna,morientur omnes pecudes.

14 Transeat quæso dominus meus ante seruum suum,& ego ducam me pedetẽtim ad pedem gregis qui est ante me,& ad pedem puerorum, donec veniam ad dominum meum in Sehir.

15 Et dixit Hesaú,Stare faciam nunc tecum de populo qui est mecum. Et dixit, Vtquid hoc:inueniam gratiam in oculis domini mei.

16 Et reuersus est in die ipsa Hesaú per viam suam in Sehir.

17 Et Iahacób profectus est in Suchóth,& ædificauit sibi domum,& pecudibus suis fecit tabernacula:idcirco vocauit nomen loci Suchóth.

18 Et venit Iahacób incolumis in ciuitatem Sechém quæ erat in terra Chenáan, quando venit ipse de Padán Arám,& mansit ante vrbem.

19 Et emit partem agri,in quo tetendit tabernaculum suum,de manu filiorum Hamór patris Sechém,centum nummis.

20 Et statuit ibi altare:& vocauit illud,Fortis Deus Israel.

1 *Et leuauit Iahacob oculos suos.* Diximus quantum sibi à fratre metueret Iacob:nunc verò quum appropinquat ipse Esau,nõ solùm renouatur,sed etiam crescit terror.Nam etsi cordatus animosúsque athleta descendit in hoc certamen, nõ tamen eximitur à periculi sensu. quo fit vt neque anxietate & metu vacuus sit. Viro enim crudeli manebat semper eadem odii causa. Nec probabile erat, ex quo digressus à domo patris viuebat suo ingenio,mitiorẽ esse redditum. Ergo vt in re dubia,magnóque discrimine,ea serie distinguit liberos & vxores,ne totũ semẽ intereat,siquid hostile tentet Esau,sed pars habeat fugiendi tempus. Vnũ hoc præposterè videtur ab

eo fieri,quòd Rachelem,eiúſque filiũ Ioſeph aliis omnibus præfert, quũ in Iuda emineat benedictionis caput. Sed de Iuda excuſatio in promptu eſt,quòd nõdum patefactũ fuerat oraculum,cuius paulo ante mortem certior factus eſt,vt ſimul fieret teſtis ac præco.interim negandum non eſt quin amori Rachelis nimium indulgeat. Hoc quidem præclaræ virtutis eſt, quòd ſemen aliquod ſeruare cupiens,turmas anteit,vt ſe quaſi victimam offerat,ſi ita opus ſit & exigat neceſſitas.Neque enim dubiũ eſt quin Dei promiſſio magiſtra illi, ac directrix fuerit ad hoc cõſilium. nec verò poterat,niſi cæleſtis vitæ fiducia erectus,tam fortiter ad mortẽ occurrere. Accidit quidem interdum,vt pater ſui oblitus,vitam exponat periculo pro filiis: ſed alia fuit ratio ſancti Iacob, cuius animo penitus infixa erat promiſſio Dei, vt neglecta terra in cælum ſuſpiceret. Sed quum Dei verbũ ſequatur,affectu tamen carnis paululum à recta via deflectit.Neque enim ſanctis patribus tam pura omni ex parte cõſtitit fides,quin huc vel illuc deflexerint.Cæterùm præualuit ſemper Spiritus,ne eos à ſcopo abduceret carnis infirmitas,ſed curſum ſuũ teneret.Quo magis quiſque noſtrũ ſuſpectus ſibi eſſe debet,ne ideo purũ ſe omni ex parte eſſe putet,quia in animo habet rectè agere.nam ſancto propoſito ſubinde caro ſe admiſcet,obrepúntque multa vitia,& corruptelæ.Deus autem benignè nobiſcum agit,vt eiuſmodi vitia non imputet.

3 *Et incurvavit ſe ſuper terrã ſeptem vicibus.* Id quidem potuit facere honoris cauſa. Scimus enim Orientales populos longè pluribus cæremoniis deditos fuiſſe,quàm quæ apud nos ſunt invſu. Mihi tamen magis probabile eſt,non ſimpliciter exhibitum fuiſſe fratri hunc honorem:ſed Iacob Deum adoraſſe,partim vt gratias ageret,partim vt haberet fratrem propitiũ.Dicitur enim ſepties adoraſſe priuſquam accederet.ergo priuſquamveniret in fratris conſpectũ,iam primum reuerentiæ,vel cultus ſignũ dederat. Vnde coniicere licet quod dixi,non homin,ſed Deo tributũ fuiſſe hũc honorem.Neque tamen hoc obſtat quin ſupplex ad fratrem acceſſerit,vt ſua humilitate manſuefaceret eius ferociã. Siquis obiiciat,hoc modo ius primogenituræ ab eo fuiſſe diminutũ:Reſponſio facilis eſt,fidei oculis ſanctum virum altius ſpectaſſe.ſciebat enim benedictionis effectum in maturum tempus differri,ideóque nunc eſſe inſtar ſeminis ſub terra putrefacti. Quãuis itaque patrimonio ſpolietur, & contemptibilis ad fratris pedes iaceat:quia tamen ſaluã primogenituram ſibi manere nouit, hoc occulto iure contentus, honores & diuitias pro nihilo habet,neque refugit in præſentia cenſeri fratre inferior.

4 *Et cucurrit Heſau in occurſum eius.* Quòd Eſau præter ſpẽ beneuolus,& amicus fratri occurrit,ſingulari Dei gratia factum eſt. itaque hoc modo probauit Deus ſe hominum corda habere in manu,vt duritiem quoties viſum eſt molliat,ac ſæuitiã mitiget:denique non ſecus cicuret eos ac domari ſolent feræ beſtiæ:deinde ſe exaudiſſe preces ſerui ſui Iacob. Quare ſiquando nos terrent hoſtiũ minæ,ad hanc ſacram anchorã cõfugere diſcamus. Variè quidẽ operatur Deus,nec ſemper crudeles animos ad humanitatem inflectit,ſed dum ebulliũt,vi ſua cõpeſcit, nequid noceant. Verùm ſi ita expediet,nõ aliter eos nobis placabit,quàm hîc videmus placatum Eſau fuiſſe fratri ſuo Iacob. Fieri etiam poteſt vt ſæuitia intus clauſa,præualuerit tẽporalis humanitatis ſenſus.Qualiter videmus AEgyptios momẽto coactos fuiſſe ad humanitatẽ,quãuis nihilo meliores eſſent redditi, ſicuti teſtis eſt quæ paulo pòſt emergit rabies: ita credibile eſt malitiã Eſau nũc fuiſſe quaſi conſtrictam, neque id modò,ſed diuinitus tactũ fuiſſe eius animum, vt fraternũ affectum indueret. Nam in reprobis quoque viget naturæ ordo à Deo ſancitus,nõ æquabili quidem tenore, ſed quatenus vincti tenẽtur,ne omnia cædibus miſceant, ídque ad generis humani conſeruationem valde neceſſarium eſt. Pauci enim regũtur adoptionis Spiritu,vt mutuã inter ſe charitatem tanquã fratres ſincerè colãt. Quòd igitur ſibi viciſſim parcunt,nec furioſe ruunt alii in aliorum perniciem,nõ aliunde accidit quàm arcana Dei prouidentia,quæ ad tuendũ humanum genus inuigilat. Atqui Deo magis pretioſa eſt Fidelium ſuorũ vita,ſicuti peculiari eos cura dignatur.Quare nihil mirum,ſi in gratiam ſerui ſui Iacob truculentum animum Eſau ad manſuetudinem compoſuerit.

5 *Et leuavit oculos ſuos.* Narrat Moſes colloquium inter fratres habitũ. Sicuti autẽ lachrymis & amplexu teſtatꝰ fuerat Eſau fraternũ affectum:ita minimè dubiũ eſt quin de liberis gratulãdi animo inquirat. Reſponſio Iacob tam pietatem,quã modeſtiã ſpirat. nam quũ reſpõdet datam ſibi eſſe à Deo tã copioſam ſobolẽ,agnoſcit & fatetur nõ ita liberos naturaliter gigni,quin ſemper verũ ſit illud,mercedẽ,vel munus Dei eſſe fructum vẽtris.Et certè quũ brutorum animaliũ fœcũditas Dei ſit donũ,quãto magis hoc in hominibꝰ locũ habet,qui creantur ad eius imaginẽ? diſcãt igitur patres ſingularẽ Dei gratiã expẽdere in ſua ſobole,ac celebrare.Modeſtiæ eſt,quòd ſe nominat Iacob fratris ſui ſeruũ. Vbi iterũ memoria repetere cõuenit quod nuper attigi, ſanctum virũ in primogenitura nihil terreni cõmodi,vel honoris captaſſe,quòd illi abũdè ſufficeret arcana Dei gratia vſque ad tẽpus manifeſtationis. Ac nos quoque eius exemplo,quandiu in terra peregrinamur,ab ore Domini pẽdere decet, ne moleſtum ſit nobis ſub vmbra mortis teneri nos incluſos, donec vita noſtra manifeſtetur. Nam etſi in ſpeciem miſera eſt, ac maledicta

noſtra conditio, Dominus tamen verbo ſuo nobis benedicit: atque hoc vno nomine fœlices pronuntiat, quia nos habet pro filiis.

6 *Et appropinquauerunt ancillæ.* Relicta patria vxores Iacob in longinquam regionem quaſi exules venerant. Nunc primo ingreſſu, mortis terror illis obiicitur: & quum ſe proſternunt corã Eſau, neſciunt an adorent ſuum carnificem. Hæc tentatio valde illis acerba fuit, ac duriter cruciauit ſancti viri animum: ſed ita oportuit probari eius obedientiam, vt nobis omnibus exemplo foret. Cæterum hîc nobis illuſtre ſpeculum proponit Spiritus ſanctus, in quo cõtemplemur Eccleſiæ formam qualis in mundo apparet. Etſi enim multa Diuini fauoris ſigna extãt in familia Iacob, adeò tamen nulla illic eſt conſpicua dignitas, vt coram homine profano cum indigno contemptu iaceat. Ipſe quoque Iacob præclarè ſecum agi putat, ſi in ea terra, cuius erat hæres ac dominus, quaſi precario habitare per fratrem liceat. Ergo patienter feramus ſi hodie quoque Eccleſiæ gloria ſordido velamine obtecta, ludibrio ſit impiis.

8 *Qui iſti, tuâne omnis turba, &c.* Non interrogat quaſi prorſus ignarus, vtpote qui audierat ex ſeruis dono ſibi miſſos eſſe boues, & camelos, & aſinos, ac reliquum pecus: ſed vt munus ſibi oblatum recuſet. nã vbi aliquid nobis non placet, ſolemus quaſi de re incognita ſciſcitari. Inſtat tamẽ Iacob, nec finẽ rogandi facit, donec impetret vt recipiat frater. hoc enim quaſi pignus erat reconciliati animi. Porrò vt perſuadeat fratri, teſtatur hoc ſibi fore magni beneficii loco, ſi ille nõ recuſet accipere quod datur. Neque enim libenter accipimus, niſi quod certò ſcimus liberaliter, & hilari animo nobis offerri. Quia autem fieri non poteſt vt ornemus ex animo, niſi quos diligimus: dicit Iacob ſe non aliter lætatum eſſe fratris conſpectu, quàm ſi Deum, vel Angelum vidiſſet. quibus verbis ſignificat non modò ſe verè amare fratrem, ſed etiam in pretio habere. Sed videtur Deo facere iniuriam, quem reprobo homini comparat. Deinde videtur mentiri: quia ſi data fuiſſet optio, nihil magis optaſſet, quàm vitare fratris occurſum. Vtriuſque nodi facilis eſt ſolutio. trita Hebræis eſt loquendi forma, Diuinum vocare quicquid excellit. Et certè Eſau ſic mutatus, non obſcura erat gratiæ Dei imago: vt meritò dixerit Iacob in illa amica & fraterna receptione ſe perinde exhilaratum, acſi Deum, vel Angelum vidiſſet, hoc eſt acſi Deus ſignum aliquod dediſſet ſuæ præſentiæ. Nec verò fictè loquitur, vel aliud ſimulat, quàm habet in animo. Ipſe enim omni odio vacuus & purus, in præcipuis votis habebat, quibuſcunque poſſet offi ciis erga fratrem defungi, modò viciſſim ille fratrem ſe præſtaret.

10 *Accipe munus meum è manu mea.* Poteſt nomen hoc tam paſſiuè, quàm actiuè ſumi. Si actiuè accipias, ſenſus erit, Accipe munus, quo meam erga te beneuolẽtiam teſtari volui. Si paſſiuè exponas, ad Deũ referetur: acſi dixiſſet Iacob, Quæ Dominus mihi per gratiam ſuam contulit, ego tecũ liberaliter communico, vt Diuinæ quam percepi benedictionis mecum aliqua ex parte ſis conſors. Cæterùm vt in voce non inſiſtamus, continuò pòſt clarè profitetur Iacob, quicquid poſſidet, non eſſe fructum laboris ſui, vel induſtriæ, ſed acceptum ſe referre gratiæ Dei: & hac ratione fratrem adducere conatur ad recipiendum munus: acſi dixiſſet, Dominus eam in me copiam effudit, cuius pars aliqua ſine meo damno ad te exuberet. Quãquam autem præſentis circunſtantiæ intuitu ſic loquitur Iacob: eſt tamen ingenua confeſſio, qua celebrat Dei gratiam. Perſonant quidem eadem ferè verba in omnium linguis: ſed pauci ſunt qui verè adſcribãt Deo quod habent. ſacrificat enim maior pars ſuæ induſtriæ: vix centeſimus quiſque perſuaſum habet, fluere quicquid eſt bonorũ ex gratuito fauore Dei. & tamen natura hic nobis inſculptus eſt ſenſus, ſed eum ingratitudine noſtra delemus. Suprà viſum eſt quàm laborioſa fuiſſet vita Iacob: tamen perpeſſus ingentes moleſtias, ſolam Dei miſericordiam celebrat.

12 *Proficiſcamur.* Quanquam Eſau ad beneuolentiam propenſus eſt, diffidit tamen Iacob: nõ quòd timeat inſidias, vel quòd putet ſub amicitiæ prætextu latere perfidiam: ſed vt præcaueat nouas offenſas. ſuperbus enim, & ferox homo, rurſus leuibus de cauſis exulcerari poterat. Quanquam autem nõ defuit ſancto viro iuſta ratio timendi, non audeo tamen negare quin modum exceſſerit eius anxietas. Suſpecta illi erat liberalitas Eſau: ſed cur non ſentit Deum ſtare medium, quem iam clara certáque experiẽtia pro ſua ſalute excubare didicerat? Vnde enim tam incredibilis mutatio animi in Eſau, niſi quòd diuinitus ex lupo conuerſus fuerat in ouem? Diſcamus igitur hoc exemplo curas noſtras frænare: ne vbi Deus nobis proſpexit, trepidemus quaſi in rebus dubiis.

13 *Dominus meus nouit.* Vera quidem ſunt quæ excuſandi cauſa obtendit Iacob: non tamen ſine mendacio hos colores inducit: niſi fortè quia nolebat grauis ac moleſtus eſſe fratri. Sed quum aliò poſtea conuertat iter, apparet aliud finxiſſe quàm habebat in animo. Dicit ſe trahere multa impedimenta, ideò fratrem iubet præcedere, *Ego*, inquit, *ducam me ad pedem puerorum*, hoc eſt lẽtè progrediar, quoad feret puerorum inceſſus: ita commodè ſubſequar, donec ad te perueniam in Seir. His verbis promittit quod facturus nõ erat. nam relicto fratre, in diuerſum locum profectus eſt,

Atqui Deo magis pretiosa est veritas,quàm vt nobis permittat etiã sine noxa mẽtiri, vel fallere. Ideo cauendũ est, vbi timor aliquis periculi mẽtes nostras occupat,ne ad hæc effugia declinent.

17 *Et Iabacob profectus est in Suchoth.* In voce Suchoth Moses paulo pòst prolepsin esse ostendit. Credibile autem est Iacob illic per aliquot dies quieuisse,vt familiam, & gregem à lõgæ viæ lassitudine reficeret. nam ad eum vsque locum nulla contigerat tranquilla statio. Et ideo tabernacula vocauit locum illũ,quia nusquam hactenus pedem figere ausus fuerat.Quãuis enim pluribus aliis locis fixerit tabernacula, in hoc tamen loco Diuinæ gratiæ memoriã signauit, quòd nunc demum in aliquo hospitio manere datum esset.Quia autem habitationi non erat commodus locus,vltrà perrexit Iacob,donecveniret in Sichem. Iam quum vrbs recens haberet nomen à filio Hemor,pristina etiam appellatione notatur. nam ego interpretibus subscribo,qui Salem proprium nomen esse putant. Quanquam non contendo siquis diuersam sententiam malit sequi, Iacob incolumẽ venisse in Sichem. Cæterùm vtcunque vocata fuerit hæc vrbs Salem, notandum tamen est, aliam fuisse ab ea quæ deinde Hierosolyma dicta est: sicuti etiam vrbes duæ, Suchoth vocatæ sunt. Quòd ad rẽ spectat,videtur absurda fuisse emptio,cuius meminit Moses. Nam Abrahã nihil tota vita aliud emere voluit quàm sepulchrum:& Isaac filius,neglecto præsenti vsu agrorum, paterno illo iure contentus fuit. nam & hac lege Deus ipsos cõstituerat terræ hæredes ac dominos,vt peregrini essent vsque ad mortem.Perperam igitur facere videtur Iacob,quòd non expectans maturum tempus,agrum pecunia sibi comparat.Respondeo non exprimi à Mose quæ lectoribus sponte in mentem venire debent.Certè ex pretio colligere promptum est, quàm non fuerit cupidus sanctus vir. Expendit centum nummos: an latifundia sibi acquirere tam exigua pecunia potuit,ac non potius angulum aliquem,vbi sine molestia degeret? Adde quòd diserte narrat Moses partem illam emisse vbi tetẽderat eregione vrbis.Ergo neque prata, neque vites, neque terram arabilem possedit. Sed quum ei domicilium non concederent indigenæ prope vrbem ,placauit eos, pacémque redemit exiguo pretio. Hæc eum necessitas facile excusat,ne dicere quis possit, ab hominibus emisse quod ex gratuito Dei dono sperãdum erat: vel quum promissum terræ dominiũ spe amplecti deberet,ad fruitionem nimis festinasse.

20 *Et statuit ibi altare.* Locum adeptus Iacob, in quo familiam alere posset, solennem erexit Dei cultum:sicuti de Abraham & Isaac suprà testatus est Moses.Nam etsi vbique locorum precibus, & aliis exercitiis ad purum Dei cultum intenti erant, non tamen ab illis neglecta fuit externa pietatis cõfessio,vbi Dominus stationẽ aliquam,in qua manerent,eis cõcessit.Nam quemadmodum alibi monui, quoties legimus extructum fuisse altare , finem & vsum spectare decet: nempe vt victimas offerrent,& puro ritu inuocarent nomen Dei,vt palàm hoc modo testata esset eorũ religio,ac fides.Hoc ideo dico,nequis putet temerè ipsos lusisse in Dei cultu. curæ enim illis fuit suas actiones ad regulã diuinitus præscriptam dirigere,quæ illis à Noe & Sem per manus tradita fuerat. Quare sub altari per synecdochen intelligant lectores externũ pietatis testimonium.Porrò hinc optimè perspicitur quantum Diuini cultus studium viguerit in sancto viro, quòd variis molestiis fractus , non tamen altaris obliuiscitur. Nec priuatim solùm arcano mentis sensu Deum colit:sed in cæremoniis vtilibus,& à Deo mãdatis se exercet. Sciebat enim adminiculis egere homines,quandiu in carne agunt,nec abs re instituta fuisse sacrificia. Aliud etiam propositum habuit,vt tota familia eodem fidei sensu Deum coleret. Pium enim patremfamilias sedulò curare decuit,ne profanam haberet domum,sed potius vt illic Deus tanquam in Sanctuario regnaret. Adde quòd quum regionis illius incolæ ad multas superstitiones delapsi, verum Dei cultum corrumperent:sese ab eis discernere voluit Iacob.Erant certè Sichimitis,& aliis vicinis Gentibus sua altaria. Quòd ergo Iacob distinctam rationem domi instituit, ita testatur se peculiarem habere Deum,nec degenerem esse à sanctis Patribus,à quibus profecta erat integra genuinaque religio. Non carebat hoc inuidia,quòd Sichimitæ,& reliqui indignè se cõtemni ferebant.sed quiduis potius sanctus vir eligendũ duxit, quàm vt se idololatris misceret.

Et uocauit illud, Fortis Deus Israel. Videtur altari parũ cõgruere nomẽ,quod perinde sonat ac si lapidũ,vel cespitũ congeries visibilis foret Dei statua.Sed alia mẽs sancti viri fuit. nam quia altare μνημόσυνον erat,ac pignus visionũ omniũ,ac promissionũ Dei,hoc titulo ipsum ornat in hũc finem,vt quoties altare inspexerit,Dei recordetur. Eundẽ sensum habuit illa Mosis epigraphe, Dominus auxiliũ meum.Item qua Ezechiel nouã Hierosolymã insignit,Dominꝰ ibi.Et quidẽ in istis loquẽdi formis impropria est translatio,sed quæ ratione nõ caret. Nã sicuti externis symbolis stultè,& perperã affigũt Deum superstitiosi homines,& quasi ex cælesti solio detrahunt,vt subiectũ habeãt crassis suis figmẽtis: ita piè & ritè fideles à terrenis signis in cælum cõscendũt. Hæc summa est,quòd testari voluit iacob nõ alium se Deũ colere,nisi certis oraculis patefactũ, vt discernere eum tuto posset ab omnibus idolis. Atque hæc nobis modestia seruanda est,ne de mysteriis & gloria Domini securè loquamur, sed ex fidei sensu, quatenus scilicet ex verbo suo

Exec.48.d.35.

nobis cognitus est. Adde quòd posteros suos respexit Iacob. nam quia illi Dominus hac lege apparuerat, vt fœdus salutis apud ipsum deponeret, monumentum reliquit, vnde post eius mortem discerent nepotes religionẽ suam non ex tenebricoso puteo, & obscuro, vel ex turbida lacuna, sed ex liquido, puróq; fonte fluxisse: acsi oracula, & visiones quibus edoctus fuerat, altari insculperet.

Cap. XXXIIII.

1 ET egressa est Dináh filia Leáh, quam pepererat ipsi Iahacób, vt videret filias terræ.

2 Et vidit eam Sechém filius Hamór Híuuæi principis terræ, & tulit eam, & cõcubuit cum ea, & humiliauit eam.

3 Et adhæsit anima eius ipsi Dináh filiæ Iahacób, & dilexit puellam: & loquutus est ad cor puellæ.

4 Et dixit Sechém ad Hamór patrem suum, dicendo, Cape mihi puellam hanc in vxorem.

5 Audiuit autem Iahacób quòd violasset Dináh filiam suam: & filii eius erant cum pecudibus eius in agro: & siluit Iahacób donec venirent ipsi.

6 Et egressus est Hamór pater Sechém ad Iahacób, vt loqueretur cum eo.

7 Et filii Iahacób venerunt de agro: *qui* quum audierunt ipsi, dolore affecti sunt viri, iratíque sunt valde: quia flagitium designasset in Israél, vt coiret cum filia Iahacób. & sic non fiet.

8 Et loquutus est Hamor cum eis, dicendo, Sechem filii mei complacuit anima in filia vestra: date quæso eam illi in vxorem.

9 Et affinitatem contrahite nobiscum: filias vestras dabitis nobis, & filias nostras accipietis vobis:

10 Et nobiscum habitabitis, & terra erit coram vobis, habitate, & negotiamini in ea, & possessiones acquirite in ea.

11 Et dixit Sechém ad patrem eius, & ad fratres eius, Inueniam gratiam in oculis vestris: & quod dixeritis mihi dabo.

12 Augete mihi valde dotem, & donum: & dabo quemadmodum dixeritis mihi, & date mihi puellam in vxorem.

13 Et responderunt filii Iahacób ad Sechém & Hamór patrem eius in dolo, & loquuti sunt, (quia violauerat Dináh sororem suam)

14 Et dixerunt ad eos, Non possumus facere hoc, vt demus sororem nostram viro cui est præputium: quia opprobrium esset nobis.

15 Veruntamen in hoc acquiescemus vobis, si fueritis sicut nos, vt circũcidatur in vobis omnis masculus.

16 Et dabimus filias nostras vobis, & filias vestras capiemus nobis: & habitabimus vobiscum, & erimus in populum vnum.

17 Quòd si non obedieritis nobis, vt circuncidamini: capiemus filiam nostram, & recedemus.

18 Et placuerũt verba eorũ in oculis Hamór, & in oculis Sechém filii Hamór.

19 Nec tardauit iuuenis ad perficiendum negotium, quia complacuerat ei in filia Iahacób: & ipse erat honorabilis præ tota domo patris sui.

20 Et venit Hamor & Sechém filius eius ad portam ciuitatis suæ, & loquuti sunt ad viros ciuitatis suæ, dicendo,

21 Viri isti pacifici sunt nobiscum, & habitabunt in terra, & negotiabuntur in ea (& terra ecce lata est spatiis ante eos) filias eorum accipiemus nobis in vxores, & filias nostras dabimus eis.

22 Veruntamen in hoc acquieſcent nobis viri, vt habitent nobiſcum, vt ſint pò pulus vnus, quando circunciſus erit in nobis omnis maſculus, quemadmodum ipſi ſunt circunciſi.

23 Greges eorum,& ſubſtantia eorum, & omnia iumenta eorum, nónne noſtra erunt? tantum acquieſcamus eis,&habitabunt nobiſcum.

24 Et aſſenſi ſunt Hamór & Sechém filio eius omnes qui egrediebantur per portam ciuitatis eius:&circunciderunt ſe omnis maſculus,omnes egredientes per portam ciuitatis eius.

25 Et fuit in die tertia,quum eſſent ipſi dolore affecti,acceperunt duo filii Iahacób Simhón & Leuí fratres Dináh,quiſque gladium ſuum,& venerunt ad ciuitatem confidenter,& occiderunt omnem maſculum.

26 Et Hamór & Sechém filium eius occiderunt acie gladii , & tulerunt Dináh è domo Sechém,& egreſſi ſunt.

27 Filii Iahacób progreſſi ſunt ſuper occiſos,&prædati ſunt vrbem, quia violauerant ſororem ſuam.

28 Pecudes eorum,& boues eorum,&aſinos eorum,& quæ erant in vrbe,& quæ in agro, acceperunt.

29 Et omnem ſubſtantiam eorum,& omnes paruulos eorum, & vxores eorum captiuas duxerunt,& prædati ſunt,& omnia quæ erant in domo.

30 Et dixit Iahacób ad Simhón & ad Leuí, Turbaſtis me, vt fœtere faceretis me habitatoribus terræ, Chenaanæo & Perizæo: & ego paucos mecũ habeo,& congregabunt ſe aduerſum me,& percutient me,& diſperdar ego,& domus mea.

31 Et dixerunt, Nunquid vt cum meretrice aget cum ſorore noſtra?

1 *Et egreſſa eſt Dinah.* Continet hoc caput, durum certamen, quo rurſum Deus ſeruum ſuum exercuit. quàm pretioſa ei fuerit caſtitas filiæ, ex totius vitæ probitate coniicere promptũ eſt. Quum ergo violatam audit, pluſquam acerbũ doloris vulnus hoc dedecus infligit eius animo. atqui paulo pòſt triplicatur dolor, quum filios vlciſcendi cupidine facinus nefandũ aggreſſos eſſe audit. Sed ſingula ordine ſuo expẽdamus. Rapitur Dina ad ſtuprum, quòd relicta patris domo, liberius vagata eſt quàm oportuit. Debuerat quieta manere domi, ſicuti & Apoſtolus præcipit,& natura ipſa dictat. nam in puellas etiam cõpetit virtus illa , quam vulgare prouerbium mulieribus tribuit, vt ſint οἰκουροὶ, vel domus cuſtodes. Docentur ergo patreſfamiliâs ſub arcta diſciplina filias ſuas tenere, ſi eas ab omni probro immunes habere cupiãt. nam ſi inanis curioſitas tam grauiter punita fuit in filia ſancti Iacob, non minus hodie periculi infirmis virginibus impendet, ſi in cœtus publicos audacius & cupidius prodeant, & in ſe prouocent iuuenum libidinem. Neque enim dubium eſt quin flagitii culpam ex parte in ipſam Dina reiiciat Moſes, quum dicit egreſſam eſſe vt videret filias regionis, quæ debebat ſub matris oculis in tabernaculo latere.

Tit.2.b.9

3 *Et adhæſit anima eius ipſi Dinah.* Significat Moſes non ita abreptã fuiſſe ad ſtuprũ, vt ea ſemel abuſus Sichem contempſerit: quod vulgaribus ſcortis accidere ſolet. Dilexit enim eam vxoris loco: ac ne circuncidi quidem renuit, vt eam haberet in vxorẽ. ſed prævaluerat libidinis feruor, vt dedecus illi prius inferret. Quanuis ergo liberali & honeſto amore Dinam complexus ſit, in illa tamen intemperie iam grauiter peccauerat. Loqui dicitur Sichẽ ad cor puellæ, hoc eſt comiter eam affari, vt blanditiis ad ſe alliciat. Vnde ſequitur, inuitæ & repugnanti vim fuiſſe allatam.

4 *Et dixit Sechem ad Hamor.* Clarius hoc loco exprimitur Sichem optaſſe Dinam ſibi vxorem. non ergo tam effrænis fuit eius libido, vt ſtupratam ludibrio haberet. Oſtenditur præterea laudabilis modeſtia, quum patri imperiũ defert. neque enim ſuo ipſe arbitrio aggreditur quicquam de coniugio paciſci, ſed authoritati patris hoc permittit. Etſi enim præcipiti libidinis ardore turpiter exciderat, nunc tamen ad ſeipſum rediens, ductũ naturæ ſequitur. Quo magis ſibi iuuenes cauere debent ne in lubrica ætate, carnis laſciuia eos ad multa flagitia impellat. Plus enim hodie licentiæ paſſim graſſatur, vt nulla moderatio à turpitudine iuuenes arceat. Cæterùm quum Sichem natura duce & magiſtra, patrem coniugii ſui autorem eſſe velit, hinc colligimus ius iſtud , quod habent parentes in filios, eſſe inuiolabile: vt qui id labefactare conantur, cælum

terræ miſceant. Quare quũ Papa in honorem coniugii ſacrum illud naturæ vinculum abrumpere auſus ſit, ſatis ſupérque valebit vnus hic iudex ſcortator Sichem ad barbariẽ illã damnandã.

5 *Et Iahacob audiuit.* Inſerit verſum vnum Moſes de tacito mœrore Iacob. Scimus eos qui contumeliis aſſueti non ſunt, longè grauius affici ſiquid probri contingat. Ergo vir cordatus, quo magis ſtuduerat domum habere puram omni macula, caſtam & bene moratam, eo magis vulneratur. Sed quia ſolus eſt domi, diſſimulat, & intus dolorem ſuum abſorbet, donec redeant filii ex agro. Porrò his verbis nõ intelligit Moſes Iacob vindictã diſtuliſſe vſque ad illorum reditum: ſed quia ſolus erat, conſilio & ſolatio deſtitutus, quaſi exanimem iacuiſſe. Senſus ergo eſt, ingenti dolore fuiſſe oppreſſum, vt etiam obmutuerit. Polluendi verbo docet Moſes quænam vera ſit hominum mundities, dum ſcilicet caſtitas ſanctè colitur, & quiſque vas ſuum in honorẽ poſſidet. Quiſquis autem corpus ſuum ad ſcortationem proſtituit, fœdè ſe conſpurcat. Quòd ſi polluta dicitur fuiſſe Dina, cui ſtuprum per vim intulerat Sichem: quid de voluntariis adulteris, & ſcortatoribus dicendum?

7 *Et filii Iahacob uenerunt de Agro.* Incipit narrare Moſes tragicum huius hiſtoriæ euentum. Sceleſtè quidem, & impiè Sichem egerat: ſed hoc longè atrocius, & magis nefarium, quòd filii Iacob, vt ſe vlciſcantur de priuato vnius hominis delicto, totum populum trucidant. Leuitatem certè, & proteruiam iuuenis vnius minimè decebat tot hominum cæde crudeliter ſancire. Deinde quis ipſos iudices conſtituerat, vt audeant ſuis manibus iniuriæ ſibi illatæ vindictam exequi? Acceſſit etiam perfidia, quòd ſub fœderis prætextu ad patrãdum tam immane facinus progreſſi ſunt. In Iacob porrò mirabilis tolerantiæ exemplum deſcribitur, qui tot malis afflictus, non ſuccubuit. Sed in primis reputanda nobis eſt Dei miſericordia, qua factum eſt vt fœdus gratiæ maneret in poſteris Iacob. Quid enim minus conſentaneum, quàm vt toto mundo poſthabito, pauci homines, in quibus regnat tam belluinus furor cum implacabili malitia, in Dei populo, & filiis cenſeantur? Videmus certè per ipſos non ſtetiſſe quominus à Dei regno prorſus deſciuerint. Vnde apparet fauorem, quo dignatus eſt ipſos Dominus, gratuitum fuiſſe, nec fundatum in eorum meritis. Eadem quoque indulgentia nobiſcum agi neceſſe eſt, qui ſubinde effluimus, niſi peccatis noſtris Deus ignoſcat. Eſt quidem iuſta offenſionis ratio in filiis Iacob: quia nõ ſolum priuata ſua ignominia tangũtur, ſed eos excruciat ſceleris indignitas, quòd ex domo Iacob, quaſi ex Dei ſanctuario, tracta fuerit ſoror ad ſtuprũ. Nam hoc præcipuè vrgent, quòd in electo, & ſancto populo tale dedecus admitti nefas fuerit: ſed ipſi odio peccati vnius, ad plura, & minus toleranda ſcelera furioſè proſiliunt. Cauendum ergo eſt ne poſtquam in damnandis aliorum delictis ſeueri fuerimus iudices, incõſiderate ruamus. præcipue verò à violentis remediis abſtinendũ eſt, quæ malũ, quod corrigere cupimus exuperãt. *Et ſic non fiet.* Cõmuniter vertunt interpretes, Nõ ſic fieri decet. Sed aptius, meo iudicio, refertur hoc ad filios Iacob, quòd ſtatuerint apud ſe hãc iniuriã minimè ferendã. Atqui perperã exigendæ vindictæ ius ſibi rapiunt. cur nõ potius expendũt, Deus qui in fidẽ præſidiúmque ſuũ nos recepit, iniuriã hanc nõ patietur inultam: noſtrũ interea eſt ſilere, ac pœnam, quæ in manu noſtra poſita non eſt, permittere eius arbitrio. Hinc diſcamus alienis peccatis ita iraſci, nequid tamen præter officium noſtrum tentemus.

8 *Loquutus eſt Hemor.* Quanquam iuſtè excanduerant filii Iacob, debuit tamen hac tanta comitate Hemor placari eorum indignatio, vel ſaltem aliquatenus mitigari. Quòd ſi filios Iacob ipſi Sichem reconciliare non potuit humanitas patris Hemor, ipſe quidem ſenex dignus erat quẽ benignè exciperent. Videmus quàm æquas cõditiones offerat. ipſe vrbis princeps erat: filii Iacob inquilini. Ergo pluſquam truces animos fuiſſe oportet, qui ad lenitatẽ flexi nõ ſunt. Adde quòd ſupplex deprecatio ipſius Sichem hoc merebatur, vt feruido eius amori veniam darent. Quòd ergo implacabiles manẽt, ſignum eſt valde crudelis ſuperbiæ. Quid hoſtibus ſuis facturi erant, ſiqui ex profeſſo eos læſiſſent: quando ad eius preces, qui cæco amore deceptus, incontinentiæ errore, non maligno conſilio ipſos læſit, non flectuntur?

13 *Et reſpondерunt filii Iahacob.* Initium perfidiæ narratur. nam quum rabie magis quàm ira accenſi, in totam vrbem graſſari vellent, & contra tantum populum viribus eſſent impares, excogitant nouam fraudem, vt vulneribus debiles repẽte adoriantur. Itaque quum miſeris Sichimitis nullus vigor ad reſiſtendum ſuppeteret, trucidatio fuit magis quàm cædes: quod ſceleris atrocitatem in filiis Iacob amplificat, quibus nihil penſi eſt, modò rabiem ſuam expleãt. Excuſant quòd quum ſegregati ſint à reliquis Gentibus, vxores ex ſuo genere incircunciſis dare non liceat. Quod quidem verum erat, ſi ex animo loquuti forent: atqui falſò obtẽdunt ſacrum Dei nomen: imò duplex eius profanatio bis ſacrilegos eſſe oſtendit. Neque enim illis curæ eſt Circunciſio: ſed in hoc vnum intenti ſunt, quomodo miſeros homines imbelles opprimant. Deinde ſignum perperam diuellunt à ſua veritate, acſi quis depoſito præputio, repente in Eccleſiam Dei tranſeat. Atque hoc modo ſpirituale vitæ ſymbolum polluũt dum ad eius ſocietatem

promiſcuè, & ſine delectu admittunt homines extraneos. Quia tamen probabilem colorem habet eorum ſimulatio, notandum eſt quod dicunt, probroſum ſibi fore ſi viro non circunciſo dederint ſororem ſuam. Hoc quoque verum eſt, ſi quidem autores haberet idoneos. nam quia Dei inſigne in carne ſua geſtabant, nefas illis fuit cum incredulis coniugia contrahere. Sic & hodie nos à profanis ſeparat Baptiſmus noſter, vt infamiæ notam ſibi accerſat quiſquis ſe cum illis miſcet.

18 Et *placuerunt uerba.* Proſequitur hiſtoriam Moſes, donec ad Sichimitarum cædem veniat. Quòd tam facilem ſe præbuit Hemor, non dubiũ eſt quin huc precibus filii inductus fuerit. Vnde apparet nimia boni ſenis indulgentia. debuerat initio ſeuerè corrigere filii delictum: non modò tegit quantum poteſt, ſed quibuſlibet eius votis obſequitur. Laude quidem digna fuiſſet hæc moderatio, & æquitas, ſi æquum poſtulaſſet filius: nũc verò quòd in filii gratiam ſenex incognitam religionem ſuſcipit, ſibíque vulnus in carne ſua patitur infligi, à ſtultitia excuſari non poteſt. Dicitur iuuenis non tardaſſe, quia vehementer amabat puellam, & dignitate pollebat inter ſuos ciues: quia propter honorem principatus facilè obtinuit quod volebat. Nihil enim profuiſſet feruor ille amoris, niſi ad manum fuiſſet facultas conficiendi negotii.

21 *Viri iſti pacifici.* Rationem agendi deſcribit Moſes, qua perſuaſi fuerunt Sichimitæ ad recipiendas leges quas impoſuerãt filii Iacob. Difficile fuit adduci totum populum, vt paucis hominibus exteris in re maxima ſe ſubiicerent. Scimus enim quantopere diſpliceat religionis mutatio: ſed ab vtili ratiocinantur Hemor & Sichem. atque hæc eſt naturalis rhetorica. Quanuis enim magis plauſibilis ſit honeſtas, friget tamen vtplurimum in ſuaſionibus. Vtilitas autem apud vulgus quidvis ferè impetrat: quia maior pars quod ſibi expedire putat, cupidè ſectatur. Secundum hoc conſilium, Hemor & Sichem laudant à probitate, & tranquillis moribus domum Iacob, vt ſtatuant Sichimitæ vtile ſibi eſſe tales recipere hoſpites. Addunt terram ſatis amplam eſſe, vt nulla prioribus incolis iactura timenda ſit. Reliquas deinde commoditates colligunt: interea priuatã cauſam aſtutè ſubticent. Vnde ſequitur, omnes iſtos prætextus fallaces eſſe. Sed hic nimiũ vulgaris eſt morbus, vt primarii homines, qui autoritate pollent, dũ ad rationes ſuas domeſticas omnia referũt, ſimulẽt tamẽ ſe in cõmune proſpicere, & publicæ vtilitatis ſtudiũ obtẽdãt. Et quidem optimos fuiſſe totius populi credibile eſt, ac ſingulari virtute præditos, de quibus hîc fit ſermo. Principé enim Sichimitæ ſibi delegerant Hemor, vt qui eximiis dotibus præſtaret. videmus tamẽ vt rectitudinis ſpecie mentiantur, ac fallãt. Vnde etiã perſpicitur, hypocriſin ita penitus infixã eſſe humanis ingeniis, vt miraculũ ſit purũ ab ea, & vacuũ quépiam reperiri, præſertim vbi priuatũ cõmodum agitur. Hoc exemplo diſcant qui præſunt, ſinceritatẽ in publicis conſiliis ſine obliquo ſui reſpectu colere. Viciſſim tẽperent ſibi populi, ne ſuæ vtilitati nimiũ inhiẽt: quia ſubinde cõtinget eos vana ſpecie ineſcari, nõ ſecus ac hamo piſces. Nã vt cæcus eſt amor noſtri, ſine iudicio ad ſpẽ lucri trahimur. Et Dominus etiam prauã hanc cupiditatem, ad quam nos plus æquo propẽſos eſſe videt, iuſtè caſtigat, dum fucum nobis fieri ſinit. Dicit Moſes ſermonem habitum in porta vrbis, vbi tunc haberi ſolebant publici conuentus, & exerceri iudicia.

24 Et *aſſenſi ſunt Hamor & Sechem filio eius.* In ſpeciem hic aſſenſus modeſtiæ & humanitati adſcribi poſſet. Nam quòd comiter obtemperant ſuis principibus, & benignè hoſpites admittunt ad ius æquũ ciuitatis: in vtroque & modeſtos & humanos ſe præbent. Verùm ſi reputamus quid valuerit circunciſio, facilè patebit ipſos ſibi & propriæ vtilitati fuiſſe nimis addictos. Sciunt nouo ſacramẽto ſe traduci ad diuerſum Dei cultũ. Nondũ edocti erãt ablutiones, & ſacrificia, quibus tota vita aſſueuerãt, eſſe inutiles nugas. Ergo tã ſecurè mutata religio craſſum in ipſis Dei cõtemptũ prodit. Nunquã enim ſuperſtitiones ſuas tã ſubitò abiicerẽt qui ſeriò Deũ colunt, niſi ſana doctrina & rationibus cõuicti. Mala igitur conſciẽtia Sichimitæ, & ſpe lucri excæcati, tanquã ſemibeſtiæ, ad ignotum Deũ tranſeunt. Luſtrate inſulas (inquit Propheta) ſitne aliqua gens quæ deſerat ſuos deos, qui tamen non ſunt dii. Hoc Sichimæ factum eſt, quum nullum in receptis ſuperſtitionibus oſtenſum fuiſſet vitium. Quare nõ eſt quòd miretur quiſpiam, ſi leuitatem iſtam ſequutus eſt triſtis exitus. Quanquam non ideò excuſabiles ſunt Simeon & Leui, dũ ſæuitiæ ſuæ indulgent: imò in eo magis deteſtabilis apparet eorum impietas, quòd non tantum contra homines petulanter ruunt, ſed quodãmodo inſultant ſacro Dei fœderi, de quo tamen vnicè gloriabantur. Certè vt ipſis hominibus non parcerent, ſola tamen hæc reuerẽtia cohibere debuit ipſorum ferociam, dum reputarent vnde Sichimitis debilitas.

Ierem. 2. c. 10

25 *Simeon & Leui fratres Dinah.* Quia die tertio Moſes editam fuiſſe ſtragem dicit, putant Hebræi tunc ingraueſcere vulneris dolorẽ. Probatio tamen non ſatis firma eſt: nec verò in eo multum eſt momenti. Quanquam autem duos tantum cædis authores Moſes nominat, mihi tamen non eſt veriſimile, ipſos veniſſe ſolos, ſed fuiſſe duces turmæ. Habebat enim Iacob amplam familiam. & fieri poteſt vt aliquos etiam è fratribus aſciuerint. quia tamen eorum conſilio, & ductu

res gesta est,illis tribuitur,sicuti à Scipione dicitur Carthago deleta. Vocat etiã Moses ipsos fratres Dinæ, quia vterini erant. suprà vidimus Dinam fuisse filiam Leæ. quare Simeon & Leui, quorum germana ab vtroque parente erat soror, ob violatam eius pudicitiam magis exardébant. Ergo non tam commune sancti & electi generis probrum ipsos impulit, vt falsò nuper iactabant,quàm peculiaris ignominia. Cæterùm nullus est lectorum,qui non per se agnoscat quàm immane,& execrandum fuerit hoc facinus. Vnus tantum peccauerat: iniuriam pluribus beneficiis pensare studuit: non satiatur crudelitas Simeon & Leui, nisi totius vrbis excidio. & sub prætextu fœderis, contra amicos & hospites, in media pace moliuntur quod in professo bello contra hostes non esset ferendum. Hinc perspicimus quàm clementer egerit Deus cum populo illo,dum ex posteris hominis sanguinarii,adeòque scelesti latronis,Sacerdotes sibi constituit. Erant nunc Iudæi, & nobili sua origine superbiant. Atqui pluribus documentis gratuitam suam misericordiam asseruit Dominus,quàm vt eam obscuret maligna hominum ingratitudo. Hinc verò agnoscimus Mosen non loquutũ ex sensu carnis,sed organum esse Spiritus sancti, cælestisque Iudicis præconem. nam quum Leuita esset, adeò generi suo non parcit, vt patrem suæ tribus perpetua infamia notare non dubitet. Nec dubium est quin Dominus consultò impuris & profanis hominibus os obstruere voluerit. Sicuti Lucianici homines fatentur Mosen summum fuisse virum,raræque præstantiæ,sed qui sibi magni populi imperium astu & vafritie comparauerit. quasi verò homo acutus & perspicax, non agnouerit ex hoc vno scelere plurimum decedere honori sui generis. Verùm nihil aliud habuit propositum, quàm Dei bonitatem erga populum suum extollere: nihil verò minus captasse, quàm vt dominaretur. inde clarius liquet, quòd sacerdotii munus aliò transferens, filios suos tantùm ministros esse iussit. Quantum ad Sichimitas spectat,licet coram Deo non essent innoxii,vtpote qui sua cõmoda religioni prætulerant quam putabant esse legitimã, Dominus tamen non pro eorum delicto tam atrociter eos puniri voluit,sed immane exemplum edi passus est propter vnius puellæ raptum,vt secu lis omnibus testatum faceret quantopere exosas habeat libidines. Adde quòd quũ à principe ciuitatis orta esset iniquitas,iure ad totum corpus populi extenditur pœna. Nam quum Deus malis & vitiosis principibus nunquam nisi iusto iudicio imperium tradat, nihil mirum si illi dum peccant,subditos eodem secum reatu inuoluunt. Cæterùm hoc exemplo discamus sicubi impunè grassantur scortationes,Deum tandem eò grauiores pœnas sumpturum. Nam si vnius puellæ stuprum horribili totius vrbis strage vltus est, nõ dormiet,nec cessabit si vulgò populus vnus scortandi licentiam sibi permittat, & vltrò citróque alii ad aliorum nequitiam conniueant. improbè quidem filii Iacob: sed notandum est diuinitus scortationẽ hoc modo fuisse damnatam.

27 *Filii Iahacob progressi sunt.* Ostẽdit Moses nõ contentos simplici vindicta simul cõuolasse ad prædam. Quòd ad verba spectat,dicuntur progressi esse super mortuos,vel quòd per stragem cadauerum iter sibi fecerint, vel quòd vltra cædem se proripuerint ad prædam. vtrouis modo accipias,docet Moses non fuisse satiatos priori scelere,nisi cumulum hunc adderent. Esto, in fundendo sanguine iracundia cæci fuerint: quo tamẽ iure vrbem diripiunt? Hoc certè iracundiæ nõ potest ascribi: sed hi scilicet humanæ intemperãtiæ ordinarii sunt fructus,vt qui sibi in vno scelere patrando frænum laxauerit, in aliud mox prorumpat. ita filii Iacob ex homicidis fiunt etiã prædones,& ad crudelitatem accedit auaritiæ cumulus. Quo magis solicitã operã dare conuenit cupiditatibus nostris frænãdis, ne altera sit alterius flabellũ, vt demũ ex mutua inflammatione horribile emergat incendiũ. præsertim verò ab armata violentia cauendũ, quæ secũ trahit multos peruersos & feros impetus. Dicit Moses hoc feciisse filios Iacob, quia sororem suam polluerant Sichimitæ. atqui tota vrbs minimè conscia fuerat. sed tantum notat Moses qualiter affecti fuerint cædis authores. Tametsi enim videri volunt iusti iniuriæ vindices, non tamen respiciũt quid sibi liceat,nec prauis affectibus domandis animum intendunt: ita nullus est peccandi modus. Siquis malit sublimius accipere: ad Dei iudicium referri potest locutio,quòd tota vrbs scelere deuincta sit,quia principis libidini nemo se opposuerat. fortè etiam multi cõsenserãt,quòd de iniusta hospitũ cõtumelia non valde essent soliciti. Prior tamen sensus mihi magis arridet.

30 *Et dixit Iahacob.* Declarat Moses damnatum fuisse facinus à sancto viro, nequis eum cõfilii participem fuisse putet. Expostulat autem cum filiis, quòd ipsum apud terræ incolas fœtere fecerint, hoc est tam odiosum reddiderint vt nemo ferre queat. quòd si inter se conspirent vicinæ gentes: se imparem fore ad resistendum,quum exigua sit præditus hominum manu præ tanto numero. Disertè etiam Chananæos,& Pherezæos nominat, qui nulla iniuria lacessiti,iam natura plus satis ad nocendum erant procliues. Sed præposterè facere videtur Iacob, quòd neglecta Dei offensa, proprium tantùm discrimen spectat. cur non potius eorum crudelitati irascitur? cur non offenditur perfidia? cur rapacitatem non exprobrat? Sed probabile est, quum adhuc attonitos recenti scelere videret,ad eorum captum verba accommodasse. Agit enim tanquã

cum furiosis, qui ad recipiendam placidam doctrinam idonei non sunt. Ideò stomachosè conqueritur, se potius ab illis occisum, quàm Sichimitas. Scimus enim, rarò & vix trahi homines ad pœnitentiam, nisi pœnæ metu: præsertim vbi ad fucandum delictum suppetit speciosus aliquis color. Deinde nescimus an Moses ex longa castigatione partem hanc excerpserit, vt intelligerent lectores tam vesanum fuisse furorem Simeonis & Leui, vt ad suum, totiúsque familiæ exitium magis quàm brutæ pecudes obstupeant. nã hoc clarè perspicitur in eorum responso, quod non modò barbaram feritatem spirat, sed ostendit eos nihil sentire. Barbaries est, quòd excusant ob vnius hominis noxam totum populum à se occisum, & vrbem direptam. deinde quòd tam præcisè, & contumaciter patri respondent. tertiò quòd vindictam temerè sumptã, obstinatè defendunt. Sed prodigiosus est stupor, quòd præsenti sua, parentum, & vxorum, sobolísque morte non tanguntur. Ita docemur quantopere homines dementet iræ intemperies. Monemur etiam nequaquam sufficere, vbi crimẽ parti aduersæ obiicere licet, sed videndum semper esse quatenus progredi nobis liceat.

Cap. XXXV.

1 ET dixit Deus ad Iahacób, Surge, ascende in Beth-él, & mane ibi: & fac ibi altare Deo qui visus est tibi dum fugeres à facie Hesaú fratris tui.

2 Et dixit Iahacób familiæ suæ, & omnibus qui erant secum, Remouete deos alienos qui sunt in medio vestri, & mũdate vos, vestimentáque vestra mũdate.

3 Et surgamus, & ascendamus in Beth-él, & faciam illic altare Deo, qui exaudiuit me in die angustiæ meæ, & fuit mecum in via qua ambulaui.

4 Et dederunt ipsi Iahacób omnes deos alienos qui erant in manu sua, & inaures quæ erant in auribus suis, & abscondit eos Iahacób subter quercum quæ erat apud Sechém.

5 Et profecti sunt. & fuit terror Dei super vrbes quæ erant in circuitibus eorũ, & non persequuti sunt filios Iahacób.

6 Et venit Iahacób in Luz, quæ est in terra Chenaán, hæc est Beth-él, ipse & omnis populus qui erat cum eo.

7 Et ædificauit ibi altare, & vocauit locum El Beth-el: quia apparuerãt ei Angeli dum fugeret à facie fratris sui.

8 Et mortua est Deboráh nutrix Ribcáh, & sepulta est subter Beth-él sub quercu: & vocauit nomen eius Allón bachúth.

9 Et visus fuerat Deus ipsi Iahacób adhuc, dum veniret ipse de Padán Aram, & benedixerat ei,

10 Atque dixerat ei Deus, Nomẽ tuum est Iahacób: non vocabitur nomen tuũ vltrà Iahacób, sed Israél erit nomen tuum. & vocauit nomen eius Israél.

11 Et dixit ei Deus, Ego sum Deus omnipotens, cresce, & multiplica te: gens, & cœtus gentium erit ex te, & reges è lumbis tuis egredientur.

12 Et terram quam dedi Abrahám & Ishác, tibi dabo, & semini tuo post te dabo terram *istam*.

13 Et ascendit ab eo Deus è loco in quo loquutus est cum eo.

14 Et statuit Iahacób statuam in loco in quo loquutus est cum eo, statuam lapideam: & libauit super illam libamen, & effudit super illam oleum.

15 Et vocauit Iahacób nomẽ loci in quo loquutus est cum ipso Deus, Beth-el.

16 Et profecti sunt de Beth-el: erat autem adhuc fermè miliare terræ ad veniédum in Ephráth, & peperit Rachél, & difficultatem passa est dum pareret.

17 Fuit autem, ea difficultatem patiente dum pareret, dixit ei obstetrix, Ne timeas, quia etiam iste tibi filius.

18 Et fuit, egrediente anima eius dum moreretur, vocauit nomen eius Benoní. & pater eius vocauit eum Beniamín.

19 Et mortua est Rachél,& sepulta est in via Ephráth,hæc est Bethléhem.
20 Et statuit Iahacób titulum super sepulchrũ eius:hic est titulus sepulchri Rachél vsque ad diem hanc.
21 Et profectus est Israél,& tetendit tabernaculum suum trans turrim Héder.
22 Et fuit quũ habitaret Israél in terra ipsa,profectus est Reubén,&cõcubuit cũ Bilháh cõcubina patris sui.& audiuit Israél. Et fuerũt filii Iahacób duodecim.
23 Filii Leáh, primogenitus Iahacób Reubén,& Simhón,& Leuí,& Iehudáh,& Issachár,& Zebulun.
24 Filii Rachél,Ioséph & Biniamin.
25 Et filii Bilháh ancillæ Rachél,Dan & Naphtalí.
26 Et filii Zilpáh ancillæ Leáh, Gad & Asér. Isti sunt filii Iahacób, qui nati sunt ei in Padán Arám.
27 Et venit Iahacób ad Ishác patrem suum in Mamré ciuitatem Arbáh,hæc est Hebrón,in qua habitauit Abrahám & Ishác.
28 Et fuerunt dies Ishác,centum anni & octoginta anni.
29 Et obiit Ishác,& mortuus est,& collectus est ad populos suos, senex,&satur dierum:& sepelierunt eum Hesaú & Iahacób filii eius.

1 *Et dixit Deus ad Iahacob.* Narrat Moses quũ in vltimas angustias redactus esset Iacob, Deũ illi maturè, & quasi in ipso articulo adfuisse. Atque ita demonstrat in persona vnius hominis Deum Ecclesiã suam, quam semel amplexus est, nunquam deserere quin salutẽ eius procuret. Series tamen notãda est. neque enim Deus statim apparuit seruo suo, sed passus est mœrore, & curis ingentibus prius torqueri, vt patientiã disceret, solatiúmque ad extremam necessitatẽ differret.Certè miserrimus tunc erat status Iacob. Nã omnes vndique infesti esse poterãt,vt quotquot erant vicinæ gẽtes, totidem mortibus esset obsessus:stupidus verò non erat quin sua pericula perspexerit. Inter istos curarum æstus iactari sanctum virum, adeóque tormentis cruciari passus est Deus,donec quadam resurrectionis specie quasi semimortuum sanauit. Quoties hũc locum,& similes legimus,nobis in mentem veniat,prouidẽtiam Dei,etiam quum maxime dormire videtur,pro salute nostra excubare. Non dicit Moses quantũ temporis in anxietate detentus fuerit Iacob,sed ex contextu colligere licet,summopere fuisse perplexum, quum Dominus eum recreauit. Porrò notandum est,præcipuam medicinam, qua leuatus est,sitam fuisse in verbo,Loquutus est Dominus.Cur non miraculo eum transtulit in aliam partem,vt omni discrimine statim eximeret? Cur non etiam absque verbo manum illi porrexit, & compescuit omnium ferociam, nequis ei nocere tentaret? Sed Moses non frustrà in hac parte insistit: nam hinc docemur vnde summa in malis nostris petenda sit consolatio: & simul etiam hoc esse præcipuum vitæ nostræ exercitium, pendere ex ore Domini: vt certò persuasi simus, simul ac salutem promisit,optime nobiscum agi: nec dubitemus per medias mortes incedere. Alia etiam visionis fuit ratio,vt Iacob non modo re ipsa sentiret Deum esse suum liberatorẽ: sed verbo prænonitus,quicquid postea secutum est, Deo tribuere disceret.Nam vt tardi sumus,ac hebetes,nuda experientia minimè sufficit ad testandam Dei gratiam, nisi accedat fides ex verbo. *Ascende in Bethel.* Quanquam Dei consilium est seruum suum à morte in vitam erigere, videri tamen potuit ipsum habere ludibrio. nam exceptio in promptu erat, Tu quidem præcipis Domine,vt ascendam,sed viæ omnes sunt obstructæ. Tantùm enim mihi incendium conflarunt filii,vt ne in latebris quidem tutus maneam. Vix digitum mouere audeo, quid igitur fiet, si cum magna turba nunc castra mouere incipiam? annon meo strepitu noua in me odia prouocabo? Sed hoc modo optimè probata fuit fides Iacob, quòd sciens Deum sibi ducem, & præsidem itineris esse, eius auspiciis fretus sese accinxit. Porrò non simpliciter imperat Dominus quid fieri velit, sed addita promissione seruum suum confirmat. Nam quum in memoriam reducit se eundem esse Deum qui prius apparuit quum trepidus fugeret,his verbis inclusa est promissio. Eodẽ quoque altare spectat. nam quum signum sit gratiarum actionis, sequitur, Iacob illuc venturum esse incolumem, vt meritò Dei gratiam celebret. Asylum autem in Bethel potius, quàm alibi eligit, & assignat Deus, quia ipse loci aspectus ad eximendum terrorem plurimum valebat, quum memoria repeteret visam illic sibi fuisse Dei gloriam. Porrò quũ ad gratitudinem Deus

ſeruum ſuum hortatur, in hunc finem ſe beneficum eſſe Fidelibus admonet, vt ipſi viciſſim eius gratiæ omnia ſe debere agnoſcant, & ſe in ea celebranda exerceant.

2 *Et dixit Iahacob familiæ ſuæ.* Hìc deſcribitur quàm prompta fuerit obedientia Iacob. Neque enim audito Deo ambigit, vel ſecum diſputat quidnam factu opus ſit: ſed prout iuſſus eſt, ad iter properè ſe comparat. Vt autem oſtendat ſe Deo parere, non tantum vaſa colligit, ſed ſimul purgat domum ſuam idolis. Nam ſi Deum cupimus nobis eſſe propitium, tollenda ſunt omnia impedimenta quæ ipſum à nobis quodammodo ſubmouent. Cæterùm hinc perſpicimus quorſum tenderet furtum Rachelis. neque enim voluit (vt dictum eſt) patrem à ſuperſtitione retrahere, ſed in eius vitium ſucceſſit: neque venenum hoc apud ſe continuit, ſed ſparſit in totam familiam. Sic peſſima contagione infecta fuit illa ſancta domus. Vnde etiam patet quanta ſit hominum ad impios, & vitioſos cultus propenſio, quando domeſtici Iacob, quibus pura religio tradita erat, tam cupidè oblata idola arripiunt. Nec verò prorſus inſcius fuit Iacob: ſed credibile eſt nimis fuiſſe vxorium, vt ſua indulgentia peſtem domi tacitus aleret. Et certè vna voce tam ſeipſum, quàm reliquos coarguit ac damnat, idola vocans alienos deos. Vnde enim hoc diſcrimen, niſi quia ſciebat vni Deo ſe debere eſſe addictum? Tacita enim ſubeſt relatio inter Deum Abrahæ, & alios omnes quos ſibi mundus perperam fingebat: non quòd in arbitrio Abrahæ eſſet, ſtatuere quiſnam verus eſſet Deus: ſed quia illi ſe Deus patefecerat, nomen quoque ab ipſo mutuari voluit. Ignauiam ergo ſuam fatetur Iacob, quòd idola in domum ſuam admiſerit, quibus diuinitus clauſa fuerat ianua. Nam vbicunque affulget veri Dei cognitio, neceſſe eſt quicquid præter puram eius notitiã ſibi fabricãt homines, procul faceſſere. Sed quum vel vxoris blanditiis ſopitus fuerit Iacob, vel carnis incuria officium ſuum facere neglexerit, nunc metu periculi expergiſcitur, vt magis intentus ſit ad Deum purè colendum. Si hoc accidit ſancto Patriarchæ, quanto magis in rebus proſperis metuẽda nobis eſt praua carnis ſecuritas? Cæterùm ſiquando talis obrepſerit torpor & neglectus, ſaltem excitent nos & ſtimulent paternæ Dei caſtigationes, vt quicquid vitiorum deſidia contractum erit, ſedulo purgemus. Iam hìc relucet immenſa Dei bonitas qui domum Iacob idolis pollutam, pro ſacrario tamen habere dignatus eſt. Quanuis enim permixti ei eſſent idololatræ, imò vxor idololatriæ magiſtra in eius ſinu dormiret, grata Deo ſemper fuerunt eius ſacrificia. Neque tamen tam benigna Dei facilitas in danda venia, vel culpam ſancti viri leuat, vel nobis tarditatis occaſio eſſe debet. Etſi enim ſuperſtitiones non probabat Iacob, per ipſum tamen non ſtetit quominus ſenſim obrũerent purum Dei cultum. Nam ab vna Rachele profecta corruptela, iam longè vagari cœperat, atque idem docent omnium ætatum exempla. Vix enim vnquam ſic obtinet Dei veritas inter homines, quantumuis ſtrenuè in ea aſſerenda laborent pii doctores, quin aliquid ſuperſtitionum in vulgi parte reſideat. Si accedit diſſimulatio, breui ſerpit malum, donec totum corpus occupet. Tali fomento inualuit ſuperſtitionum cõgeries, quæ hodie graſſatur in Papatu. Quare principiis acriter obſtandum eſt, ne vera religio, Paſtorum deſidia & ſilentio peſſum eat. *Et mundate uos, & mutate ueſtimenta.* Exhortatio eſt ad externam profeſſionem pœnitentiæ. Vult enim Iacob, vt domeſtici, qui prius ſe polluerant, mutatis veſtibus nouam munditiem teſtentur. Eodem etiam conſilio & fine, poſt conflatos aureos vitulos iuſſus eſt à Moſe populus ornatũ ſuum exuere. in eo tantum diuerſa ratio fuit, quòd populus depoſito ornatu ſupplex reatum ſuum lugubri & ſordido habitu confeſſus eſt: in domo autem Iacob mutatæ ſunt veſtes, vt qui contaminati fuerant, quaſi noui homines prodirent. finis tamẽ, vt dixi, fuit idẽ: vt hoc externo ritu diſcerent idololatræ quanta eſſet ſceleris ſui atrocitas. Etſi autem virtus interior eſt reſipiſcentia, ac ſedem in corde habet, cæremonia tamẽ hæc minimè ſuperuacua fuit. ſcimus enim quàm frigidè ſibi diſpliceant homines in peccatis, niſi multis ſtimulis pungantur. Deinde hoc quoque intereſt gloriæ Dei, vt reatum ſuum homines non modo intus reputẽt, ſed palàm etiã ſimul teſtentur. Summa igitur hæc eſt, quanquã Deus nihil diſertè mãdauerat de purgãda domo, quia tamen altare iuſſerat erigi Iacob vt purum Deo obſequium præſtaret, tollenda impedimenta curaſſe: atque hoc feciſſe, quum ipſa neceſſitas ad quærendum Dei auxilium eum cogeret.

Exod. 19. 10. 14

4 *Et dederunt ipſi Iahacob.* Quanquã ſatis morigeram domũ habuit ſanctus vir, quòd tamen in abiiciendis idolis eius imperio tam facile omnes obtemperant, periculi metu factum eſſe non dubito. Vnde etiam colligimus quantopere nobis expediat malis expergefieri. Scimus quàm pertinax ſit, ac rebellis ſuperſtitio. Si in ſtatu pacato & læto tale aliquid iuſſiſſet Iacob, maior pars doloſè occultaſſet ſua idola: quidam etiam fortè contumaciter negaſſent. nunc vrget ipſos Dei manus, vt promptis animis celeriter reſipiſcant. Et probabile eſt pro temporis circunſtantia concionatum fuiſſe Iacob de iuſto Dei iudicio, vt metum illis incuteret. Quod enim iubet *ipſos mundari*, perinde eſt acſi dixiſſet, Hactenus fœdati fuiſtis corã Domino: nunc quũ tam clemen-

ter nos respexerit, eluite sordes istas,ne faciem eius rursus à nobis auertant. Absurdum tamen videtur quòd Iacob idola defoderit sub quercu,ac non potius contriuerit,ac igne consumpserit: quemadmodum de vitulis aureis legimus feciſſe Mosen, & Ezechiam de serpente æneo. Neque enim frustrà locus exprimitur:sed perstringitur infirmitas Iacob,quia in futurum tempus non satis prouidus fuerit. Et fortè Dominus nimiam prioris temporis conniuentiã & mollitiẽ vltus est, quòd prudentia vel animo eum destituit: eius tamen obedientia,licet aliquid habuerit residuum vitii,Deo accepta fuit:quia sciebat hoc sancto viro esse propositum,idola è medio tollere,& in signum detestationis terra obruere. Inaures minimè dubium est fuisse superstitionis insignia,sicuti hodie in Papatu cernuntur innumeræ nugæ,quibus impietas se ostentat. *Exod.32.d.10 2.Reg.18.d.4*

5 *Et fuit terror Dei super urbem.* Nunc re ipsa apparet nõ frustrà promissam à Deo salutẽ fuisse sancto viro,quando inter tot hostiles gladios non modò tutus,sed etiam quietus incedit.Exci dio Sichimitarum omnes vicini populi in odium familiæ vnius exarserant, nullus tamen se ad vindictam commouet. Ratio exponitur à Mose,quòd terror Dei ceciderit super eos,qui comprimeret violentos illorum impetus. Hinc discamus in manu Dei esse hominum corda,vt fortitudine instruat quæ per se debilia sunt:&rursus quoties visum est,emolliat ferreã duritiẽ. Patitur quidem interdũ multos euomere superbiæ suæ spumas,quibus deinde suũ præsidiũ opponit: sed metu sæpe effœminat qui instar leonũ animosi erant. sic videmus gigãtes istos qui cẽties vorare poterãt sanctũ Iacob,subita formidine percelli vt liquescãt.Proinde quoties furere impios videmus in nostrã perniciem,ne metu concidãt,& desperatione frangantur corda nostra,veniat nobis in memoriã hic Dei terror,quo facilè domatur quantumuis furiosa totius mũdi audacia.

7 *Et ædificauit ibi altare.* Iam dictũ est cur oportuerit sanctos Patres quocũque venirent,propriũ ac distinctum à reliquis gẽtibus habere altare:nẽpe vt testatum facerẽt se nõ colere promiscuos deos,quibus tunc passim addictus erat mundus,sed sibi peculiarẽ esse Deũ.Nam etsi animo colitur Deus, confessio tamẽ externa,fidei comes indiuidua est. deinde quãtopere nobis vtile sit adminiculis incitari ad Dei cultũ,nemo est qui nõ cognoscat. Siquis obiiciat,nihil in specie diuersum apparuisse:respondeo,hoc fuisse non paruũ discrimen : quòd quũ alii diis incognitis temerè, & zelo inconsiderato altaria extruerent, Iacob semper Dei verbo se astrinxit.Atqui nullum est legitimum altare, nisi verbo cõsecratum. nec verò alia nota excelluit cultus Iacob , nisi quòd nihil tentauit præter Dei mandatũ.Quòd loco nomen imponit Deus Bethel,videtur quidem esse nimis crassum:& tamen hoc quoque elogio laudatur sancti viri fides,idque iure:quãdo quidẽ se intra fines diuinitus præscriptos continet.Stulti sunt Papistæ,dum ex bruta propemodũ modestia laudem humilitatis affectant.Fidei verò humilitas laudabilis,dum sapere non appetit plusquam Dominus permittat. Sicuti autẽ quũ ad nos descendit , quodammodo se extenuat & balbutit nobiscũ,ita etiã nos secũ balbutire vult.Atque hoc est verè sapere,vbi Deũ amplectimur,prout se ad modulum nostrũ accõmodat.In hunc modũ Iacob nõ argutè disputat de essentia Dei,sed ex oraculo percepto familiarem sibi Deum facit.Quia autem sensus suos ad reuelationem dirigit,grata,vt dixi, balbuties hæc,& simplicitas Deo est.Porrò quanquam hodie clarior illuxit Dei notitia,quia tamen Deus in Euangelio quoque nutricis personam suscipit,discamus mentes nostras subiicere:tantùm meminerimus eum descendere ad nos, vt sursum nos attollat. Neque enim terreno more ideo loquitur vt nos à cælo arceat, sed potius vt hoc vehiculo nos subleuet. Interim tenenda est regula,quoniam ex cælesti oracului impositum fuit altari nomen,verum & ritè dispositum fuisse ædificium fidei.nam vbi non personat viua Dei vox,quicquid pomparum ingeritur,inanibus spectris simile est:sicuti in Papatu nihil cernere licet præter vesicas vento refertas. Adde quòd Iacob continuum fidei suæ tenorem ostendit,ex quo Deus se illi manifestare cœperat : quia hoc sibi proponit, quòd Angeli apparuerint. Nam quum pluralis sit verbi numerus,de Angelis libenter interpretor.neque hoc superiori doctrinæ contrarium est.etsi enim conspicua illi tunc fuit Dei maiestas quatenus capere poterat,nõ abs re tamen Angelos cõmemorat Moses,quos vidit Iacob ascendere & descẽdere per scalæ gradus.Neque enim secus tũc intuitus est Dei gloriã in Angelis,quàm Solis splẽdor per radios ad nos vsque manat.

8 *Et mortua est Deborah.* Hîc breuis inseritur narratio mortis Deboræ, quam colligere licet sanctam fuisse matronam,& quam domus Iacob non secus ac matrem venerata est. nam sepultam fuisse raro cum honore, & luctu non vulgari,testatur perpetuum loci nomen. Paulo pòst narrabitur mors & sepultura Rachelis : nullum tamen ad posteros luctus signum fuisse transmissum dicet Moses. ergo auiæ loco ab omnibus fuisse habitã probabile est. Sed quæritur, quomodo tunc fuerit in contubernio Iacob , qui nondum ad patrem peruenerat : ætas autem anus decrepitæ ad longinquam profectionem minimè erat idonea. Diuinant quidam interpretes missam fuisse à Rebecca in occursum filii Iacob. sed non video quid habeat coloris eorum coniectura.Nec tamẽ habeo quicquam certi,quod afferam:nisi fortè quod in gratiam alumnæ iam

à puero dilexit Iacob: & quum exilii causam sciret, pietatis studio ipsum sequuta sit. Moses certè non frustrà tam insigni elogio celebrat eius mortem.

9 *Et uisus fuerat Deus ipsi Iahacob.* Postquã de morte Deboræ pauca verba interposuit Moses, secundam visionem recitat, qua Iacob post reditum confirmatus est in Bethel. Semel eo in loco visus ei fuerat Deus, quum in Mesopotamiam concederet. Interea variis modis, prout vsus tulerat, testatus fuerat Deus se illi vbique per totam peregrinationem adesse: sed nũc eum in locum reducitur, vbi illustrius, magísque memorabile oraculum illi datum fuerat, vt nouam deintegro fidei confirmationẽ accipiat. Benedictio Dei hoc loco nihil aliud quàm promissio est. nam sicuti bona precantur homines alii aliis, ita Deus perfectæ fœlicitatis se fore authorem denuntiat. Porrò nihil tunc nouum audiuit Iacob, sed eadem illi repetita est promissio, vt postliminio in patriam reuersus, collecto nouo fidei vigore, animosius reliquum vitæ cursum conficeret.

10 *Non uocabitur nomen tuum ultrà.* Quis sit horum verborum sensus, antè diximus. Neque enim aboletur prius nomẽ, sed præfertur alterius dignitas quod postea illi inditum est. Iacob enim abvtero vocatus fuerat, quòd fortis fuisset cum fratre luctator. Israel autem postea vocatus est, quòd cum Deo antagonista congressus, victoriam obtinuit. non quòd propria virtute præualuerit (nam & animum, & vires, & arma à solo Deo mutuatus est) sed quia gratuito isto honore Dominus ipsum ornare voluit. Facit igitur comparatio vt nomen Iacob obscurum sit, & ignobile præ nomine Israel. Quidam subaudiunt, Non tantùm vocaberis Iacob, sed simul addetur cognomen Israel. sed altera expositio mihi simplicior videtur, quòd vetus nomen minus in se splendoris habens, secundo cessurũ sit. Quod Augustinus affert, speciosum est magis quàm solidum, præsentis vitæ intuitu vocatum fuisse Iacob: nomen verò Israel ad futurã vitam spectare. Maneat ergo illud fixum, duplex nomen inditum fuisse sancto viro, quorum posterius longè excelluit. Videmus enim vt Prophetæ vtrunque sæpe coniungant, gratiæ Dei constantiam ab initio vsque ad finem notantes.

11 *Ego sum Deus omnipotens.* Fortitudinem suam hoc loco, vt alibi, cõmendat Deus, quo certius in eius fidem recumbat Iacob. Deinde facturum se promittit vt crescat Iacob, & augescat non modò in gentem vnam, sed in congregationem Gentium. Quum Gentis meminit, non dubium est quin significet adeò numerosam fore eius sobolem, vt magni vnius populi corpus, & nomen efficiat. Sed quod de Gẽtibus sequitur, videri posset absurdum. Nam si ad Gentes referre placeat, quæ gratuita adoptione insitæ sunt in genus Abrahæ: impropria erit loquutio. si verò de naturalibus filiis intelligas, maledictio potius erit, quàm gratia, scindi Ecclesiam in plures populos, cuius salus vnitate constat. Mihi verò vtranque gratiam videtur complexus fuisse Dominus his verbis. Nam quum sub Iosue distinctus fuit populus in tribus, quasi in totidem populos propagatum fuit Abrahæ semen: neque tamen eo modo diuisum fuit corpus. ideo vocatur Gentium congregatio, quòd in illa distinctione vigeret tamen sacra vnitas. Hoc quoque ad Gentes non malè extenditur, quæ quũ prius dispersæ forent, in vnam congregationẽ fidei vinculo collectæ sunt. Etsi autem secundum carnem non fuerunt ex Iacob progenitæ, quia tamen fides noua illis fuit nascendi origo: fœdus autem salutis, quod spiritualis genituræ semen est, à Iacob defluxit: meritò fideles omnes in eius filiis censentur, secũdum illud, Patrem multarum gentium constitui te. *Et reges è lumbis tuis egredientur.* Hoc propriè meo iudicio, ad Dauidem, eiúsque posteros referri debet. Nam regnum Saulis Deo probatum non fuit, ideóque non fuit stabile. regnũ verò Israel nihil quàm corruptela fuit legitimi regni. Fateor quidem interdum numerari inter Dei beneficia, quæ ex malo principio orta sunt. sed quia hîc mera & liquida Dei benedictio refertur, de solis Dauidis successoribus libenter intelligo. Tandem Iacob constituitur terræ Dominus, tanquam aui sui Abrahæ & patris Isaac vnicus hæres. Clarè enim abdicat Dominus Esau à sancta familia, quum ad solos posteros Iacob hæreditario iure transfertur terræ dominium.

13 *Et ascendit ab eo Deus.* Ascensus hic Dei, analogiã habet cum descensu. Deus enim qui cælum & terram implet, locũ non mutando, descendere tamen ad nos dicitur quoties aliquod præsentiæ suæ symbolum exhibet, quod paruitati nostræ respondeat. Ascendit ergo à Iacob, quum disparuit ab eius oculis, vel finem habuit visio. Atque hac loquendi forma Deus verbi sui pretium nobis commendat, quòd scilicet gratiæ suæ testimonio nobis propinquus sit. nam quia inter nos, & cælestem eius gloriam longa est distantia, ipse per verbum ad nos descendit. Hoc verò demum in Christi persona solidè impletum fuit, qui suo in cælum ascensu fidem nostrã ita extulit, vt semper tamen nobiscum Spiritus sui virtute habitet.

14 *Et statuit Iahacob statuam.* Quanquam fieri potest vt in memoriam secundæ visionis rursus sacrum monumentum erexerit, eorum tamen sententiæ facilè subscribo, qui referri putant quod prius gestũ fuerat. Quasi diceret Moses, illud esse vetus Dei templum, in quo libamen fu-

derat Iacob. neque enim eò venire iussus erat habitandi causa, sed vt recentior loci conspectus veteris oraculi fidem renouaret,ac melius sanciret. Alibi legimus extructa fuisse à sanctis Patribus altaria,vbi diutius manere in animo habebant: sed alia tunc fuit ratio. nam quum solenne votum in Bethel nuncupasset Iacob, si sospes reductus fuisset à Domino:nunc gratiarum actio ab eo exigitur,postquam reus voti factus est,vt confirmatus aliò transeat.

16 *Et profecti sunt de Bethel.* Vidimus quantum doloris vulnus attulerit sancto Iacob raptus filiæ,quantum terroris incusserit crudele facinus duorum filiorum. Nunc texentur variæ cruces,quibus subinde per totam senectutem duriter afflictus fuit, donec in AEgyptum profectus, nouam lætitiam concepit ex conspectu filii Ioseph. Sed illa quoque fuit grauissima tẽtatio,à terra promissa exulare vsque ad mortem. Nunc describitur mors dilectæ vxoris, quam paulo pòst sequetur incestus coitus primogeniti cũ vxore Bilhah. Paulo pòst Isaac pater illi moritur. deinde eripitur filius Ioseph,quem putat à fera bestia laniatum. Dum perpetuo luctu propemodum tabescit,exoritur fames, vt victum petere cogatur ex AEgypto. Illic retinetur in vinculis alter filius, donec etiam priuetur suo Beniamin, quem vnicè charum non secus à se dimisit, quàm si auulsa illi essent sua viscera. Videmus itaque quàm aspera militia, & continuo malorum tenore assuefactus ad spem melioris vitæ fuerit. Quòd autem itineris lassitudine priusquam ad hospitium pertingerent,ex partu mortua est Rachel,hæc dolori augendo non parua accessio fuit. Cæterùm quòd orbatus fuit vxore dilectissima, probabile est ideo contigisse, quia Dominus amoris intemperantiam corrigere voluit. Leam Spiritus sanctus ignominia non notat, quum sancta esset mulier,maioríque virtute prædita: Rachelis tamẽ venustas pluris erat apud Iacob. Hoc vitium in sancto viro amara medicina purgatum est, quum illi ablata est vxor. ac sæpe Dominus Fideles ita spoliat donis suis, vt peruersum eorum abusum castiget. Audacius quidem impii dona Dei profanant: si diutius conniuet Deus,grauior ex eius tolerãtia ipsos manet condemnatio. Suis verò peccandi materiam tollens,ipsorum saluti consulit. Quisquis ergo diuturnum donorum Dei vsum expetit,discat illis non abuti,sed purè & sobriè frui.

17 *Dixit ei obstetrix.* Scimus veteres sobolis valde fuisse cupidos,ac præsertim masculæ. Quòd ergo Rachel hoc cõsolationis genus non admittit,hinc colligimus dolore fuisse penitus oppressam. Ergo inter cruciatus mortua est, nihil aliud quàm tristem partum, & dolores suos cogitãs, ex quo sensu nomen imponit filio: quod tamen vitium postea correxit Iacob. Nominis enim mutatio satis ostendit,iudicio eius damnatum fuisse mœroris excessum in vxore,quæ filio sinistram, ac probrosam notã inusserat. nam ingratitudine non caret tristitia,quæ sensus nostros ita occupat in rebus aduersis,vt nos Dei beneficia nõ exhilarent,vel saltem aliquid aspergant dulcedinis ad dolorem mitigandum. Additur deinde sepultura,cuius tanta apud sanctos Patres vigere non potuit religio, nisi ob spem futuræ resurrectionis. Quoties ergo legimus de sepeliẽdis mortuis suis,quasi de raro aliquo officio,fuisse solicitos: veniat nobis in mentem finis ille quem dixi. neque enim ludicra fuit cæremonia, sed viuum futuræ resurrectionis symbolum. Fateor quidem profanos ac degeneres homines passim tunc in mundo impensam operam sepeliendis mortuis temerè dedisse,tãtùm ad inane luctus solatium. Sed quãquã illi à vera origine in crassos errores dilapsi erant: fecit tamẽ Dominus,vt integer apud suos ritus hic maneret. quin etiam apud incredulos testimoniũ extare voluit,quo inexcusabiles semel reddãtur. Nam quũ sine magistro ingenitus fuerit omnibus hic affectus,vt mortuos sepelire vnũ esset ex pietatis officiis,clarè hoc illis dictauit natura,corpus hominis ad immortalitatem esse cõditum: ideóque sic concidere in morte,vt non prorsus intereat. Statua,vel monumẽtum eôdem spectauit. Nullam arcem extruxit,quæ insigne esset gloriæ suæ apud posteros: sepulchri verò memoriã erigere curæ habuit, quæ omnibus seculis testis esset secundæ vitæ magis fuisse addictum. & Dei prouidentia superstes durauit hæc admonitio,donec ex AEgypto reuersus est populus.

22 *Et concubuit cum Bilhah.* Tristis nunc, imò tragica historia refertur de incestuoso concubitu Ruben cum nouerca. Vocat quidem Moses Bilham concubinam Iacób: sedquanquam nõ cõuenerat in manũ viri, vt esset mater familiâs ac bonorum socia, tamen quoad thorum legitima erat vxor,quẽadmodũ antè vidimus. Siquis extraneus sancti viri vxorem stuprasset,affectus fuisset magno probro: sed lõgè atrocius fuit,tantã cõtumeliam à proprio filio pati. Quale verò, & quàm detestabile probrum, quòd duarũ tribuum mater non modò se adulterio contaminat, sed etiam incestu? Quod flagitium sic à natura abhorret,vt ne inter Gẽtes quidem tolerabile vnquã habitum fuerit. Et certè miro Satanæ artificio penetrauit tãta obscœnitas in sanctam domũ, vt irrita videri posset Dei electio. Quibuscunq; potest modis Dei gratiã in electis peruertere Satan conatur: id quum efficere nequit,eam vel infamat,vel saltem obscurat. Hinc fit vt turpia sæpe exempla in Ecclesiam obrepant. Et Dominus hoc modo humiliari suos patitur,vt sibi attentius caueãt,vt magis solicitè inuigilent ad preces,discántq; ab eius misericordia in totũ pendere.

Moſes tantùm refert, Iacob de ſcelere hoc factum eſſe certiorem: dolorem verò eius ſubticet, nõ quòd fuerit ἀπάλγητος (neque enim tam erat ſtupidus, vt dolorem ſuum non ſentiret) ſed quia pro rei grauitate exprimi nõ potuit mœror. Nam hîc prorſus videtur ſpectaſſe Moſes quod pictor ille in Iphigeniæ immolatione fecit, qui patris facié velauit, quum lugẽtis vultum non poſſet ſatis exprimere. Præter æternum familiæ dedecus erant alia, quæ ſancti viri pectus tranſfigerẽt. ſumma eius fœlicitas erat in ſobole, vnde etiam toti mundo proditura erat ſalus. quum iam duo fuiſſent perfidi & ſanguinarii latrones, nunc primogenitus ſcelere vtrunque ſuperat. Sed hinc illuſtrior apparuit gratuita Dei electio, quia filios Iacob nõ ex dignitate prætulit toti mũdo: deinde quòd quum tam fœdè lapſi eſſent, firma nihilominus & efficax ſtetit. Talibus exemplis moniti, diſcamus nos contra horrenda ſcandala munire, quibus Satan turbare nos ſtudet. Accommodet etiam hoc quiſque ad priuatam fidei ſuæ cõſolationem. ita enim labuntur interdum etiam boni, quaſi à gratia exciderint. tales ruinas ſtatim excipiat deſperatio neceſſe eſt, niſi Dominus ex oppoſito ſpem veniæ oſtendat. Inſigne hîc ſpeculum proponitur in Ruben, qui poſt extremum facinus, gradũ tamen Patriarchæ in Eccleſia retinuit. quanquã ſimul manendũ eſt ſub timoris & vigilantiæ cuſtodia, ne incautos opprimat tentatio, atque ita circunueniant Satanæ inſidiæ. Neque enim fœdæ libidini patronum dare voluit Spiritus ſanctus, vt in cõcubitus inceſtuoſos quiſque ruat: ſed potius in perſona honorifica huius ſceleris turpitudinem traduxit, vt inde magis ſolicitè omnes abhorreant. Hic locus etiam Nouati errorem refellit. Probè edoctus erat Ruben: ſymbolum Diuini fœderis à prima infantia in carne ſua geſtabat, imò regenitus erat Dei Spiritu. videmus quale fuerit præcipitiũ, vnde erectus eſt incredibili Dei miſericordia. Non eſt igitur cur lapſis ſpem veniæ præcidant Nouatiani, & ſimiles phrenetici: quia non leuis Chriſto fit iniuria, ſi ab eius aduentu magis reſtrictam eſſe putamus Dei gratiam. Et *fuerunt filii Iahacob duodecim.* Recenſet Moſes iterum filios Iacob continua ſerie. primus inter eos ponitur Rubẽ non honoris cauſa, ſed vt maiore probro oneretur. nam quo maiori quiſque honore ornatus eſt à Domino, eo grauiorem ſuſtinet culpam, dum Satanæ poſtea ſe mancipãs, locum ſuum deſerit. Videtur autem catalogum hunc texere Moſes ante mortem Iſaac, vt diſcernat progeniem Iacob ab Idumæis, quorum mentio fiet proximo capite. Nam morte Iſaac fons ſancti generis quaſi in duos fluuios ſeorſum fuit diductus: ſed quia Dei adoptio in altera tantũ parte ſe continuit, neceſſe fuit alterum genus ab altero diſtingui.

28 Et *fuerunt dies Iſhac.* Mors Iſaac non narratur ſuo ordine, vt mox patebit ex contextu. ſed alibi vidimus ὕστερον πρότερον Moſi familiare eſſe. Cæterùm quum dicitur *mortuus eſſe ſenex, ac plenus dierum*, ſenſus eſt, expleto vitæ curſu defunctum eſſe matura morte. itaque hoc ad Dei benedictionem pertinet. Quanquã verba iſta non modò ad temporis ſpatium, ſed ſimul ad ſancti viri affectum refero, quòd ſcilicet Iſaac vitæ ſatur, libenter & placidè conceſſerit è mundo. quoſdam enim ſenes decrepitos cernere licet, qui tamen non minus vitæ cupidi ſunt, quàm in flore ætatis: & quum ſint ſilicernia, mortem nihilominus exhorrent. Quãquam ergo inter Dei benedictiones cenſetur longa vita, non tamen ſufficit annorum numerum ſupputare, niſi homines ſe diu vixiſſe ſentiant: Deíque gratia & ætate ſua contenti, ad migrandũ ſe cõparent. Porrò vt animi compoſiti ſint ad talem moderationem, ſenes ſibi benè conſcios eſſe oportet, vt nõ refugiant Dei conſpectum. nam mala conſcientia impios terrore perſequitur, & exagitat. Adiungit etiam Moſes ſepultum fuiſſe Iſaac à duobus filiis. Nam quia tunc minus clarè teſtata erat reſurrectio, & eius primitiæ nondum apparuerant, eò diligẽtius exerceri decuit ſanctos Patres in externis cæremoniis, vt ita ſpectaculum interitus in morte corrigerent. Quòd autem Eſau priorem obtinet locum, hinc rurſus docemur fructum paternæ benedictionis non fuiſſe perceptum à Iacob in hac vita. nam qui iure primogenitus erat, alteri adhuc ſubiicitur poſt mortẽ patris.

Cap. XXXVI.

1 ET iſtæ ſunt generationes Heſaú, hic eſt Edóm.
2 Heſaú accepit vxores ſuas è filiabus Chenáan, Hadáh filiam Elón Hittæi, & Aholibamáh filiam Hanáh filiam Sibhón Hiuuæi,
3 Et Boſmáth filiam Iſmaél ſororem Nebaióth.
4 Et peperit Hadáh ipſi Heſaú Elipház: & Boſmáth peperit Rehuél.
5 Et Aholibamáh peperit Iehús, & Iahalám, & Córah. iſti filii Heſaú qui nati ſunt ei in terra Chenáan.
6 Et accepit Heſaú vxores ſuas, & filios ſuos, & filias ſuas, & omnes animas domus ſuæ, & pecudes ſuas, & omnia iumẽta ſua, & omnem acquiſitionem ſuam quã acquiſierat in terra Chenáan: & iuit ad *aliam* terrã à facie Iahacób fratris ſui.

7 Erat enim ſubſtantia eorum multa, ita vt non quirét habitare pariter:& non
poterat terra peregrinationum eorum ferre eos,propter ſubſtantiam eorum.
8 Et habitauit Heſaú in monte Sehir:Heſaú eſt Edóm.
9 Et iſtæ ſunt generationes Heſaú patris Edom in monte Seir.
10 Iſta ſunt nomina filiorum Heſaú:Elipház filius Hadáh vxoris Heſaú, Rehuél
filius Boſmáth vxoris Heſaú.
11 Et fuerunt filii Elipház, Themán,Omár,Sephó, & Gahathám,& Cenáz.
12 Et Thimnáh fuit concubina Elipház filio Heſaú , & peperit ipſi Elipház Ha-
maléc.iſti filii Hadáh vxoris Heſaú.
13 Et iſti ſunt filii Rehuél: Naháth,& Zérah, Sammáh,& Mizzáh. iſti ſunt filii
Boſmáth vxoris Heſaú.
14 Et iſti fuerunt filii Aholibamáh filiæ Hanáh filiæ Sibhón vxoris Heſaú:& pe-
perit ipſi Heſaú,Iehú,& Iahalám,& Córah.
15 Iſti duces filiorũ Heſaú. Filii Elipház primogeniti Heſaú,dux Themán, dux
Omár,dux Sephó,dux Cenáz,
16 Duc Córah,dux Gahathám, dux Hamaléc. iſti ſunt duces Elipház in terra E-
dóm.iſti ſunt filii Hadáh.
17 Et iſti ſunt filii Rehuél filii Heſaú, dux Nahath,dux Zérah,dux Sammáh,dux
Mizzáh: iſti ſũt duces Rehuél in terra Edóm:iſti ſunt filii Boſmáth vxoris Heſaú.
18 Et iſti ſunt filii Aholibamáh vxoris Heſaú, dux Iehus,dux Iahalám, dux Có-
rah.iſti ſunt duces Aholibamáh filiæ Hanáh vxoris Heſaú.
19 Iſti ſunt filii Heſaú,& iſti duces eorum:ipſe eſt Edóm.
20 Iſti ſũt filii Sehir Horæi habitatores terræ : Lotán,& Sobál,& Sibhón,& Ha-
náh.
21 Et Diſón,& Eſer,& Diſán. Iſti duces Horæorũ filiorũ Sehír in terra Edóm.
22 Et fuerunt filii Lotán,Hori,& Hemám:& ſoror Lotán, Thimnáh.
23 Et iſti ſunt filii Sobál:Haluán,& Manáhath, & Hebál,Sephó,& Onám.
24 Et iſti ſunt filii Sibhón : Aiáh & Hanáh . hic eſt Hanáh qui inuenit mulos in
deſerto,quum paſceret aſinos Sibhón patris ſui.
25 Et iſti ſunt filii Hanáh: Diſón,& Aholibamáh filia Hanáh.
26 Et iſti filii Diſán :Hemdán,& Eſbán,& Ithrán,& Cherán.
27 Iſti ſunt filii Eſer:Bilhán,& Zahauán,& Hacán.
28 Iſti ſunt filii Diſán:Hus,& Arán.
29 Iſti ſunt duces Horæorum,dux Lotán,dux Sobál,dux Sibhón,dux Hanáh,
30 Dux Diſón, dux Eſer,dux Diſán. iſti ſunt duces Horæorũ in ducibus eorum
in terra Sehir.
31 Et iſti ſunt reges qui regnauerunt in terra Edóm, antequam regnaret rex ſu-
per filios Iſrael.
32 Et regnauit in Edóm, Bélah filius Behór: & nomen ciuitatis eius Dinhábah.
33 Et mortuus eſt Bélah, & regnauit pro eo Iobáb filius Zérah de Boſráh.
34 Et mortuus eſt Iobáb,& regnauit pro eo Huſſámè terra Auſtrali.
35 Et mortuus eſt Huſſám , & regnauit pro eo Hadád filius Bedád qui percuſſit
Midián in agro Moáb:& nomen ciuitatis eius Hauith.
36 Et mortuus eſt Hadád,& regnauit pro eo Samláh de Maſrecáh.
37 Et mortuus eſt Samláh,& regnauit pro eo Saúl de Rehobóth fluminis.
38 Et mortuus eſt Saúl,& regnauit pro eo Bahal-hanán filius Hachbór.

39 Et mortuus est Bahal-hanán filius Hachbór,& regnauit pro eo Hadár: & nomen ciuitatiseius Pahú:nomen autem vxoris eius Mehetabél filia Matréd filiæ Me-zaháb.

40 Et ista sunt nomina ducum Hesaú,per familias suas,per loca sua, secundum nomina sua: dux Thimnáh, dux Haluáh,dux Iethéth,

41 Dux Aholibamáh,dux Eláh,dux Pinón,

42 Dux Cenáz, duc Themán,dux Mibsár,

43 Dux Magdiél,dux Hirám. isti sunt duces Edóm per habitationes suas,in terra hæreditatis ipsorum. ipse est Hesaú pater Edóm.

1 *Et istæ sunt generationes Esau.* Quanquã extraneus ab Ecclesia fuerit Esau coram Deo:quia tamen ipse quoque tẽporali benedictione aspersus est, vt filius Isaac,hæc ratio est cur Moses celebret ipsius genus,& satis longũ catalogum gentis ab eo progenitæ conscribat. Est tamen hoc elogium instar honorificæ sepulturæ. Tametsi enim præcellat Esau cum suis posteris, hæc tamen dignitas bullæ similis est,quia sub figura mundi comprehenditur,quæ cito perit.Quemadmodum ergo prius dictum fuit de aliis profanis gentibus, ita nunc extollitur Esau in sublime theatrum. Sed quia nullus est diuturnus status extra regnum Dei, euanidus est qui illi tribuitur splendor,& quasi subducto aulæo,disperit tota illa pompa. Testari quidem voluit Spiritus sanctus non inane fuisse vaticinium quod protulerat Isaac: sed simul ac eius effectum ostẽdit, quasi oppositio velo,ad considerandum genus Iacob oculos nostros conuertit.Iam licet ex tribus coniugiis liberos sustulerit Esau,in quibus postea enituit Dei benedictio,non tamen ideo probatur polygamia,nec excusatur impura hominis libido: sed in eo magis admiranda est Dei bonitas, quæ malis principiis præter naturæ ordinem bonum exitum dedit.

6 *Et iuit ad aliam terram à facie Iahacob.* Non intelligit Moses cõsultò profectum fuisse Esau vt fratri cederet.nam vt superbus erat,& ferox,nũquã passus esset videri inferior.Sed Moses,posthabito cõsilio Esau,arcanam Dei prouidentiam commẽdat,qua expulsus ille in exilium fuit,vt vacua maneret terræ possessio vni Iacob. Præsentis vtilitatis studio concessit Esau in montem Seir,sicut alibi dictum est.Nihil minus habet propositum,quàm fratri consulere: sed Deus cæcum hominem manu sua direxit,ne locum occuparet in terra quam seruo suo destinauerat. Ita sæpe accidit,vt præter animi sententiam prosint impii electis Dei filiis:& dum præsentibus cõmodis inhiat præceps eorum cupiditas,æternã eorum salutem promoueant,quos alioqui cuperent perditos. Discamus igitur ex præsenti loco tã in rebus fortuitis,vt loquũtur,quàm in prauis hominum consiliis occultam Dei prouidentiam , quæ omnes euentus in finem à se præfixũ conuertit, fidei oculis speculari. Nam quum egressus sit Esau, vt seorsum extra patris domum commodius ageret,abiisse dicitur à facie fratris sui:quia Dominus ita statuerat.Dicitur autem indefinitè abiisse in terram,quia incertus consilii domicilium in variis locis quæsiuit, donec oblatus est mons Seir,quemadmodum Gallice dicitur,*il s'en est allé a son aduenture.*

9 *Et istæ sunt generationes Hesau patris Edom.* Quanquã binominis fuit Esau,hoc tamen loco secũdum nomen refertur ad posteros qui vocati sunt Idumæi. Nam vt appareat quid ei Dominus in gratiam patris Isaac cõtulerit, eum disertè appellat Moses patrem celebris & famosi populi. Et certe hoc non parum ad rẽ interfuit, vim & complementũ vaticinii perspicere in progenie Esau. Si enim tam potẽter viguit Dei promissio erga hominẽ extraneũ,quãto se potẽtius exeret erga filios,quorũ propria est adoptio,& proinde gratiæ hæreditas? Obscurus homo erat Esau,& in illa regione hospes. Vnde ergo fit vt repẽtè ex eo emergãt Reguli, & magnum populi corpus floreat,nisi quia benedictio ex ore Isaac profecta,effectu ipso rata fuit? Neque enim absque ærumno in solitudine regnauit Esau,quum montem Seir prius incoleret nõ ignobilis populus. Nam ideo refert Moses prius strenuos fuisse homines qui habitarẽt in terra illa:vt nouo aduenæ tantam potentiam acquirere non facile fuerit,nisi diuinitus esset adiutus.

24 *Hic est Ana qui inuenit mulos.* Mulorũ soboles adulterina est ex admissura equi & asinæ.Eius authorẽ Moses dicit fuisse Ana. Porrò hoc in laude industriæ nõ pono. neque enim Dominus frustra animalium genera initiò distinxit.Sed quia filios seculi vt plurimum solicitat carnis vanitas, vt ingeniũ ad res superuacuas applicent, præposterum hoc studium notauit Moses in Ana,cui non satis fuit copiam habere animalium,nisi ex prodigioso coitu degeneres fœtus accerseret. Adde quòd hinc cognoscimus plus esse temperantiæ in brutis animalibus ad sequendam naturæ legem,quàm in hominibus qui vitiosas mixturas excogitant.

31 *Reges qui regnauerunt in,&c.* Memoria tenendũ est quod paulo antè diximus,subito excellere reprobos,vt statim cõcidãt,sicut herba tectorũ quæ radice caret, præcocẽ habet vigorẽ, sed

citius arescit. Duobus filiis Isaac promissa fuerat hæc dignitas, quòd oriũdi essent ab ipsis Reges. priores incipiunt regnare Idumæi. ita videtur deterior esse Israelis conditio. Sed tandem successus temporis docuit quanto melius sit humi reptando, altas agere radices, quàm præposteram excellentiam momento acquirere quæ statim euanescat. Non est ergo cur filiis seculi celeres lætitiæ progressus inuideant Fideles, dum ipsi lentè pergunt: quia longè pluris est stabilis illa fœlicitas, quam Dominus ipsis promittit, sicuti habetur in Psalmo, Filii filiorum habitabunt, & eorũ hæreditas perpetua erit. *Psal.101.d.29*

Cap. XXXVII.

1 ET habitauit Iahacób in terra peregrinationum patris sui, in terra Chenáan.
2 Istæ sunt generationes Iahacób. Ioseph filius septemdecim annorum pascebat cum fratribus suis pecudes, & erat puer cum filiis Bilháh, & cum filiis Zilpáh vxorum patris sui. & retulit Ioseph obloquutionẽ eorum malã patri eorũ.
3 Et Israél diligebat Ioséph præ cunctis filiis suis, quia filius senectutis erat ei: & fecerat ei tunicam multicolorem.
4 Et viderunt fratres eius quòd eum diligeret pater eorum præ cunctis fratribus eius, & odio habebant eum, & non poterant alloqui eum pacificé.
5 Somniauit autem Ioséph somnium, & nuntiauit fratribus suis, & addiderunt amplius odio habere eum.
6 Et dixit ad eos, Audite quæso somnium hoc quod somniaui.
7 Ecce enim ligabamus manipulos in medio agri: & ecce surrexit manipulus meus, & etiam stabat: & ecce circundabant manipuli vestri, & incuruabant se manipulo meo.
8 Et dixerũt ei fratres eius, Num regnãdo regnabis super nos? num dominãdo dominaberis nobis? & addiderunt adhuc odio habere eum propter somnium eius, & propter verba eius.
9 Et somniauit adhuc somnium alterum, & narrauit illud fratribus suis, & dixit, Ecce somniaui somnium adhuc: & ecce sol, & luna, & vndecim stellæ incuruabant se mihi.
10 Et narrauit patri suo, & fratribus suis: & increpauit eum pater eius, & dixit ei, Quid est hoc somnium quod somniasti? num veniẽdo veniemus ego, & mater tua, & fratres tui vt incuruemus nos tibi ad terram?
11 Et inuiderunt ei fratres eius; & pater eius obseruabat rem.
12 Et profecti sunt fratres eius vt pascerent pecudes patris sui in Sechém.
13 Et dixit Israél ad Ioséph, Nónne fratres tui pascunt in Sechém? veni, & mittãte ad eos. Et dixit ei, Ecce adsum.
14 Et ait ei, Vade nunc, vide incolumitatem fratrum tuorum, & incolumitatẽ pecorum, & refer mihi rem. & misit eum ex valle Hebrón, & venit in Sechém.
15 Et inuenit eum vir, & ecce errabat in agro. interrogauit autem eum vir ille, dicendo, Quid quæris?
16 Et dixit, Fratres meos ego quæro, nuntia obsecro mihi vbi ipsi pascant.
17 Et dixit vir ille, Profecti sunt hinc. audiui enim eos dicentes, Eamus in Dothán. Et perrexit Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothán.
18 Et viderunt eum è longinquo. & antequam appropinquaret eis, machinati sunt contra eum vt interimerent eum.
19 Et dicebat alter alteri, Ecce magister ille somniorum venit.
20 Nunc igitur venite, & occidamus illũ, & proiiciamus eum in vnã è cisternis: & dicemus, Bestia mala deuorauit eum: & videbimus quid erunt somnia eius.

21 Et audiuit Reubē,& eripuit eum è manu eorū,& dixit,Ne percutiamus eum *in* anima.

22 Et dixit ad eosReubén,Ne effundatis ſanguinem:proiicite eum in ciſternam hanc quæ eſt in deſerto: & manum ne mittatis in eum. vt erueret eum è manu eorum,vt reduceret eum ad patrem ſuum.

23 Et fuit,vt venit Ioſéph ad fratres ſuos,exuerūt Ioſéph tunica ſua,tunica multicolore quæ erat ſuper eum.

24 Et tulerunt eum,& proiecerunt eum in ciſternam:& ciſterna erat vacua,non erat in ea aqua.

25 Et ſederunt vt comederent panem,& leuauerunt oculos ſuos,& viderunt, & ecce turba Iſmaelitarum veniebat de Gilhád, & cameli eorum portabant aromata, & reſinam,& ſtacten,ambulantes vt deferrent in AEgyptum.

26 Et dixit Iehudah fratribus ſuis,Quæ vtilitas,ſi occiderimus fratrē noſtrum, & celauerimus ſanguinem eius?

27 Venite,& vendamus eum Iſmaelitis: & manus noſtra ne ſit in eum,quia frater noſter,caro noſtra eſt:& paruerunt ei fratres eius.

28 Et tranſierūt viri Midianitæ mercatores,& extraxerūt, & ſuſtulerunt Ioſéph è ciſterna, & vendiderunt Ioſéph Iſmaelitis viginti argenteis, & abduxerunt Ioſéph in AEgyptum.

29 Et reuerſus eſt Reubén ad ciſternam, &ecce non erat Ioſéph in ciſterna,& ſcidit veſtimenta ſua.

30 Et reuerſus eſt ad fratres ſuos,& dixit,Puer non eſt,& ego quò,ego *quò* i bo?

31 Et tulerunt tunicam Ioſéph,& iugulauerunt hircum caprarum, & tinxerunt tunicam in ſanguine.

32 Et miſerunt tunicam multicolorem,& deferri fecerunt ad patrem ſuum, & dixerunt,Hanc inuenimus,agnoſce nunc vtrum tunica filii tui ſit,an non.

33 Et agnouit eam, & dixit, Tunica filii mei eſt:beſtia mala deuorauit eum, rapiendo raptus eſt Ioſéph.

34 Et ſcidit Iahacób veſtimenta ſua,& poſuit ſaccum in lumbis ſuis,& luxit ſuper filio ſuo diebus multis.

35 Et ſurrexerunt omnes filii eius, & omnes filiæ eius, vt conſolarentur eum, & noluit conſolationem admittere: & dixit, Certè deſcendam ad filium meum lugens ad ſepulchrum. & fleuit eum pater eius.

36 Et Midianitæ vendiderūt eum in AEgypto Potiphár ſatrapæ Parhóh, principi ſatellitum.

1 *Et habitauit Iahacob.* Confirmat Moſes quod prius teſtatus eſt,diſceſſu Eſau relictam fuiſſe terram ſancto Iacob, vt vnicus eſſet eius poſſeſſor. quanquam in ſpeciem ne gleba quidem illi acceſſit,ſed nudo terræ aſpectu contentus,exercuit fidem ſuam. & Moſes nominatim eum patri ſuo comparat,qui tota vita fuerat in illa terra peregrinus.Quanquam ergo fratre in aliud domicilium tranſlato, non parum adeptus erat Iacob: Dominus tamen profectum illum ab eius oculis abſconditum eſſe voluit,vt à promiſſione totus penderet.

2 *Iſtæ ſunt generationes Iahacob.* Voce תולדות,non tam genealogia intelligi debet,quàm res geſtæ,ſicuti ex contextu melius conſtat.Nam Moſes ita præfatus, nō enumerat filios & nepotes, ſed exponit vnde nata ſit inuidia fratrum contra Ioſeph, vt facta nefanda conſpiratione illum venderent. acſi dixiſſet, Poſtquam breuiter complexus ſum genealogiam Eſau, nunc ad ſeriem meæ hiſtoriæ reuertor,quid contigerit in familia Iacob. Porrò de nefando ſcelere filiorum Iacob verba facturus Moſes, hinc orditur, quòd Ioſeph præ aliis charus eſſet patri ſuo,quia eum proiecta demum ætate genuerat. teneri etiamamoris ſignum ponit, quòd illum tunica veſtiret contexta ex variis coloribus.Atqui nihil mirum fuit,puerum à patre ſene in deliciis haberi.

nam ita fieri ſolet, nec inuidiæ locus eſt, quum robuſtior ætas, natura dictãte, hac in parte cedat. Moſes verò hanc fuiſſe odii cauſam dicit, quòd magis propenſus in eum, quàm in alios eſſet patris animus. Odium concipiunt fratres in puerum, quem vident tenerius à patre diligi: quia in eius ſenectute natus eſt. Si amoris ſocii eſſe nolunt, cur ſaltem non indulgent? Hinc ergo perſpicitur malignũ, peruerſúmque eorum ingenium. Quòd autem tunica verſicolor, & ſimiles nugæ ad machinandam cædem eos inflammant, in eo ſe prodit deteſtabilis crudelitas. Dicit etiam Moſes inde odium creuiſſe, quòd malos fratrum ſermones detulerit Ioſeph ad patrem. Quidam Verbum malum, exponunt facinus aliquod nõ ferendum. Sed alii rectius ſentiunt, querimoniã fuiſſe pueri, quia durius eũ ſuis cõuitiis vexabant fratres. Nam quod ſequitur apud Moſen, exegeticè additum fuiſſe interpretor, vt ſciamus quanã de cauſa malè & hoſtiliter tractatus fuerit. Quæritur cur tantùm filios Bilhæ & Zilphæ hic accuſet Moſes, qui tamẽ filios Leæ ab eodem crimine poſtea non eximet. Adde quòd vnus ex filiis Zilphæ Ruben, reliquis omnibus mitior fuit. Suſpicio probabilis eſt, quia ex concubinis, non ingenuis vxoribus nati erant, liuore citius infectos fuiſſe eorum animos: quaſi genus à matribus ſeruile contemptum ipſis afferret.

5 *Et ſomniauit Ioſeph ſomnium.* Poſtquam prima odii ſemina retulit Moſes, nunc altius cõſcendit, nempe admirabili Dei conſilio electum fuiſſe Ioſeph ad res maximas: ídque ſomniis fuiſſe teſtatum: atque ita fratrum odium in rabiem erupiſſe. Somniis autem patefecit Deus quid factu rus eſſet, vt poſtea ſciretur nihil contigiſſe fortuitò, ſed quod cæleſti decreto fixum erat, per flexuoſos circuitus demum ſuo tempore fuiſſe completum. Prædictum fuerat Abrahæ, ſemẽ eius fore peregrinum extra terram Chanaã. Vt in AEgyptum trãſeat Iacob, hæc ratio diuinitus ſtatuitur, vt Ioſeph AEgypto præfectus tempore famis, patrem cum tota domo accerſat, eíſque alimenta ſuppeditet. Nunc ex principiis quæ narrantur, nemo tale quicquam coniiceret. Filii Iacob in eius necem conſpirant, ſine quo ſalui eſſe nequeunt, imò qui illis ordinatus eſt ſalutis miniſter. In foueam coniectus, vix è faucibus mortis eripitur. Circumactus per caſus varios, videtur alienus eſſe à paterna domo. Poſtea in carcerem, velut in alterum ſepulchrum, deiicitur, vbi per longum tempus ferè tabeſcit. Nihil ergo minus conſentaneum, quàm vt per eius manũ ſeruetur familia Iacob, quando ab ea reſectus, & procul abductus, ne inter viuos quidem cẽſetur. Neque enim ſpes vlla reſtabat liberationis, præſertim ex quo à pincerna neglectus fuerat, quin dãnatus ad perpetuum carcerem, illic putreſceret. Atqui Deus per tales anfractus obliquè peregit quod ſtatuerat. Quare in hac hiſtoria non modò pulcherrimũ habebimus Diuinæ prouidentiæ exemplum: ſed alia quoque duo in primis notatu digna accedent, nempe quòd Dominus miris & inuſitatis modis opus ſuum peragat: deinde quòd Eccleſiæ ſuæ ſalutem non ex magnifico ſplendore producat, ſed à morte & ſepulchro. Quinetiã in perſona Ioſeph viua exprimitur Chriſti effigies, ſicuti melius liquebit ex contextu. Sed quia hæc ſæpius repetenda erunt, ſequamur filum verborũ Moſis. Deus peculiari honore puerum, qui inter duodecim penultimus erat, mera gratia dignatur, primatum illi deferens in fratres. Quo enim merito, vel qua virtute adeptum eſſe dicemus, vt fratrum dominus eſſet? Suo quidem poſtea ingenti beneficio viſus eſt hoc acquirere: ſed gratuitum fuiſſe Dei donum, ex ſomnio intelligimus, quod ex beneficentia Ioſeph minimè pendebat: quin potius mero Dei beneplacito deſtinatus fuit princeps, vt erga fratres beneficus eſſet. Porrò quũ duobus modis tunc ſolitus fuerit Dominus reuelare ſua arcana, viſionibus, & ſomniis: hîc notatur altera ſpecies. Nam certè vulgari more ſæpius ſomniauerat Ioſeph: ſed Moſes ſignificat diuinitus oblatum fuiſſe ſomnium, quod vim & põdus haberet oraculi. Scimus ex diurnis cogitationibus ſæpe naſci ſomnia: interdum corporis malè affecti ſigna eſſe: ſed quoties conſilium ſuum innoteſcere per ſomnia voluit Deus, ſimul inſculpſit certas notas quæ à fluxis friuoliſque imaginationibus illa diſcernerent, vt ſolida conſtaret fides, & authoritas. Ita Ioſeph certò perſuaſus fuit non inani ſpectro ſe fuiſſe deluſum, vt ſomnium ſuum pro cæleſti oraculo intrepidè proferret. Etſi autem ſub agreſti ſymbolo promiſſum eſt illi imperiũ, videtur docendo non fuiſſe appoſitum. Scimus pecuarios fuiſſe, non aratores, filios Iacob. Quũ nulla illis fuerit meſſis quam colligerent, videtur hoc parum congruere quòd adoretur eius manipulus. Sed forte conſultò hanc ſimilitudinem elegit Deus, vt doceret, vaticinium hoc non in præſenti fortuna Ioſeph fundatum eſſe, nec imperii materiam fore ex his quæ ad manum ſupperent, ſed fore aduentitium bonum, cuius cauſa alibi quám domi, quærenda foret.

8 *Num regnando regnabis ſuper nos?* Hîc clarè nobis oſtenditur vt paternus Dei fauor erga Electos quaſi flabellum ſit excitandis contra eos mundi odiis. Corrigi hoc modo iniuſtum odium decuit, quum audirent filii Iacob ſe fruſtrà Deo obniti. Perinde enim eſt acſi Deus ſe mediũ opponens, eorum furorem compeſceret his verbis, Carebit profectu impia veſtra conſpiratio. nam crepetis licet, hunc ego principem conſtitui, ad cuius perniciem vos rapit ſceleſta inuidia. Fortè etiam hoc ſolatio ſancti adoleſcentis moleſtiam leuare voluit. Atqui fecit illorum obſtinatio,

Num.12.b.6

vt magis inflammaretur. Discamus igitur non ægrè ferre, si quando nobis affulgens Dei gratia, nobis inuidiã conflet. Cæterùm plus satis acuti sunt somnii interpretes filii Iacob: sed quasi fabulam deridẽt, quia repugnat eorum votis. Ita sæpe cõtingit, eos qui malè affecti sunt, protinus capere quid velit Deus: sed quia nulla reuerentia tanguntur, contemnere. Huic verò contumaciæ succedit stupor, qui priorem illam perspicaciam delet.

9 *Et somniauit adhuc somnium.* Idem est huius somnii scopus. Vnũ est discrimen, quòd Deus vt plus fidei conciliet oraculo, figuram è cælo proponit. Spreuerant fratres Ioseph quod de manipulis dictum fuerat: nũc Dominus ad cæli intuitum eos euocat, vbi reluces augusta maiestas. Quæritur tamen quomodo hoc conueniat, venturam esse matrem vt adoret, quæ iam mortua erat. Quòd Hebræi quidam interpretes ad Bilha referũt, frigidum est, & sine talibus effugiis simplex constat sensus. nam Sol & Luna vtrunque caput familiæ designant: ita in hac effigie cernit Ioseph se adorari à tota paterna domo.

10 *Et increpauit eum pater.* Si suspicatus esset Iacob ex vana ambitione cõceptum esse somnium, iure filium increparet: verùm si agnoscit Deum esse somnii authorem, non est quod expostulet cum filio. Quòd autem agnouerit, hinc colligere licet: quia rem seriò cõsideraſſe postea dicitur. Moses enim ipsum discernẽs à filiis, hos nihil præter inuidiæ virus spirasse dicit: illum verò secum reputasse quidnam hoc vellet. quod fieri non potuit, nisi tactus fuisset reuerẽtia. Sed quum eius animo insideat quædam religio, quomodo filium obiurgat? hoc certè non est suum Deo honorem, eiúsque verbo reddere. Venire enim hoc in mentem debuit ipsi Iacob, quanuis eius imperio subesset Ioseph, Propheticã tamen personam sustinere. Credibile est, quia filios cernebat tam maleuolos, vt occurreret periculo, simulasse quod nõ erat. Neque enim ipse somnio fuit offensus: sed exasperari noluit eorum animos, quibus propter superbiã tolerabilis non erat subiectio. Ego certè placãdæ cõtentioni studentem, filiũ astutè reprehẽdisse non dubito. Quanquam hæc ratio minimè Deo probatur, vt fingamus nos veritati esse aduersos, dum studemus eorum iracundiam sedare qui contrà insaniunt. Debebat potius ingenuè hortari filios ne aduersus stimulum calcitrarent. Vel certè hæc tenenda erat moderatio, Si vulgare somnium est, sine stomacho rideatur: si autem à Deo manauit, nefas est obloqui. Potest etiam fieri vt senis animũ pupugerit absurditas. Scimus enim quàm difficile sit omnem altitudinem protinus exuere. Sed prior expositio melius congruere videtur. Certè quanuis paululũ à recta linea declinet Iacob, in eo tamen apparet non vulgaris pietas, quòd facilè prævaluit oraculi reuerẽtia. Impia verò contumacia in filiis se prodit, dum in maius odium prorumpunt. Nam quanuis somnium spernant, non tamen de nihilo vruntur. Libenter habuissent fratrẽ ludibrio: sed constringit eos occultus quidam Diuinitatis sensus, vt aliquid authenticum, velint nolint, sentire cogantur. Interea impellit eos cæca ferocia, vt Deo præter animi propositum resistant. Ergo vt Deus nos morigeros sibi habeat, discamus abiicere altos spiritus: quia docilitatis initium est, dum sustinent homines se cogi in ordinem. Damnabilis fuit in filiis Iacob hæc contumacia, quòd subiectionis odio non modo repulerunt Dei oraculum, sed eius nuntio, & præconi infesti fuerunt. Nunc quanto minus excusabilis erit nostra durities, nisi placidè colla subiicimus iugo Domini, postquã humilitatis doctrina, quæ nos subigit, adeóque mortificat, nõ modo clarius nobis testata est, sed pretioso Christi sanguine sancita? Cæterũ si multos videmus hodie refractarios, qui renuant Euangeliũ amplecti, sed cõtrà proteruè insurgãt, nõ turbemur quasi re noua, quũ superbiæ morbo laboret totũ humanũ genus: Euangelio autem in nihilũ redigatur tota carnis gloria. Quin potius sciamus præfractos manere omnes, nisi qui à Spiritu Dei subacti mãsuescunt.

12 *Et profecti sunt fratres eius.* Antequam de nefando parricidii consilio tractet Moses, profectionem Ioseph describens, multis circunstantiis atrocitatem sceleris amplificat. Accedit ad eos frater officii gratia, vt fraternè de ipsorum statu inquirat. Venit patris mãdato: neque tamẽ inuitus obsequitur, sicuti ex responso eius patet. Anxiè illos perquirit: & quanuis mutassent locũ, non tamen parcit labori ac molestiæ, donec eos reperiat. Ergo plusquam immanis est eorum crudelitas, quòd tam pio, & humano fratri necem machinari non exhorrent. Nunc videmus nõ esse superuacuum, quod dicit Moses, hominem erranti Ioseph fuisse obuium, qui diceret fratres migrasse in Dothan. Nam quo maior fuit eius sedulitas, & infatigabile studium, eo minus excusationis merentur à quibus repensa fuit tam indigna merces.

18 *Et uiderunt eum è longinquo.* Hinc rursus Moses generis sui famæ per adulationẽ minimè parcens, eius principibus inurit æternæ infamiæ notam, odióque & execrationi gentiũ omnium eos exponit. Siquando inter profanos homines frater fratri cædem intulit, Tragœdiis prosciſſa fuit talis impietas, ne in exemplum transiret. Quòd autem fratres nouem simul in necem innocentis adolescentis conspirant, & tanquam feræ bestiæ in ipsum sanguinariis manibus insiliũt: ni-

hil tale in profanis hiſtoriis reperietur. Horribilis ergo, imò diabolicus furor inuaſit filios Iacob, quum abiecto naturæ ſenſu, ita parati fuerunt in ſanguinem proprium ſæuire. Iam verò præter ſcelus impia contra Deum proteruia damnatur à Moſe his verbis, *En adeſt ſomniorum magiſter.* Cur enim miſero inſultant, niſi quia in ſpem dignitatis non ſperatæ cæleſti oraculo vocatus fuerat? Adde quòd hoc modo ſuum flagitium turpius ipſi traducunt, quàm ſiquis eos ex profeſſo atrociter lacerare vellet. Hāc ſibi perſequēdi fratris fatentur cauſam eſſe, quòd ſomniauerit. Quaſi verò inexpiabilis ſit offenſa. quòd ſi indignātur ſomniis, cur non potius cum Deo bellum gerūt? Neceſſe enim habeit Ioſeph, quod ſibi diuinitus reuelatū erat, quaſi pretioſum depoſitum excipere. Sed quia non audent recta Deum impetere, nebulas ſibi inducunt, vt ſublato Dei reſpectu, contra fratrē furere liceat. Si talis cæcitas abripuit Patriarchas, quid reprobis fiet, quos obſtinata malitia trāſuerſos agit, vt Deo ad extremū vſque reſiſtere non dubitent? Ac videmus vt ſe vltrò perturbēt, atque acuant, quoties Dei minis, vel caſtigationibus offenſi, vindictæ expetēdæ cauſa contra miniſtros inſurgunt. imò idem omnibus nobis ſubinde contingeret, niſi Deus fræno iniecto nos manſuefaceret. Quantum ad Ioſeph ipſum ſpectat, rarus Dei fauor oſtenſus ei fuit, ac in ſummam dignitatem euectus eſt, ſed per ſomnium: quod nunc probroſa fratrum ſubſannatione eluditur. Accedit ſimul cōſpiratio, vt parum à morte abſit. Ita Dei promiſſio, quæ eum ad cælos extulerat, ferè in ſepulchrum demergit. Idem & nos experimur, quibus gratuita Dei adoptio ingreſſus eſt in multas ærumnas. Nam ex quo nos Chriſtus in gregem ſuum colligit, variis modis permittit Deus nos deiici, vt propiores ſimus inferis, quàm cælo. Ergo animis noſtris inſideat exemplum Ioſeph, ne turbemur, quum ex Dei gratia multæ cruces nobis pullulant. Iam enim ſuprà admonui, & res ipſa clarè teſtatur, adumbratum fuiſſe in Ioſeph, quod plenius deinde in Chriſto Eccleſiæ capite exhibitum fuit, vt ſingula membra ad imitationem ſe forment.

20 *Proiiciamus eum in unam è ciſternis.* Prætextum iam ante cædem patratam quærunt tegendo apud homines ſceleri. Interea minimè illis venit in mentē, non poſſe Dei oculos fugere quod hominibus fuerit abſconditum. Sed ita ſtupida eſt hypocriſis, vt mundi infamiam fugiens, Dei iudicium negligat. Interim hic quoque morbus humano ingenio penitus infixus eſt, extremis quibuſque ſceleribus fucum inducere. Nam etſi ſceleratos coarguit interior iudex, ſe tamen impudentia confirmant, ne dedecus ſuum apud alios appareat. *Et uidebimus quid erunt ſomnia.* Quaſi vnius hominis morte aboleri poſſit Dei veritas, voti ſe compotes fore iactant, vbi fratrem occiderint, nequid profint ſomnia. Hoc quidem non cogitant ex profeſſo, ſed eò præcipites agitur bulentus liuor, vt contra Deum impingant. Quicquid autem moliantur qui ſic in tenebris luctātur cum Deo, irriti demum abeunt eorum conatus. Deus enim per medias abyſſos viam ſemper inueniet, vt quod decreuit exequatur. Quòd ſi nos ſuis ludibriis exagitant increduli, ac ſuperbè triumphant, fidem nihil nobis profuturam: ne exanimet nos, vel debilitet eorum inſolentia, quin ſecuri pergamus.

21 *Et audiuit Reuben.* Operæpretium eſt notare, quum alii ad ſanguinem fundendum currerent, cuiuſnam opera ſeruatus ſit Ioſeph. Ruben certè vna in re omnium nequiſſimus extiterat, quādo fœdauerat patris cubile. Et illa tam effrænis libido aliis vitiis implicita, prauæ naturæ ſignum erat. Nunc repentè ſolus ad pietatem reſpiciens, & fraterni officii memor, impiam cō iurationem diſſoluit. Incertum eſt an ſatiſfactionē quæſierit, qua rediret cum patre in gratiam. Eius quidem fuiſſe conſilium teſtatur Moſes, filium patri incolumem reddere: vnde probabilis eſt illa, quam dixi, coniectura, vitam fratris putaſſe idoneam mercedem, qua ſibi recōciliaret patris animum. Vtcunque res habeat, hæc tamen humanitas, quam in fratre liberando præſtitit, teſtis eſt non fuiſſe proiectum ad omnia ſcelera. Et Deus fortè hoc pœnitentiæ teſtimonio, nonnihil leuare voluit priorem eius infamiam. Quo docemur non eſſe à peccato vno quantunuis atroci, æſtimandos homines, vt nobis deſperata ſit eorum ſalus.

22 *Proiicite in ciſternam.* Pia fallacia, ad quam deſcēdit Ruben, quantopere exarſerit fratrum rabies ſatis demōſtrat. Neque enim palàm opponere ſe audet, neque à ſcelere dehortari: quia videbat rationibus nō eſſe locum ad eos mitigandos. Nec verò eorum truculentiam hoc extenuat, quòd conſentiunt, quaſi ad clementiam flexi fuerint. Nam ſi alterutrum neceſſe fuit, præſtabat eorum manibùs ſtatim occidi, quàm lenta fame in ciſterna perire: quod eſt crudeliſſimum ſupplicii genus. Craſſa potius hypocriſis notanda eſt, quòd crimine ſe ferè exēptos putant, modò ne fratrem iugulando, manus intingant ſanguine. Quaſi verò ad rem quidquā interſit, an fratrem quis gladio cōfodiat, an ſuffocando interficiat. Dominus enim quum Iudæos accuſat per Iſaiam, quòd manus habeant plenas ſanguine, non intelligit eſſe ſiccarios: ſed ſanguinarios ideo vocat, quia non pepercerint miſeris fratribus. Nihilo igitur meliores ſunt filii Iacob, dum fratrem adhuc viuum in terram proiiciunt, vt ſepultus cum morte fruſtrà luctetur, & poſt longos cruciatus intereat: dum ciſternam eligunt in deſerto, vnde nullus mortalium pereuntis clamo-

Eſa.1.d.15

rem exaudiat, ſed gemitus aſcẽdant in cælũ vſque. Barbara autem iſta cogitatio fuit, Nõ percuti eius animã, vel Non percuti eum in anima, ſi manibus ſuis ſanguinẽ non haurirent: quia altera mortis ſpecies non minus violenta fuit dũ volebant fame necare. Sed Rubẽ ad brutos eorũ affectus ſermonem accõmodans, ſatis habuit præſentem illorũ impetũ quouis artificio reprimere.

23 *Exuerunt Ioſeph tunica ſua.* Videmus vt fictione & mendacio referti ſint homines. Securè fratrem denudant: non exhorrent manibus ſuis proiicere in foueam, vbi ipſum inedia conficiat decem gladiis peior: quia ſcelus occultũ fore ſperant, & allatis exuuiis, nulla domi futura ſit cædis ſuſpicio: quia ſcilicet credet pater laniatũ fuiſſe à fera beſtia. Ita ſceleſtas mẽtes hebetat Satan, vt friuolis effugiis ſeipſas implicẽt. Fons quidẽ pudoris eſt cõſcientia: ſed ſuis illecebris demulcet Satan quos ſemel laqueis ſuis cõſtrinxit, vt ipſe verecundiæ ſenſus, qui eos debuerat reos ad tribunal Dei citare, magis obduret. Latebras enim nacti, longè audacius ad peccandum perrumpunt, quaſi impunè cõmittant quicquid fugit hominum oculos. Hic verè reprobus eſt ſenſus, hic ſpiritus vertiginis & ſtuporis, ſolo teneri hominum pudore: calcato autem Diuini iudicii metu, quiduis audere. Quanquam autem non omnes eouſque proiecti ſunt, vitium tamẽ hoc nimis commune eſt, plus deferre honoris hominibus quàm Deo. In verbis Moſis emphatica eſt tunicæ repetitio, quòd inſigne illud paterni amoris, mollire non potuit eorum animos.

25 *Et ſederũt ut comederent panem.* Mira fuit hæc barbaries, fratre quantũ in ſe erat occiſo, quietè epulari. nam ſiqua humanitatis gutta viguiſſet in eorũ animis, ſaltem quaſdam intus pũctiones ſenſiſſent. imò plerunque deterrimus quiſque poſt facinus peractũ expaueſcit. Quũ in tantã ſocordiã prolapſi ſint Patriarchæ, eorũ exemplo timere diſcamus, ne iuſta Dei vindicta idẽ lethargus ſenſus noſtros occupet. Interea admirabilẽ cõſilii Dei progreſſum expẽdere conuenit. Iam trãſierat Ioſeph per duplicẽ mortẽ: nũc quaſi tertia morte præter ſpẽ è ſepulchro eruitur. Quid enim fuit aliud pro mãcipio vẽdi extraneis hominibus, quàm è medio tolli? Imò deterior redditа fuit eius conditio: quia Ruben è ciſterna clàm eductũ patri reduxiſſet, nunc in diuerſam orbis partẽ ſine ſpe reditus trahitur. Sed ille occultus erat flexus, per quẽ Deus eũ ſtatuerat in ſublime euehere. Ac vltimo tandẽ euentu innotuit, quãto ſatius fuerit procul à ſuis abduci, quàm ſaluũ domi manere. Porrò ſermo Iudæ, quo perſuadet fratribꝰ *ut uendatur* Ioſeph, aliquanto plus habet rationis. Ingenuè enim fatetur reos homicidii fore, ſi in ciſterna perire ſinãt. Quid lucri feremus, inquit, obtecto ſanguine? manus enim noſtræ nihilominus ſanguine pollutæ erũt. Iam aliquantulũ remiſerat furor, vt conſiliũ humanius admitterẽt. nam quãuis immanis perfidia eſſet, fratrẽ hominibus incognitis vendere: aliquid tamen fuit, viuũ dimittere, vt ſaltẽ pro mancipio aleretur. Illam ergo diabolicæ veſaniæ flammã, qua toti ardebant, ſedatam fuiſſe videmus, dum ſe nihil proficere agnoſcunt cælando hominũ oculos: quia homicidium in Dei conſpectũ venire neceſſe ſit. nam primò, non ſecus omni ſe reatu ſoluebãt, quàm ſi nullus ſederet in cælo iudex. Valere etiã apud eos incipit naturæ ſenſus, quẽ prius deleuerat odii crudelitas. Et certè in reprobis etiã, qui vidẽtur humanitatẽ prorſus exuiſſe, tẽpus demõſtrat aliquid manere reſiduũ. Quũ ebulliũt prauí & violẽti affectus, impedit tumultuoſus ille feruor ne ſuas partes agat natura. Sed nullæ ſunt tam ſtupidæ mentes, quas non interdum mordeat ſcelerum ſuorum reputatio. Nam vt inexcuſabiles ad Dei iudicium veniant homines, à ſeipſis primùm damnari oportet. In hoc à reprobis differunt ſanabiles, quos Dominus ad reſipiſcẽtiam adducit, quòd quum illi cõtumaciter obruant ſcelerum ſuorum notitiam, hi paulatim à peccandi licentia ad rationis obſequium flectũtur. Cæterùm quod hîc Iudas de fratre germano admonet, Dominus per Prophetam ad totum genus humanum extendit. Quoties igitur praua libido ad iniuſtam vim, vel aliam noxam impellit: veniat nobis in mẽtem ſacrum hoc vinculum, quo deuincta eſt inter ſe hominum ſocietas, vt nos à maleficiis cohibeat. Nocere enim non poteſt homo homini, quin carni ſuæ infenſus, totum naturæ ordinem violet ac peruertat.

28 *Et tranſierunt uiri Midianitæ.* Putant aliqui Ioſeph eodem in loco bis fuiſſe venditũ. Certum enim eſt, quũ Abrahæ fuerit filius Madian ex Cetura, diſtinctos fuiſſe eius filios à filiis Iſmael: & Moſes non temere diuerſa nomina poſuit. Sed ego ita interpretor, venalẽ quibuſlibet expoſitum fuiſſe Ioſeph. Quũ verò à Madianitis neglecta fuiſſet emptio, fuiſſe Iſmaelitis venditum. Porrò quum meritò poſſent ſuſpectos habere plagii venditores, fecit tamẽ lucri cupiditas ne inquirerẽt. Adde quòd probabile eſt, in itinere ſaltem fuiſſe ſciſcitatos quiſnam eſſet Ioſeph. Sed tanti apud eos nõ fuit cõmune genus, quin ex eo quæſtũ cupidè facerẽt. Cæterùm docet hic locus, quãto præſtiterint carnales Abrahæ filii electæ ſtirpi, in qua tamen ſpes futuræ Eccleſiæ incluſa erat. Videmus ex duobus filiis Abrahæ ſic propagatã eſſe ſobolẽ, vt inde huc illuc commeẽt negotiatores: pars autẽ, quã ſibi Dominus elegerat, adhuc exigua eſt. Sed ita filii ſeculi perinde ac fructus præcoces, citò ad ſummas opes, & fœlicitatis culmen perueniunt: quum Eccleſia per maximas difficultates ſenſim reptando, ad mediocrem ſtatum longo tẽpore vix perueniat.

29 *Et reuersus est Reuben.* Colligere hinc licet Ruben, simulato aliquo negotio furtim elapsum esse à fratribus, vt insciis omnibus fratrē è cisterna eductum patri redderet: ideóque tunc abfuisse quo tempore venditus est Ioseph. Nec verò mirum est, ipsum fuisse præuctum, quum se in diuersum iter vertisset, vt per ambages ad cisternam tenderet. Nunc verò demum Ruben, spe ablata, cōsilium suum aperit fratribus, quod prius fateri ausus non fuerat, nec statim iugularetur puer.

31 *Et tulerunt tunicam Ioseph.* Redeunt iam ad primum illud commētum. Nequid de ipsorum crimine suspicetur pater, sanguinolentam tunicam mittunt, vnde coniiciat laniatum fuisse ab aliqua bestia. Quanquam autem breuiter hoc perstringit Moses, ego tamen existimo aliquos potius misisse ex seruis, qui sceleris conscii non essent, quàm è suo numero. Dicet enim paulo pòst filios & filias veniisse vt aliquid solatii mœrenti afferrent. Quanquam autem in verbis aliqua videtur subesse insultatio, mihi tamen vidētur potius hoc mandasse, vt suspicionē à se auerterent. Fingunt enim sibi confusum esse animū, vt in rebus trepidis fieri solet. Quicquid tamen excogitent, huc eos adigit suū scelus, vt nunc patris animū lethali dolore vulnerent. Hoc scilicet proficiunt suis integumentis hypocritæ, dum culpā vnam effugere volunt, vt coaceruent peccatū peccato. Quòd ad Iacob spectat, postquā tot modis tentatus, semper victor emerserat, mirū est nunc dolori succūbere. Certè mortē filii plus illi mœroris afferre, quàm incestuosum vxoris stuprū, & Sichimæ cladē cum filiæ raptu cōiunctā, nimis absurdū est. Vbi inuictum illud robur, quo etiā contra Angelū prævaluit? Vbi tot patientiæ documenta, quibus eum subinde exercuerat Deus ne vnquam deficeret? Hic profectò luctus nos admonet, neminē tam heroica virtute instructum, in quo non resideat carnis infirmitas, quæ se interdum in rebus nō magnis prodit. vnde etiā accidit, vt qui longo tractu assuefacti sunt ad crucem, ac tanquam veterani milites quosvis insultus fortiter excipere debebant, instar tyronum labascant in leui aliqua pugna. Quis ergo nostrū sibi non timeat, vbi videmus sanctum Iacob post innumera patientiæ documenta diffluere?

35 *Et surrexerunt omnes filii eius.* Clarius hac circunstantia exprimitur tristitiæ moles, quòd ad eam leuandam conueniunt omnes filii & filiæ. Surgendi enim verbo, communis deliberatio notatur, quòd ex compacto venerint, quia vrgebat necessitas. Sed hinc patet quàm multiplex hominibus ingenita sit simulatio. Filii Iacob personam suscipiunt minimè sibi congruentem. Pietatis enim, à qua alieniſsimi sunt, officio fungūtur. Si Deum respicerent, agnita culpa, etiāsi nullum occurreret mali remedium, pœnitentia tamen fructum aliquem proferret. Nunc inani satisfactione non secus ac vento, pascuntur. Hoc exemplo docemur quantopere fugienda sit nobis simulatio, quæ homines nouis subinde laqueis implicat. *Et noluit consolationem admittere.* Quæritur an prorsus à tolerantiæ virtute exciderit Iacob. hoc enim vidētur sonare eius verba. Adde quòd grauius peccat, quando sciens & volens dolori indulget. hoc enim est quasi data opera dolorem, qui plus satis est rebellis Deo, exacerbare. Sed ego hoc ad leuationē doloris, quæ poterat humanitus afferri, restringo. Nihil enim minus consentaneum est, quàm sanctum virum, qui tanta animi mansuetudine iugum Dei tota vita tulerat, nunc instar equi indomiti, frænū mordēdum arripere, vt dolorem sponte alendo, se ad indomitam ferociam cōfirmet. Ego itaque nō dubito quin se Domino nūc quoque submiserit, quanuis humana solatia respuat. Videtur etiā odiosè perstringere filios, quorum inuidiam, & maleuolū animum erga Ioseph cognouerat: acsi exprobret pluris sibi vnū hūc esse illis omnibus, quia mortui sepulchrū magis appetat, quàm frui cōsuetudine decē viuorū quos habebat superstites. nam paruulū Bēiamin excipio. Interea nō excuso doloris excessum, quē nuper dānaui. Et certè obrutū se tristitia demōstrat, de sepulchro per inde loquēs, acsi morte non cōcederent filii Dei ad meliorē vitam. Atque hinc discimus, quā cæca sit doloris intēperies, quæ fidei lumen ferè in sanctis suffocat. quo diligentius ad eā frænādam nos eniti cōuenit. Iob excelluit summa pietate: videmus tamen, postquam magnitudine doloris oppressus est, quàm profano more homines nō secus ac pecudes in morte permisceat. Si tristitia vsquèadeò obtenebratæ fuerunt Angelicæ illæ sanctorum virorum mentes, quātò densior caligo nobis incūbet, nisi eam Dominus verbi, & Spiritus sui fulgore discutiat, & nos solicitè obuiam tentationi eamus, antequam nos demergat? Præcipuum verò doloris temperamentū est, futuræ vitæ consolatio: ad quam quisquis se applicat, timendū nō est vt absorbeatur doloris excessu. Quāquam autem probandus non est immodicus dolor Iacob, Mosis tamen consilio fuit, infamia notare ferream illam duritiem, quæ in filiorum cordibus nimis immaniter grassata est. Videbant per se non stare quin pater dolore confectus misere periret: denique videbant suo scelere iam esse occisum. Si vulnus sanare nequeunt, cur saltem non studeant dolorem aliquatenus lenire? Plusquam ergo crudeles sunt, quibus adeò curæ non est patris vita, vt ne verbo quidem mitigationem, quæ in manu erat, afferre dignentur.

38 *Vendiderunt eum in AEgypto.* Triste spectaculū, quòd ita per varias man' circūagitur Ioseph. Hæc enim non parua indignitas ad priorē eius miseriā accessit, quòd tanquā venale mancipiū

prostituitur. Dominus tamen interea eius curam agere non destitit. Imò rotari de manu in manum ideo passus est, vt tãdem reipsa constaret, mirificè cælesti ductu venisse ad principatũ illũ qui somniis promissus fuerat. Putiphar eunuchus vocatur, nõ quòd castratus esset: sed apud Oriẽtales vsitatum fuit, Satrapas, & aularũ principes insignire hoc nomine. In dignitate, quam illi tribuit Moses, ne Hebræi quidem conueniunt: nam quidam exponunt lanionum præfectum. quos sequuti sunt Græci. sed ego potius aliis assentior, qui dicunt præfectum fuisse militũ: non quòd toti militiæ præesset, verum quia regios satellites habebat sub manu sua, & imperio: quales nunc sunt capitanei custodiæ, si alterum munus cõiungas quod exercent præfecti hospitii. Nam id ex 39 capite colligere licebit.

XXXVIII.

1 ET fuit, in tempore ipso descendit Iehudáh à fratribus suis, & declinauit ad virum Hadullamitem, & nomen eius Hiráh.

2 Et vidit ibi Iehudáh filiam viri Chanaanæi, & nomen eius Súah: qui accepit eam, & ingressus est ad eam.

3 Quæ concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Her.

4 Et concepit adhuc, & peperit filium, & vocauit nomen eius Onán.

5 Et addidit adhuc, & peperit filium, & vocauit nomẽ eius Seláh. erat autem in Chezíb, quando peperit ipsa eum.

6 Et accepit Iehudáh vxorẽ ipsi Her primogenito suo, & nomẽ eius Thamár.

7 Et erat Her primogenitus Iehudáh malus in oculis Domini, & interemit eũ Dominus.

8 Et dixit Iehudáh ad Onán, Ingredere ad vxorem fratris tui, & affinitatẽ contrahe cum ea, & suscita semen fratri tuo.

9 Et cognouit Onán quòd non sibi futurum esset semen: & erat, quando ingrediebatur ad vxorem fratris sui, corrũpebat *semen* super terram, ne poneret semen fratri suo.

10 Et displicuit in oculis Domini quod fecit, & mori fecit etiam eum.

11 Et dixit Iehudáh ad Thamár nurum suam, Mane vidua in domo patris tui, donec crescat Seláh filius meus. dicebat enim, Ne forte moriatur etiam ipse, sicut & fratres eius. & perrexit Thamár, & mansit in domo patris sui.

12 Et multiplicati sunt dies, & mortua est filia Súah vxor Iehudáh: & consolatus est se Iehudah, & ascendit ad tonsores ouium suarum, ipse, & Hiráh amicus eius, Hadullamita in Thimnath.

13 Et nuntiatũ fuit ipsi Thamár, dicẽdo, Ecce socer tuus ascendit in Thimnáth ad tondendum oues suas.

14 Et remouit vestes viduitatis suæ à se, & operuit *se* velamine, & cælauit se, mansítque in ostio Henaim, quod erat iuxta viã Thimnáth. viderat enim quòd creuerat Seláh, & ipsa non fuerat data ei in vxorem.

15 Et vidit eam Iehudáh, & putauit eam esse meretricem: operuerat enim faciem suam.

16 Et declinauit ad eam è via: & dixit, Age quæso, ingrediar ad te. non enim nouerat quòd nurus sua esset. Illa dixit, Quid dabis mihi, si ingrediaris ad me?

17 Et ait, Ego mittam hœdum caprarum de pecudibus. Et dixit, Num dabis pignus donec miseris?

18 Et dixit, Quod pignus vis vt dem tibi? Et dixit, Sigillũ tuum, & palliũ tuũ, & virgã tuã quæ est in manu tua. Et dedit ei: & ingressus est ad eã, & cõcepit ex eo.

19 Illa surrexit & abiit, & remouit velamen suum à se, & induit se vestib⁹ viduitatis suæ.

20 Et misit Iehudáh hœdum caprarum per manum amici sui Hadullamitæ, vt caperet pignus è manu mulieris, & non inuenit eam.

21 Et interrogauit viros loci illius, dicendo, Vbi eſt meretrix illa in Henáim iuxta viam? Et dixerunt, Non fuit hîc meretrix.
22 Et reuerſus eſt ad Iehudáh, & dixit, Non inueni eam: & etiam viri illius loci dixerunt, Non fuit hîc meretrix.
23 Et dixit Iehudáh, Capiat ſibi, ne fortè ſimus in probrum: ecce miſi hœdum hunc, & tu non inueniſti eam.
24 Et fuerunt circiter tres menſes, & nuntiatum fuit ipſi Iehudáh, dicendo, Fornicata eſt Thamár nurus tua, & etiam ecce eſt grauida ex fornicationibus. Et dixit Iehudah, Educite eam, & comburatur.
25 Ipſa educebatur, & ipſa miſit ad ſocerũ ſuũ, dicendo, De viro cuius hæc ſunt ſum grauida. Et dixit, Agnoſce quæſo cuius ſint ſigillũ, & palliũ, & virga iſtæc.
26 Et agnouit Iehudáh, & dixit, Iuſtior me eſt: Idcirco enim *hæc fecit*, quòd nõ dedi eam Seláh filio meo. Et non addidit adhuc cognoſcere eam.
27 Et fuit, in tempore quo parturiebat ipſa, ecce gemini erant in vtero eius.
28 Fuit autẽ, ea pariente, *unus* dedit manum, & accepit obſtetrix, & ligauit ad manum eius coccinum, dicendo, Iſte egreſſus eſt prior.
29 Et fuit, quum retraheret manum ſuam, ecce egreſſus eſt frater eius, & dixit, Cur rupiſti ſuper te interſtitium? & vocauit nomen eius Péres.
30 Et poſtea egreſſus eſt frater eius ad cuius manum erat coccinum: & vocauit nomen eius Zérah.

1 *In tempore ipſo deſcendit, &c.* Priuſquam vlterius in narranda hiſtoria Ioſeph procedat Moſes, inſerit genealogiam Iudæ: in qua plus operæ ideò impẽdit, quia inde originem ducturus erat Redẽptor. Neque enim ſine iactura, cõtinua eius tribus ſeries ignorari potuit, vnde petenda erat ſalus. Et tamen hîc nõ celebratur glorioſa nobilitas: ſed huius quoque familiæ ſummũ dedecus traducitur. Nihil refert quod filiis Iudæ animos inflare debeat: ſed potius pudorẽ incuterẽ. Quãquam autem prima ſpecie talibus probris nonnihil maculari videtur Chriſti dignitas: quia tamen hîc quoque ſpectatur illa exinanitio, cuius meminit Paulus, potius in eius gloriã redundat, *Philip. 2.* quàm vt vel minimũ aliquid ex ea detrahat. Primùm, Chriſto ſumus iniurii, niſi vnus ad delendas ignominias nobis ſufficiat, ex quibus increduli arripiũt ſcãdali materiam. Deinde ſcimus in eo maximè fulgere diuitias gratiæ Dei, quòd Chriſtus carnẽ noſtrã induens, in nihilũ redigi voluit. Denique probris infame oportuit eſſe ipſius genus, vt eo vno cõtenti, nihil extra eum quæramus: imò ne in ipſo quidem quæramus ſplẽdorem terrenum, ſicuti carnis ambitio ſemper in eam partem nimis procliuis eſt. Hæc igitur duo notemus, Peculiariter honorem haberi tribui Iudæ, quæ diuinitus electa erat, vnde emergeret mundi ſalus: deinde ipſis hominum perſonis minimè honorificum eſſe Moſis ſermonem: ne quicquam ſibi, vel Patribus arrogẽt Iudæi. Interea meminerimus Chriſtum nihil gloriæ mutuari à ſuis maioribus: imò nihil habere gloriæ in carne repoſitum, cuius præcipuus, & maximè illuſtris in cruce triumphus fuit. Porrò ne maculæ quibus aſperſum fuit eius genus, nos offendant, ſciamus immenſa eius puritate non ſecus omnes ipſas elui, ac ſol quicquid fœtoris eſt in terra & aere abſorbens, mundum purgat.

2 *Et uidit ibi Iehudah filiã uiri Chenaanæi.* Quod negotiatorem vertũt quidam, mihi non placet. Peruerſam enim libidinẽ Iudæ inſimulat Moſes, quòd vxorẽ ſibi ſumpſerit ex ea gẽte cũ qua diuinitus æternũ filiis Abrahæ diſſidium indictũ erat. Neq; enim vel ipſum, vel alios fratres latebat hac lege ſe peregrinari in terra Chanaan, vt poſtea exciſis, ac perditis incolis, promiſſo eius dominio potirentur. Meritò itaque hoc in vitio deputat Moſes, quòd ſe vetitæ affinitati implicuit Iudas: & Dominus tandem ſoboli Iudæ ſuſceptæ maledixit, ne Iudæ naſceretur princeps & caput familiæ, ne etiam ex ea Chriſtus deſcenderet. Hoc quoque inter exercitia patientiæ Iacob numerari debet, quòd improbus illi nepos ex Iuda natus eſt, cuius eum malitia non latuit. Iuuenẽ è medio ſublatum fuiſſe Dei vindicta dicit Moſes. De aliis quos citò mors eripuit in primo ætatis flore, non idem dicitur. Inſignem ergo, & omnibus notam malitiam fuiſſe non dubito, cuius pœna in morte apparuit. Quanquam autem ſancto Patriarchæ acerba per ſe fuit tentatio, nihil tamen eius animum magis cruciauit, quàm quòd vix ſperare poterat ratam fore Dei promiſſionem, vt penes nequam, ac perditos homines maneret gratiæ hæreditas. Certè inter hu-

manæ fœlicitatis partes cenſetur polytechnia. Sed hæc ſancti viri peculiaris erat ratio, quòd Deus ſemen illi electum & benedictum promiſerat. Nunc verò vnà cum ſobole augeri videt, ac pullulare maledictionis ſemen quod ſperatam gratiam obruat. Dicitur quidem *& malus fuiſſe coram Domino*, non tamen hominibus obſcura fuit eius improbitas: ſed intelligit Moſes non laboraſſe tantum communibus vitiis, quin potius ita ſceleribus fuiſſe deditum, vt non fuerit tolerabilis coram Deo.

7 *Et interemit eum Dominus.* Scimus longam vitam cenſeri inter Dei dona: ídque meritò. nam quum hic minimè ſit ſpernendus honor, creari nos ad imaginem Dei; quo diutius quis in mundo alitur, vt quotidie ſentiat paternam erga ſe Dei curam, hoc liberalius à Domino tractari certum eſt: imò inter tot miſerias, quibus referta eſt vita, eminet tamen hæc Dei bonitas, quòd nos ad ſe Deus inuitat, atque in ſui cognitione exercet: ſimúlque tanta dignitate ornat, dum imperio noſtro ſubiicit quicquid in mundo eſt. Quare nihil mirum, quòd Deus beneficii loco vitam hominibus prorogat. Vnde ſequitur, quum immatura morte tolluntur impii, illis infligi ſcelerum pœnam. perinde enim eſt acſi iudicium ferret è cælo Dominus, indignos eſſe quos terra ſuſtineat, indignos qui communi luce fruantur. Diſcamus itaque, quandiu in mundo nos Deus retinet, meditari eius beneficia: quo alacrius pro ſe quiſque ſtudeat vitam ab eo acceptam in eius laudem referre. Quanquam autem hodie quoque mortis celeritas inter Dei flagella deputanda eſt, quia perpetuò viget doctrina illa, Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos: hoc tamen iudicium Deus ſub Lege magis exercuit, quum obſcurior adhuc foret futuræ vitæ cognitio. Neque enim ex quo reſurrectio nobis in Chriſto patefacta eſt, tantopere mortem horrori eſſe conuenit. Atque hoc inter nos & veterem populum diſcrimen alibi notatum eſt. Nunquam tamen generalis regula ſtatui potuit, placere Domino, vel charos eſſe, quorum vita diuturna eſſet. quin potius interdum in pœnæ cumulum protraxit Deus reprobis vitæ tempus. Et ſcimus Cain fratri ſuo Abel pluribus ſeculis fuiſſe ſuperſtité. Sed quemadmodum temporalibus Dei beneficiis non ſemper, neque in omnibus conſtat perpetuus & æquabilis tenor: ita nec viciſſim temporales pœnas eodem ſemper modo exequitur. Satis eſt, quod ad præſentem vitam ſpectat, quædam pœnarum & præmiorum exempla proponi. Adde quòd ſicuti ærumnæ vitæ præſentis, quæ ex naturæ corruptela ſuperueniunt, non extingunt primã & natiuam Dei gratiam: ita viciſſim mors, quum per ſe Dei maledictio ſit, ſupernaturali remedio cedit Electis in ſalutem, tantum abeſt vt quicquam noceat. Præſertim hodie ex quo primitiæ reſurrectionis in Chriſto oblatæ ſunt, nihilo deterior eſt eorum conditio qui citò tolluntur è vita: quia Chriſtus ipſe lucrum eſt tam ad viuẽdum, quàm ad moriendum. In morte autem Her clara fuit, & notabilis vindicta Dei, vt facile conſtaret quadam velut ſorde purgari terram.

Pſal. 55. d. 24

8 *Ingredere ad uxorem* Tametſi de fraternis coniugiis, vt frater ſuperſtes ſemen mortuo ſuſcitaret, nulla adhuc lex perſcripta erat: non tamen mirum eſt ſolo naturæ inſtinctu huc propenſos fuiſſe homines. Nam quum naſcantur ſinguli homines ad totius generis conſeruationem, ſiquis moritur ſine liberis, videtur hic quidam naturæ defectus. Humanũ igitur eſſe putarunt, nomen aliquod acquirere mortuis, ex quo pateret ipſos vixiſſe. Vnica autẽ ratio fuit, liberos ex fratre ſuperſtite genitos adſcribi mortuo, nequis eſſet in familia aridus ramus: atque hoc modo ſterilitatis ignominiam delebant. Adde quòd quum mulier data ſit viro adiutrix, vt quæque in aliquam familiam nupſerat, quodammodo eius familiæ nomini erat addicta. Secundum hanc rationem Thamar non prorſus erat libera quin fidem haberet obſtrictã domui Iudæ ad procreãdum aliquod ſemen. Etſi autem hoc non eſt ex pietatis regula, Dominus tamen tanquam humanitatis officium, hominum cordibus indiderat, ſicuti poſtea Iudæis in ſua politia mãdauit. Hinc colligimus, quàm malignus fuerit Onan, qui hunc honorem fratri ſuo inuidit, ac ſemen corrũpere maluit, quàm fratri mortuo paternum titulum acquirere: atque hoc totum in commune generis dedecus redũdat. Videmus vt multi amicis proprios filios in adoptionẽ concedant: immanis ergo fuit barbaries germano fratri negare quod extraneis datur. Adde quòd non ſolũ fratré debito iure fraudauit: ſed maluit ſemẽ in terra putreſcere, quàm ſub fratris nomine gignere filiũ.

10 *Et diſplicuit in oculis Domini.* Parum verecundè Iudæi de re pudenda garriunt. Breuiter attigiſſe mihi ſufficiet quantum pudor eloqui ſinit. Monſtruoſa res eſt volũtaria ſeminis effuſio extra congreſſum viri & mulieris. A coitu autẽ ſe data opera retrahere vt ſemen in terram decidat, duplex eſt monſtrũ: quia hoc eſt ſpem generis extinguere, & filiũ qui ſperandus eſſet, occidere antequam naſcatur. Hæc maximè impietas damnatur nunc à Spiritu per os Moſis, quòd Onan quaſi violento abortu fratris ſui ſobolẽ ex vtero materno auulſam non minus crudeliter, quàm fœdè in terram proiecit. Adde quòd hoc modo generis humani partẽ, quantum in ſe erat, abolere conatus eſt. Siqua mulier fœtum ex vtero medicamentis abigat, inexpiabile cenſetur crimen, & meritò: eodem piaculi genere ſe obſtrinxit Onan, terram ſuo ſemine inficiens, ne Thamar

hominem conciperet futurum terræ incolam.

11 *Et dixit Iehudah ad Thamar.* Innuit Moſes Thamar non fuiſſe liberam, vt in aliam domum abnuberet, quandiu ſub iure ſuo eam volebat retinere Iudas. Fieri quidem poteſt vt ſe vltrò ſubmiſerit arbitrio ſoceri, quum liceret negare: verba tamen ſonare hoc videntur, vſu & moribus fuiſſe receptum, ne Thamar in alienam familiam tranſiret, niſi volente ſocero, quandiu fuit ſucceſſor qui ſemen ex ea ſuſciperet. Quicquid ſit, nimis iniquè agit Iudas, ſibi deuinctam tenens, quam fraudare decreuit. Nec verò cauſa fuit cur è domo ſua liberam migrare nollet, niſi quòd veritus eſt inconſtantiæ notam. Sed tanti non debuit eſſe ambitioſus ille pudor, vt erga nurum ſuam perfidus eſſet, ac crudelis. Adde quòd hæc iniuria ex prauo iudicio orta eſt: quia cauſas mortis filiorum non reputans, falſò ac iniuſtè culpam tranſfert in mulierem innoxiam. Infœlix credit eſſe coniugium Thamar: cur ergo vt ſibi conſulat, maritúmque alibi reperiat, non permittit: Sed illud quoque facit perperam, quòd quum filiis cauſa exitii fuerit propria improbitas, ſiniſtrè iudicat de ipſa Thamar, cui nihil imputari potuit. Nos verò hoc exemplo diſcamus, quoties nobis quicquam contingit aduerſi, non aliò culpam tranſcribere, nec accerſere hinc inde dubias ſuſpiciones, ſed peccata noſtra excutere. Cauendum etiam ne tantopere dominetur ſtultus pudor: vt dum famam ſtudemus illæſam tueri apud homines, nobis minori curæ ſit bona conſcientia coram Deo.

13 *Et nuntiatum fuit ipſi Thamar.* Narrat Moſes quomodo iniuriam ſibi factã vlta ſit Thamar. Principio dolũ non olfecit: ſed longo temporis ſucceſſu, poſtquam adoleuerat Sela, deceptam ſe videns, ad vindictam ſe conuertit. Nec verò dubium eſt quin ſecum diu meditata fuerit, & quaſi coxerit hoc conſilium. Nam de profectione Iudæ nõ allatus eſt fortuitò nuntius: ſed quia in occaſionem intenta, cuſtodes appoſuerat qui ſingula eius facta referrent. Quanquam autem turpe, & proba fœmina indignũ conſiliũ cepit: crimen eius hæc circunſtantia aliquatenus leuat, quòd Iudæ congreſſum non appetit, niſi in cælibatu. Sed interim cæco mentis errore in aliud ſcelus adulterio non minus deteſtabile rapitur. Adulterio violata fuiſſet coniugii fides: inceſtuoſo hoc coitu euerſa fuit tota naturæ honeſtas. Hoc diligenter notandum, ne ad illicita remedia profiliãt qui læſi ſunt. Libido non impulit Thamar vt ſe ad ſtuprum proſtitueret. Doluit quidem vetitas ſibi fuiſſe nuptias, vt domi ſterilis maneret: ſed nihil habuit propoſitum quàm ſocero exprobrare fraudem illã qua ipſam deluſerat: interim videmus atrox facinus fuiſſe admiſſum. Hoc accidere ſolet etiam in bonis cauſis, vbi quis pluſquã par eſt, carnis ſuæ affectibus indulget. Quod de habitu viduitatis attingit Moſes, ad modeſtiæ legẽ pertinet. Neque enim viduas decet elegãtior veſtitus qui virorum oculos alliciat. Idcóque Paulus vxoribus pluſquam illis concedit: quia legitimos habent maritos, quibus placere ſtudeant. 1. Tim. 2. c. 9

14 *Et manſit in oſtio Henaim.* Variè hunc locum exponunt interpretes. Ad verbum eſt, in oſtio fontium, vel oculorum. Quidam putant fuiſſe fontem in duos riuos diductum: alii propatulum notari exiſtimant, in quo ſe oculorum intuitus huc illuc variè diffundit. Receptior eſt tertia expoſitio, vocari biuium hac locutione: quia tunc ianua aperitur oculis, vt in duas partes exeant quos vna via in ſe continet. Probabile eſt locum fuiſſe vnde conſpici poſſet Thamar: cui tamen propinquus eſſet receſſus, ad quem poſſet diuertere Iudas, ne in via publica & celebri ſub omnium oculis ſcortaretur. Quòd autem dicitur faciem velaſſe: hinc colligimus tunc non fuiſſe tam effrænem ſcortandi licentiam, quàm hodie graſſatur multis in locis. Nam ſe ad ſcortorum morem compoſuit, nequid ſuſpicaretur Iudas. Et Dominus hanc verecundiam eorum qui flagitioſè viuebant, cordibus inſculptam manere voluit, vt ſibi teſtes eſſent ſuæ turpitudinis. Nam ſi poſſent homines maculas eluere ſuis peccatis, ſcimus nihil libentius facturos eſſe. Vnde ſequitur, dum lucem fugitant, horrore inuitos tangi, vt Dei iudicium præueniat ipſorum conſcientia. Paulatim quidem maior pars ad ſtuporem, & impudentiam diffluxit, vt ſua flagitia minus ſolicitè occultent: nunquam tamen belluina eorum intemperie, qui impunè peccare cupiunt, naturæ ſenſum prorſus deleri paſſus eſt Deus, quin ſua obſcœnitas vel improbiſſimos cogat ad pudorem. Putida igitur fuit Cynici illius proteruia, qui in flagitio deprehenſus, ſine rubore iactauit ſe plantare hominem. In ſumma, velamen Thamar oſtendit ſcortationem non tantum coram Deo, & Angelis turpem, & fœtidam rem eſſe, ſed à ſuis quoque authoribus ſemper fuiſſe damnatam.

15 *Et vidit eam Iehudah.* Magnum Iudæ probrum, quòd ignotæ mulieris concubitum repentè appetit. Senex iam erat: itaque vel in homine laſciuo ſola tamen ætas debebat intemperantiæ feruorem reſtinguere. Mulierem procul aſpicit: capi formæ venuſtate non poteſt: pruritus tamen non ſecus in eo accenditur, quàm in equo, qui ad equarum odorem adhinnit. Hinc colligimus, nõ admodum viguiſſe in eius corde vel Dei timorem, vel recti ac honeſti ſtudium, qui tam cupidè ad ſcortationem prorũpit. Proponitur autem ideò nobis in exemplũ, vt diſcamus quàm

facilè ebulliat carnis libido,nisi eam Dominus coerceat:atque ita infirmitatis nostræ conscii,cõtinentiæ & moderationis Spiritũ à Domino petamus. Cæterũ ne eadem nobis obrepat securitas,qua factum est vt Iudas tam facilè ad scortãdum se proiiceret: notemus quod ex incestu dedecus sustinuit Iudas,pœnã diuinitus illi fuisse inflictam. Quis iam sibi in scortatione indulgeat, quam ex horribili vindictæ genere tantopere Deo exosam esse agnoscit?

16 *Quid dabis mihi si ingrediaris ad me?* Nolebat quæstũ ex suo corpore facere Thamar, sed habere certum pignus,vt de vltione iniuriæ sumpta gloriari posset. Nec verò dubium est quin Deus Iudam excæcauerit,sicuti dignus erat. Vnde enim fit vt non agnoscat nurus suæ vocem, cui familiariter assueuerat per longum tempus? Deinde si danda fuit arrha pro hœdo promisso, quàm stultè annulum meretrici tradit? Omitto quòd duplicem præterea arrham dare absurdum erat. Cõstat igitur, omni iudicio tunc fuisse priuatum. nec alia de causa scribuntur hæc omnia à Mose,quàm vt sciamus iusto Dei iudicio obtenebratam fuisse miseri illius mentẽ, qui peccata peccatis cumulans, Spiritus lucem suffocauerat.

20 *Et misit Iehudah hœdum.* Mittit per manum amici,necui alieno ignominiam suam detegat. Hæc eadem ratio est cur non audeat de arrhis perditis conqueri, ne se ludibrio exponat. Nam quòd verba hæc, *Accipiat sibi, ne simus in contemptum*: quidam ita accipiunt, quasi excuset Iudas se præstitisse datam fidem: mihi non probatur. Alter ille sensus lõgè melius quadrat,quòd mauult Iudas annulum perdere,quàm rem longius spargendo,materiã præbere vulgi sermonibus: quia leuior sit pecuniæ,quàm famæ iactura. Aliud etiam ludibrium timendum fuit,quòd tam credulus fuerat. Sed præcipuum ex scortatione dedecus veritus est: vbi videmus homines,qui Dei Spiritu nõ reguntur,de mundi opinione magis, quàm Dei iudicio semper esse solicitos. Cur enim dum eũ titillabat carnis libido,nõ venit hoc in mentẽ, Ecce nunc fœtidus ero coram Deo & Angelis? Cur nunc saltẽ postquam deferbuit libido,non erubescit tacita peccati sui notitia? sed securus est,modò à publica infamia sibi caueat. Docet tamen hic locus quod iã prius admonui,cõmuni hominũ sensu dãnatã fuisse scortationẽ,nequis ex ignorãtia,excusationis prætextũ quæreret.

24 *Et fuerunt circiter tres menses.* Poterat Thamar cituus detegere facinus: sed expectauit dũ ad capitale suppliciũ posceretur: nam tũc liberior fuit expostulãdi locus. Cæterũ quòd pœnæ tam atroci subiicit Iudas nurũ suam,ideò fit quòd adulterii ream agat. Nam idem tũc consuetudine viguisse inter homines apparet quod Dominus postea Lege sua sanciuit,vt statim à sponsalibus puella marito obstrictã haberet fidem. Nupserat Thamar in familiam Iudæ: tertio filio tunc desponsa erat. Non vocatur itaque in iudicium simplex & vulgaris scortatio,sed adulterii crimen quod iure suo persequitur Iudas,quia in filii persona læsus erat. Porrò supplicii genus,quãtopere seculis omnibus displicuerit adulterium, documento est. Lapidari adulteros Lex Dei iubet. *Leuit.20.b.10* *deut.22.c.22* Antequam scripto sancita esset pœna, communi omnium consensu adultera mulier ad ignẽ vocata fuit. Hoc diuino instinctu factum esse constat vt natura duce & magistra, quasi firmis custodiis,munita esset coniugii sanctitas. Quãquam autem vir non est dominus corporis sui,sed mutua est inter ipsum & vxorem obligatio,pœnæ tamen capitis obnoxii non fuerunt mariti,si cum innuptis mulieribus scortati essent: quia nõ solam impudicitiam vlcisci propositũ fuit,sed dedecus quod marito irrogat mulier, deinde furtiuam seminis permixtionẽ. Quid enim amplius in hominũ societate saluũ manebit,si liceat fœtus alienos supponere: furari nomen,quod spuriis tribuatur? ad eosdem transferre ereptam legitimis hæredibus substantiam? Non mirũ igitur,quòd tam seuerè olim asserta fuit coniugii fides hac in parte. Quo fœdior hodie,minúsque excusabilis est nostra socordia,quæ adulteria impunitate fouet. Durior scilicet, quàm pro delicti modo,videtur pœna capitis. Cur igitur leuiora delicta maiori rigore plectimus? Satanæ profecto præstigiis fascinatus mundus fuit,dum legem naturaliter omnibus infitã passus est obsolescere. Interea *Iohan.8.b.11* tam crassæ vesaniæ quæsitus est color: quia Christus adulterã incolumem dimiserit. Quasi verò pœnas exegerit de furibus, homicidis, falsariis, aut veneficis. Perperã igitur ex Christi facto petitur regula, qui ab officio terreni iudicis consultò abstinuit. Quæritur tamen, quũ priuatus fuerit Iudas, quî tam audacter sibi ius gladii vsurpet. Imò quum inquilinus sit, vnde illi tanta libertas,vt arbiter sit vitæ & necis? Respondeo,non ita debere accipi verba, quasi pro imperio iubeat nurum suam ad mortem rapi: vel quasi præsto sint ad eius nutum lictores: sed quia deprehensum erat crimen,ac cognitum, liberè accusator de pœna pronuntiat, acsi iam lata esset à iudicibus sententia. Equidem non dubito conuentus tunc haberi solitos, in quibus fierent iudicia: ideóque simpliciter interpretor Iudam mandasse Thamar in publicum produci, vt causa demũ cognita,pro more plecteretur. Sed pœnæ expressio huc pertinet,quasi iam nõ sit litigandũ: quia Thamar antequam citetur,rea peracta sit.

26 *Et agnouit Iehudah.* Tam ingenua exprobratio ex vindictæ ardore profecta est. Neque enim petit soceri colloquium,vt eius animum mitiget, sed deliberato mortis contemptu, ad so-

cietatem cum accersit. Quòd autem statim agnoscit Iudas, probitati tribuendum est. Videmus enim quàm multis fallaciis obtegere sua peccata omnes ferè soleant, donec in lucem protractos omnis inficiandi ratio deficit. Hîc quanquā nemo adest qui vi, aut minis extorqueat confessionem, sponte ad eam descendit Iudas, & maiorem culpæ partem in se recipit. Quòd tamen peccatum suum confessus, de pœna tacet: hinc colligimus, qui duriter aliis succensent, ad dandam sibi veniam esse plusquam flexibiles. in hoc ergo nobis imitandus est, vt sine carnifice, & equuleo tantum valeat apud nos veritas, ne peccata nostra, quorum Deus nos admonet, coram toto mūdo fateri pudeat. Sed fugienda est ista inæqualitas, ne in alios rigidi, nobis clementer parcamus. Hæc etiam historia testis est quantopere interfit neminem damnari, nisi prius auditum: non solùm quia satius est absolui nocentes, quàm insontem quempiam perire, sed etiam quia defensio multa in medium profert, quæ iudicii formam interdum mutare cogunt. *Iustior me est.* Impropria est locutio. neque enim simpliciter probat factum Thamar, sed comparatiuè loquitur: acsi diceret se iniustè, & sine causa iratū fuisse mulieri, à qua potius accusandus fuerat. Porrò ex successu apparet, quàm segniter se mūdus gerat in exigenda scelerum pœna, vbi nemo insistit priuatus vindex suæ offensæ. Atrox & nefandum facinus admissum erat. quandiu se læsum putauit Iudas, acriter institit. aperta ergo ianua fuit iudicio. Nunc vbi accusatio cessat, vterque elabitur. Atqui certatim omnes decebat insurgere: sed nouum non est, commune officium à singulis negligi. Significat tamen Moses seria pœnitentia tactum fuisse Iudam: quia nurum suam postea non attigit. Simúlque confirmat quod prius dixi, naturâ ingenitum esse tanti flagitii horrorem. Vnde enim fit vt abstineat à congressu Thamar, nisi quia naturaliter iudicat, nefas esse socerum cum nuru sua congredi? Hoc turpis & honesti discrimen, quod natura dictat, quicunque tentant conuellere, Deo palàm Gigantum more, bellum inferunt.

27 *Ecce gemini erant in utero.* Quanquam & Iudas erroris sui, & Thamar improbæ machinationis veniam obtinuit, voluit tamen Dominus monstrum in ipso partu ad ipsos humiliandos edere. Simile quiddam prius acciderat in Iacob & Esau, sed ratione diuersa: quemadmodum sciimus prodigia nunc in bonam, nunc in sinistram partem tendere. Hîc verò minime dubium est quin gemelli in ipso partu notas secum afferant parentum infamiæ. Nam & ipsis vtile fuit renouari sui pudoris memoriam: & publici etiam exempli interfuit, flagitium illud æterna infamia notari. In verbis obstetricis ambiguus est sensus. quidam rupturam pro secundinis accipiunt, quibus ruptis egreditur fœtus. Alii rectius, quòd miretur obstetrix, quomodo perrupto interstitio Phares prior egressus fuerit. nam frater ipsum prægressus, instar muri intermedii oppositus erat. Nonnullis videtur esse imprecatio: quasi dictum esset, Super te maneat ruptura. Sed Moses, quantum ego iudico, non aliud notare voluit, quàm monstrum animaduersum fuisse in partu.

Cap. XXXIX.

1 ET Ioséph ductus est in AEgyptum, & emit eum Potiphár princeps Parhóh, princeps satellitum, vir AEgyptius, è manu Ismahelitarum, qui deduxerant eum illuc.

2 Et fuit Dominus cum Ioséph: & fuit vir prosperè agens, fuítque in domo domini sui AEgyptii.

3 Et vidit dominus eius quòd Dominus esset cum eo: & omnia quæ ipse faciebat, Dominus proſperabat in manu eius.

4 Et inuenit Ioséph gratiam in oculis eius, & ministrabat ei: & præposuit eum domui suæ: & omnia quæ erant ei dedit in manum eius.

5 Fuit autē, ex eo tempore quo præposuit eum domui suæ, & omnibus quæ erant ei, benedixit Dominus domui AEgyptii propter Ioséph: & fuit benedictio Domini in omnibus quæ erant ei in domo & in agro.

6 Et reliquit omnia quæ erant sibi, in manu Ioséph, & non cognouit cum eo quicquam, nisi panem quem ipse comedebat. erat autē Ioséph pulcher forma, & pulcher aspectu.

7 Et fuit, post hæc leuauit vxor domini eius, oculos suos super Ioséph, & dixit, Concumbe mecum.

8 Et renuit, & dixit ad vxorem domini sui, Ecce dominus meus non cognouit mecum quid sit in domo: & omnia quæ erant ei, dedit in manum meam.

9 Non est maior me in domo hac:& non prohibuit à me quicquam,nisi te, eo quòd tu sis vxor eius:& quomodo faciam malum grande hoc,vt peccem contra Deum?

10 Et fuit,quum loqueretur ipsa ad Ioséph quotidie, & nõ pareret ei vt cum ea concumberet,& vt esset cum ea:

11 Fuit inquam,secundum diem hanc ingressus est domũ vt faceret opus suum: & non erat quisquam ex viris domus illic in domo:

12 Et apprehendit eum per vestimentum eius, dicendo, Concumbe mecum.& reliquit vestimentum suum in manu eius,& fugit,egressúsque est foras.

13 Et fuit, quum vidisset ipsa quòd reliquisset vestimẽtum suum in manu sua, & fugisset foras:

14 Vocauit viros domus suæ,& dixit ad eos,dicendo, Videte, adduxit nobis virum Hebræum,vt illuderet nobis:ingressus est ad me vt cõcumberet mecum, & clamaui voce magna.

15 Et fuit, quum audisset ipse quòd eleuassem vocem meam,& clamassem,reliquit vestimentum suum apud me,& fugit,egressúsque est foras.

16 Retinuit autem vestimentum eius apud se, donec veniret dominus eius ad domum suam.

17 Et loquuta est ad eum secũdum verba ista,dicẽdo, Ingressus est ad me seruus Hebræus vt illuderet mihi.

18 Et fuit,quum eleuassem vocem meam,& clamassem, reliquit vestimentum suum apud me,& fugit foras.

19 Fuit autem, quum audisset dominus eius verba vxoris suæ quæ loquuta est ad eum,dicendo,Secundum hæc fecit mihi seruus tuus:iratus est furor eius.

20 Et accepit dominus ipsius Ioséph eum,& posuit eum in domo carceris,in loco in quo vincti regis vinciebantur, fuítque illic in domo carceris.

21 Fuit verò Dominus cum Ioseph, & inclinauit ad eum misericordiam,& dedit gratiam eius in oculis principis domus carceris.

22 Et dedit princeps domus carceris in manu Ioséph omnes vinctos qui erãt in domo carceris:& omnia quæ faciebant illic,ipse faciebat.

35 Neque princeps domus carceris videbat quicquã *ex iis quæ erant* in manu eius: eo quòd Dominus erat cum eo,& quod ipse faciebat,Dominus secundabat.

1 Et Ioseph deductus est. Vt reliquam historiæ partem contexat Moses,quod breuiter attigerat iterum repetit,venditum fuisse Ioseph Putiphari AEgyptio. Deinde subiicit Deum fuisse cum Ioseph, quia prosperè in omnibus ei succederet. Tametsi enim sæpe impiis fluunt omnia ex voto', quos tamen Deus fauore suo non prosequitur: vera sententia est ac propria locutio, Nũquam bene esse hominibus,nisi quatenus benignum se illis Dominus exhibet. Nam reprobos quoque quibus meritò infensus est,sua benedictione ideo ad tempus dignatur,vt ad pœnitentiam ipsos comiter inuitet,imò alliciat,magísque inexcusabiles reddat,dum manent obstinati:interea eorum fœlicitati maledicit. Itaque dum se ad summum fortunæ veniisse putant,in exitiũ illis vertitur prosperitas, in qua sibi placebant. Porrò quoties benedictione sua destituit homines siue extraneos,siue domesticos, arescere ipsos necesse est: quia nõnisi ex fonte illo quicquam bonorum fluit. Fingit quidem sibi mundus fortunam,quæ voluat res humanas, vel quisque industriam suam adorat: verùm Scriptura ab illa praua imaginatione nos retrahens, res aduersas signum esse absentiæ Dei,secundas verò præsentiæ testatur. Cæterùm minime dubiũ est quin peculiaris & rarus Dei fauor erga Ioseph apparuerit, vt facile constaret à Deo benedici. Subiicit tamen continuò pòst Moses, Ioseph fuisse *apud dominum suum*, vt sciamus non protinus euectum fuisse in sublime,vt honorifica esset eius conditio. Libertate nihil tunc fuisset optabilius: atqui censetur inter mancipia. quasi precario viuit, quum domini arbitrio subiecta sit

eius vita. Discamus ergo,etiam inter nostras miserias sentire Dei gratiam,nobisque sufficiat,si-quid acerbi ferendum est,dulcedine aliqua aspergi,ne Deo ingrati simus,qui hoc modo se nobis ad esse declarat.

3 *Et vidit dominus eius quòd.* Hinc clarius liquet quod nuper attigi,nõ vulgari nec vsitato modo Dei gratiam enituisse in Ioseph, quando homini profano, & hac in parte ferè cæco conspicua esse potuit.Quo turpior est nostra ingratitudo, nisi lætos omnes successus ad Deum authorem referimus, quum toties admoneat Scriptura, nihil hominum vel consilia, vel labores, vel quæcunque excogitant media proficere,nisi quatenus Deus benedicit.Quòd autẽ Putiphar ideo maiorem habet rationem Ioseph, vt eum domi suæ præficiat : hinc colligimus, religione tangi profanos homines, vt Deo gloriam tribuere cogantur. Rursum tamen se prodit ingratitudo, quum Deum contemnit, cuius dona suo pretio æstimat in persona Ioseph. debuerat saltem inquirere quisnã esset ille Deus, vt se ad legitimũ eius cultum formaret·verũ satis habet,quatenus priuatim sibi vtile esse putat, agnoscere Ioseph diuinitus gubernari, vt eius opera cum vberiore fructu vtatur. *Quæ ipse faciebat, Dominus prosperabat in manu eius.* Mira hæc fuit ratio,quòd in lucrũ AEgyptiis cessit tota illa benedictio, qua Dominus paternum suum amorem erga Ioseph testari volebat.Nam quum sibi Ioseph neque sereret,neque meteret,nihilo redditus fuit locupletior. Sed hoc modo factum est vt humanius eum, & liberalius tractaret superbus homo, qui alioqui poterat tanquam vili,sordidóque mancipio abuti.Et sæpe Dominus tali sagina improbos man suefacit,ne malè accepti,suæ indignationis rabiem aduersus pios conuertant. Hinc verò perspicimus,quàm effusa sit Dei gratia erga Fideles,quum beneficentiæ suæ partem ab ipsis ad reprobos vsque deriuet. Docemur etiam quid sit Electos Dei filios hospitio recipere,vel se illis adiungere, quos sic comitatur Dei gratia, vt odorem suum ad eos qui vicini sunt diffundat. Sed quia non multum prodesset saturari temporalibus Dei beneficiis,quæ reprobos suffocant,atque obruunt,huc votis omnibus tẽdere conuenit, vt nobis propitius sit Deus.Longè enim melius fuit ipsi Ioseph in eius gratiam augeri Putipharis opes, quàm Putiphari amplum quæstum ex eo facere.

6 *Et reliquit omnia quæ erant sibi.* Hunc fructum diuini erga se amoris & beneficentiæ percepit Ioseph,quòd solatio aliquo seruitutis leuatus est,saltem ad breue tempus.Sed noua eum tentatio paulo pòst excepit. Nam gratia quã adeptus erat,non modo recidit in nihilum, sed origo & causa fuit durioris fortunæ. Præfectus erat Ioseph super totam domum Putipharis. Ex illo honoris gradu abripitur in carcerem, vt repente trahatur ad mortis supplicium. Quid tunc in mentem venire potuit,nisi à Deo relictum se,ac proditum,subinde patere nouis cladibus? Quin etiam imaginari potuit Deum quasi ex professo sibi infestum esse. Docet igitur hæc historia, singulari perspicacia opus esse, vt fidei oculis pii considerent Dei beneficia, quibus mitigat crucis acerbitatem.Nam quum auxilii ferendi causa manum illis porrigere visus est,sæpe lux,quæ affulserat,momento euanescit,& in eius locum succedit densior caligo. Atqui hîc clarè apparet, vt Dominus,licet suos inter aduersos fluctus subinde iactet,nõ tamen eos frustretur, quum mala eorum interdum temperans, respirandi tempus illis concedit. Sic Ioseph, quanuis exciderit à sua præfectura, nũquam tamen derelictus est,nec inanis fuit illa relaxatio, qua animum erexit non ad superbiam, sed ad tolerantiam nouæ crucis. Et certe in hunc finem miseriis nostris occurrit Deus,vt deinde collectis viribus,quasi recentes melius parati simus ad alios conflictus.

Et erat Ioseph pulcher forma. Quum formæ elegantia sancto Ioseph magnæ calamitatis occasiõ fuerit,discamus non adeò appetere corporis dotes, quæ gratiam apud mũdum conciliant, quin sorte sua quisque contentus sit. Videmus quàm multis periculis obnoxii sint qui pulchritudine excellunt. rarum enim ac difficile est, vt se contineant ab omni lasciuia. Quanquam in Ioseph ea vigebat religio, vt omnem impudicitiam horreret: aliunde tamen illi perniciem molitus est Satan, sicuti ex Dei donis laqueos ad venandas animas conficere solet. Quare sedulò rogandus est Deus, vt inter tot pericula Spiritu suo nos gubernans, puras ab omni macula conseruet dotes quibus nos ornauit. Quòd vxor Putipharis *leuasse oculos* dicitur, hac loquendi forma fœminas omnes Spiritus sanctus admonet,vt si cordi est castitas, sibi modestiam apponant custodem.Nam & ideo velum gestant in capitibus, vt se ab omni praua illecebra cohibeant. nõ quòd mulieri viros aspicere nefas sit,sed impurus & luxurians aspectus hìc notatur à Mose.Sæpius antea visus illi fuerat Ioseph sine vitio:nunc verò primùm oculos iniicit,& audacius ac petulantius, quàm modestam fœminam deceat, venustatem eius obseruat. Ita oculos videmus fuisse quasi faces inflammandæ cordis libidini. Quo exemplo docemur,nihil magis procliue esse, quàm vt sensus omnes nostri animum prauis cupiditatibus inficiant, nisi valde intenti simus ad cauendum. Neque enim Satan assiduè ingerere desinit quæ nos ad peccandum titillent. Obiectam peccandi materiam tum facile concipiũt sensus, tum cupidè & celeriter in animum

perferunt.Quare ſedulò & oculis & auribus, & reliquis partibus moderari quiſque ſtudeat, niſi totidem Satanæ ianuas aperire ad intimos cordis affectus velit:præſertim quum tenerrimus ſit oculorum ſenſus,his frænandis adhibenda eſt non vulgaris cautio.

7 *Conaumbe mecum.* Moſes rerum capita,& ſummas breuiter tantum delibat. Neque enim dubium eſt quin variis artibus conata ſit impura mulier pium iuuenem ad ſe pellicere, & obliquis blanditiis ſe inſinuauerit, priuſquam ad tam pudendum licentiæ genus prorumperet. Sed Moſes, aliis omiſſis, oſtendit eouſque impulſam fuiſſe turpi libidine, vt verita non fuerit apertè flagitare coitum Ioſeph. Sicuti autem hæc obſcœnitas inſigni documento eſt, quàm cæcos & furioſos impetus habeat carnis libido: ſic in perſona Ioſeph præclarum fidei & continentiæ ſpeculum nobis proponitur.fides & integritas in eo conſtat,quòd Ioſeph eo magis ſe obſtrictum eſſe agnoſcit,quo plus poteſtatis ſibi ab illo permiſſum eſt. Hoc quidem habẽt ingenui homines & cordati, vt quo plus illis fiditur, eo minus fallere ſuſtineant: verùm rara eſt virtus, vt gratis probitatẽ colant quibus nocẽdi eſt facultas.Quare nõ immeritò laudatur à Moſe Ioſeph, quòd authoritatem ſibi à Domino permiſſam fræni loco eſſe ducit,ne officii fines trãſiliat. Adde quòd gratitudinis quoque ſuæ ſpecimen exhibuit, beneficia heri ſui in mediũ proferens, ne quod illi probrum inferret. Et certe hinc hodie tanta paſſim confuſio, vt homines ſint quaſi ſemibelluæ, quòd ſacrum illud mutuæ ſocietatis vinculum abruptum eſt.Fatentur quidem omnes, ſiquid beneficii ab altero acceperint, ei ſe deuinctos eſſe: alii etiam aliis ingratitudinem exprobrant:ſed pauci ſunt qui ſincerè ſequantur exemplum Ioſeph. Ne tamen videatur humanitus tantum retineri,ſimul Dei offenſam commemorat.Et certè ad vincendam tentationem nihil magis valuit, quàm Dei timor. Sed conſultò heri ſui humanitatem commendat, vt à ſceleſto propoſito deſiſtat improba mulier. Eodem etiam ſpectat exceptio iſta cuius meminit, *Te una* inquit, *excepta,eo quòd eius uxor ſis,omnia tradidit herus in manum meam.* Quorſum hoc,niſi vt cõiugii religio corruptum mulieris animum vulneret,& à veſano illo furore ſanet:Ergo non tantum ſtrenuè luctatur vt ſe à prauis illecebris expediat, ſed niſi indomita eſſet mulieris libido,optimum remedium proponit. nos verò ſciamus cõiugii ſanctitatem per os Ioſeph hîc nobis laudari, acſi Dominus aſſereret ſe fidei cõiugalis eſſe præſidem, ne impunè effugiant ſuam vindictam quicunque alienos thalamos violant. Nam quaſi medius eſſet ſponſor inter virum & vxorem, mutuam ab vtroque caſtitatem exigit. Vnde ſequitur,præter iniuriam quæ infertur homini,grauiter lædi ipſum Deum.

10 *Quum loqueretur ipſa ad Ioſeph quotidie.* Hîc laudatur conſtantia Ioſeph,ex qua apparet ſolidum in eius animo Dei timorem regnaſſe:quo factum eſt vt non modo vnum impetum repulerit, ſed ad extremum perſtiterit tentationum omnium victor. Scimus quàm lubricus ſit lapſus, dum aliunde nobis flabella ſuſcitat Satan: quia videmur culpa exempti, ſi eius partem ſuſtinet qui nos ad flagitium inducit. Eximia igitur fortitudine Spiritus præditum fuiſſe oportet ſanctum Ioſeph, qui contra omnes impiæ mulieris illecebras inuictus ad extremum ſtetit. Quo magis deteſtabilis eſt mulieris improbitas, quæ nec tempore corrigitur, nec compeſcitur pluribus repulſis. Quum hominem extraneum, & pro mancipio venditum tam frugi,ac domino ſuo fidum videt,quum etiam ſanctè ab eo monetur, ne iram Dei prouocet: quàm indomita eſt libido,quæ nihil verecundiæ admittit:Quia verò hinc perſpicimus quorſum perrũpant homines, vbi carnis intemperie ſuffocata eſt honeſti ratio, rogandus eſt Dominus, ne Spiritus ſui lumen opprimi hoc modo ſinat.

11 *Et fuit ſecundum diem hanc.* Hoc eſt,temporis ſucceſſu,quum illa non deſiſteret ſtuprum offerre ſancto Ioſeph, tandem accidit vt vim blanditiis adiungeret. Porrò hîc Moſes quaſi certaminis epitaſin deſcribit. Iam nobile, & memoria dignum continentiæ ſpectaculum ediderat Ioſeph,quòd iuuenis toties continua multorum dierum ſerie tentatus, eundem ſeruauerat tenorem: & in ea ætate, cui venia dari ſolet, ſi intemperantius ebulliat, ſibi moderatus fuerat pluſquam omnes ſenes. Sed nunc, quum palàm inſaniat mulier, ac in rabiem verſus ſit amor, quo magis arduum eſt certamen, eo plus meretur laudis animi magnitudo, quæ contra hunc inſultum inflexibilis perſtat.Subeundum ſibi famæ & vitæ diſcrimen videbat Ioſeph: famam proſtituere mauult,ac vitam potius relinquere paratus eſt, quàm vt ſcelere ſe coram Deo obliget. Quũ tale in iuuene exemplũ proponat nobis Dei Spiritus, quid excuſationis maturæ ætatis viris ac mulieribus relinquit,ſi ſpõte ſe proiiciũt,vel leui impulſu cadũt:Huc ergo eniti nos decet, vt vnius Dei reſpectus ad domandos omnes carnis affectus præualeat:imò vt pluris ſit nobis recta & integra cõſcientia coram Deo, quàm totius mundi applauſus. Neque enim quiſquã aliter probabit virtutẽ ſe ex animo colere,niſi qui vno Deo teſte cõtẽtus,quæuis probra ſubire nõ dubitabit,potius quàm vt ab officio declinet. Et certè quũ inter profanos homines volitarint hæc

prouerbia, Cõscientiam esse mille testes,&pulcherrimum theatrum: valde pudendus est stupor noster, nisi apud nos ita eminet Dei tribunal, vt peruersa mundi iudicia in ordiné cogat. Quare facessant vani illi prætextus, Ego scãdalum effugere volui: Veritus sum ne in sinistram partem traherent homines quod rectè egissem: quia Deus non satis sibi honoris deferri iudicat, nisi quum, posthabita famæ cura, sequimur quò nos vocat vnus ipse. nõ quòd famam simpliciter negligere nos velit, sed quia indignum est, ac absurdũ, non præferri eum hominibus. Procurent ergo, quantum in se est, Fideles, vt proximos ædificent probæ vitæ exemplo: atque in hunc finem ab omni sinistra nota prudenter caueant: verùm si necesse sit mundi infamiam subire, per hanc quoque tentationem in recto vocationis Diuinæ cursu pergant.

4 *Adduxit nobis uirum Hebræum.* Hîc videmus quid faciat desperatio. Nam ex amore in furias prorumpit scelerata mulier. Vnde clare patet, quàm beluinos impetus secum trahat libido, vbi laxatæ sunt habenæ. Certè vbi semel regnum occupauit Satan in miseris hominibus, huc illuc raptandis nullum finem faciet, donec eos spiritu vertiginis & amentiæ præcipites agat. Videmus etiam quomodo ad pertinaciã reprobos obduret, quos imperio suo tenet deuinctos. Sæpe quidem Deus sceleratis terrorem iniicit, vt crimen suum trepidatione prodant: ac fieri potest vt in vultu,& verbis huius impuræ fœminæ signa malæ conscientiæ apparuerint: ea tamen duritie ipsam confirmat Satan, vt consilium perdendi sancti iuuenis audacter capiat, atque extemporefraudem excogitet qua insontem opprimat nõ secus acsi diu in otio meditata illi foret exitium. Prius secretũ captauerat, nequis adesset testis: nunc aduocat domesticos, vt hoc veluti præiudicio sanctum iuuenẽ coram marito condemnet. Adde quòd maritum inuoluit sub reatu, vt pudore cogat de insonte pœnam sumere: Tua (inquit) culpa factũ est vt me ludibrio haberet hic alienigena. Quid reliquum facit marito, nisi vt clausis oculis, purgandi sui causa ad vindictam properet? Quanuis ergo pauidi sint scelerati omnes, simul tamen callum ex stupore suo contrahunt, nequis eos impediat metus quominus ruant contumaciter in omne præcipitium, & bonis & simplicibus proteruè insultent. Notanda autem nobis est hæc sancti viri probatio, vt nobis curæ sit induere Spiritum fortitudinis, qui ne ferrea quidem impiorum duritie frangatur. Hæc etiam altera tentatio non leuis fuit, quòd tam indignam humanitatis suæ mercedem reportat. Probrum mulieris silentio texerat, vt integrum esset resipiscere, si fuisset sanabilis. Nunc sibi ex modestia sua creatum mortis discrimen videt. Quòd non succubuit, inde cognoscimus sincerè illi fuisse propositum gratis Deo seruire. Atque idem nobis agendum est, nequa hominum ingratitudo nos ab officio dimoueat.

19 *Quum audisset dominus eius uerba uxoris suæ.* Quum tam probabilis esset color, non mirum est tantum valuisse zelotypiam, cuius nimis vehementes, ac feruidi sunt motus, vt se tam credulum præbuerit Putiphar vxoris calumniis. Excusari tamẽ nequit eius leuitas, quòd seruũ, quem frugi & probum esse cognouerat, indicta causa statim in carcerem detrudit. Decebat certè minus esse vxorium. Itaque iustam stultæ suæ facilitatis mercedem retulit, quòd scortum honorificè aluit vxoris loco, ac propemodum lenonis partibus functus est. Ac commune quidem omnibus est hoc exemplum: docentur tamen præcipuè mariti, adhibẽdam sibi esse prudentiam, ne vxorum arbitrio temere huc illuc ferantur. Et certè quum passim videmus ludibrio haberi, qui vxoribus nimis obsequuntur, sciendum est eorum stultitiam iusto Dei iudicio traduci, vt Spiritum grauitatis, & moderationis petere discamus. Nec verò dubium est quin Moses diserte Putipharis condemnet leuitatem, quòd statim, audita vxore, excandescit in Ioseph, ac non secus, quàm si conuictus foret, iracũdiæ suæ indulget: nam ita excluditur omnis æquitas, nulla admittitur iusta defensio: denique veritas, & causæ cognitio procul reiicitur. Sed quæritur quomodo zelotypia efferbuerit Putiphar, imò quomodo vxorem habuerit, quem prius dixit Moses fuisse eunuchum. Facilis solutio est, eunuchos in Oriente vocari solitos fuisse non modò qui castrati essent, vel natura frigidi, sed quosuis satrapas & magnates. Quare tantum valet hoc nomen acsi dixisset Moses vnum fuisse ex aulæ proceribus.

20 *Et posuit eum in domo carceris.* Quanquam non exprimit Moses quàm duriter initiò afflictus fuerit Ioseph, colligere tamen promptum est non in libera custodia positũ fuisse, sed in obscuram aliquam foueã detrusum. Pollebat authoritate Putiphar: insularium habebat in manu sua & arbitrio. quid clemẽtiæ ab homine zelotypo, & iræ feruore abrepto sperari potuit: Nec dubiũ est quin per manus traditum à Patribus fuerit quod refertur in Psalmo 105.b.18, cõpedibus fuisse incluſum, & ferrum penetrasse in animam eius. Quale verò innocentiæ præmium? nam secundum carnem probitati suæ acceptum referre potuit quicquid patiebatur. In hac verò tentatione valde perplexum atque anxium coram Deo gemere necesse fuit. Quanquam autem pr e ces eius non commemorat Moses: quia tamen certum est cruce non fuisse oppressum, neque obmurmurasse, simul probabile est recubuisse in spem Diuini auxilii. Porrò hæc vna est fultura

quæ nos in malis sustinet: hæc etiã arma nostra sunt, quæ nos inuictos præstant, ad Deũ cõfugere.

21 *Et fuit Dominus cum Ioseph.* Hoc non fuisse primo die factum, quòd à suis angustiis leuatus est Ioseph, ex testimonio Prophetæ nuper citato constat. Et Dominus eum consultò ad extrema deduci passus est, vt eũ quasi è sepulchro educeret. Scimus autẽ sicuti Solis lumen clarius in obscuro loco cõspicitur, sic in miseriarũ caligine melius splẽdere Dei gratiam, dũ præter spem nobis succurrit. Porrò dicit Moses *Deum adfuisse seruo suo Ioseph*, quia gratiã suã, vel misericordiam ad Deũ inclinauit: vt sciamus Deũ, etiam quũ nos ab iniusta violentia liberat, vel quũ nos adiuuat in bona causa: sua tamẽ bonitate, vt hoc faciat, induci. Indigni enim sumus quibus auxilium suũ accõmodet, nisi causam à seipso peteret, quia misericors est. Certè si in hominibus quærũtur merita quæ Deũ obstringant, reperta fuissent in Ioseph. testatur tamẽ Moses gratuito Dei fauore fuisse adiutũ. Quanquã hoc nõ obstat quin repensa illi fuerit pietatis suæ merces, quæ facile conuenit cũ gratuita Dei beneficentia. Modus etiã gratiæ adiungitur, quòd Dominus fauorẽ illi dederit apud magistrũ carceris. Dubiũ quidẽ nõ est, multis de causis gratiosum fuisse Ioseph: nam & virtus sibi fauorem conciliat: & antehac ostendit Moses, sanctum virum multis nominibus fuisse amabilem. sed quia sæpe contingit filios Dei non minus inhumaniter premi, quàm si omnium deterrimi forent, nominatim exprimit Moses humanum tandem fuisse magistrum carceris: quia animus eius, qui sponte ad æquitatem propensus non erat, diuinitus flexus est. Ergo quòd deposita truculẽtia, benignè, & placidè se gessit magister carceris, hæc mutatio à Deo profecta est, qui corda hominum pro arbitrio suo gubernat. Sed mirum est non timuisse insulariũ, ne in offensam Putipharis incurreret: adeóque Putipharem ipsum, quum obsistere nullo negotio posset, tam benignè, & liberaliter tractari passum esse hominem, cui capitaliter infestus erat. Verè quidem responderi potest diuinitus retentam fuisse eius sæuitiam: sed probabile est suspectam, ac tandem cognitam illi fuisse astutiam vxoris. Sed quanuis placatus esset sancto Ioseph, noluisse tamen cum suo dedecore absoluere. Interea insignis integritas Ioseph in eo se profert, quòd quũ custos sit carceris, liberámque gubernationem sustineat, non tamen aufugit, sed maturum expectat liberationis suæ tempus.

Cap. XL.

1 ET fuit, post hæc peccauerũt pincerna Regis AEgypti, & pistor domino suo Regi AEgypti.

2 Et iratus est Parhóh contra vtrunque satrapam suum, contra principem pincernarum & contra principem pistorum.

3 Et posuit illos in custodia domus principis satellitum, in domo carceris, in loco in quo Ioséph vinctus erat.

4 Et præposuit princeps satellitum ipsum Ioséph eis, & ministrabat eis: fuerũt autem per annum in custodia.

5 Et somniauerunt somnium vterque ipsorum, quisque somnium suum nocte eadem: singuli secundum interpretationem somnii sui, pincerna & pistor qui fuerant Regi AEgypti, qui erant vincti in domo carceris.

6 Et venit ad eos Ioséph mane, & vidit eos, & ecce erant tristitia affecti.

7 Et interrogauit principes Parhóh, qui erant secum in custodia dom^{o} domini sui, dicendo, Cur facies vestræ sunt afflictæ hodie?

8 Et dixerũt ad eum, Somniũ somniauimus, & qui interpretetur illud nõ est. Et dixit ad eos Ioséph, Nónne Dei sunt interpretationes? narrate quæso mihi.

9 Et narrauit princeps pincernarum somniũ suum ipsi Ioséph, & dixit ei, Me somniante, ecce vitis *erat* coram me.

10 Et in vite erant tres rami: & dum floreret ascendit flos eius, *&* maturauerunt botri eius vuas.

11 Et calix Parhóh erat in manu mea, & accipiebam vuas, & exprimebam eas in calicem Parhóh, & dabam calicem in manu Parhóh.

12 Et dixit ei Ioséph, Hæc est interpretatio eius: Tres rami, tres dies sunt.

13 In fine trium dierum eleuabit Parhóh caput tuũ, & redire faciet te ad locum

tuum, & dabis calicẽ Parhóh in manu eius ſecundum conſuetudinem primam quando eras pincerna eius.

14 Sed memẽto mei tecum, quum benefuerit tibi: & fac quæſo mecum miſericordiam, & mentionem mei fac Parhoni, & educere fac me è domo hac:

15 Quia furto auferendo, furto ablatus ſum è terra Hebræorum: & etiam hîc non feci quicquam vt ponerent me in carcerem.

16 Et vidit princeps piſtorum quòd bene interpretatus eſſet, & dixit ad Ioſeph, Etiam me ſomniante, ecce tria caniſtra alba ſuper caput meum.

17 Et in caniſtro ſuperiori erat ex omni cibo Parhóh opere piſtorio, & aues comedebant illud è caniſtro quod erat ſuper caput meum.

18 Et reſpondit Ioſeph, & dixit, Hæc eſt interpretatio eius: Tria caniſtra, tres dies ſunt.

19 In fine trium dierum auferet Parhóh caput tuum à te, & ſuſpendet te in ligno, & comedent aues carnem tuam à te.

20 Et fuit, in die tertia, die qua natus fuerat Parhóh, fecit conuiuium omnibus ſeruis ſuis, & eleuauit caput principis pincernarum, & caput principis piſtorum in medio ſeruorum ſuorum:

21 Ac redire fecit principem pincernarum ad propinationem ſuam, & dedit calicem in manu Parhóh:

22 Principem autem piſtorum ſuſpendit, quemadmodũ interpretatus fuerat eis Ioſeph.

23 Et non eſt recordatus princeps pincernarum ipſius Ioſeph & oblitus eſt eius.

1 *Poſt hæc peccauerunt.* Iam vidimus, quum eſſet Ioſeph in vinculis, habitã fuiſſe eius curam à Deo. Vnde enim relaxatio illa, niſi ex gratia cæleſti? Ergo antequã aperiret Deus ianuam ſeruo ſuo ad exitum, vt eum ope ſua iuuaret, penetrauit in ipſum carcerem. Verùm ſequitur beneficium longè ſplendidius, quòd non tãtum liberatur à carcere, ſed euehitur in ſummum honoris gradum. Interea ſanctum virum per mirabiles, & valde perplexos circuitus deduxit Dei prouidentia. Mittũtur in carcerẽ pincerna & piſtor Regis: exponit illis Ioſeph ſua ſomnia. Quia pincernæ promiſſa fuerat reſtitutio, lux aliqua ſpei affulget ſancto Ioſeph: quia receperat ille, poſtquam in ſtatum ſuũ reuerſus eſſet, ſe fore ſuffragatorem ad impetrandam veniam. Sed iterum breui concidit ſpes illa, vbi pincerna de miſero verbum apud Regem facere non dignatur. Tũc ergo ſibi viſus eſt Ioſeph perpetua obliuione ſepultus, quoad Dominus lumen ſuffocatum, ac ferè extinctum, deintegro repente accendit. Ita quum rectà eruere poſſet ex carcere ſanctum virum, per flexuoſas ambages eum circunducere voluit, quo melius probaret eius patientiam, & exitu ipſo patefaceret miras ſe habere rationes, nobíſque abſconditas: vt ſalutem, quam nobis promiſit, diſcamus non metiri proprio ſenſu: ſed ſinamus nos verſari huc illuc eius manu, donec opus ſuum perficiat. Pincernam & piſtorem intellige non quoſlibet ex vtroque ordine, ſed qui reliquis omnibus præeſſent: nam paulo pòſt vocantur eunuchi, vel proceres. Ridiculum verò eſt quod ſuo more fingit nugator Gerundenſis, caſtratos fuiſſe ignominiæ cauſa, quum illis iratus fuiſſet Pharao. Duo igitur erant ex primariis aulicis. Clarius autem iam exprimit Moſes carcerem fuiſſe ſub Putipharis imperio. Vnde cognoſcimus quod prius dixi, mitigatã fuiſſe eius iram, quando nonniſi ex eius conſenſu tam clementer egit inſularius cum Ioſeph. Imò nũc Putiphari tribuit Moſes illas humanitatis partes, quòd fidei Ioſeph piſtorem & pincernam commiſit. Niſi fortè nouus tunc ſucceſſor Putiphari datus erat. quod facile refellitur ex cõtextu, quia paulo pòſt dicet Moſes præfectum fuiſſe cuſtodiæ herum Ioſeph. Quũ dicit Moſes fuiſſe illos per dies in carcere detentos, quidam intelligunt annum integrum. ſed falluntur meo iudicio: potius notatio eſt diuturni, & tamen incerti temporis, quemadmodũ ex aliis locis patet.

5 *Et ſomniauerunt ſomnium.* Quod prius de ſomniis attigi, memoria repetendũ eſt, multa ſcilicet friuola nobis obiici, quæ trãſeunt per portã corneam: quædã tamẽ vaticinii habere vim & põdus. Huius generis fuerunt hæc duo ſomnia, quibus Deus occultum rei futuræ euentum patefecit. Niſi enim cæleſtis oraculi inſculpta illis fuiſſet nota, nõ ita mente cõſternati fuiſſent pincerna & piſtor. Fateor quidem vanis, & temere cõceptis ſomniis vehementer interdum turbari homines: ſed ita vt paulatim reſideat terror, & anxietas. Sed Deus pincernæ ac piſtoris animis

aculeum infixerat, qui eos quieſcere non ſineret. Quo fit vt magis attentus ſit vterque ad interpretationem ſomnii ſui. Ideo diſertè exprimit Moſes fuiſſe rei certæ præſagium.

6 *Et uenit ad eos Ioſeph mane.* Sicuti nuper ſum præfatus, hîc fidei oculis miram Dei prouidentiam intueri conuenit. Tametſi enim certiores de ſuo exitu redditi ſunt pincerna & piſtor, id tamen nō tam eorum reſpectu factum eſt, quàm in gratiam Ioſeph, quem Deus hoc modo voluit regi innoteſcere. Ideo arcano inſtinctu triſtes & attonitos reddidit, quaſi manu ipſos dirigeret ad ſeruum ſuum Ioſeph. Notādum autem eſt, nouo Spiritus afflatu donum Prophetiæ, quo prius carebat, in carcere fuiſſe adeptum. Quū prius ſomniaret, ſuſpenſus tamen, ac Diuinæ reuelationis dubius manebat: nunc aliis certus eſt interpres. Quanquā autē dum ſciſcitatur mœſtitiæ cauſam, de ſomniis forte nō cogitat, ex proximo tamē verſu apparet eum accepti Spiritus doni fuiſſe ſibi conſcium: & hac fiducia ipſos hortatur ad referēda ſomnia, quòd futurus ſit interpres. *Annon* (inquit) *Dei ſunt interpretationes?* Certè nō arrogātia ad ſe trāſfert quod propriū Dei eſſe fatetur, ſed pro vocationis ſuæ modo illis ſuū officium defert. Hoc ideo notandū eſt, nequis fortuito plus ſibi vſurpet, quā à Deo cōceſſum eſſe nouit. Nā ideo tam diligēter admonet Paulus variè
2 Cor.12.6.4 diſtribui Spiritus dona, & cuique imponi certā perſonā, nequis ſe cupidè ingerat, vel alienū ſuſcipiat munus: quin potius vt ſe intra vocationis ſuæ præſcriptum ſinguli contineant. Niſi vigeat hæc modeſtia, miſceri omnia neceſſe eſt: quia ſtulta multorū temeritate lacerabitur Dei veritas, turbabitur pax & cōcordia: nihil denique ordinis ſaluū manebit. Sciamus ergo Ioſeph interpretationē ſecurè promittere, quoniā hac gratia diuinitus ſe inſtructū & ornatum eſſe nouerat. Eodē pertinet quod interrogat de ſomniis. Neque enim vltrà quā permittit ſua facultas, progredi
Dani.2.c.28 tētat. non diuinat ergo quid ſomniauerint, ſed fatetur ſibi occultū. Alia fuit Danielis ratio, qui diuinationis Spiritu prædītus erat, vt ſomnium exponeret Regi Babylonio, quod effluxerat ex eius memoria. Ille ergo fretus ampliore Spiritu, vtrunque profiteri non dubitat. Verùm Ioſeph cui dimidia tantum pars data erat, ſe continet intra legitimam menſuram. Adde quòd non tantum ſibi cauet ab audacia: ſed hoc ipſum quod habet, Deo acceptum referens, ingenuè teſtatur à ſeipſo nihil ſuppetere. Non ergo ſuum acumen, vel perſpicaciam iactat, ſed tantum Dei miniſter vult agnoſci. Hāc regulā ſequantur qui excellunt, ne ſibi plus tribuendo, quàm par eſt (quod plerunque accidit) Dei gratiam obſcurent. Cohibenda porrò eſt iſta vanitas, nō modo vt Deus ſolus emineat, nec iure ſuo fraudetur, ſed vt Prophetæ, doctores, & alii quicunque cæleſti gratia pollent, humiliter ſe ſubiiciant directioni Spiritus. Notandum etiam eſt quod dicit Moſes, ſollicitum fuiſſe Ioſeph de eorum mœſtitia qui ſecū erant in carcere. Sic enim malis manſuefiunt homines, ne alios miſeros deſpiciant: adeóque communes miſeriæ ſympathiam generāt. Quare nihil mirum ſi nos variis ærumnis exercet Dominus, quando nihil nos magis decet, quàm humanitas erga fratres, qui malis oppreſſi contemptibiles iacēt. Eam verò experientia diſcere neceſſe eſt: quia ingenita nobis ferocia rebus proſperis magis ac magis inflatur.

12 *Tres rami, tres dies ſunt.* Non profert hîc Ioſeph quod veriſimile putauit, tanquā flexiloquus quiſpiam coniector, ſed aſſerit ex reuelatione Spiritus quid ſibi velit ſomnium. Cur enim tribus palmitibus dies potius, quàm annos notari dicit, niſi quia id ſuggeſſerat Dei Spiritus? Peculiari ergo inſtinctu ſupra naturam conſcendit Ioſeph, vt ſomnium exponat: & mox pincernæ ſe commendans, acſi iam reſtitutus foret, quàm certa ſit, & indubia ſuæ interpretationis fides oſtendit: acſi dixiſſet, Perſuadeas tibi, proditum eſſe à Deo quod ex me audis. Vbi etiam oſtēdit quàm honorificè de oraculis Dei ſentiat, nō minus ſecurè de futuro effectu pronūtians, quàm ſi res iam eſſet exhibita. Sed abſurdū eſſe videtur, quòd Ioſeph Prophetiæ ſuæ mercedē exigit. Reſpondeo nō ita loquutum eſſe, vt vænalem proſtitueret Dei gratiam: ſed quia in mentem illi venit, modum liberationis nunc ſibi à Deo eſſe propoſitum, quem reſpuere nō liceret. Equidem non dubito ſpem melioris fortunæ diuinitus illi fuiſſe factā. Deus enim qui iam à pueritia principatū illi bis promiſerat, inter tot anguſtias nō omni prorſus conſolatione eum deſtituit. Hæc autem occaſio non aliunde quàm à Deo oblata erat. Quare non mirū eſt ſi Ioſeph in eum finem accommodet. Quantum ad verba ſpectat, *Tollere caput*, ſignificat erigere aliquem ex humili, contemptáque fortuna, vt cenſeatur aliquo loco. Tollet ergo Pharao caput tuum, hoc eſt, educet te ex tenebris carceris, vel iacentem leuabit, vt in priſtinum ſtatum reſtituat. מצב enim pro loco, & ordine ſimpliciter accipio, non autem pro baſi.

4 *Fac quæſo mecum miſericordiam.* Tametſi modus hic loquendi tritus eſt Hebræis pro humanitatem præſtare: non tamen dubium eſt quin ſimpliciter loquutus ſit Ioſeph prout ferebat triſtis & afflicta eius fortuna, quo magis pincernæ animum ad ferēdam ſibi opem flecteret. In hoc tamen præcipue inſiſtit, nullo ſcelere illuc ſe fuiſſe detruſum, ne pincerna homini innoxio patrocinium ſuum recuſet. Nam quanuis vtplurimum patronos reperiant qui nequiſſimi ſunt, res tamen per ſe odioſa & infamis eſt, commendatio ambitione elicita, quæ ſceleratum hominē

à iusta pœna eripit. Probabile autem est, Ioseph exposuisse totam suam causam, donec pincernæ solidam innocentiæ suæ fidem faceret.

16 *Et vidit princeps pistorum.* Non curat quàm dexter & fidus interpres fuerit Ioseph: sed quia lætum & vtilẽ nuntium socio attulerat, ipse quoque interpretationem appetit, quã ex animi sententia fore sperat. Sic permulti ad verbum Dei aspirant cupidi & alacres, non quia simpliciter cupiant regi à Domino, sibíque patefieri quod rectum est: sed quia somniant meras delicias. vbi autem eorum affectibus non respondet doctrina, tristes & vulnerati discedunt. Quanquam autem somnii expositio insuauis & acerba futura erat, Ioseph tamẽ quod sibi reuelatum est, sine fuco declarans, munus sibi diuinitus iniũctum bona fide exequitur. Hæc libertas Prophetis & doctoribus colenda est, ne dubitent sua doctrina vulnus infligere quibus Deus mortem denuntiat. Nemo est qui non cupiat sibi fieri delicias. Hinc fit vt maior pars doctorum, dum obsequi vult prauis mundi votis, verbũ Dei adulteret. Quare nemo syncerus erit verbi Dei minister, nisi qui spreta inuidia, quoties opus fuerit, in varias offensas incidere paratus, suam docẽdi rationem ad Dei mandatum formabit. Optasset quidem Ioseph vtrique bene ominari: sed quia in eius arbitrio non est dare prosperam cuique fortunam: quod reliquum est, ingenuè pronuntiat quicquid à Domino accepit. Sic olim, quanuis populus Propheras sibi optaret, qui promitterent vini & olei & frumenti copiam, ac sanctis Prophetis obstreperet, quia nihil stillarent præter ærumnas (nam hæc querimonia apud Michæam refertur) tamen seruos Domini, qui ad denuntiandam vindictam missi erant, seuerè pergere oportuit, quanuis odia sibi, ac pericula accerserent. *Micha 2. b. 6.*

19 *Auferet Parhoh caput tuum à te.* Ambigua quidem est locutio, quæ tam in bonam, quàm in malam partem sumitur, pro eo quod dicimus Ad aliquẽ respicere, vel Habere eius rationem. Videtur tamẽ hic esse allusio, acsi dixisset Ioseph, Pharao caput tuũ leuabit vt adimat. Porrò quòd Moses narrat, vtrique fuisse factum vt prædixerat Ioseph: hoc symbolo confirmat verum fuisse Dei vatem, sicuti apud Ieremiam habetur. Nam quòd interdum pœnã minati sunt Prophetæ, à quibus Deus abstinuit, ideo factum est, quia talibus vaticiniis annexa erat cõditio. Sed quoties præcisè loquitur Dominus per seruos suos, quicquid prædicit, effectu sanciri necesse est. Ideo nominatim Moses cælestis oraculi fidem commendat in Ioseph. Quòd narrat Moses, Pharaonem die suo natali magnũ conuiuium celebrasse, scimus morẽ hunc semper fuisse in vsu, nõ Regibus modò, sed hominibus quoque plebeis. Nec mos iste improbandus esset, si modò rectũ finem tenerẽt homines, gratiis scilicet Deo agendis, à quo creati sunt, & educati, & quẽ innumeris modis experti sunt beneficum patrem. Sed ea est mũdi prauitas, vt quæ probè instituta sunt olim à patribus, in contrarias corruptelas vtplurimum detorqueat. Ita vitioso vsu receptũ fuit vt omnes ferè die suo natali ad luxum & crapulam se proiicerent: denique sic colerent Dei memoriam, vt Deum vitæ suæ authorem, quasi data opera obliuioni darent. *Ieremi. 28. b. 9.*

23 *Et nõ est recordatus princeps Pincernarũ.* Hæc fuit grauissima probatio patientiæ Ioseph, sicuti prius attigimus. Nã quia suffragatorẽ nactus erat, qui nullo negotio eruere ipsum posset ex carcere, præsertim quia diuinitus oblata erat hæc occasio: certa salutis fiducia concepta, in singulas horas intentus erat. Sed dum ad bienniũ vsque suspẽsus manet, nõ modò euanescit spes illa, sed maior quàm prius desperatio incumbit. Ergo in eius persona docemur omnes, nihil esse magis præposterum, quàm Dei auxilio tẽpus præscribere, qui cõsultò anxia expectatione suos diu suspẽdit, vt ipso experimento verè sciant quid sit sperare. Adde quòd hoc modo gloriã liberationis Ioseph sibi palàm asserere voluit. Nã si pincernæ deprecatione data illi esset libertas, vulgò creditum fuisset hominis beneficium, non Dei hoc esse. Cæterum quòd dicit Moses pincernam oblitum fuisse ipsius Ioseph, sic accipe, quòd non ausus est vllam eius mentionem facere, nequid inuidiæ subiret, vel molestus esset ipsi Regi. Hoc enim aulicis solẽne est, perfidè insontes prodere, & potius tradere iugulandos, quàm vt offendant eos à quibus metuunt.

Cap. XLI.

1 ET fuit, in fine duorum annorum dierum, Parhóh somniauit, & ecce stabat iuxta flumen.

2 Ecce autẽ è flumine ascendebant septem vaccæ pulchræ aspectu, & pingues carne, & pascebant in carecto.

3 Et ecce septem vaccæ aliæ ascendebant post eas è flumine, turpes aspectu, & tenues carne, & stabant iuxta vaccas *quæ erant* iuxta ripam fluminis.

4 Et comederũt vaccæ turpes aspectu, & tenues carne, septem vaccas pulchras aspectu & pingues. & expergefactus est Parhóh.

5 Et dormiuit, & somniauit secundo: & ecce septem spicæ ascendebant in culmo vno pingues & pulchræ.

6 Et ecce ſeptem ſpicæ tenues,& arefactæ Euro,oriebantur poſt eas.
7 Et deglutiuerunt ſpicæ tenues,ſeptem ſpicas pingues & plenas. & expergefactus eſt Parhóh,& ecce ſomnium.
Et fuit,manè cõſternatus eſt ſpiritus eius:miſit igitur:& vocauit omnes magos AEgypti, & omnes ſapiẽtes eius, & narrauit Parhóh eis ſomnium ſuum, & non erat ex eis qui interpretaretur ipſi Parhóh.
9 Et loquutus eſt princeps pincernarum ad Parhóh,dicendo, Peccata mea ego reduco in memoriam hodie.
10 Parhóh iratus eſt contra ſeruos ſuos,& poſuit me in cuſtodiam domus principis ſatellitum,me & principem piſtorum.
11 Et ſomniauimus ſomniũ nocte eadem, ego & ipſe: vterque ſecũdum interpretationem ſomnii ſui ſomniauimus.
12 Et ibi erat nobiſcum puer Hebræus,ſeruus principis ſatellitũ,& narrauimus ei, & interpretatus eſt nobis ſomnia noſtra, vtrique ſecũdum ſomnium ſuum interpretatus eſt.
13 Et fuit,quemadmodum interpretatus eſt nobis,ſic fuit:me redire fecit adlocum meum,& ipſum ſuſpendit.
14 Et miſit Parhóh ,&vocauit Ioſeph,&celeriter eduxerũt eum è carcere. & totondit ſe,& mutauit veſtes ſuas,& venit ad Parhóh.
15 Et dixit Parhóh ad Ioſeph, Somnium ſomniaui:& qui illud interpretetur nõ eſt:& ego autem audiui de te dici quòd audias ſomniũ ad interpretãdum illud.
16 Et reſpondit Ioſeph ad Parhóh,dicendo,Præter me Deus reſpondebit in pacem Parhónis.
17 Et loquut' eſt Parhóh ad Ioſeph,Me ſõniante,ecce ſtabã iuxta ripã fluminis.
18 Et ecce,è flumine aſcendebant ſeptem vaccæ pingues carne,& pulchræ forma,& paſcebant in carecto.
19 Ecce verò ſeptem vaccæ aliæ aſcendebãt poſt eas tenues,& turpes forma valde,& tenues carne:non vidi ſimiles illis in tota terra AEgypti in turpitudine.
20 Et comederunt vaccæ tenues & turpes,ſeptem vaccas priores pingues.
21 Et venerunt ad interiora earũ,& non eſt cognitũ quòd veniſſent ad interiora earũ:& aſpectus earũ turpis quemadmodũ in principio. & expergefactus ſum.
22 Vidi præterea dum ſomniarẽ,&ecce ſeptem ſpicæ aſcẽdebant in culmo vno plenæ & pulchræ.
23 Ecce itẽ ſeptem ſpicæ paruæ & tenues,percuſſæ Euro germinabant poſt eas.
24 Et deglutiuerunt ſpicæ tenues,ſeptẽ ſpicas pulchras. Et dixi ad magos,&non fuit qui indicaret mihi.
25 Et dixit Ioſéph ad Parhóh,Somnium Parhóh vnum eſt:quæ Deus facit,indicauit Parhóni.
26 Septem vaccæ pulchræ, ſeptem anni ſunt: & ſeptem ſpicæ pulchræ , ſeptem anni ſunt. ſomnium idem eſt.
27 Et ſeptem vaccæ vacuæ & turpes, aſcendentes poſt eas, ſeptem anni ſunt: & ſeptem ſpicæ vacuæ arefactæ Euro,erunt ſeptem anni famis.
28 Hoc eſt verbum quod loquutus ſum ad Parhóh, quod Deus facit,videre fecit Parhónem.
29 Ecce ſeptem anni veniunt abundantiæ magnæ in omni terra AEgypti.
30 Et ſurgent ſeptem anni famis poſt eos: & erit in obliuione omnis abundantia in terra AEgypti,& conſumet fames terram.

31 Et non cognoſcetur abundantia in terra, propter famem ipſam ſequentem, quia grauis erit valde.

32 Et propterea iteratum eſt ſomnium ipſi Parhóni duabus vicibus, quia firma eſt res à Deo, & feſtinat Deus facere eam.

33 Nunc igitur prouideat Parhóh virum prudentem,& ſapientem,& conſtituat illum ſuper terram AEgypti.

34 Faciat Parhóh,& præficiat præfectos ſuper terram,& quintam partem ſumat à terra AEgypti in ſeptem annis abundantiæ.

35 Et congregent totam annonam horum annorum bonorum qui venient, cõgregent inquam frumentum ſub manu Parhóh,cibum in vrbibus,& ſeruent.

36 Et erit cibus in depoſitum pro terra,pro ſeptem annis famis qui erunt in terra AEgypti,& non ſuccidetur terra propter famem.

37 Et placuit ſermo in oculis Parhóh,& in oculis omnium ſeruorum eius.

38 Et dixit Parhóh ad ſeruos ſuos,Nũ inueniem⁹ talẽ virũ in quo ſit Spiritus Dei?

39 Et dixit Parhóh ad Ioſéph, Poſtquam cognoſcere fecit Deus te totum hoc, non eſt intelligens & ſapiens ſicut tu.

40 Tu eris ſuper domum meam,& ad os tuũ oſculabitur omnis populus meus: tantum ſolio maior ero te.

41 Et dixit Parhóh ad Ioſéph, Vide,poſui te ſuper omnem terram AEgypti.

42 Et remouit Parhóh annulum ſuum è manu ſua, poſuítq; illum in manu Ioſéph: & indui fecit eum veſtibus byſſinis,& poſuit torquẽ aureum in collo eius,

43 Et equitare fecit eum in curru ſecundi, qui erat ſibi: clamabántque ante eũ, Abréch, *id eſt pater tener.* & cõſtituit eum ſuper vniuerſam terram AEgypti.

44 Et dixit Parhóh ad Ioſeph,Ego Parhóh,& ſine te non leuabit quiſquam manum ſuam & pedem ſuum in tota terra AEgypti.

45 Et vocauit Parhóh nomẽ Ioſéph,Saphnáth Pahaneáh, *id eſt uir cui abſcondita reuelata ſunt, uel, abſconditorum expoſitor.* & dedit ei Aſenáth filiam Poti-phérah principis On in vxorem.& egreſſus eſt Ioſéph ſuper terram AEgypti.

46 Ioſéph verò erat vir triginta annorum quãdo ſtetit coram Parhóh Rege AEgypti:& egreſſus eſt Ioſéph à facie Parhóh,& tranſiuit per omnẽ terrã AEgypti.

47 Et protulit terra in ſeptem annis ſaturitatis ad collectiones.

48 Et cõgregauit de vniuerſis cibis ſeptẽ annorũ q̃ fuerũt in terra AEgypti,& poſuit cibũ in vrbib⁹:cibũ agri ciuitatis qui erat ĩ circuitu ei⁹, poſuit in medio ei⁹.

49 Et congregauit Ioſéph frumentum,tanquam arenam maris multum valde, adeò vt ceſſauerit numerari,quia non erat numerus.

50 Et ipſi Ioſéph nati ſunt duo filii antequam veniret annus famis,quos peperit ei Aſnáth filia Poti-phérah principis On.

51 Et vocauit Ioſéph nomen primogeniti, Menaſſéh: quia *dixit*, Obliuiſci fecit me Deus omnis laboris mei,& omnis domus patris mei.

52 Et nomen ſecũdi vocauit Ephráim:quia *dixit*,Creſcere fecit me Deus in terra afflictionis meæ.

53 Et finiti ſunt ſeptem anni ſaturitatis quæ fuit in terra AEgypti.

54 Inceperũt verò ſeptem anni famis venire, quemadmodum dixerat Ioſéph: fuítque fames in omnibus terris,& in omni terra AEgypti erat panis.

55 Et eſuriit omnis terra AEgypti, & clamauit populus ad Parhóh pro pane. & dixit Parhóh omnibus AEgyptiis,Ite ad Ioſeph:quod dixerit vobis facietis.

56 Et fames erat in omni ſuperficie terræ: & aperuit Ioſéph omnia horrea in quibus erant *frumenta*, & vendidit AEgyptiis: & inualuit fames in terra AEgypti.

57 Et omnes habitatores terræ venerunt in AEgyptũ vt emerent à Ioſeph: quia inualuerat fames in omni terra.

1 *In fine duorum annorum dierum.* Quãta anxietas interea ſancti viri animũ oppreſſerit, quiſque noſtrũ ex ſeipſo coniiciat. nam vt teneri ſumus & molles, vix ad breue tẽpus differri nos patimur. Atqui præter diuturni tẽporis moram, alio tentationis genere ſeruũ ſuum exercuit Dominus, quia omnes ſpes humanas ei abſtulerat. Ideo annos dierum ponit Moſes pro integris & plenis. Quo melius reputemus inuictũ fortitudinis tenorẽ, notãdus quoque eſt ille, quẽ dixi, flexus Diuinæ prouidẽtiæ, quo circunducitur Ioſeph, donec ad Regis notitiã emergat. In Regis ſomnio hoc primũ notatu dignũ eſt, quòd interdũ Deus oracula ſua vſque ad incredulos & prophanos homines extẽdere dignatur. Hic certè rarus fuit honor, de futuro quatuordecim annorum euẽtu doceri. Nec verò ſecus Pharaoni patefacta fuit Dei voluntas, quàm ſi verbo edoctus foret, niſi quòd aliunde petẽda eſt interpretatio. Quanquã autẽ Eccleſiæ ſuæ Deus peculiariter verbũ ſuũ deſtinat, nõ tamen videri abſurdũ debet, quòd alienos etiã interdum in ſcholã ſuã admittit ſub diuerſo fine. Doctrina, Eccleſiæ propria eſt, quæ in ſpẽ vſque æternæ vitæ deducit: filii autem ſeculi tantum de præſentis vitæ ſtatu obiter docentur. Si notemus hoc diſcrimen, non mirabimur quædã oracula prophanis & extraneis hominibus cõmunia eſſe: quãuis ſpiritualem vitæ doctrinã quaſi hæreditatis ſuæ theſaurum, poſſideat Eccleſia. Quòd priori ſomnio alterũ ſucceſſit, duabus de cauſis factum eſt. nam & Pharaonis animũ expergefacere voluit Deus, quo maiore ſtudio inquireret: deinde obſcuræ viſioni plus lucis addere. Denique eundẽ in hoc ſomnio, quem in quotidiana ratione, progreſſum ſequutus eſt. nam quod ſemel tradidit, ſecundò repetit, ac interdum ſæpius inculcat, non ſolùm vt altius in animos penetret doctrina, magíſque afficiat, ſed etiam vt familiarius innoteſcat mẽtibus. Quòd autem altero ſomnio Deus magis illuſtrare voluerit quod obſcurè tantum indicauerat, ex eo patet quòd figura propius ad rem accedit. Vidit primùm Pharao pingues vaccas à macilentis vorari. Hoc non tam apertè móſtrabat ſeptem annorum abundãtiam, & totidem penuriam in tritico & aliis ſeminibus, quàm ſpicarum aſpectus. Similitudo enim melius congruit.

8 *Manè conſternatus eſt ſpiritus eius.* Aculeus relictus eſt in corde Pharaonis, vt ſciret cũ Deo ſibi eſſe negotium. iſta enim anxietas, quaſi interior fuit Spiritus Dei obſignatio, quæ ſomnio fidem faceret. quanquam dignus eſt Pharao qui fructu reuelationis priuetur, dum ſe ad magos & ariolos confert, quibus ſolenne erat, Dei veritatem in mendacium cõuertere. Arcano inſtinctu conuictus eſt, ſomnium à Deo profectum aliquid portendere: impoſtores quærit qui accenſam diuinitus lucem ſuis fallaciis obtenebrent. Atque hæc eſt humani ingenii vanitas, ſibi erroris duces ac magiſtros accerſere. Non dubium quidem eſt quin veraces eſſe Prophetas credíderit: ſed quia ſponte conniuet, ac voluntario errore ad decipulas properat, non ſatis eum excuſat falſa opinio: alioqui homines oculos claudẽdo, cum aliqua plauſibili excuſatione Deo impunè illuderent. Ac videmus vt ſibi multi patrocinium quærant ex craſſa ignorantia, qua ſcientes ac volentes ſe implicant. Pharao igitur, quantum in ſe erat, vaticinii fructu ſe priuauit, magos quærẽs eius interpretes. Sicuti videmus quotidie accidere, vt veritas multis euaneſcat, quia propria ſocordia vel nebulas ſibi inducunt, vel nimis cupidè arripiunt falſa & adulterina commenta. Verùm quia Dominus regno AEgypti volebat tunc ſuccurrere, Pharaonem ab errore quaſi manu & vi retraxit. *Non erat coniector ex eis qui interpretaretur.* Hoc remedio Deus occurrit ne ſomnium intercideret. Scimus quàm ventoſum & impudens hominum genus fuerint ariioli, & quàm audacter ſe venditarint. Quî fit ergo vt Regi non reſpondeant: licebat enim quiduis nugari apud hominem credulum, & qui ſe deludi libenter paſſus eſſet. Ne igitur ab inquirendi ſtudio deſiſtat, non reperit quod ſperauerat apud ſuos magos. Et Dominus tam improbos fallendi artifices obmuteſcere cogit, nequem inducant fucum. Adde quòd hoc modo Regis cura magis acuitur: quia rem valde ſeriam, & arcanam eſſe reputat, quæ magorum acumẽ fugit. Quo exemplo docemur, optimè nobis proſpici, quum decipi volentibus errorum fomenta Dominus ſubducit: hócque in ſingulari gratia reputãdum eſſe, quum vel tacẽt pſeudoprophetæ, vel quouis modo nobis detegitur eorum fatuitas. Cæterùm hinc Regi promptum fuit colligere, quàm friuola eſſet ac nugatoria ſapientiæ profeſſio, qua præ aliis turgebãt AEgyptii. Diuinandi enim ſcientia, quæ cælos ipſos tranſcẽderet, pollere ſe iactabãt. Nunc quãtum ad eos attinet, Rex conſilii inops, ſpéque ſua deſtitutus angitur: neque tamen ſeipſum expergefacit, vt à ſuperſtitione ſua reſipiat. Ita videmus homines quanuis admonitos, manere tamen in ſuo torpore. Vnde clarè perſpicitur, quàm inexcuſabilis ſit mundi obſtinatio, qui illuſiones palàm è cælo ſtultitiæ damnatas, ſectari tamen non deſiſtit.

9 Et *loquutus est principes pincernarum.* Quanquam Dominus tunc AEgypti misertus est, non tamē hoc vel in Regis, vel in terræ gratiā factum est, sed vt Ioseph è carcere tandem emergeret. Deinde vt tempore famis Ecclesiæ suppeterent alimenta. nam etsi annona non alium in finem reposita fuit, nisi vt prospectum esset regno AEgypti, præcipuam tamē Ecclesiæ suæ curā Deus habuit, quæ apud ipsum pluris est decem mundis. Pincernæ ergo, qui de Ioseph silere statuerat, vox exprimitur ad liberandum sanctum hominem. Quòd autem dicit, *Peccata mea hodie in memoriam reducam*, ita à quibusdam accipitur, acsi ingratitudinis culpam agnosceret: quia non præstiterat datam fidem. Sed alius est sensus. neque enim de carcere suo loqui poterat, nisi hac præfatione interposita, nequa Regi obreperet sinistra suspicio, quasi famulus iniuriā sibi factam putaret: vel nequa eum pungeret offensio, quasi non sentiret ille beneficium sibi præstitum. Scimus quàm teneri sint Regum animi: & homo aulicus hoc lōgo vsu expertus erat. Itaque præfatur meritò se in carcerem fuisse coniectum. Vnde sequitur factum fuisse Regis clementia, vt rediret ad priorem statum.

14 Et *misit Pharaoh & vocauit.* In persona superbi Regis quasi in speculo cernimus quid proficiat necessitas. Quibus res lætæ sunt ac prosperæ, etiam quos existimāt Prophetas, audire vix dignātur: tantū abest vt aures præbeāt hominibus ignotis. Quare Pharaonis cōtumaciā prius domari oportuit, vt accerseret Ioseph, cúmque sibi magistrum ac doctorem præficeret: imò hæc eadem præparatio Electis quoque necessaria est, quia nunquam verè dociles essent, nisi subacto carnis fastu. Quoties ergo in graues molestias coniicimur, quæ nos perplexos & anxios tenent, sciamus Deum hoc modo nobis consulere, quo sibi obsequentes reddat. Quòd narrat Moses, Ioseph antequam veniret in conspectum Regis, vestes mutasse: hinc coniicimus sordidè fuisse vestitum. Eodem referri meo iudicio debet quod de tonsura additur. Nam quum fœminea esset gentis illius mollities, probabile est, qui nitori & elegātiæ studebant, comam potius aluisse. Verùm sicuri vestium squalorem exuit Ioseph: ita nequid pædoris habeat residuū, raditur. Sciamus ergo Dei seruum in sordibus iacuisse vsque ad diem liberationis.

15 Et *dixit Pharaoh ad Ioseph.* Videmus vt se discipulū offerat Pharao ipsi Ioseph, quia ex pincernæ relatu persuasus est esse Dei Prophetā. Coacta est quidem humilitas, sed hoc nobis diserte exprimitur, ne vbi discendi facultas nobis offertur, Spiritus donis reuerēter locum dare pigeat. Quāquam autem dum Pharaonem ablegat Ioseph ad Deum, negare videtur se fore interpretem somnii, aliò tamen spectat eius responsio. Nam quia se apud hominem profanum, & superstitionibus deditum verba facere sciebat, suam in primis laudem Deo asserere voluit: acsi dixisset, Nihil hac in parte valeo, nec quicquam ex meipso præstabo: sed Deus ipse solus arcani sui erit interpres. Siquis obiiciat, quoties hominum opera Deus vtitur, coniungi debere illorum ministerium cum eius mandato: id quidem fateor, sed ita vt in solidum gloria penes Deum resideat, secundum illud Pauli, nihil esse qui plantant, vel rigant. Cæterùm Ioseph non modò Pharaonem gustu aliquo pietatis afficere cupit, sed interpretationis donum vni Deo adscribens, se destitui fatetur vt ab illo impetret. Quare nos quoque exemplo sancti Ioseph discamus, etiam apud incredulos celebrare Dei gratiam: ac si ianuam præcludant integræ, plenæque doctrinæ, danda saltem opera est vt instillemus aliquas pietatis guttas. Hoc quoque nobis in mentem veniat, nihil minus ferendum esse, quàm vt sibi quicquam proprium arrogent homines. Nam hic primus est sapiendi gradus, nihil sibi arrogare, sed modestè fateri ex fonte gratiæ Dei manare quicquid laude dignum est. Præsertim hoc notatu dignum est, vt cuique Spiritus intelligentiæ datus è cælo fuerit, idoneum & fidum fore Dei interpretem. 1. Cor. 3. b. 7

16 *Deus respondebit in pacem Pharaoh.* Hoc ex animi sui affectu addidit Ioseph. nondum enim quale futurum esset oraculum tenebat. Ergo prophetico nomine faustum & optabile promittere non potuit: sed quemadmodum sincerè proferre debuit quod à Domino acceperat, qualecūque id esset, quantumvis triste, vel acerbum: ita rursum minimè obstitit hæc libertas quin lætum euentum Regi optaret. Precatio igitur est, non vaticinium, quod hîc de Regis pace dicitur.

17 *Me somniante.* Tota hæc narratio expositione non indiget: tantum enim repetit Pharao quod prius vidimus. nisi quòd addit, vaccas macilentas, consumptis pinguibus, nihilo redditas esse meliores, quo testari voluit Deus, tantam fore sterilitatem, vt congesta frumenti copia non liberaliter alerentur homines, sed famelici ægrè vitam traherēt. Quòd Ioseph somnium vnum esse respondet: simpliciter intelligit vnum & idem duabus figuris ostensum fuisse Pharaoni. Prius verò quàm interpretationem suam in medium proferat, non esse euanidum somnium asserit, sed Diuinum oracluum. Nisi enim à Deo profecta fuisset visio, stultum fuisset anxiè inquirere quid portenderet. Nunc autem in sciscitando Dei consilio nō frustrà laborat Pharao. Cæterùm notanda est loquendi forma, quia Ioseph non tantùm dicit, Deum quod aliunde contingeret, prædicere, sed quod ipse facturus esset. Hinc nanque colligimus, Deum non otiosè specula-

ri fortuitos rerum euentus, ſicuti Philoſophi plærique garriunt, ſed ſuo arbitrio ſtatuere quid futurum ſit. Quare in rerum prædictione non reſpondet de tabulis fatalibus, ſicuti Apollinem ſuum Poetæ fingunt earum rerum eſſe vatem, quæ non ſunt in eius manu: ſed pronuntiat, quic-
Eſa. 45. a. 7 quid eueniet, ſuum fore opus. Sic Iſaias, vt ſuam vni Deo gloriam aſſerat, ei vtrunque tribuit, res futuras patefacere, & ſuo imperio moderari omnes rerum euentus. Clamat enim Deum non fallere, nec mentiri, vt ſolent idola: & illum prædicat vnicum eſſe bonorum & malorum authorem: per mala, res aduerſas intelligens. Quare niſi Deum velimus è ſolio ſuo deiicere, non minus ſuam illi in agendo potentiam, quàm præſcientiam relinquere oportet. Atque hic locus ideo obſeruatu dignior eſt, quia omnibus ſeculis multi nebulones dimidiam gloriæ ſuæ partem Deo eripere conati ſunt: & nunc, vt dixi, multos Philoſophos delectat idem figmentum: quia abſurdum eſſe putant, Deo adſcribere quicquid rerum in mundo agitur. Quaſi verò fruſtrà pronun-
Pſal. 36. a. 7 tiet Scriptura, iudicia eius profundam eſſe abyſſum. Sed dum ad cerebri ſui cenſuram Dei opera exigunt, repudiato eius verbo, malunt de cæleſtibus myſteriis Platoni credere. Quod Deus, inquiunt, præſcius eſt rerum omnium, nulla inde neceſſitas inducitur. Quaſi verò nudam præſciétiam dicamus rerum cauſam eſſe: ac non potius hanc copulam teneamus à Moſe poſitam, quæ futura ſunt Deum præſcire, quoniam ea facere decreuit. Ipſi verò inſcitè ac perperam ab æterno Dei conſilio, & continua actione eius prouidentiam diuellunt. Hoc in primis perſuaſum habere expedit, quoties ſterilis eſt terra, ſiue gelu, ſiue vredo, ſiue grando, ſiue aliud quidpiam in cauſa ſit, hoc totum Dei conſilio gubernari.

32 *Et propterea iteratum eſt ſomnium.* Non intelligit Ioſeph mutabile eſſe ſiquid Deus ſemel tãtum protulerit: ſed ne in animo Pharaonis vacillaret rei oſtenſæ fides. Nã quia nihil niſi ex ſtabili, fixóque ſuo conſilio pronuntiat, ſemel loquutum eſſe ſufficit. Sed noſtra tarditas, & inconſtantia ſæpius eadem ipſum repetere cogit, vt cordibus noſtris inſideat quod certò apud eum decretũ eſt. alioqui quàm verſatile nobis ingeniũ eſt, tam variè ſurſum deorſum à nobis voluitur quod ſemel eius ore audiuimus, donec labaſcat. Porrò Ioſeph nõ modo firmitudinẽ cæleſtis decreti cõmendat, ſed ſimul propè inſtare denuntiat quod facere Deus cõſtituit, ne Pharao ipſe lógioris moræ fiducia dormitet. Nã etſi fatemur Dei iudicia ſemper capitibus noſtris inſtare, niſi tamen nos ſtimulet temporis maturitas, illorum cura & metu frigidè afficimur.

33 *Et nunc prouideat ſibi Pharaoh.* Plus præſtat Ioſeph, quàm fuerat rogatus. neque enim tantũ ſomnii eſt interpres, ſed vt Prophetæ munus impleat, doctrinam & conſilium adiungit. Scimus enim veros Dei Prophetas, ac legitimos non ſimpliciter prædicere quid futurũ ſit, ſed malis impendentibus remedia oſtendere. Poſtquam ergo de vicibus quatuordecim annorum vaticinium edidit Ioſeph, nunc docet quid vtile ſit factu, & Pharaonem vt partibus ſuis inuigilet hortatur. Atque hæc vna fuit notarum, quibus Deus Prophetas ſuos ſemper à fictitiis vatibus diſcernit, quòd eos inſtruxit docendi, hortandíque gratia, ne res futuras inutiliter prædicerẽt. Demus Apollinis, magorúmque omnium vaticinia fuiſſe vera, nec flexiloquis ambagibus intorta: quorſum tamen ſpectabant, niſi vt peruerſa fiducia præcipites agerent homines, vel deſperatione obruerent? Longè alia prophetandi ratio diuinitus præſcripta fuit, quæ ad pietatem formaret homines, ad reſipiſcentiam adduceret, metu perculſos excitaret ad preces. Porrò quia vaticinium hoc, cuius fit mentio, nonniſi ad temporalem caducæ vitæ vſum editum erat, non vltrà progreditur Ioſeph, quàm vt admoneat in quem finem obiectum ei fuerit ſomnium: acſi diceret, Ne te reuelationis pœniteat, hunc eius fructũ accipe, vt regni tui penuriæ ſuccurras. Quanquã non dubium eſt quin Deus linguam eius gubernauerit, vt prouinciã hanc ei mãdaret Pharao. Nõ enim aſtutè ſe inſinuat, nec reuelationis dono ad priuatũ quæſtũ abutitur: ſed illo inſcio, quod diuinitùs ordinatũ erat, in ſuũ finẽ perducitur, nẽpe vt domus Iacob famelica nutritiũ præter ſpẽ reperiat.

35 *Sub manu Pharonis.* Quia res proſperæ ita inebriãt homines, vt ſibi maior pars in poſterum nõ proſpiciat, ſed abũdantiã, quæ ad manũ eſt, ſua intẽperie abſorbeat: admonet Ioſeph hoc Regi curandũ eſſe, vt terra habeat repoſitã annonã. Adde quòd vulgus, quũ intelligeret non fruſtrà cõlligi tantã frumenti copiam à Rege, ſed inſolito malo remediũ quæri, ſe quoque ad frugalitatẽ cõpoſuit. Cæterũ quia luxuries ſemper ferè in copia graſſatur, & Dei benedictionẽ dilapidat, neceſſariũ fuit imperii frænum. Hæc ratio eſt cur horrea ſub Regis manu conſtitui præcipiat Ioſeph, atque illuc frumentũ cõgeri. Cõcludit tandem ſomnium fuiſſe vtile, quãuis primo intuitu triſte, & inauſpicatum foret: quia ſtatim poſt oſtenſum vulnus, eius curandi ratio allata erat.

38 *Non inueniemus talem uirum.* Videmus quàm bona ſit magiſtra neceſſitas. Si creãdi ſunt præfecti, vel iudices, vt quiſque fauore pollet, poſthabito delectu, ad honorem prouehitur. vnde fit vt ſæpius obrepant qui ſunt maximè indigni. Tametſi autem turbari videmus politicum ordinẽ, multíſque incommodis inuolui hominũ genus, quia malis artibus ſe temerè ingerũt ad res incognitas qui minus apti ſunt: ambitio tamen præualet, æquitatémque ſubuertit. At neceſſitas ſa

ptum iudicium extorquet. Nihil dicit Pharao quod nō sit naturaliter omnium cordibus insculptum, nōnisi idoneis, & quos Deus necessariis dotibus instruxit, debere honores mādari. Sed experientia plus satis docet, effluere ex memoria hanc naturæ legem, quoties liberū est impunè peccare. Ergo vtiliter subacta fuit Pharaonis superbia, vt ambitione valere iussa, exterum hominem & nuper carceri mancipatum, quia virtute excellit, omnibus suis aulicis præferat. Eadem necessitas continuit regni proceres, ne suo more cōtenderent vt ad se quisque primatū traheret. Quāquam autem coacta fuit modestia, quoniam eos pudebat bono publico obstare, dubium tamen non est quin Deus metum illis incusserit, vt vno omnium consensu Ioseph toti regno præesset. Notandum etiam est quòd Pharao, quanuis à suis ariolis infatuatus esset, Spiritus tamē dona celebrat in Ioseph: nempe quia nūquam sic homines obbrutescere Deus patitur, quin virtutē suā in tenebris adhuc palpēt. Ita quantumuis impia defectio eos abripiat, manet tamē residuus Deitatis sensus. Interim nimis friuola est notitia, quæ priorem vesaniam non corrigit. nam Deum quem ore prædicat, contemnit: nec quicquam concipit præter confusum nescio quod numen. Hæc particularis notitia sæpe irradiat profanos homines, vt tamen non resipiscant. Quo monemur quodlibet vnum ex principiis, donec solida emergat pietas & vigeat, parui esse momenti.

40 *Tu eris super domum meam.* Nō tantùm AEgypto præficitur Ioseph, sed ornatur etiam regiis insignibus, vt reuerenter eum omnes colant, pareántque imperio. Annulus signatorius inseritur in eius digitum ad sancienda decreta. Byssinis vestibus induitur, quæ tunc in deliciis, nec vulgari pretio erāt. Locatur in curru, quod maximè erat honorificum. Sed quæritur, an sancto viro fas fuerit cum tam splendida pompa prodire. Respondeo, tametsi vix vnquam à vitio puræ sint lautitiæ, ideóque optima sit in externo cultu frugalitas, nō tamen quemlibet splēdorem in Regibus & aliis mundi principibus damnandū esse, modò ne vel nimis cupidè eum appetant, vel superbè ostentent. Colenda quidem semper est mediocritas: sed quia nō fuit in arbitrio Ioseph modum præscribere, autoritas verò Regia absque vsitato ornatu ei concessa non fuisset, liberū ei fuit plus accipere, quàm optandum erat. Nam si optio detur seruis Dei, nihil tutius est quàm rescindere quicquid poterunt ex lautitiis. Vbi autem necesse est se accommodare ad publicum morem, cauenda est illis ostentatio & omnis vanitas. Quòd attinet ad verba, vbi nos vertimus, *osculabitur totus populus ad os tuum*, alii legere malunt, armabitur: alii, cibabitur ad nutum, vel mandatum tuum: sed quia propria verbi נשק significatio est osculari, non video cur in alium sensum torqueant interpretes. Neque tamen solenne adorationis symbolum hîc notari puto, sed metaphorica potius locutio esse videtur, quòd populus amicè excipiet, atque obedienter amplexabitur quicquid profectum erit ab ore Ioseph: acsi dixisset Pharao, quicquid iusserit, vno populi cōsensu, quasi osculum omnes porrigerent, excipi volo. Currum secundi legunt Hebræi in constructione, pro curru Proregis, qui secundas à Rege tenet. Sensus tamen clarus est, Ioseph omnibus AEgypti proceribus anteponi. De voce אברך variæ sunt opiniones. Qui patrem tenerum exponunt, quia tener adhuc annis Ioseph, senili dotatus esset grauitate & prudentia, mihi procul accersere videntur quod suo commento respondeat. Qui vertunt patrem Regis, quasi dictio sit ex Hebraico nomine אב, & Arabico ךר cōposita, paulo plus habēt coloris. Equidem si vox sit Hebraica, mihi videtur magis probabile quod alii afferunt, Genu flecte. Sed quia suspicor AEgyptiacas potius voces referri à Mose, tā hoc loco, quàm paulo pòst: cōsulo lectoribus ne se frustra torqueāt. Et sanè ridicule arguti sunt, qui nomē Hebraicū à Rege AEgyptio impositū esse putāt, quod ab illis vertitur vel mundi redēptor, vel mysteriorū expositor. Græcos sequi malo, qui vtrūque nomen intactum relinquendo, satis ostendunt sibi videri extraneæ linguæ. Quòd socerū Ioseph sacerdotem fuisse vulgò existimant, quanquam nō refello, vix tamen adducor vt credam. Quum igitur כהן principem significet sicuti sacerdotem, cōsentaneū esse videtur, vnū fuisse ex aulæ primoribus, qui etiā satrapa vel præfectus foret ciuitatis On.

46 *Erat uir triginta annorum.* Duas ob causas refert Moses qua ætate prouectus fuerit Ioseph ad regni præfecturam. Rarum enim est vt senes iuuenibus se regendos tradant. Vnde singulari Dei dono factum fuisse colligitur, vt sine inuidia regnaret Ioseph, ac illi reuerentia & maiestas supra annorum numerum constaret. Nam si periculum fuit ne Timotheum contemptibilem redderet iuuentus, non minus contemptui obnoxius fuisset Ioseph, nisi diuinitus parta illi fuisset authoritas. Quanquam autem eam propria industria sibi acquirere non potuit, ad eam tamen augendam, & confirmandam probabile est eximias virtutes, quas in eum contulerat Deus, non parum valuisse. Secunda ratio notandæ ætatis est, vt secum expendant lectores diuturnas eius ærūnas, quibus variè afflictus fuerat. Atque vt humaniter tractatus foret, potuit tamen tredecim annorum exilium grauissima esse tentatio, quòd reditus ad paternam domum non tantum vinculo seruitutis, sed etiam carcere obstructus foret. Ergo nonnisi longa tolerantia probatus, meliorem statum obtinuit. Subiicit deinde Moses, sedulò & exactissima fide suis partibus esse defun-

ctum. Nam circuitus iſte, cuius fit mentio, non vulgaris diligentiæ ſignum fuit. Poterat certè aſſumere legatos, in quorum humeros maiorem laboris & moleſtiæ partem reiiceret: ſed quia diuinitus ſe vocatum eſſe nouit, tanquam rationem apud tribunal cæleſte redditurus, nihil oneris recuſat. Ac paucis verbis incredibilis illius prudentia à Moſe laudatur, quòd repente optimam ſeruandi tritici rationem inuenerit. Arduus enim fuit labor horrea per ſingulas vrbes extruere, quæ integrum vnius anni prouentum, & præterea quintam partem caperent. Ipſa autem diſpoſitio non minoris perſpicaciæ documentum fuit, ne cuiuſque regionis incolis victus longè petendus eſſet. Paulo pòſt adiungitur integritas, quæ non minori laude digna fuit, quòd ſcilicet in illa immenſa congerie ab omni licentia abſtinuit, non ſecus acſi modica tantum procuratio iniuncta foret. Vtriuſque autem virtutis laus eſt, quòd poſtquam immenſos aceruos collegit, non tamen quicquam remittit ex ſolita diligentia, donec omnes ſuſceptæ prouinciæ numeros abſoluat. Satietas (vt in veteri prouerbio eſt) faſtidium parit: ac proinde abundantia vt plurimũ ignauiæ mater eſt. Vnde ergo fit vt æquabilem teneat curſum ſedulitas Ioſeph, nec præſentis copiæ aſpectu fiat remiſſior, niſi quia prudenter expendit nullam fore tantam copiam, quã ſeptem anni ſteriles non deglutiant? Fidem quoque & raram publicæ ſalutis curam in eo prodidit, quòd aſſiduo ſeptem annorum labore defeſſus non eſt, nec vnquam quieuit, donec in ſeptem alios annos proſpectum eſſet.

50 *Et ipſi Ioſeph nati ſunt duo filii.* Quanquam aliquid pietatis ſpirant nomina, quæ ex rerum euẽtu filiis impoſuit Ioſeph, quia in illis Dei gratiam celebrat: vix tamen in totum poteſt excuſari obliuio paternæ domus, quam ſibi inductam eſſe dicit. Hæc pia eſt, ac ſancta gratiarum actio, quòd Deus obliuiſci eum fecit priſtinas omnes ærumnas: ſed nullus honor tanti eſſe debuit, vt deſiderium & memoriam paternæ domus ex animo deponeret. Sit licet ſecundus Rex AEgypti, infœlix tamen eſt eius conditio, quandiu ab Eccleſia exulat. Quidam vt purgent à culpa ſanctum virum, exponũt eum lætari præſenti Dei gratia, vt poſthac illatas ſibi à fratribus iniurias non recordetur. Sed hoc meo iudicio nimis coactum eſt. Nec verò anxiè laborandum eſt in excuſando peccato Ioſeph: quin potius moneri nos arbitror quãtopere cauendum ſit à mundi illecebris, ne mẽtes noſtras plus, quàm par ſit demulceant. Ecce enim Ioſeph, quanuis purè Deum colat, honoris tamen dulcedine captus obnubilatam habet mentem, vt paternæ domus immemor, ſibi in AEgypto placeat. Atqui hoc ferè erat à Dei grege diſcedere. Hæc quidem laudabilis modeſtia, quòd Diuinæ erga ſe bonitatis prædicandæ ſtudio, ipſum non pudet afflictæ fortunæ monimẽtum ſtatuere in filiorum nominibus. Qui ex obſcuro & ignobili loco tradũcti ſunt in ſublime, cuperent extinctam eſſe originis ſuæ notitiam, quia ſibi probroſam eſſe exiſtimant. Sãcto itaque Ioſeph pluris fuit Diuinæ gratiæ cõmendatio, quàm fucoſa in futurũ tẽpus nobilitas.

53 *Et finiti ſunt ſeptem anni.* Iam prius inſueta fertilitas, vnde patebat Ioſeph verũ fuiſſe vatem, nomen illi & famam conciliauerat: atque hoc modo cohibiti fuerant AEgyptii ne quid turbarum in eum mouerent. & tamen mirum eſt, in tanto gentis faſtu toleratum rebus proſperis fuiſſe exteri hominis imperium. Quæ verò ſequuta eſt fames, durius, aſperiúſque frænum fuit ad domandos altos & feroces ſpiritus, vt ſe ad obſequium ſubmitterent. Quanquã vbi dicit Moſes fuiſſe annonam in tota AEgypto, quum fame laborarent vicinæ regiones, innuere videtur à priuatis quoque reconditum fuiſſe triticum. Et certè, vt alibi diximus, fieri non potuit quin de fame vẽtura vulgatus eſſet rumor, qui metum & ſolicitudinem paſſim iniecit vt ſibi quiſque cõſuleret. Neque tamen adeò prouidi fuerunt ſinguli, quin breui conſumptum ſit quod ſeruauerãt. Vnde apparuit quàm dextrè & prudenter ab initio ſenſiſſet Ioſeph nõ fore ſaluam AEgyptum, niſi publicè ſub Regis manu congeſta eſſet annona.

55 *Ite ad Ioſeph.* Eſt quidem hoc Regibus minimè inſuetum, quum extremis malis vrgentur ſubditi, deliciis vacare. Sed aliud ſibi vult Moſes. neque enim diſtribuendi frumẽti cura ſe exonerat Pharao, vt immunis ab omni moleſtia quietem colat: ſed quia tantum fidei habet ſancto Ioſeph, vt libenter omnia ei permittat, nec velit in ſuſcepto munere turbari.

Cap. XLII.

1 ET vidit Iahacób quòd eſſet frumentum in AEgypto: & dixit Iahacób filiis ſuis, Vtquid aſpicitis vos?

2 Et dixit, Ecce audiui quòd eſt frumentum in AEgypto: deſcendite illuc, & emite nobis inde, & viuemus, & non moriemur.

3 Et deſcenderunt fratres Ioſéph decem, vt emerent frumentum in AEgypto.

4 (Et Biniamín fratrem Ioſéph non miſit Iahacób cum fratribus ſuis: quia dixit, Ne fortè accidat ei mors.)

5 Et venerunt filii Iſrael vt emerent in medio venientium: erat enim fames in terra Chenáan.
6 Ioſéph autem erat dominus ſuper terram: ipſe vendebat omni populo terræ. venerunt inquam fratres Ioſeph, & incuruauerunt ſe ei in faciem ſuper terram.
7 Et vidit Ioſéph fratres ſuos, & agnouit eos, & alienum ſe oſtẽdit eis: locutúſque eſt cum eis dura, & dixit eis, Vnde veniſtis? Et dixerunt, De terra Chenáan ad emendum cibum.
8 Et agnouit Ioſéph fratres ſuos, & ipſi non agnouerunt eum.
9 Et recordatus eſt Ioſéph ſomniorum quæ ſomniauerat de eis, dixítque eis, Exploratores eſtis, ad videndum nuditatem terræ veniſtis.
10 Et dixerunt ad eum, Nequaquam, domine mi: ſed ſerui tui venerunt ad emẽdum cibum.
11 Omnes nos filii eiuſdem viri ſumus: veraces ſumus, non ſunt ſerui tui exploratores.
12 Et dixit illis, Nequaquam: ſed nuditatem terræ veniſtis ad videndum.
13 Et dixerunt, Duodecim ſerui tui fratres ſumus filii viri eiuſdem in terra Chenáan: & ecce minimus eſt cum patre noſtro hodie, & vnus non eſt.
14 Et dixit ad eos Ioſéph, Hoc eſt quod locutus ſum ad vos, dicendo, Exploratores eſtis.
15 In hoc probabimini: per vitã Parhóh ſi egreſſi fueritis hinc niſi quum venerit frater veſter minimus huc.
16 Mittite ex vobis vnum, & accipiat fratrem veſtrũ, vos autem vincti eritis, & babũtur verba veſtra, an veritas ſit vobiſcũ: ſin minus, per vitam Parhóh quòd exploratores eſtis.
17 Et congregauit eos in cuſtodiam tribus diebus.
18 Et dixit eis Ioſéph die tertio, Hoc facite, & viuetis, Deum ego timeo.
19 Si veraces eſtis, frater veſter vnus ligetur in domo cuſtodiæ veſtræ, & vos ite, auferte alimentum ad expellendum famem è domibus veſtris.
20 Et fratrem veſtrum minimum adducetis ad me, & verificabuntur verba veſtra, & non moriemini. & fecerunt ita.
21 Dicebat autem alter alteri, Verè deliquimus contra fratrem noſtrũ: quia vidimus anguſtiam animæ eius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcirco venit ſuper nos anguſtia hæc.
22 Et reſpondit Rubén ad eos, dicendo, Nónne dixi vobis dicendo, Ne peccetis in puerum, & non audiſtis? & etiam ſanguis eius ecce requiritur.
23 Et ipſi ignorabant quòd audiret Ioſéph: quia interpres erat inter eos.
24 Et vertit ſe ab eis, & fleuit: & reuerſus eſt ad eos, loqutúſque eſt eis: & accepit ab eis Simhón, ligauítque eum in oculis eorum.
25 Et præcepit Ioſéph, & impleuerunt vaſa eorum frumento: *præcpit* etiã vt reſtituerent argentum eorum, vniuſcuiuſque in ſacco ſuo, & darent eis eſcam ad iter. & fecit eis ſic.
26 Et tulerunt frumentum ſuum ſuper aſinos ſuos, & abierunt inde.
27 Aperuit autem vnus ſaccum ſuum, vt daret pabulum aſino ſuo, in hoſpitio: & vidit pecuniam ſuam, & ecce erat in ore ſacci ſui.
28 Et dixit fratribus ſuis, Reddita eſt pecunia mea, & etiã ecce eſt in ſacco meo. Et egreſſum eſt cor eorum, & obſtupuerunt, alter ad alterum dicendo, Vtquid

hoc fecit Deus nobis?

29 Et venerunt ad Iahacób patrem ſuum in terram Chenáan, & annuntiauerunt ei omnia quæ acciderant eis, dicendo,

30 Locutus eſt vir dominus terræ nobiſcum dura, & cõſtituit nos tanquam exploratores terræ.

31 Et diximus ad eum, Veraces ſumus, non ſumus exploratores.

32 Duodecim ſumus fratres filii patris noſtri: vnus non eſt, & minor hodie eſt cum patre noſtro in terra Chenaán.

33 Et dixit nobis vir dominus terræ, In hoc cognoſcam quòd veraces eſtis, Fratrem veſtrum vnum dimittite mecum, & *frumentum ad expellendum* famẽ domorum veſtrarum capite, & ite.

34 Et adducite fratrem veſtrum minimum ad me, & cognoſcam quòd nõ eſtis exploratores, ſed veraces: fratrẽ veſtrum dabo vobis, & in terra negotiabimini.

35 Et fuit, ipſis euacuantibus ſaccos ſuos, ecce vniuſcuiuſque ligatura pecuniæ ſuæ erat in ſacco ſuo: & viderunt ligaturas pecuniarum ſuarũ, ipſi, & pater eorum, & timuerunt.

36 Et dixit ad eos Iahacób pater eorum, Me orbaſtis, Ioſéph non eſt, & Simhón non eſt, & Beniamin capietis: aduerſum me ſunt omnia hæc.

37 Et dixit Reubén ad patrem ſuum, dicendo, Duos filios meos mori facias, niſi reduxero eum ad te: da eum in manum meam, & ego reducam eum ad te.

38 Et dixit, Non deſcendet filius meus vobiſcum, quia frater eius mortuus eſt, & ipſe ſolus remanſit: & accidet ei mors in via per quam ibitis: & deſcendere facietis canitiem meam cum dolore ad ſepulchrum.

1 *Et uidit Iahacob.* Incipit hoc capite Moſes tractare quænam occaſio traxerit Iacob cum tota familia in AEgyptum: atque ita nobis conſiderandum relinquit quàm occultis modis, & inopinatis perficiat Deus quicquid ſtatuit. Quanquam igitur Dei prouidentia per ſe labyrinthus eſt: vbi tamen rerum exitus cum principiis coniungimus, perſpicuè nobis refulget admirabilis illa operandi ratio, quæ ideo non agnoſcitur, quoniam à ſenſu noſtro longius remota eſt. Impedit etiam nos propria ignauia, ne fidei oculis Deum cernamus mundi gubernacula tenentem: quia vel fortunam imaginamur euentuum dominam: vel in propinquis & naturalibus cauſis hærentes, ex earum cõtextu vela nobis obtẽdimus. Quum ergo vix vlla Diuinæ prouidentiæ illuſtrior pictura extet, quàm hæc hiſtoria, probè ſe in eius meditatione exerceãt pij lectores, vt res in ſpeciem fortuitas Dei manu dirigi agnoſcant. 2 *Vt quid aſpicitis uos.* Mutuò ſe aſpicere dicuntur homines, dũ alius alium expectat, & inopia conſilii nemo quicquam tentare audet. Reprehenditur igitur à Iacob filiorũ ceſſatio, quòd nemo illorum præſenti neceſſitati occurrere ſtudeat. Dicit autem Moſes profectos fuiſſe in AEgyptũ patris iuſſu, & quidem abſque Beniamin: quo ſignificat tunc apud eos valuiſſe patris reuerentiam, quia non obſtitit inuidia, quin relictis vxoribus & liberis longinquum iter arriperent. Addit etiam veniſſe in cõfluxu magnæ turbæ: quod laudem Ioſeph amplificat, qui toti AEgypto ſuppeditans alimenta, & ad menſuram diſpenſans vſque ad finem ſterilitatis, aliquid etiam vicinis gentibus ſubſidii impertiat.

6 *Et Ioſeph erat dominus ſuper terram.* Coniungit honorem Ioſeph cum fide & induſtria. Nam etſi potiebatur ſummo imperio: ſubiit tamen quicquid potuit oneris, non aliter quàm ſi mercenarius operam ſuam locaret. Quo exemplo diſcendum eſt, vt quiſque honore præcellit, ſic debere eſſe maximè negotioſum. Eos verò qui otium cum dignitate appetunt, ſanctum Dei ordinẽ penitus corrumpere. Porrò intellige venditum fuiſſe frumentum à Ioſeph, non quòd dimenſus ſit ipſe propriis manibus, vel pecuniam tractauerit, quum in multis Regni partibus venale eſſet, nec ſolus ad horreum vnum ſufficeret: verùm quia tota in eum moles incubuit.

7 *Et alienum ſe oſtendit eis.* Quæritur quo animo Ioſeph fratres ita minis & terrore excruciet. Nam ſi tactus fuit accepta ab illis iniuria, excuſari non poteſt vindictæ cupiditas. Atqui probabile eſt, neque iracundia, neque vlciſcendi ſtudio fuiſſe impulſum: ſed duabus iuſtis cauſis fuiſſe adductũ vt ita faceret. Nam & fratrem Beniamin recuperare optabat: & quaſi adhibita quæſtio-

ne excutere volebat quid haberent in animo, resipuissent nécne: qualis denique ab eo tempore fuisset eorum vita. Nam si primo colloquio se patefecissent, timendum erat ne patre celato, detestabile quod admiserant scelus tegere volentes, nouo scelere augerent: suberat etiam non vana de fratre Beniamin suspicio, nequid perfidiæ ac crudelitatis in eum tentassent. Operæpretium ergo fuit, propius eos excuti, donec de statu paternæ domus certior factus Ioseph, consilium ex re ipsa caperet: deinde aliquid castigationis anteveniam infligi, quo melius sceleris sui atrocitatem expenderent. Nam quòd se postea tam placabilem humanúmque præbuit, non factum est quòd sedato animo paulatim ad misericordiam flexus sit: quin potius quũ alibi subiiciet Moses secessum quæsiisse, quia se amplius continere nõ poterat, simul innuet fletũ fuisse repressum, quan diu severo fuit vultu, atque ita eodem semper misericordiæ affectu fuisse præditum. Et apparet peculiaris fuisse instinctus ad totã hanc actionẽ. Neque enim hoc vulgare fuit, quòd Ioseph cõspectis tot suarum calamitatum authoribus nõ excanduit, neque mutatus est, neque in exprobrationes erupit: sed composuit vultũ & sermonem, quasi diu per otium meditatus foret quod acturus fuit. Sed quæritur rursum, annõ culpanda sit eius simulatio, quæ mendacio coniuncta fuit. simus enim quantopere Deo placeat integritas, & quàm severè à fuco & fallaciis suos prohibeat. An Deus speciali motu seruum suum gubernauerit, vt à communi regula discederet citra culpam, nescio: sicuti interdum piè fideles quædam designant, quæ in exemplum trahere nõ licet. Hoc quidem in sanctorum Patrum factis semper cauendum est, ne ab ea lege, quam Dominus cõmuniter omnibus præscribit, nos abducant. Ex generali Dei mandato colenda est nobis sinceritas. Quòd aliud simulauit Ioseph quàm res erat, hoc prætextu minimè excusabimur, siquid simile tentamus. Nam vt veniam obtinuerit libertas priuilegio concessa, siquis priuato exemplo fretus Legem Dei euertere nõ dubitet, vt sibi licitum faciat quod illic vetatur, meritò suæ audaciæ pœnas dabit. Et tamen non magnopere sudandum esse arbitror in excusando Ioseph: quia magis probabile est, aliquid humanitus fuisse passum, quod illi Deus ignouit: sola enim eius indulgentia simulationem, quæ per se vitio non carebat, reatu eximere potuit.

9 *Et recordatus est Ioseph somniorum.* Quũ de adoratione facta esset mentio à puero Ioseph, rei absurditas fratres ad machinandum nefandam cædem compulerat. Nunc quanuis incognitum adorent, nihil tamen illis melius est: imò hæc vnica salutis ratio est, dum se ad pedes eius prosternunt, supplices ab eo recipi. Irrita interim fuit eorum cõspiratio, qua cæleste decretum euertere conati sunt, ne iugum subirent. Sic Dominus vi præfractos cogit: non secus ac feroces equi & refractarii, quo magis calcitrando luctantur, eo durius & violentius tractari solent. Quare nihil melius quàm se ad mansuetudinem placidè cõponere, vt suam quisque sortẽ, licet minus splendidam, æqui boni consulat. Absurdum tamẽ videtur quòd tunc sua somnia in memoriam reuocauerit Ioseph, quasi intermedio temporis tractu oblitus foret. quod fieri non potuit quin illi excidissent Dei promissiones. Respondeo, nihil hîc referri quod non subinde nobis accidat. nã etiamsi cordibus nostris insideat verbum Dei, non tamen assiduè occurrit, quin potius interdũ suffocatur, vt videri queat extinctum: præsertim vbi afflictionũ caligine opprimitur fides. Porrò nihil mirum, si longa malorum congeries quadam obliuione sepelierat contraria eius somnia. Deus in spem magnæ & præclaræ dominationis eum extulerat. In foueam sepulchro non absimilem coniicitur. Inde pretio venditur, rapitur in longinquã terram. Acsi parum dura per se foret seruitus, in carcerem occluditur. Et quanquam nõnihil mitigatur ærumna, dum ferreis compedibus eruitur, spes tamen exitus vel nulla, vel exigua erat. Neque tamen existimo spem ab eo conceptam prorsus deletam esse, sed obductam nebulam, quæ consolationis lucem subduceret. Secutũ est diuersum genus tentationis: quia nihil procliuius est, quàm vt summa & inspe-
rata fœlicitas suos alumnos inebriet. Atque ita factum esse nuper legimus, vt sancto viro obreperet paternæ domus obliuio. Non fuit igitur somniorum memor quantum decebat. Probabilis etiam alia excusatio afferri potest, quòd statim cum rei euẽtu somnia contulerit. Et certe hæc virtus fuit non vulgaris, quod cernebat, mox trahere ad confirmandam Diuini oraculi fidem. Nam facile colligitur, vetustate temporis minime obsoleuisse somnia, quorum tam prõpta memoria suggeritur. Sic discipuli verborum Domini recordati sunt, postquam à morte resurrexerat: quia ex rei conspectu plenior notitia affulsit, quum obscuræ tantum scintillæ prius in eorum cordibus micarent. *Iohan.2.d.22. 12.c.16.*

15 *Per uitam Pharhoh si.* Ex formula quoque iurisiurãdi noua quæstio oritur. nam quod in Lege præcipitur, ne iuremus nisi per nomen Dei: iam tunc piorũ cordibus insculptum fuit: quando hunc vni Deo honorem esse habendum natura dictat, vt iudicium illi deferãt homines, summúmque fidei & veritatis arbitrum & vindicem cõstituant. Si dicamus non simplex esse iusiurandũ, sed etiam obtestationis speciẽ: aliqua ex parte excusabilis erit sanctus vir. Qui per Deũ iurat, eum vult medium intercedere, vt pœnã exigat periurii. Qui per vitam suam vel caput iu- *Deut.6.c.13.*

rant, quasi fidei suæ pignus in medium deponunt quod maximè habent pretiosum. Hoc modo non transfertur ad hominem mortalẽ Dei maiestas: quia longè aliud est, eum citare testẽ qui ius habet vlciscendi, quàm per rem maxime charã asserere verum esse quod dicimus. Sic Moses quũ cælum & terram in testimoniũ aduocat, nõ adscribit illis deitatẽ, vt fabricet noua idola: sed quo plenior Legi constet authoritas, significat nullam fore mundi partem quæ non apud Dei tribunal de populi ingratitudine clamet, si salutis doctrinam respuat. Quanquã in hac iurãdi formula, qua vtitur Ioseph, aliquid esse fateor quod meritò culpetur. fuit enim profana adulatio apud AEgyptios, iurare per vitam Regis. Sicuti per genium Principis Romani iurabant, postquã inualuerat seruitus, vt Cæsares suos diis æquarẽt. Certè iusiurandũ hoc à sincera pietate abhorret. Vnde perspicere licet, nihil esse difficilius sanctis Dei seruis, quàm puros versari inter mundi sordes, vt nihil inde maculæ contrahant. Nullis quidem aulæ corruptelis ita vnquam infectus fuit Ioseph, quin purus maneret Dei cultor: videmus tamen, dum se ad prauam loquendi cõsuetudinem accommodat, aliqua labe fuisse aspersum. Repetitio etiam ostendit, vbi quis semel malo assueuit, nihil esse procliuius, quàm identidem peccare. Videmus eos qui sibi temerè iurandi licentiam semel sumpserunt, etiam quũ res friuolæ tractantur, tertio quoque verbo iusiurandũ aliquod effutire. Quo maior adhibenda est cautio, nequa talis indulgentia nos in praua consuetudine obduret.

Deut. 32. 41.

17 *Et congregauit eos in custodiam.* Hîc non verbis modò, vt antea, sed reipsa fratribus se asperũ præbet Ioseph, dum in carcerem omnes concludit tanquam mox ad supplicium rapturus: ac per triduum metu eos cruciat. Diximus autem paulo antè, ex eius facto non esse petendam seuerè ac rigidè agendi regulam: quia dubium est recténe fecerit, an secus. Deinde timendum est ne longe absint ab eius mansuetudine, qui eius exemplum obtendent: vt non tam veri imitatores futuri sint, quàm simiæ. Interea planè liquet quorsum spectauerit. neque enim pœnam mitigat, acsi triduo placatus foret: verùm vt de redimendo fratre, quem ipse obsidem retinet, magis reddat solicitos. Cæterùm ne immodicus pauor eos à reditu deterreat, bona fide cum illis se acturum promittit. atque vt id persuadeat, præfatur se Deum timere. quæ locutio obseruatu digna est. Loquitur certè ex intimo cordis sensu: se verò, quia Deum metuit, rectum & veracem fore declarat. Ergo bonæ, probæque conscientiæ, vt cum hominibus fidem & æquitatem colamus, principium & fons est Dei timor. Apparet quidem interdum aliqua in Dei contemptoribus probitas: sed quæ citò in fumum abit, nisi fræno illo cohibeantur praui carnis affectus, metuendum esse Deum, quia futurus est mundi iudex. Nam quisquis non cogitat reddendam sibi esse rationẽ, nunquã ita integritati studebit, quin sequatur quod sibi vtile esse putat. Quare danda opera est, si à perfidia, dolo, crudelitate, & omni improbo nocendi studio puri esse cupimus, vt inter nos vigeat religio. Quoties autem minus sincerè, vel humaniter inter nos agimus, palàm se prodit impietas. Nam quicquid in mũdo est rectitudinis, ac iustitiæ, breui elogio complexus est Ioseph, quum dixit se Deum timere.

21 *Et dicebat alter alteri.* Insignis locus est, quòd filii Iacob in vltimas angustias redacti, admissum ante annos tredecim parricidium reuocant in memoriam. Priusquam vrgeret eos afflictio, torpebant. Nuper etiã retulit Moses de morte Ioseph intrepidè locutos esse, acsi malè sibi cõscii non essent. Nunc verò quasi ingredi coguntur in suas conscientias. Videmus itaque vt rebus aduersis examinet Deus homines, & excussis blanditiis non modò pungat eorum animos arcano metu, sed confessionem extorqueat quam libenter fugerent. Atque hoc genus examinis plusquam necessarium nobis est. Mira est hominũ hypocrisis ad mala tegenda: quòd si accedat impunitas, socordia duplicatur. Quare nullum remediũ supereſt, nisi vt afflictionibus & pœnis expergefiant qui torporem sibi inducunt, quandiu illis parcit Dominus. Aliquid ergo profecit Ioseph, dũ fratribus suis peccati sensum extorsit, in quo securè sibi placebant. Et Dominus eorum misertus est, integumentum auferens, quo se nimis diu fefellerãt: sicuti quotidie nos manu hominum castigans, ad tribunal suum reos citat. Quanquã parum prodesset, exerceri rebus aduersis, nisi intus corda tangeret. videmus enim quàm pauci, licet durissimis pœnis admoniti, peccata sua reputent: nemo certè nisi inuitus ad hanc notitiam descendit. Quare dubium nõ est quin Deus, vt filios Iacob ad pœnitentiã adduceret, tam arcano Spiritus instinctu, quàm externa castigatione eos compulerit, vt peccatum nimis diu sepultum sentire inciperent. Obseruent etiam lectores non tantũ arripuisse filios Iacob quod propinquũ erat, sed veniſse illis in mẽtem pœnas diuinitus variè peccatoribus infligi. Et certè vt apprehẽdamus Dei iudicia, procul oculos extendere conuenit. Deus quidem interdum præsentes de peccatis pœnas exigens, ea velut in theatro spectanda locat: sæpe tamen quasi aliud agens, obscurè velut ex tenebris peccata nostra vlciscitur. Si tantum intuiti essent filii Iacob præsentem causam, nihil aliud poterant quàm obstrepere, & conqueri sibi fieri iniuriam: sequuta fuisset tandem desperatio. Sed dum expendunt quàm longè latéque pateat Dei prouidentia, omissa occasione quæ ante oculos est, ad lon-

ginquam cauſam aſcendunt. Porrò dubium eſt, dicántne ſe reos fieri ſuper fratre ſuo, vel fratris ſui cauſa: an fateantur ſe peccaſſe. nam Hebraicum nomen אשמנו ambiguum eſt, quia nunc ad ipſum facinus commiſſum, nunc ad pœnam refertur: ſicuti latinè piaculum, ſcelus, & expiationem ſignificat. Ad ſummam rei parum refert vtrumuis eligas. peccatum enim agnoſcūt in reatu vel pœna. Sed mihi ſimplicior & magis genuinus videtur hic ſenſus eſſe, quòd meritò plectantur, quia tam crudeles fuerint aduerſus fratrem. *Quia uidimus angustiam animæ eius.* Matth. 7. 22 Iuſta Dei vltione fieri agnoſcunt, vt ſuppliciter deprecando nihil obtineant, quia inexorabiles fuerint ipſi erga fratrem. Nondum Chriſtus ore ſuo potulerat hanc ſententiam, Qua menſura menſi fueritis, remetientur vobis alii: ſed naturaliter tenebāt, miſericordia indignos eſſe qui fuiſſent crudeles. quo magis cauere nos decet, ne ad tot Scripturæ minas ſurdi ſimus. Horribilis eſt illa denuntiatio, Qui obturauerit aurem ſuam ad clamorem pauperis, viciſſim clamabit ipſe, & non exaudietur. Ergo dum tempus eſt, diſcamus humanitatem colere, compati miſeris, ſuppliCibus manum porrigere auxilii ferendi cauſa. Quòd ſiquando aſperius nos tractari ab hominibus contingat, precéſque noſtras ſuperbè reſpui: tunc ſaltem nobis in mentem veniat ſiquid parum clementer à nobis actum eſt. nam etſi ante tempus ſapere præſtaret, eſt tamen aliquis profectus quoties nos ſuperbè alii deſpiciūt, reputare annon eandem in nobis duritiem experti ſint, quibus nobiſcum negotium erat. Frater, inquiunt, in vltima neceſſitate ſupplex nobis fuit: repudiauimus eius preces: hæc igitur Diuina eſt talio quòd nihil impetramus. His verbis teſtantur diuinitus regi hominum corda, vt vel ad æquitatem flectantur, vel inflexibili rigore obdureſcāt. deinde exoſam eſſe fœuitiam Deo: quia quū eius bonitas per cælum & terram diffuſa ſit: & beneficētia non homines modò impleat, ſed brutis quoque animalibus expoſita ſit: eius naturæ nihil magis eſt aduerſum, quàm ferociter abiicere qui fidem noſtram implorant. Prouer. 21. 13

22 Et *reſpondit Reuben.* Quia conatus fuerat eripere Ioſeph ex fratrum manibus, vt patri ſaluum reſtitueret, culpam eorū exaggerat, quòd nullum tunc ſanum cōſilium admiſerint: ac verba ſic accipio quaſi nimis ſeram pœnitentiā illis exprobret. Quòd autem hac confeſſione nondum contentus eſt Ioſeph quin Simeonem detineat in vinculis, & ſuſpenſos perplexóſque alios dimittat: nō fit maleuolentia, ſed quia de fratre Beniamin & ſtatu paternæ domus ſecurus nō eſt. Iure enim timere potuit ne fraternæ cædis machinatione prodita, vt deſperati homines ſolent, rurſus eſſent aggreſſi nefādum aliquod facinus, ſaltem deſerto patre in aliam partem fugiſſent. neque tamen eius factum pro lege habendum eſt: quia nō ſemper expedit tam eſſe auſteros: imò cauendum eſt ne triſtitia abſorbeatur peccator, niſi mites & faciles ad dandam veniam ſimus. Ideo Spiritus diſcretionis è cælo petendus eſt qui nos moderetur, nequid vel turbido impetu, vel immodica duritie à nobis fiat. Hoc quidem memoria tenēdum eſt, ſub aſpero vultu Ioſeph non lenem modò & manſuetum affectum, ſed tenerrimam mollitiem latuiſſe.

27 Et *aperuit unus ſaccum ſuum.* Quo conſilio pretium frumenti occultè in fratrum ſaccis reponi iuſſerit Ioſeph, coniicere facile eſt. timebat enim ne pater iam exhauſtus, ad emendæ rurſus annonæ ſumptum non ſufficeret. Ipſi autem inuenta pecunia, quò ſe vertant neſciunt, niſi quòd expauefacti, Dei manum ſentiunt ſibi eſſe aduerſam. Nam valde fuiſſe attonitos inde apparet, quòd vltrò nō redeunt purgandæ innocētiæ ſuæ cauſa. promptum enim malo remedium erat, niſi fuiſſent prorſus excæcati. Quare rogādus eſt Deus vt in rebus dubiis ac turbulentis non modò fortitudinem, ſed etiam conſilium ſuppeditet. Videmus etiam quid valeat magna turba, niſi Dominus præſit. mutuò ſe cohortari debebant filii Iacob, & in commune diſpicere quid facto opus eſſet: verū ceſſat omnis deliberatio, nihil vel ſolatii vel remedii affertur: imò dum quiſque alios turbatos videt, mutuò inter ſe trepidationem augent. Nihil ergo in rebus miſeris proderit hominum ſocietas, niſi è cælo nos Dominus confirmet.

28 *Vtquid hoc fecit Deus nobis?* Non expoſtulāt cum Deo, acſi putarent ſibi abs re creatum eſſe periculum: ſed videntes pluribus modis ſibi eſſe infenſum, miſeriam ſuam deplorant. Sed cur non potius ſenſum ſuū cōuertunt ad Ioſeph? Prompta enim erat ſuſpicio, fraude id eſſe factum, quia vellet nouas inſidias ſtruere. Quî fit igitur vt hominis immemores, rectà ſibi Deum vindicem proponant? Nempe quia ſemel eorum animos occupauerat hæc cogitatio, iuſtam, & qualē promeriti erant, mercedem peccatis ſuis repēdi: quicquid deinde malorum concurrit, eodem referunt. Prius, vt diximus, obtorpuerant. ex quo autem viuo Diuini iudicii metu tangi cœperūt, ſemper ante oculos ſe ingerit illius prouidentia. Sic Dauid, poſtquam dictante intus Spiritu dixit è cælo miſſas eſſe ferulas quibus caſtigatur, quanquam ſibi aliunde mala palàm infligi videt, non tamen huc illuc diſtrahitur, ſed Deum precatur vt vulneribus velit mederi quæ fecit. Hæc non vulgaris prudentia eſt, ac peræquè etiam vtilis, quoties aliquid aduerſi contigit, ad reputanda Dei iudicia nos aſſuefacere. Videmus vt increduli dum fortuitos caſus imaginantur, vel in accuſandis ſuis hoſtibus defixi ſunt, fremendo & tumultuando tantum exaſperent dolo- 2. Sam. 24. c. 17

rem,irámque Dei magis accedant.At verò quiſquis ſe in reputãdis peccatis ſuis exercuit,ſimul atque affligitur, Deum ſibi iudicem in cõſpectu ſtatuens, coram eo ſe humiliat: & ſpe veniæ ad patientiam ſe componit. Sed meminerimus non verè agnoſci Dei prouidentiam, niſi coniunctam cum iuſtitia.Nam etſi iniuſti ſæpe ſunt homines, quorũ manu nos caſtigat,tamen incomprehenſibili modo ſua iudicia per eos exequitur quibus obloqui,vel obſtrepere fas nõ eſt.Nam & reprobi interdum,licet Dei manu ſe percuti agnoſcant, de ipſo tamen conqueri non deſinũt: quemadmodum in exemplo Cain docuit Moſes. Ego tamen querimoniam hanc non interpretor proferri à filiis Iacob,vt Deum inſimulent tyrannicæ violentiæ,ſed quia perculſi metu ex pœna iterata non leuiter ſibi iratum eſſe colligunt.

29 *Et uenerunt ad Iahacob patrem ſuum.* Longa eſt ſuperioris hiſtoriæ repetitio, ſed non ſupervacua:quia exprimere voluit Moſes quàm anxiè pátri excuſauerint quòd retẽtus eſſet Simeon in vinculis, & quàm enixè contenderint,vt eius liberandi cauſa ſibi liceret fratrẽ Beniamin deducere.Hoc enim ad rem non parum facit.Scimus quàm acre ſit inediæ telum:quum vnica eſſet penuriæ leuãdæ ratio, annonam ex AEgypto aduehere,Iacob ſe & domũ confici mauult,quàm Beniamin dare reliquis comitem. Quid hoc ſibi vult,tam præciſè negare quod filii neceſſitate coacti petebant,niſi quia ſuſpectos habebat?quod etiam ex eius verbis clarius perſpicitur, dum illis ſuam orbitatem imputat. Quanuis enim aliquid coloris haberet quod dixerant, à fera beſtia fuiſſe diſcerptum: hærebat tamen in ægro corde ſancti Patriarchæ occultum ex ſuſpicione vlcus : quia aduerſus innoxium puerum non minus crudele, quàm hoſtile illorum odium plus ſatis nouerat. Porrò hoc nobis cognitu vtile eſt : nam hinc apparet quàm miſera fuerit ſancti viri conditio , cuius animã tredecim continuis annis tam dira torſit anxietas. Adde quòd ipſa taciturnitas, grauius illi tormentum fuit, dum ſorbere cogitur quam concepit mœſtitiam. Summus verò mali cumulus tentatio fuit, quæ ipſum præmebat quaſi luſoria, inaniſque fuiſſet Dei promiſſio. Nulla enim illi ſpes niſi ex promiſſo ſemine. atqui diabolos ſe domi alere videt, à quibus non magis expectanda ſit benedictio, quàm vita ex morte. Extinctum putabat Ioſeph,reſtabat vnus Beniamin integer: quomodo ex tam vitioſa ſobole prodiret mundo ſalus? Magna igitur conſtantia inſtructum fuiſſe oportet, qui in Dei verbum recumbere non deſtitit, ac Eccleſiam,cuius nulla ferè ſpecies reſidua erat, ſe domi fouere certò perſuaſus, filios tolerauit quòuſque reſipiſcerent.Hoc exemplum nunc ad ſe accommodent fideles,ne horrenda vaſtitate, quæ vbique ferè cernitur,labaſcant eorum animi.

35 *Ipſis euacuantibus ſaccos ſuos.* Hîc rurſus apparet quantum in itinere perterriti fuerint,quòd ſaltem quiſque ſaccum ſuum ſcrutatus nõ eſt poſt deprehenſam in vno pecuniã.Hæc verò ſcripta ſunt, vt ſciamus ſimulac formidine perculſi ſunt homines, ne guttã quidem cõſilii,ac ſanæ mentis ſuppetere,quoad eos Dominus tranquillet. Porrò nõ ſatis conſideratè in eo ſe geſſit Ioſeph, quòd ſummi doloris materiam patri intulit,cuius tamẽ penuriæ ſuccurrere in animo habebat.Quo docemur,non ſemper vel prudentiſſimos ſibi cauere,quin aliquid ex eorum factis emergat quod nollent.

36 *Me orbaſtis.* Non exprobrat quidem apertè Iacob filiis ſuis fraternæ cædis crimen:perinde tamẽ iraſcitur acſi duobus ſublatis iam ad tertium perdẽdum feſtinent. Dicit enim hæc omnia mala in ſe vnum recidere, quia non putat eos affici vt deceret , nec communem illis dolorem eſſe,ſed ſecurè ludere in fratrum exitiis,acſi eorum vita ad ipſos nihil pertineat.Quòd verò Ruben duos filios patri mactãdos offert, niſi Beniamin illi reducat: videtur eſſe pluſquã barbarum. Scilicet Iacob nepotes ſuos occideret? quid autẽ ſolatii caperet in ſua ipſius viſcera ſæuiẽs? Sed hoc eſt quod prius attigi,fuiſſe ſuſpectos,quòd perfidè ſe geſſiſſent erga Ioſeph:vnde neceſſe habuit Ruben tam atroci obteſtatione diluere Patris ſui timorem, fidémque facere ſe & fratres nihil impium moliri contra Beniamin.

38 *Non deſcendet filius meus uobiſcum.* Iterum conſpicimus quaſi in viua pictura, quanto mœrore conſtrictus fuerit ſanctus Iacob. Videt totam domum famelicam: mauult tamen à vita, quàm à filio ſuo diuelli:vnde colligimus non illi ferreũ pectus fuiſſe,ſed eo plus laudis meretur eius patientia, quòd cum carnis infirmitate certans, non ſuccubuit. Tametſi autem eius verba Moſes rhetoricè non amplificat,facile tamen perſpicimus maximo dolore exæſtuaſſe, quũ hoc filiis obiiceret,Vos in patrem nimiũ eſtis crudeles, qui tertium à me filium abripitis, poſtquam vno atque altero ſum ſpoliatus.

Cap. XLIII.

1 ET fames grauis erat in terra.

2 Et fuit,quum finiſſent edere alimentum quod attulerant ex AEgypto,dixit ad eos pater eorum,Reuertimini,emite nobis puſillum cibi.

3 Et dixit ad eum Iehudáh, dicendo, Conteſtando conteſtatus eſt nos vir, dicendo, Non videbitis faciem meam niſi fuerit frater veſter vobiſcum.
4 Si miſeris fratrem noſtrum nobiſcum, deſcendemus, & ememus tibi cibum.
5 Quòd ſi non miſeris, nõ deſcendemus: vir enim ille dixit nobis, Non videbitis faciem meam niſi fuerit frater veſter vobiſcum.
6 Et dixit Iſraél, Vtquid malefeciſtis mihi, vt nuntiaretis viro quòd adhuc frater eſſet vobis?
7 Et dixerunt, Interrogãdo interrogauit vir ille de nobis & cognatione noſtra, dicendo, Num adhuc pater veſter viuit? num eſt vobis frater? & nuntiauimus ei ſecundum verba iſta: nunquid ſciendo ſciebamus quòd dicturus eſſet, Deſcendere faciatis fratrem veſtrum?
8 Et dixit Iehudáh ad Iſraél patrem ſuum, Mitte puerum mecum, & ſurgemus, & proficiſcemur, & viuemus, & nõ moriemur etiã nos, etiam tu, etiam paruuli noſtri.
9 Ego fideiubeo pro illo, de manu mea requiras eum: niſi reduxero eum ad te, & ſtatuero eum ante te, pœnæ obnoxius ero tibi omnibus diebus.
10 Quia niſi tardauiſſemus, certe nunc reuerſi fuiſſemus iam bis.
11 Et dixit illis Iſraél pater eorum, Si ita nunc *oportet*, hoc facite, tollite de optimis fructibus terræ in vaſis veſtris, & deferte ad virum munus, puſillum reſinæ & puſillum mellis, aromata, & ſtacten, pineas, & amygdalas.
12 Et pecuniam duplicem capite in manibus veſtris: & pecuniam repoſitam in ore ſaccorum veſtrorum reponetis in manu veſtra, ſi forte error eſſet.
13 Et fratrem veſtrum capite, & ſurgite, reuertimini ad virum.
14 Et Deus omnipotens det vobis miſericordias ante virum, & dimittat vobis fratrem veſtrum alium, & Biniamín. & ego quemadmodum orbatus ſum, orbatus ſum.
15 Et ceperunt viri munus hoc, & duplicem pecuniam ceperunt in manu ſua, & Biniamín: & ſurrexerunt, & deſcenderunt in AEgyptum, & ſteterunt coram Ioſéph.
16 Et vidit Ioſéph cum eis Biniamín, & dixit præfecto domus ſuæ, Adduc viros in domum, & macta, & præpara: quia mecum comedent viri in meridie.
17 Et fecit vir quemadmodum dixit Ioſéph: & venire fecit vir homines in domum Ioſéph.
18 Et timuerunt viri quòd adducti eſſent in domum Ioſéph, & dixerũt, Propter pecuniam quæ reddita eſt in ſaccis noſtris in principio, ſumus adducti, vt voluat ſe contra nos, & iactet ſe ſuper nos, & capiat nos in ſeruos, & aſinos noſtros.
19 Et acceſſerunt ad virum qui erat ſuper domũ Ioſéph, & loquuti ſunt ad eum in oſtio domus:
20 Et dixerunt, Quæſumus domine mi, deſcendendo deſcendimus in principio ad emendum eſcam.
21 Et fuit, quum veniſſemus ad hoſpitium, & aperuiſſemus ſaccos noſtros, ecce pecunia vniuſcuiuſque erat in ore ſacci ſui: pecunia noſtra ſecundum põdus ſuum: & retulimus eam in manu noſtra.
22 Et pecuniam aliam detulimus in manu noſtra ad emendum eſcam: neſcimus quis poſuerit pecuniam noſtram in ſaccis noſtris.
23 Et dixit, Pax vobis, ne timeatis, Deus veſter, & Deus patris veſtri dedit vobis

thesaurũ in saccis vestris,pecunia vestra venit ad me.& adduxit ad eos Simhon.
24 Et venire fecit vir ille homines in domum Ioseph:&dedit aquam,& lauerunt pedes suos,& dedit pabulum asinis eorum.
25 Parauerunt autem munus, dum veniret Ioseph in meridie : audierunt enim quòd ibi comesturi essent panem.
26 Et venit Ioséph ad domum, & attulerunt ei munus quod erat in manu eorũ in domum:& incuruauerunt se ei super terram.
27 Et interrogauit eos de prosperitate,& dixit,Num sanus est pater vester senex quem dixeratis:num adhuc viuit?
28 Et dixerunt,Prosperè est seruo tuo patri nostro: adhuc viuit.& prociderunt, & incuruauerunt se.
29 Et leuauit oculos suos,& vidit Biniamín fratrem suum,filium matris suæ,& dixit,Num iste est frater vester minimus quem dixeratis mihi? Et dixit, Deus misereatur tui,fili mi.
30 Et festinauit Ioséph, quia incaluerãt miserationes eius super fratrem suum, & quæsiuit vt fleret:ingressus est itaque cubiculum,& fleuit ibi.
31 Et lauit faciem suam,& egressus est,& vim fecit sibi,& dixit,Ponite panem.
32 Et posuerunt ei seorsum, illísque seorsum:& AEgyptiis qui comedebant cũ eo,seorsum.non enim poterãt AEgyptii comedere cum Hebræis panem: quia abominatio erat AEgyptiis.
33 Et sederunt coram eo , primogenitus secundum primogenituram suam, & paruus iuxta paruitatẽ suã:& admirati sunt viri vnusquisque ad proximũ suũ.
34 Et accepit partes à facie sua ad illos,& multiplicauit partem Biniamín plusquàm partes omnium illorum,quinque partibus.& biberunt,& inebriauerunt se cum eo.

1 *Et fames grauis erat in terra.* Hoc capite narratur secũda in AEgyptum profectio filiorum Iacob, quum prior annona cõsumpta esset. Quæri autem potest hoc loco, quomodo familiam vel ad paucos dies aluerit Iacob tam exiguo tritico.nam vt demus plures à singulis ductos fuisse asinos, quid hoc ad pascendos trecentos homines?Nam quũ maiore seruorum numero abundaret Abraham,& de seruis Isaac suprà facta fuerit mentio: non est credibile sic prorsus nudatũ fuisse Iacob,vt seruus nullus restaret.Si dicamus hominem aduenã fame fuisse coactum ad omnes vendendos:incerta erit diuinatio.Mihi videtur magis consentaneum,glandibus,herbis,&radicibus victitasse.Scimus enim Orientales,præsertim vbi vrget aliqua necessitas,contentos esse tenui & arido victu. & videbimus paulo pòst,in illa tritici penuria, fuisse aliorum fructuũ prouentum.Sic igitur arbitror,non plus emptum fuisse tritici quàm quod ipsi Iacob liberísque ac nepotibus in frugalem & restrictum cibum sufficeret : seruis demensum aliunde fuisse confectũ. Nec verò dubium est quin tota regio pro seruorum alimentis ad glandes & huiusmodi subsidia confugere coacta fuerit,ac panis triticeus fuerit diuitum lautitiæ.Dura porrò fuit hæc tentatio quòd sanctus Iacob,cuius curam susceperat Deus,inedia propemodum cum suis tabescit, quòd terra cuius constitutus erat dominus, vt illic fœlix rerum omnium copia affluere, panem etiã peregrino negat. Potuit enim grauis eum dubitatio percellere quid sibi vellet præclara illa promissio,Ego sum Deus Sadai, cresce & augesce: ego tibi benedicã. Vtile nobis est hæc sanctorum Patrum certamina habere cognita, vt iisdem quibus vicerũt,armis pugnantes,nos quoque inuicti stemus,quanuis Deus præsenti auxilio nos destituat.

3 *Et dixit ad eum Iehudah.* Videtur Iudas aliquid affingere,vt à patre extorqueat quod sciebat non libenter daturũ:sed probabile est,multos vltrò citróque habitos fuisse sermones, quos Moses suo loco non recensuit. Nec mirũ est,quũ tam cupidè appeteret Ioseph cõspectum fratris sui Beniamin,quibuscunque potuit modis in hoc incubuisse. ac fieri potest vt testificatio, hoc est legitima sponsio, sicuti in iudiciis fieri solet, interceserit de sistendo fratre. Hoc verò notatu dignum,referri longam disceptationem à Mose,quam habuit cũ filiis suis Iacob,vt sciamus quàm ægrè passus sit à se auelli filium suum Beniamin. Tametsi enim vrgeat fames,non tamen de illo

retinendo secus cõtendit, quàm si de totius familiæ salute certaret. Vnde iterum coniicimus, filios habuisse suspectos nefariæ conspirationis. Quæ etiam de causa Iudas sponsorem se offert. Neque enim de euentu quidquã promittit, sed tantũ vt se & fratres purget, hac lege Beniamin recipit in suã custodiã, vt siquid ei fuerit illatũ iniuriæ, pœnã ipse, criménque sustineat. Porrò ab exẽplo Iacob tolerantiã discamus, si sæpe Dominus, quasi adhibitis tormẽtis, multa nos præter animi sententiam facere cogat. neque enim aliter filiũ dimittit, quàm si ad mortẽ prostitueret.

12 *Tollite de fructibus optimis.* Quanquã fructus quos enumerat Moses, magna ex parte non erãt admodum pretiosi, quia tamen non ea erat conditio sancti Iacob vt munus aliquod regium mitteret, prout ferebat mediocris facultas, rationem habuit placandi Ioseph. Deinde scimus fructus non pretio semper æstimari. Cæterùm postquam filiis mãdauit quod vtile esse ducebat, tandem conuertit se ad preces, vt Deus fauorem ipsis apud præfectum AEgypti conciliet. Vtrunque nobis agendum est, quoties in aliquo negotio perplexi sumus. nam nec quicquam eorum quæ expediunt, vel vsui fore videntur, omittere conuenit: & tamẽ in solum Deum recumbere oportet. Nihil enim ignauiæ affine habet fidei tranquillitas, sed quisquis prosperos rerum suarum successus à Domino expectat, simul dispicit quæ in manu sunt media, applicátque in vsum præsentẽ. Hanc verò interea modestiam seruant Fideles, vt omnibus sedulo tentatis, nihil tamẽ industriæ suæ tribuant: sed certò persuasi sint irrita fore quæuis studia, nisi Dominus benedicat. Obseruandum quoque in forma precationis est, quòd Iacob hominum corda Dei arbitrio subiicit. Dum nobis negotium est cum hominibus, ideò non respicimus in Dominum, quia ipsum non agnoscimus, vt par erat, arcanum esse cordium moderatorem. Atqui quantumuis effræni impetu ferantur homines, certum tamen est diuinitus eorum affectus flecti in vtranuis partem, vt ferociam mitiget, quoties visum fuerit: vel ad sæuitiam impellat, qui prius mãsueti fuerant. Sic Iacob, quãquam experti erant filii sui austeram duritiem in Ioseph, cor tamen eius in manu Dei fore confidit, vt repente ad humanitatem formetur. Sicuti autem, vbi nobis iniqui sunt homines, sperandа est à Domino & petenda mutatio in melius: ita rursus tenendum est, non fieri sine Dei consilio, quòd se asperius erga nos gerunt.

14 *Et ego quemadmodum orbatus sum.* Videtur parum sibi constare Iacob. nam si ex fide concepta fuit illa precatio, quã nuper retulit Moses, debebat esse quietior, saltem gratiæ Dei locũ dare. Atqui videtur sibi præcidere omnem fiduciæ ansam, vbi nihil præter orbitatem sibi residuum facit. Vox est desperati hominis, Orbus manebo sicuti sum. Quasi verò frustra precatus sit, vel fictè professus remedium esse in manu Dei. Verùm si expendimus ad quos dirigat sermonem, facilis est solutio. Dubium certè non est quin firmus steterit in promissione sibi data: ideóque sperauerit aliquem precis suæ fructum: pungere tamen suos filios voluit, vt maiorem haberent fratris sui curam. Fuit enim hæc non vulgaris commendatio, quum viderent patrem dolore prorsus confectum, & ferè exanimem, donec filium Beniamin saluum reciperet. Variè tamen hæc verba interpretes exponunt. Quidam putant eum cõqueri, quòd nunc in totum orbus fiat. Aliis videtur hic esse sensus, nihil posse deterius accidere, ex quo Ioseph perdidit, quem omnibus præferebat. Alii volunt duplicem orbitatem notari: acsi dixisset, Careo duobus filiis, nunc eos tertius sequetur. Quid autem si interpretemur, Video quid agatur mecum: ego sum miserrimus senex: domum quæ nuper populosa erat, ferè desertam video. vt in genere deploret se nudari omnibus filiis, non de parte solum loquatur. Consilium porrò eius fuit, iniicere filiis solicitudinem, quo maiori fide & studio in suum officium incumberent.

16 *Et dixit præfecto domus suæ.* Hinc perspicitur fraternus animus Ioseph. quanquam incertum est, fueritne planè reconciliatus, sicuti paulo pòst suo loco attingam. Cæterùm etiamsi memor offensæ fratres suos minus amauerit, lõgè tamẽ abfuit à vindicta. Quia autẽ suspicionem erat, homines exteros & ignobiles à summo regni præfecto amicè tanquã notos hospites, conuiuio excipi, nouum metũ concipiũt filii Iacob, quòd velit omnes in vincula cõiicere, ideóque pecuniam dolosè in saccis fuisse abscõditam, vt fingẽdi criminis esset occasio. Probabile tamen est venisse illis in mentẽ scelus cõmissum aduersus Ioseph, & metum hunc à mala conscientia fuisse profectum. Nisi enim eos torqueret Dei iudicium, non erat causa cur meturent tantam perfidiam. Absurdum videtur, homines ignotos cõuiuio excipi à viro principe, summæque dignitatis. Sed cur non inclinant potius in diuersam coniecturã, Hoc idcò facere præfectum AEgypti, vt amicis nouũ & insolitum spectaculum exhibeat, vndecim germanos fratres in mensa vna sedentes? Fiet quidem interdum vt etiam optimos quosque inuadat similis anxietas: sed malo hoc tribuere Dei iudicio, quòd filii Iacob, qui sibi male conscii erant ob fratrem inhumaniter tractatum, suspicantur eodem modo secum agi: se tamen maturè purgant priusquam de furto quæratur. Sponte autem profiteri repertam fuisse in saccis pecuniam, & domo relatã in próptu numerare,

magnum innocentiæ ſignum erat. Porrò hoc facere occupant in ipſo atrio, quia ſuſpicio ſuberat, ſimulac domum ingreſſi forent, quæſtionem habitum iri.

23 *Pax uobis.* Quia שלום Hebræis non modò pacem, ſed proſperum quenuis & optabilem ſtatum lætóſque euentus ſignificat, bifariam exponi poteſt hic locus: vel quòd procurator domus Ioſeph iubeat ipſos pacato eſſe & ſecuro animo: vel quòd illis bene & fœliciter eſſe pronuntiet. Huc quidē redit ſumma, non eſſe timendi cauſam, quia res ipſorū bene habeāt. Quia autem humanitus fieri non poterat, vt pretiū tritici, quod in ſaccis fuerat repertum, ſoluiſſent, hoc Dei gratiæ aſcribit. Quanuis enim tunc in mūdo vera religio ferè extincta eſſet, voluit tamen Deus ſemper in hominum cordibus aliquam bonitatis ſuæ notitiam habere, vt eſſent inexcuſabiles. Hinc factum eſt, vt natura duce Diuinum vocauerint increduli omne præſtantius bonum. Porrò quia ſic inualuerat corruptio, vt ſingulis Gentibus liberum eſſet diuerſos colere deos: procurator domus Ioſeph Deum, qui colitur à filiis Iacob, ab idolis AEgyptiis diſcernit. Probabilis tamen coniectura eſt, aliquo pietatis guſtu hunc hominē fuiſſe imbutum. Scimus quanta fuerit Gentis illius arrogantia, vt totum mundū in deorū cultu deſipere putaret. Ergo niſi melius aliquid didiciſſet, nunquā dignatus foret tanto honore alios, quàm patriæ ſuæ deos. Deinde miraculum nō aſcribit Deo terræ Chanaan, ſed patri eorū peculiarē Deum aſſignat. Ego itaque non dubito quin Ioſeph, licet palàm in receptis ſuperſtitionibus nihil corrigere liceret, domi ſaltem conatus ſit erigere verum vnius Dei cultum, ac ſemper infixū tenuerit fœdus illud, de quo puer à patre audiuerat. Quod eo magis notandum eſt, quia ſine odio in gente tam ſuperba non potuit ſanctus vir vel minimùm à cōmuni vſu deflectere. Ergo in perſona œconomi laudatur virtus Ioſeph, quia publicam inuidiam non veritus, intra priuatos parietes vero Deo honorem tribuit. Siquis roget, vnde ſciuerit Iacob eſſe veri Dei cultorem: in promptu eſt reſponſio, Ioſeph non vſqueadeo fuiſſe crudelem, quin Simeonem captiuum clementer iuſſerit tractari. Quanquam pro obſide relictus erat, ſi tamen creditus fuiſſet explorator, duriter eum tractaſſet cuſtos carceris. Mandatum ergo aliquod dari oportuit humanæ vel mediæ tractationis. Vnde probabilis elicitur cōiectura, Ioſeph domus ſuæ præfecto, qui à conſiliis interior erat, rem apperuiſſe.

25 *Donec ueniret Ioſeph meridie.* Dubium eſt, fueritne ordinaria hæc prandendi hora AEgyptiis, an citius ſolito propter cōuiuas accubuerit illo die Ioſeph. Veriſimile tamē eſt, notari conſuetum prandendi morē. Quanquā Orientalibus quoque populis diuerſa eſſe potuit victus ratio: nō ſoli tamen AEgypto in vſu fuerūt prādia: ſed Iudææ & aliis vicinis regionibus. Credibile tamen eſt, fuiſſe illis cœnarū loco, quòd & longæ mēſæ forent, nec calidis gentibus tolerabilis fuiſſet noſtra edacitas: præſertim quum ſolito lautius exciperēt hoſpites: quemadmodū tunc factū eſſe paulo pòſt cōſtabit. Lotio pedū, vt antea vidimus, hoſpitalitatis officiū fuit, laſſitudinis ſanādæ cauſa: & quòd in illis partibus facile erat vredinē cōtrahere, quoties iter pedibus faceret. Hoc etiā antiquo more fuit magis honorificum, fercula ſingulis mitti à Ioſeph, quàm à coquo diſtribui. Verùm hæc quia leuia ſunt, & nihil ad pietatē cōferūt, leuiter tantū delibo: omittere etiā prorſus, niſi quòd ſcrupulū eximere īperitis interdū vtile eſt: modò id parcè & breuiter fiat.

32 *Non enim poterant AEgyptii.* Moſes non poſſe dicit, quod tanquam illicitū horrebāt. Quia enim obſtabat religio: conſtricti fuerunt, ne poſſent quod non audebant. Docet autē hic locus quanta fuerit gentis illius ſuperbia. vnde enim factū eſt vt tantopere deteſtarentur Hebræos, niſi quia ſe ſolos in mundo puros & ſanctos, Deóque gratos eſſe fingūt? Præcipit quidē Deus ſuis cultoribus, vt ſe ab omnibus gentiū inquinamentis abſtineāt. Verùm vt quis ſe ab aliis ſeparet, purus ſit ipſe oportet, ac integer. Perperā ergo id ad ſe trahunt ſuperſtitioſi, qui intus geſtant ſuā immunditiē, & quibus nulla conſtat ſinceritas. Altero quoque morbo laborat ſuperſtitio, quòd ſcilicet plena eſt faſtus, vt cunctos homines vitiorum prætextu, deſpiciat. Quæritur tamen an ideo ſeparati fuerint AEgyptii à Ioſeph, quòd eum quoque pollutum ducerent. Hoc enim videntur Moſis verba innuere. Si hoc recipitur, tāti fuit illis falſa religio, vt præfectū contumeliis afficere non dubitauerint. Potius tamen coniicio, Ioſeph honoris cauſa ſeorſum ab illis accubuiſſe, quoniā abſurdū eſſet vocari ab eo conuiuas, qui cōmunem menſam reſpuerēt. Itaque probabile eſt, diſtinctū ipſi Ioſeph fuiſſe ordinē, quoniā ita ferebat eius dignitas: AEgyptiis autē non fuiſſe promixtos filios Iacob, quia illis eſſent abominabiles. Nā etſi nota erat origo Ioſeph, trāſierat tamen ad AEgyptios, vt eſſet quaſi vnus è corpore. Quo etiam conſilio nomē impoſitū à Rege fuerat, quū ſummæ præfecturæ inſignibus eū ornaret. Cæterùm quū videmus Eccleſiā Dei à profanis hominibus tūc adeò ſuperbè fuiſſe deſpectā, nō eſt quod miremur, talib' hodie probris nos quoque ſubiici. Interim dāda opera eſt vt nos à ſordibus mūdi puros Domino ſeruemus: & ita ſtudiū hoc tēperandum, vt ſimus à vitiis potius alieni, quàm ab hominibus. Nam & ideo ſanctificat filios ſuos Deus, vt à vitiis infidelium inter quos verſantur, ſibi caueant: nihilominus in ſocietatem pietatis alliciant, quicunque ſunt ſanabiles. Duo autem hîc videnda ſunt: nempe vt nobis probè conſtet fidei noſtræ veritas: deinde ne moroſitas noſtra nimia ſine fructu multos

à Domino prorſus alienẽt,qui alioqui lucrifieri poterant. Neque enim præciſè iubemur abominari impios,vt cũ illis non veſcamur:ſed ſocietatẽ fugere,quæ nos eodem iugo implicet.Confirmat præterea hic locus quod prius docui,Hebræos non à tranſitu fluminis(vt falſò quidam opinantur)ſed ab atauo ſuo Heber,ſic fuiſſe vocatos.Neque enim familiæ vnius tenuis & procul diſſitæ adeò celebris erat fama in AEgypto,vt publici diſſidii cauſa foret.

33 *Primogenitus ſecundũ primogenituram ſuam.* Quãquã inter filios Iacob quatuor erãt ex ancillis nati: quia tamẽ natu maiores ſunt,ordine præcedũt fratres ſuos minores, qui ex matrib⁹ ingenuis deſcenderãt. Vnde apparet,aſſuefactos eſſe à patre ad hũc ordinẽ tenendũ. Vbi ergo illud,dicet quiſpiã,Nõ erit hæres filius ancillæ,cũ filio matriſfamiliâs? Equidẽ exiſtimo,quũ cæleſti oraculo per os Saræ abdicatus fuerit Iſmael,ſicuti poſtea Eſau:Iacob maturè edoctũ fuiſſe,quoſcũq;genuiſſet filios,totidẽ ſibi promiſcue eſſe hæredes.Hinc iſta æquabilitas,vt quiſq; pro ætatis gradu,vel primũ,vel mediũ,vel vltimũ locum teneret.Huc autẽ ſpectat cõſiliũ Moſis:licet vltimus eſſet Bẽiamin, honore tamẽ aliis omnibus fuiſſe prælatũ: quia ſe nõ cõtinuerit Ioſeph, quin ſui erga eũ amoris præcipuũ ſignũ daret.Habebat quidẽ in animo ſe tegere:ſed affectus dominatur,vt præter animi propoſitũ in declarationẽ amoris ſubitò erũpat. Ex fine capitis colligim⁹ quod nuper attigi,lautius fuiſſe cõuiuiũ,in quo large & hilariter,præter quotidianũ morẽ excepti fuerint. Hoc enim ſignificat verbũ שכר,quod inebriari vertũt:vel quia nõ ſemper vinũ bibere ſolebant:vel quia in mẽſis hoſpitalibus maior erat indulgẽtia.Neque tamen hic notatur vlla intẽperies(ne vinolẽti homines exẽplum ſanctorũ Patrum ſuo flagitio prætexant)ſed honeſta modeſtãque liberalitas.Fateor quidem verbũ eſſe mediũ,& quod ſæpe in malã partem capitur:vt ſuprà cap.9.c.21,& ſimilibus locis.In loco tamen præſenti clarũ eſt Moſis conſiliũ.Siquis excipiat,frugalem cibi & potus vſum non alium eſſe,quàm qui alendo corpori ſufficit: reſpondeo, quanuis alimenta propriè ſubſidia ſint noſtræ neceſſitatis, vlterius tamẽ progredi legitimũ eorum vſum. Neque enim præter vitalem ſuccũ fruſtrà cibis inditus eſt ſapor:ſed vt nos cæleſtis Pater ſuis deliciis ſuauiter oblectet.Nec fruſtra Pſalmo 104.b.15,laudatur eius benignitas, vbi dicitur vinum creare quod hominis cor exhilaret . Cæterũ quo humanius nobis indulget, eo magis ſolicitè reſtringere nos decet ad frugalem vſum.Scimus enim quàm effrænes ſint carnis appetitus. Vnde fit vt in copia ferè ſemper laſciuiat,penuriæ verò ſit impatiens. Nobis verò tenenda eſt illa Pauli ratio,vt ſciamus eſurire & abundare.hoc eſt,ſolicitè cauẽdum, ſi largior ſuppetat copia, ne ad luxuriam nos abripiat:rurſus videndum,vt inopiam æquo animo feramus. Dicet fortè quiſpiã, plus ſatis ingeniоſam eſſe carnẽ ad fucandum luxum:ideóque nihilo plus eſſe illi dandum,quàm neceſſitas poſtulat. Et certè fateor,ſedulò quod præſcribit Paulus, Rom.13.d.14, ſeruandum eſſe,ne illius curã agamus ad cõcupiſcentias.Sed quia magnopere intereſt piorũ omnium, trãquillis cõſcientiis percipere ex Dei manu ſuũ victũ,tenere neceſſe eſt quouſq; licitus panis & vini vſus ſe extendat.

Cap. XLIIII.

1 ET præcepit præfecto domus ſuæ, dicendo,Imple ſaccos virorum eſca,quãtum potuerint ferre,& pone pecuniam vniuſcuiuſque in ore ſacci ſui.

2 Et ſcyphum meum, ſcyphum argẽteum pone in ore ſacci iunioris , & pecuniam alimenti eius.& fecit ſecundum verbum Ioſéph quod loquutus fuerat.

3 Mane illuxit,& viri dimiſſi ſunt,ipſi & aſini eorum.

4 Ipſi egreſſi erant vrbem,nec longè abierant,& Ioſeph dixit præfecto domus ſuæ,Surge, perſequere viros,& apprehende eos, & dices eis,Vtquid reddidiſtis

5 malum pro bono?

Nónne hic eſt in quo bibit dominus meus,&ipſe augurãdo auguratur in eo?

6 male feciſtis quod feciſtis.

7 Et apprehendit eos,& loquutus eſt ad eos verba iſta.

Et dixerunt ad eum , Vt quid loquitur dominus meus ſecundum verba iſta?

8 abſit à ſeruis tuis vt faciant ſecundum verbum hoc.

Ecce pecuniã quã inuenimus in ore ſaccorũ noſtrorũ retulimus ad te è terra Chenáan : & quomodo furati eſſemus è domo domini tui argentũ vel aurum?

9 Is cum quo inuentus fuerit è ſeruis tuis,moriatur : & etiam nos erimus domino meo ſerui.

10 Et dixit, Etiam nunc ſecundum verba veſtra ita ſit: is cum quo inuentus fuerit,erit mihi ſeruus,& vos eritis innocentes.

11 Et festinauerunt, & deposuerunt vnusquisque saccum suum super terram: & aperuerunt singuli saccum suum.

12 Scrutatus est autem: à maximo incepit, & in minimo finiuit: & inuentus est scyphus in sacco Biniamín.

13 Et sciderunt vestimenta sua, & onerauit vnusquisque asinum suum, & reuersi sunt in vrbem.

14 Venerúntque Iehudáh & fratres eius ad domũ Ioséph, & erat adhuc ipse ibi: & prostrauerunt se coram eo super terram.

15 Et dixit ad eos Ioséph, Quod facin' est hoc quod feciſtis? nónne nostis quòd augurando auguratur vir qui est sicut ego?

16 Respõdit Iehudáh, Quid dicemus domino meo? quid loquemur, & in quo iustificabimus nos? Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum: ecce sumus serui domini mei, etiam nos, etiam ille in cuius manu inuentus est scyphus.

17 Ille autem dixit, Absit à me vt faciam hoc: vir in cuius manu inuentus est scyphus, ipse erit mihi seruus: & vos ascendite in pace ad patrem vestrum.

18 Et accessit ad eum Iehudáh, & dixit, Quæso domine mi, loquatur quæso seruus tuus verbum in auribus domini mei: & ne irascatur furor tuus in seruum tuum: quia tu sicut Parhóh.

19 Dominus meus interrogauit seruos suos, dicendo, Nunquid est vobis pater vel frater?

20 Et diximus domino meo, Est nobis pater senex, & puer senectutũ paruus, & frater eius mortuus est: & remansit ipse tantũ matri suæ, & pater eius diligit eũ.

21 Et dixisti seruis tuis, Descẽdere facite eũ ad me, & ponã oculũ meũ super eũ.

22 Respõdimus verò domino meo, Non potest puer relinquere patrem suum: & si reliquerit patrem suum, morietur.

23 Tu autem dixisti seruis tuis, Nisi descẽdat frater vester minimus vobiscum, ne addatis vt videatis faciem meam.

24 Fuit igitur, quando ascendimus ad seruum tuum patrẽ meum, & narrauimus ei verba domini mei,

25 Dixit pater noster, Reuertimini, emite nobis pusillum escæ.

26 Et diximus, Non possumus descendere: si fuerit frater noster minimus nobiscum, descendemus: quia nõ possumus videre faciem viri illius, fratre nostro minimo non existente nobiscum.

27 Et dixit seruus tuus pater meus nobis, Vos nostis quòd duos pepererit mihi vxor mea.

28 Egressus est vnus à me, & dixi, Certe rapiẽdo raptus est: & nõ vidi eũ hactenus.

29 Et capietis etiam hunc à facie mea, & accidet ei mors, descenderéque facietis canitiem meam in malo ad sepulchrum.

30 Nunc ergo quum venero ad seruum tuum patrem meum: & puer non fuerit nobiscum, & anima eius ligata est cum anima ipsius:

31 Erit sanè, quum viderit ipse quòd non sit puer, morietur, & descendere facient serui tui canitiem serui tui patris nostri cum dolore ad sepulchrum.

32 Seruus enim tuus fideiussit pro puero patri meo, dicendo, Si non reduxero eum ad te, obnoxius ero pœnæ patri meo omnibus diebus.

33 Et nunc maneat quæso seruus tuus pro puero seruus domino meo, puer autem ascendat cum fratribus suis.

34 Quomodo enim ascendam ad patrem meum, si puer non fuerit mecum? ne forte videam malum quod inueniet patrem meum.

1 *Et præcepit præfecto domus.* Hîc narrat Moses quam astutiam cõmentus fuerit Ioseph ad tẽtãdos fratrum animos. Diximus autem alibi, quum nobis ex Dei mandato colenda sit simplicitas, hoc exemplo & similibus non licere ad obliquas & dolosas artes deflectere. Fieri enim potest vt peculiari Spiritus motu ad hoc consilium impulsus fuerit Ioseph: sicuti etiã certa illi nec vulgaris ratio fuit magis exactè inquirendi qualiter affecti fuerint fratres. Charitas suspicios a non est. Cur ergo tãtopere fratribus diffidit, nec sibi quicquam boni persuadet, nisi post rigidum examen habitum? Verùm quia plusquam crudeles & perfidos expertus fuerat, excusabilis est eius suspicio, si mutatos in melius non credit, donec penitus perspectam habeat & cognitam eorum pœnitentiam. Quia autem rara etiam in hac parte, & admodum difficilis virtus est, modum tenere: cauendum est ne in austera agendi ratione imitemur exemplum Ioseph, nisi deposita omni vindicta, simus ab omni odio puri & immunes. Nam charitas, vt liquida est, & omni turbido impetu caret, optime dictabit quousque progredi expediat. Quæritur tamen, si facilè adducti essent filii Iacob ad prodendã salutem Beniamin, quid facturus fuerit ipse Ioseph. Conijcere enim prõptum est, explorasse eorum fidem, vt si eos comperisset improbos, retento Beniamin, turpiter à se eliceret. Hoc autem modo desertus fuisset pater, & pessundata Ecclesia Dei. Et certe non sine suo periculo eos examinat: quia fieri vix potuit, quin grauius aliquid & asperius in eos statueret, si iterũ lapsi essent. singulari ergo Dei gratia factum est, vt alios se probarint quàm timuerat. Duplex interea fuit eius examinis vtilitas: quòd fratrum integritas bene cognita magis placauit eius animum: deinde quòd aliqua saltem ex parte, priorem infamiam, quam ex scelere suo contraxerant, apud posteros leuauit. 1.Cor.13.b.5

2 *Et scyphum meum, scyphum argenteum.* Mirum videri posset, in tanta opulentia non potius in aureo calice bibisse Ioseph. Certè vel illius seculi maior adhuc continentia fuit, ac minus sumptuosus splendor: vel hoc tribuendum est hominis temperãtiæ, quòd in summa licẽtia, mediocri tamen cultu, & nitido potius quàm magnifico contentus fuit. Nisi fortè propter artificium celaturæ hoc argentum pluris fuit auro: quemadmodum ex profanis historiis constat, sæpe maioris pretii fuisse formam quàm materiam. Probabile tamen est, Ioseph inuidiæ fugiendæ causa, fuisse in splendore domestico mediocrem. Nisi enim prudenter sibi cauisset, statim ex æmulatione natum fuisset illi cum aulicis certamen. Porrò scyphũ includi iubet in saeco Beniamin, vt furti conuictum sibi addicat, reliquis dimissis: omnes tamen pariter accusat, tanquam inscius quisnam eorum crimen designauerit. Ac primũ quidem exprobrat ingratitudinem, quòd tam amicè recepti, pessimam mercedem rependerint. Deinde inexpiabile crimen esse contendit: quia rem omniũ pretiosissimã abstulerint, nempe calicẽ in quo & bibere solebat, & augurari. Idque facit persuũ œconomũ, quem in tyrannide & prædonum violentia non exercuerat. Vnde colligo, non fuisse illi prorsus absconditum heri consilium.

5 *Augurando auguratur in eo.* Variè exponitur hoc membrum. Quidam enim ità accipiunt, quasi Ioseph consultos à se ariolos simulet, vt furem cognosceret. Alii autem vertũt, In quo tentando tentauit vos, vel rimando rimatur. Alii, quòd scyphus subreptus quasi sinistrũ omen fuerit ipsi Ioseph. Mihi tamẽ videtur genuinus esse sensus ille: quòd scypho ad diuinationes & magicas artes vsus fuerit: quod tamen finxisse diximus augendæ inuidiæ causa. Sed exoritur quæstio, quomodo sibi permittat Ioseph tale figmentum. Prætérquam enim quòd auguria profiteri illi nefas fuit, perperam & indigne cælestis gratiæ laudem transfert ad dæmonia. Prius negabat se idoneum fore somnii interpretem, nisi quatenus veritatem Deus suggereret: nunc totum illud gratiæ Dei elogium obliterat: & quod deterius est, magum se iactans pro Dei Propheta, impiè profanat Spiritus sancti donum. Certè in hac simulatione grauiter eum peccasse, negãdum non est. Ego tamen sic sentio: modis omnibus quoad potuit, initio cõnatum esse, suum asserere Deo honorem: ac minimè per eum stetisse quin totum AEgypti regnum cognosceret, illum nõ magicis artibus, sed cælesti dono excellere tanta solertia. Verùm quia magorum præstigiis assueti erant AEgyptii, præualuit vetustus error, vt Ioseph alium esse crederent. nec dubito quin rumor ille in plebe vagatus sit: quanuis illo repugnante & inuito. Nunc quum se extraneum hominem fingat Ioseph, vno contextu multa mendacia inuoluens, vanam hanc opinionem à vulgo mutuatur, quòd auguria captet. Vnde colligimus, vbi semel quispiam à recta linea deflexit, quàm procliuis sit in varia peccata lapsus. Quare hoc exemplo moniti, discamus nihil nobis permittere nisi quod scimus Deo probari. Præsertim verò cauenda est omnis simulatio, quæ nõ xias impostúras vel parit, vel confirmat. Deinde monemur, non sufficere si quis se ad tempus opponat exorienti vitio: nisi accedat constantia ad resistendum, quantumuis ebulliat. Nimis enim

leuiter defungitur,qui ſemel teſtatus ſibi diſplicere quod malum erat,poſtea ſuo ſilentio vel conniuentia quoddam aſſenſus ſignum præbet.

7 *Et dixerunt ad eum.* Intrepidè excuſant filii Iacob,eo quòd bona conſcientia fiduciam illis daret. Vtuntur etiam argumento à maiore ad minus. relata enim ſponte pecunia, quam in ſuum commodum impunè vertere licebat,ſe fidem ſuam probaſſe contendunt, vt credibile nó ſit,modico lucro fuiſſe excæcatos, quo ſummum dedecus cum præſenti vitæ diſcrimine ſibi accerſerent. Itaque quanuis pœnam ſubire parati ſunt, ſi deprehenſum apud eos fuerit furtum. Vbi repertus eſt ſcyphus in ſacco Beniamin, nullas eorum querimonias refert Moſes:ſed tãtum narrat conſciſſis veſtibus acerbiſſimum mœrorem eſſe teſtatos. Nec verò dubito quin re inopinata perculſi obmutuerint. Neque enim ſola doloris magnitudo eos reddidit attonitos: ſed quòd ſe pœnæ obnoxios cernebant, quum ſibi non eſſent male conſcii. Itaque vbi ventum eſt in conſpectum Ioſeph, noxam fatentur. non quòd agnoſcant obiectum ſibi ſcelus, ſed quia excuſando nihil proficerent. acſi dicant,Nihil tergiuerſari iuuat in re manifeſta. Hoc ſenſu dicunt, iniquitatem ſuam à Deo deprehẽſam:quia etſi fraudis obſcura ſuberat aliqua ſuſpicio,quod ipſis iniuſtè grauandis fuiſſet illud excogitatum:cauſam in abſconditum Dei iudicium tranſcribere malunt. Quidam interpretes credunt, confeſſos fuiſſe ſcelus contra Ioſeph perpetratum. Verùm opinio illa facilè refellitur, quia conſtanter dicunt, à fera fuiſſe diſcerptum, vel fortuito caſu periiſſe. Ergo ſimplicior ſenſus eſt ille quem attuli: etiamſi non extet facti veritas, eos tamen diuinitus reos peragi. Nec verò ſimulate loquuntur: ſed aliud non habent turbati & attoniti in re perplexa, niſi quòd ſentiunt arcano Dei iudicio inflictam ſibi fuiſſe hanc plagam. Atque vtinam huc confugerent, qui Dei ferulis percuſſi, cauſas non ſtatim percipiunt, & quum ſine cauſa infeſtos ſibi homines ſentiunt,reuocarent in memoriam arcana Dei iudicia, quibus humiliari nos decet. Cæterum quòd Iudas omnium nomine loquitur, hinc colligere licet,iam tunc primatum obtinuiſſe inter fratres. Et Moſes caput ac principem eum conſtituit,diſertè exprimens eum & alios veniſſe. Quanquam enim nondum ſolenni patris iudicio delata ad eum eſſet primogenituræ dignitas,erat tamen deſtinata. Certè non occupat loquendi partes, quin authoritas in eius verbis emineat. In verbis Ioſeph iterum memoria repetere conuenit quod prius dixi: quanquam initio ſtuduerat Ioſeph Deo gloriam tribuere, nunc tamen peccare dum ſe ariolum vel diuinum ſimulat. Quidam vt culpam extenuent,non artem augurandi, ſed iudicii ſolertiam notari dicunt. ſed nihil opus eſt,excuſandi hominis cauſa, ad coactas expoſitiones confugere. nã ex communi plebis ſenſu loquitur:atque ita ſtultè conceptam opinionem fouet.

16 *Ecce ſumus ſerui domini mei.* Prius vocabant ſe ſeruos modeſtiæ cauſa: nunc ſe mancipia illi addicunt. Cæterum in perſona Ioſeph,pœnæ grauitatem mitigant. atque ita ſpecies eſt deprecationis,ne capitis ſupplicium de illo ſumatur,ſicuti initio pacti fuerant.

17 *Abſit à me.* Si in animo habuit Ioſeph retento vno Beniamin alios dimittere, quantum in ſe erat,peſſimo diſſidio Eccleſiam Dei lacerauit. Sed antehac admonui (quod etiam ex contextu elicere promptum eſt)nõ aliud fuiſſe eius conſilium, quàm vt altius penetraret in eorum animos. Offenſa quidem timenda fuit, ſi ſenſiſſet fratrem illis non fuiſſe curæ: ſed Dominus occurrit periculo,dum fecit vt ſolicita Iudæ excuſatio non ſolum molliret eius animum,ſed etiam lachrymas & profuſum fletum exprimeret.

18 *Loquatur quæſo ſeruus tuus uerbum.* Suppliciter rogat Iudas vt ſibi detur loquendi venia:quoniam prolixa futura erat narratio. Quoniam autem grauantur ac indignè ferũt proceres ſi quis eos nimis familiariter compellet, præfatur Iudas ſe non eſſe neſcium quanto honore excellat Ioſeph in AEgypto: vt teſtetur non proteruia ſe, ſed neceſſitate fieri audacem. Poſtea recitat quomodo à patre diſceſſerint. Duo autem ſunt capita:quòd lethalem triſtitiam afferent patri ſuo ſi reuerſi fuerint abſque Beniamin: deinde quòd eius reducendi ſponſione, priuatim ſe obſtrinxerit. Quòd ad luctum patris ſpectat,non vulgare pietatis ſignum eſt quòd ſubſtitui mauult in locum Beniamin,ac perpetuum exilium ſeruitutémque obire,quàm miſero ſeni afferre exitii cauſam. Fidem verò ſuam in eo probat, quòd vadem ſe opponit quo fratrem liberet. Quia אשם Hebræis nunc culpam,nunc reatum ſonat,quidam vertunt, Peccauero in patrem meum:vel,reus ero peccati. Alii verò, Obnoxius ero: propterea quòd promiſſione mea deceptũ ſe eſſe queretur. Hic poſterior ſenſus melius quadrat,quòd ſcilicet dedecus ac reatum non effugiet apud patrem, quaſi adoleſcentem fidei ſuæ commiſſum impiè prodiderit.

Cap. XLV.

1 ET non potuit Ioſéph ſe comprimere coram omnibus qui ſtabant iuxta ſe, & clamauit,Educite omnẽ virum à me. & non ſtetit quiſquam cũ eo quando oſtendit ſe Ioſéph fratribus ſuis.

2 Et emiſit vocẽ ſuã cũ fletu: & audierũt AEgyptii, audiuit & domus Parhóh.
3 Et dixit Ioſéph fratribus ſuis, Ego ſum Ioſeph. num adhuc viuit pater meus? & non potuerunt fratres eius reſpondere ei: quia territi erant à facie eius.
4 Et dixit Ioſéph fratribus ſuis, Accedite quæſo ad me. Et acceſſerunt. Et dixit, Ego ſum Ioſéph frater veſter quem vendidiſtis in AEgyptum.
5 Et nunc ne dolore afficiamini, & ne ſit ira in oculis veſtris quòd vendideritis me huc: nam propter vitam miſit me Deus ante vos.
6 Iam enim duo anni famis fuerũt in medio terræ, & adhuc quinque anni ſunt in quibus non erit aratio & meſſis.
7 Et miſit me Deus ante vos, vt ponam vobis reliquias in terra: & vt viuificem vos euaſione magna.
8 Et nunc non vos miſiſtis me huc, ſed Deus: & poſuit me in patrem ipſi Parhóh, & in dominum omni domui eius, & dominatorem in tota terra AEgypti.
9 Feſtinate, & aſcendite ad patrem meũ, & dicite ei, Sic dixit filius tuus Ioſéph, Poſuit me Deus in dominum toti AEgypto: deſcende ad me, ne ſtes.
10 Et habitabis in terra Góſen, & eris propinquus mihi, tu, & filii tui, & filii filiorum tuorum, & pecudes tuæ, & boues tui, & omnia quæ ſunt tibi.
11 Et alam te ibi, quia adhuc quinque anni famis ſunt: ne forte paupertate conficiaris tu & domus tua, & omne quod eſt tibi.
12 Et ecce oculi veſtri vident, & oculi fratris mei Biniamín, quòd os meum loquitur ad vos.
13 Nuntiate autẽ patri meo omnem gloriam meam in AEgypto, & omnia quæ vidiſtis: & feſtinate, & deſcendere facite patrem meum huc.
14 Et iactauit ſe ſuper collum Biniamín fratris ſui, & fleuit, Biniamín quoque fleuit ſuper collum eius.
15 Et oſculatus eſt omnes fratres ſuos, & fleuit ſuper eos, & poſtea loquuti ſunt fratres eius cum eo.
16 Et vox audita eſt in domo Parhóh, dicendo, Venerunt fratres Ioſéph. & placuit in oculis Parhóh, & in oculis ſeruorum eius.
17 Et dixit Parhóh ad Ioſéph, Dic fratribus tuis, Hoc facite, onerate iumenta veſtra, & ite, ingredimini terram Chenáan.
18 Et capite patrem veſtrum, & familias veſtras, & venite ad me: & dabo vobis bonum terræ AEgypti: & comedetis pinguedinem terræ.
19 Et tu iuſſus es, Hoc facite, capite vobis de terra AEgypti currus pro paruulis veſtris, & pro vxoribus veſtris: & tollite patrem veſtrum, & venite.
20 Et oculus veſter ne parcat ſupellectili veſtræ: quia bonum omnis terræ AEgypti veſtrum erit.
21 Fecerunt ergo ſic filii Iſraél, & dedit eis Ioſéph currus iuxta ſermonem Parhóh, & dedit eis eſcam pro itinere.
22 Omnibus ipſis dedit vnicuique mutatorias veſtes, & ipſi Biniamín dedit trecentos argenteos, & quinque mutatorias veſtes.
23 Patri autẽ ſuo miſit ſecundum hoc, decem aſinos ferentes de bono AEgypti, & decem aſinas ferentes frumentum, & panem, & eſcam patri ſuo pro itinere.
24 Et dimiſit fratres ſuos, & abierũt: & dixit ad eos, Ne tumultuemini in via.
25 Et aſcenderunt ex AEgypto, & venerunt in terram Chenáan, ad Iahacób patrem ſuum.

26 Et nuntiauerunt ei, dicendo, Adhuc Ioſéph viuit: & quòd ipſe dominaretur in omni terra AEgypti. & diſſolutum eſt cor eius: quia non credebat eis.

27 Et retulerũt ei omnia verba Ioſéph quæ loquut' fuerat ad eos: & vidit currus quos miſerat Ioſéph vt ferrent eum, & reuixit ſpiritus Iahacób patris eorum.

28 Et dixit Iſraél, Sufficit, adhuc Ioſéph filius meus viuit: ibo, & videbo eum antequam moriar.

1 *Et non potuit Ioſeph ſe continere.* Narrat hoc capite Moſes quomodo ſe fratribus patefecerit Ioſeph. Ac primò docet, ipſum ſibi vim feciſſe quãdiu auſterum ac durum vultum præ ſe tulit. Nunc vis fraterni amoris quem ſuppreſſerat, quantiſper ſpirabat atroces minas, maiore impetu ſe profundit: vnde apparet quàm nihil ſæuum aut crudele antè fuerit in eius animo. Iam quòd ita erumpit in lachrymas, plus laudis meretur iſta mollities vel teneritudo, quàm ſi æquabile temperamentum ſeruaſſet. Stultè enim Stoici, qui heroicam virtutem eſſe ducunt miſericordia non tangi. Atqui ſi inflexibilis ſtetiſſet Ioſeph, quis non pronuntiaret vel ſtupidum vel ferreum fuiſſe hominem? Nunc autẽ violento affectu ſe prodit tam heroica eius magnanimitas, quàm Diuina moderatio, quòd iræ & odii victor fuit: vt tam ardẽter amaret, qui ſceleſtè ad machinãdum illi exitium nulla iniuria laceſſiti cõſpirauerant. Iubet autem omnes abire, nõ quòd eum pudeat ſui generis (neque enim diſſimulat paulo pòſt eſſe fratres ſuos, ac libenter patitur in palatiũ Regis famam perferri) ſed eorũ pudori conſulit, ne facinus illud deteſtabile multis teſtibus innoteſcat. Atque hæc nóvltima pars clemẽtiæ fuit, quòd voluit ſepultum eſſe eorũ dedecus. Videmus ergo ſubmotos fuiſſe teſtes non alia de cauſa niſi vt liberius fratres confirmaret. Neque enim ſolùm illis pepercit, eorum facinus non traducens: ſed cum illis ſeorſum incluſus, ab omni verborum acerbitate abſtinuit, vltróque amica conſolatione eos dignatus eſt.

3 *Ego ſum Ioſeph.* Quanquam luculentum manſuetudinis & amoris ſui ſpecimen ediderat, vbi tamen nomen ſuum aperit, non ſecus terrẽtur fratres quàm ſi in eos fulminaret. Nam dum ſecũ reputant quid meriti ſint, adeò formidabilis illis eſt potentia Ioſeph, vt ſibi nihil proponãt niſi mortẽ: vbi autẽ metu ita cernit attonitos, iam nihil exprobrat, ſed tantum laborat in ſedãda eorum perturbatione. imò tandiu blandè eos demulcet, donec quietos & hilares reddiderit. Quo exemplo docemur cauendũ nobis eſſe ne triſtitia obruantur qui verè & ſerio pudore humiliati ſunt. Quandiu ad obiurgationes ſurdus eſt peccator, vel ſecurè ſibi blãditur, vel improbè & cõtumaciter monitiones repellit, vel per hypocriſin ſe excuſat, maior adhibenda eſt ſeueritas: ſed finẽ habeat rigor oportet, ſimulac proſtratus iacet, peccatíque notitia trepidat: ſaltem ſuccedat moderatioquæ ſpe veniæ erigat eiectum. Ergo vt recta ſit ac bene compoſita ſeueritas, induenduseſt hic interior affectus Ioſeph qui ſuo tempore emergat.

4 *Accedite quæſo ad me.* Hoc verbis quibuſlibet efficacius eſt, quòd eos in amplexũ comiter inuitat. Simul tamẽ quacunque poteſt verborũ dulcedine curã & timorẽ illis eximit. Sic quidẽ tẽperat ſermonẽ, vt eos modeſtè accuſet, ac rurſum ſoletur: lõgè tamen ſupereminet cõſolatio, quia deſperationi propinquos eſſe videbat, niſi maturè ſuccurreret. Porrò ſe vẽditũ cõmemorans, nõ refricat ſceleris memoriã expoſtulandi animo, ſed quia ſemper vtile eſt hærere peccati ſenſum, modò ne immodicus terror miſerum hominẽ poſt agnitam culpam abſorbeat. Quia autẽ plus ſatis territi erant fratres Ioſeph, in ſecunda parte magis inſiſtit, vt vulneri medeatur. Huc pertinet iſta repetitio, quòd Deus in eorum ſalutem ipſum miſerit: quòd eiuſdem Dei conſilio præmiſſus fuerit in AEgyptum, vt eos ſuperſtites conſeruaret: quòd denique non ab ipſis relegatus fuerit in AEgyptum, ſed adductus Dei manu.

8 *Non uos miſiſtis me huc.* Locus hic inſignis eſt, quo docemur nunquam ſic turbari rectum ordinem hominum prauitate & malitia, quin Deus cõfuſos & turbulẽtos eorũ impetus in bonum finem dirigat. Monemur etiam quomodo, & in quem vſum nobis conſideranda ſit Dei prouidẽtia. Quum de ea curioſi homines diſputant, non modò poſthabito fine, miſcent ac peruertunt omnia, ſed quæcunque poſſunt abſurda excogitant ad ſugillandam Dei iuſtitiã. Atque hæc proteruia facit, vt cupiant nonnulli pii & modeſti homines ſepultam eſſe hanc doctrinæ partem. ſimul enim atque hoc in medium profertur, Deum mundi totius gubernacula tenere, vt nihil niſi eius nutu & imperio geratur: qui parum reuerenter ſentiunt de myſteriis Dei, ebulliũt in varias quæſtiones, non friuolas tantum, ſed etiam noxias. Verùm vt cohibenda eſt profana iſta intemperies, ita modus tenendus eſt ne craſſam appetamus ignorantiam earum rerum, quæ non tantum patefactæ ſunt verbo Dei, ſed apprimè cognitu ſunt vtiles. Pudet bonos viros fateri, nonniſi volente Deo fieri quicquid ſuſcipiunt homines: ne ſtatim obſtrepãt effrænes linguæ, vel Deũ eſſe peccati authorem, vel non eſſe vertendum impiis hominibus vitio, quòd Dei conſilium exequuntur. Atqui etiam ſi refelli non poſſet ſacrilegus ille furor, nobis ſufficiat eum deteſtari: in-

terim quod claris Scripturæ teſtimoniis proditum eſt tenere conuenit,quidquid machinentur homines, tamẽ inter illorum ſtrepitus Deum è cælo moderari eorum conſilia & conatus: denique per ipſorum manus peragere quod apud ſe decreuit. Boni viri, qui Dei iuſtitiam exponere verentur impiorum calumniis,ad diſtinctionem iſtam confugiunt,quòd Deus alia fieri velit,alia permittat. Quaſi verò,ipſo ceſſante,quiduis agendi libertas ſit penes homines. Si tantũ paſſus eſſet Ioſeph in AEgyptum deduci,non eum ordinaſſet ſalutis miniſtrum patri Iacob,& filiis eius: quod nunc ei diſertè tribuitur. Faceſſat igitur inane illud commentum, quòd Dei tantum permiſſu,non autem conſilio,aut voluntate mala fiant, quæ ipſe poſtea in bonũ finem cõuertit. Mala intelligo hominum reſpectu,quibus nihil aliud propoſitum eſt, quàm peruerſè agere. Sicuti autem in ipſis reſidet vitium, ſic & tota culpa in eos cõferri debet: Deus autem mirabiliter per illos operatur, vt ex impuris fæcibus liquidam iuſtitiam eliciat. Arcana hæc agendi ratio eſt, ſenſúque noſtro longe altior. Itaque non mirum ſi carnis laſciuia contrà inſurgat. Sed eo diligentius nobis cauendum eſt,ne immenſam iſtam altitudinem reſtringere ad noſtras anguſtias tentemus. Fixa igitur maneat ſententia hæc, dum exultat hominum libido, & ſe intemperanter iactat huc vel illuc, Deum præeſſe, & arcano fræno eorum motus dirigere quocũque viſum eſt. Simul tamen hoc quoque tenendum eſt,diſtinctè agere Deum, vt nihil in eius prouidentia vitii hæreat:nihil eius decreta affine habeant hominum vitiis. Cuius rei pulcherrimum ſpeculum in hac hiſtoria oculis noſtris ſubiicitur. Vẽditus fuit Ioſeph à fratribus. quorſum,niſi quia perditum quouis modo,extinctúmque volebant? Idem opus Deo adſcribitur, ſed longè diuerſo fine, vt ſcilicet tempore famis nutritium præter ſpem haberet domus Iacob. Ita breui temporis ſpatio voluit quaſi occiſum Ioſeph,vt repẽte vitæ authorem ex ſepulchro educeret. Vnde apparet, quanuis idem cum improbis initio agere videatur,longam tamen eſſe diſtantiam inter illorum ſcelus & admirabile eius iudicium. Nunc expendamus verba Ioſeph. Videtur in fratrum ſolatium inducere culpæ illorum obliuionẽ. Atqui ſcimus nõ eximi reatu homines, quanuis Deus præter ſpem in bonum & fœlicem exitum tranſferat quod ipſi perperam tentant. Quid enim Iudæ profuit, quòd ex ſcelerata eius perfidia prodiit mundi redemptio? Sed Ioſeph,quãuis paulíſper fratrum mentes ſubducat à ſceleris ſui intuitu,donec ab immodico pauore reſpirent: non tamen culpam in Deũ deriuat, vel illos planè abſoluit, ſicuti clarius videbimus vltimo capite. Et certè ita habendum eſt, non æſtimanda eſſe hominum facta ex euentu, ſed prout vel ceſſarũt in ſuo officio,vel aliquid tentarunt præter Dei mandatum,& vltra vocationis ſuæ metas egreſſi ſunt. Neglexit aliquis vxorem, vel liberos, nec eorum neceſſitatibus ſedulò adfuit: quanquam non moriuntur,niſi volente Deo,nihil tamen hoc prætextu iuuatur mariti,& patris inhumanitas,qui eos impiè deſeruit,quũ ſuccurrere deberet. Quare nihil proficiunt, qui ſibi malè conſcii, tegendis delictis obtendunt Dei prouidentiam. Sed rurſus quoties Dominus eorum malitiæ occurrit, qui nobis nocere ſtudent: neque id modò, ſed praua eorum ſtudia in bonũ noſtrum conuertit: hoc modo affectus carnis noſtræ temperat, nóſque æquiores, & magis placabiles reddit. Sic videmus Ioſeph dextrum fuiſſe prouidentiæ Dei interpretẽ,dum inde captauit argumentũ dandæ fratribus veniæ. Sceleris in ſe commiſſi indignitas eum accendere poterat, vt totus vindictæ cupiditate ferueret: atqui dum reputat ſuperatam fuiſſe eorum malitiam, mira & inſolita Dei bonitate,oblitus iniuriæ,humaniter eos amplectitur, quorum dedecus gratia ſua Deus texerat. Et certè ſepeliendis fratrum peccatis ingenioſa eſt charitas: ideóque in hunc vſum libenter accommodat quæcunque ad iram placandam & ſedanda odia faciunt. Ioſeph etiam in aliũ ſenſum rapitur, quòd diuinitus electus fuerit ad iuuandos fratres. Vnde fit vt non modò offenſam illis remittat,ſed cupidè iunctis ſibi partibus defungi cupiens, tam à metu & anxietate, quàm ab inopia ipſos liberet. Hæc ratio eſt cur ſe ordinatũ aſſerat,vt reliquias illis ponat,hoc eſt,ſemẽ conſeruet reſiduum,vel potius ipſos cõſeruet ſuperſtites,ídque præclara & admirabili euaſione. Quum ſe patrem Pharaonis dicit, non effertur inani iactantia,vt ſolent vani homines:neque opes ſuas ventoſè oſtentat, ſed ex tam magnifico, & incredibili euentu probat non fortuitò, nec humanitus factum eſſe vt in locum illum peruenerit: quin potius mirabili Dei cõſilio erectum ſibi fuiſſe ſublime ſolium,vnde patri & toti familiæ ſuccurrat.

9 *Sic dixit filius tuus Ioſeph.* In hoc mandato oſtendit ſe potentiã ſuam ideo iactare,quo meliore fiducia patrem animet. ſcimus quàm tardi ſint ſenes. Deinde ſanctum Iacob difficile erat ab hæreditate diuinitus promiſſa auellere. Ergo Ioſeph propoſita neceſſitate, quàm optabile ſubſidium obtulerit Dominus commemorat. Quæritur tamen quomodo illis in mentem non venerit oraculum, de quo à patribus edocti fuerant: nempe hoſpites fore & ſeruos in aliena terra. *Gene.15.c.13.* Videtur enim Ioſeph meras delicias hîc promittere, quaſi in poſterum nihil aduerſi timendum foret. Quanquam à Moſe nihil exprimitur, ego tamen probabili cõiectura moueor,vt credam Iacob non fuiſſe oraculi immemorem. Niſi enim cæleſti vinculo retentus foret,nunquam poſt

transactum famis tempus stetisset in AEgypto. Nam illic sponte manendo, spem hæreditatis à Deo promissæ abiicere visus esset. Quòd ergo ad terram Chanaan reuerti non curat, sed tantum cadauer suũ illuc deferri iubet, nec filios suos ad celerẽ reditum hortatur, sed subsidere in AEgypto sinit, nõ facit socordia, vel quòd delinitus sit illecebris AEgypti, vel pertæsus terræ Chanaã: sed quòd se, & genus suum ad ferendam illam tyrannidem comparat, de qua admonitus fuerat à patre Isaac. ideo, quòd liberaliter primo aduẽtu excipitur, in lucro deputat: sed interim animo præsumit quod dictum fuerat Abrahæ.

16 Et *nox audita est in domo.* Quod nunc refert Moses, ordine præcessit. Priusquã enim Ioseph patrem accerseret, fama de fratrum aduentu in Palatiũ peruenerat. Nec verò tam audaciter pollicitus fuisset Ioseph fratribus suis domiciliũ in AEgypto, nisi Regis permissu. Quod ergo breuiter attigerat Moses, nunc pluribus exponit, Regẽ propenso, & hilari animo declarasse quanti faceret Ioseph, quòd vltrò patri & fratribus eius opimam AEgypti partem detulit, quam incolerent. Et ex alio Mosis loco apparet, quandiu vixit, clementer & benignè tractatos fuisse Israelitas. Nam primo capite Exodi, b. 8, initium tyrannidis & sæuitiæ dicitur factum à successore cui notus non erat Ioseph.

21 De*dit unicuique mutatorias uestes.* Quòd viatico fratres instruit, nõ mirũ: sed quorsum attinuit pecunia, & vestibus onerare, qui mox redituri erant: Ego certè non dubito quin patrem suũ, fratrúmque vxores respexerit, quo minus molestũ esset terrã Chanaã relinquere. Vix enim credibilem fore nũtium sciebat, nisi manifesta symbola palàm gestarẽt. Quanquã fieri potest vt non solum allicere tentauerit absentes, sed fratribus etiam magis ac magis voluerit testatum facere suum amorẽ. Prior tamen ratio plus apud me habet ponderis, quia ornandi Beniamin maior illi fuit cura. Quòd pro vestibus mutatoriis, vel mutationibus vestiũ, Hieronymus transtulit binas stolas: & alii interpretes eum secuti, dissimiles vestes, exponunt: nescio an firmũ sit. Potius sentio vestes fuisse elegantes, quibus ad nuptias, ac dies solennes vterentur. Nam mutationi quotidianum vsum tacitè opponi arbitror.

24 Ne *tumultuemini.* Quidam exponunt, Ioseph rogare fratres vt placido sint animo, nec superuacuo metu se turbent: sed potius ad mutuam pacem eos hortatur. Nam quum verbum ῥηγνύειν nunc tremere, vel expauescere, nunc tumultuari significet: posterior sensus melius congruit circunstantiæ loci. Scimus enim filios Dei non modò esse placabiles siquid ipsis iniuriæ illatũ fuerit, sed etiã curare vt alii inter se cõcordes agant. Placatus erat Ioseph fratribus: simul etiam eos admonet nequid turbarum moueant. Timendũ enim erat ne quisque se purgando, crimen trãsferre in alios studeret, atque ita surgeret contentio. Hæc humanitas Ioseph nobis imitãda est, vt obuiam eamus, quantum in nobis erit, rixis, & verborum certaminibus. Nam Christus à suis discipulis non tantum exigit vt pacis sint amantes, sed etiam vt sint pacifici. Quare nostrum est, opportune iurgiis omnibus materiam & occasionem tollere. Præterea sciendũ est, quod fratribus præcepit Ioseph, nobis omnibus à Spiritu Dei mandari, ne scilicet alii alios exacerbemus. Quia autẽ accidere ferè solet in cõmunibus delictis, vt tergiuersando alii alios malignè grauẽt, discamus singuli agnoscere, & fateri propriam culpam, ne ex altercationibus efferueant pugnæ. Matth. 5. a. 9.

26 Et *dissolutum est cor eius.* Scimus quosdam subita & inopinata lætitia fuisse exanimatos. Ideo quidam intelligunt suffocatum fuisse cor Iacob, quòd velut extatico stupore correptus fuerit. Sed Moses aliam causam assignat, quòd fidem non habens filiis, inter spem & metum cõstrictus fuerit. Scimus autem, qui audito incredibili nuntio suspensi hærẽt, torpere quasi exanimes. Nõ fuit ergo simplex lætitiæ affectus, sed mixta quædam perturbatio, quæ concussit mẽtem Iacob. Ideo paulo pòst dicit Moses reuixisse eius spiritum, vbi ad seipsum reuersus, composito animo, verum esse credidit quod audierat. Amorem verò suum erga Ioseph non elanguisse tẽporis spatio ostendit, quòd non aliud sibi viuendi pretiũ statuit, quàm vt frui liceat eius conspectu. Prius sibi cõtinuũ indixerat mœrorẽ vsque ad sepulchrũ: nunc verò lætã sibi fore mortẽ pronũtiat.

Cap. XLVI.

1 ET profectus est Israel, & omnia quæ erant ei, & venit in Beer-sébah, & sacrificauit sacrificia Deo patris sui Isháac.

2 Et dixit Deus ad Israél in visionibus noctis, dixit inquam, Iahacób Iahacób. Ille respondit, Ecce adsum.

3 Et dixit, Ego sum Deus, Deus patris tui: ne timeas descendere in AEgyptũ: quia in gentem magnam ponam te ibi.

4 Ego descendam tecum in AEgyptum, & ego ascendere etiam te faciã ascendendo: Ioséph quoque ponet manum suam super óculos tuos.

5 Et ſurrexit Iahacób de Beer-ſébah, & ſuſtulerũt filii Iſraél Iahacób patrẽ ſuũ
& paruulos ſuos, & vxores ſuas ſuper currus quos miſerat Parhóh ad ferẽdũ eũ.
6 Et ceperunt pecudes ſuas, & ſubſtantiam ſuam quam acquiſierant in terra
Chenáan, venerúntque in AEgyptum Iahacób & omne ſemen eius cum ipſo,
7 Filii eius, & filii filiorum eius cum eo, filiæ eius, & filiæ filiorum eius: & om-
ne ſemen ſuum deduxit ſecum in AEgyptum.
8 Hæc ſunt autem nomina filiorum Iſraél, qui ingreſſi ſunt in AEgyptum, Ia-
hacób, & filii eius: primogenitus Iahacób Reubén.
9 Et filii Reubén, Hanóch, & Phallú, & Heſrón, & Charmi.
10 Et filii Simhón, Iemuél, & Iamín, & Ohad, & Iachín & Sóhar, & Saúl filius
Chenaanitidis.
11 Et filii Leui, Gerſón, Kehath, & Merari.
12 Et filii Iehudáh, Her, & Onán, & Seláh, & Pĕres, & Zérah: & mortuus eſt
Her & Onan in terra Chenáan. Fuerunt autem filii Péres, Heſrón, & Hamúl.
13 Et filii Iſſachár, Tholáh, & Puuáh, & Iob, & Simron.
14 Filii verò Zebulún, Séred, & Elón, & Iahleél.
15 Iſti ſunt filii Leáh, quos peperit ipſi Iahacób in Padã Aram, & Dináh filiam
eius. omnes animæ filiorum eius, & filiarum eius fuerunt triginta & tres.
16 Filii autem Gad, Siphion, & Hágghi, Suni, & Eſbón, Heri, & Arodi, & Areli.
17 Et filii Aſér, Imnáh & Iſuáh, & Iſui, & Beriháh, & Sérah ſoror eorum. Filii
verò Beriháh, Héber & Malchiél.
18 Iſti ſunt filii Zilpáh, quam dedit Labã Leáh filiæ ſuæ, & peperit iſtos ipſi Ia-
hacób, ſexdecim animas.
19 Filii Rachél vxoris Iahacób, Ioſéph & Biniamín.
20 Nati ſunt autem ipſi Ioſéph in terra AEgypti, quos peperit ei Aſenáth filia
Póti-phérah principis On, Menaſſéh & Ephráim.
21 Et filii Biniamín, fuerunt Bélah, & Bécher, & Aſbél, Geráh, & Nahamán,
Ehi, & Rós, Muppím, & Huppim, & Arde.
22 Iſti ſũt filii Rachél qui nati ſũt ipſi Iahacób: omnes animæ, quatuordecim.
23 Et filii Dan, Huſſím.
24 Et filii Naphthalí, Iahſeél, & Guní, & Iéſer, & Sillém.
25 Iſti ſunt filii Bilháh, quam dedit Laban Rachél filiæ ſuæ, & peperit iſtos ipſi
Iahacób: omnes animæ, ſeptem.
26 Omnes animæ quæ venerunt cum Iahacób in AEgyptum, quæ egreſſæ ſunt
de femore eius, præter vxores filiorũ Iahacób, omnes inquam animæ fuerunt
ſexaginta & ſex.
27 Et filii Ioſeph qui nati ſunt ei in AEgypto, animæ duæ. Omnes animæ do-
mus Iahacób quæ ingreſſæ ſunt in AEgyptum, fuerunt ſeptuaginta.
28 Et Iehudáh miſit ante ſe ad Ioſéph ad præparandum locum ante ſe in Gó-
ſen, & venerunt in terram Góſen.
29 Et ligauit Ioſéph currum ſuum, & aſcendit in occurſum Iſraél patris ſui in
Góſen: & cõſpectus eſt ei, & iactauit ſe ad collum eius, fleuítque ſuper collum
eius adhuc.
30 Et dixit Iſraél ad Ioſéph, Moriar hac vice, poſtquam vidi faciẽ tuam: adhuc
enim tu viuis.
31 Et dixit Ioſéph fratrib⁹ ſuis, & domui patris ſui, Aſcendã, & nuntiabo Parhóh,

& dicam ei, Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in terra Chenáan, venerunt ad me.

32 Et viri pastores pecudum sunt: quia viri pecuarii sunt: & pecudes eorum, & boues eorum, & omnia quæ erant eis adduxerunt.

33 Et erit, quum vocauerit vos Parhóh, & dixerit, Quod est opus vestrum?

34 Dicetis, Viri pecuarii fuerũt serui tui à pueritia nostra & vsque nunc, etiam nos, etiam patres nostri. vt habitetis in terra Gósen: quia abominatio AEgyptiis est omnis pastor pecudum.

1 *Et profectus est Israel.* Quia relicta terra Chanaan sanctus vir aliò migrare cogitur, sacrificium in ipso egressu offert Domino, vt sibi firmũ & ratum esse testetur fœdus quod Deus ipse cum Patribus pepigerat. Nam quum soleret se exercere in externo Dei cultu, specialis quædam fuit huius sacrificii ratio. Et certè fulturis tunc maximè opus habuit, ne labasceret eius fides. Priuandus enim erat hæreditate sibi promissa, & eius terræ conspectu, quæ cælestis patriæ imago erat, & pignus. An non venire in mentem potuit, e hactenus vana spe fuisse delusum? Ergo memoriam Diuini fœderis renouans, opportunum remedium adhibet, ne à fide excidat: ideoque sacrificat in ipsis terræ finibus, sicuti nuper dixi, vt sciamus aliquid fuisse præter consuetum morem. Et hunc cultum exhibet Deo patris sui, vt testetur, quãuis ab ea terra discedat, in quam vocatus fuerat Abraham, non tamen se desciscere à Deo illo, in cuius cultu fuerat educatus. Insignis sanè constantia, quòd dum fame eiicitur in alienam regionem, vt ne peregrinari quidem in terra liceat, cuius legitimus erat dominus: iuris tamen absconditi spem animo inclusam retinet. Non sine inuidia patrium Deum colendo, dissidium palàm habebat à reliquis gentibus. Quid autem proderat distincta ab omnibus religio? Quòd ergo eum non pœnitet coluisse Deũ patris sui, & in eius timore ac reuerẽtia nunc quoque perstat: hinc colligimus quàm altas in vera pietate radices egisset. Sacrificio autem se cõfirmat, & fidem suam profitetur: quia licet pietas externis symbolis alligata non sit, noluit tamen ea subsidia negligere, quorum vsum minimè superuacuum esse expertus erat.

2 *Et dixit Deus ad Israel.* Hoc modo probauit Deus sibi placere Sacrificium Iacob, & vicissim manum illi porrexit, vt deintegro fœdus suum sanciret. Visio nocturna ad hoc valuit, vt maior cõstaret oraculo maiestas. Iacob quidem vt docilis erat, & promptus ad Dei obsequium, vi & terrore minimè cogendus fuit: quia tamen homo erat carne circundatus, vtile fuit quasi præsenti Dei gloria affici, vt verbum efficacius in cor eius penetraret. Cæterùm memoria repetere conuenit quod prius docui, annexum fuisse verbum: quia nihil, vel parum profuisset muta visio. Scimus vt superstitio libenter nuda spectra arripiat: quo fit vt Deum transformet. Quia autem sine verbo nulla extare potest viua Dei effigies, quoties apparuit Deus seruis suis, simul locutus est. Quare in omnibus signis semper attenti simus ad eius vocem, nisi velimus Satanæ præstigiis deludi. Quòd si visiones, in quibus refulsit Dei maiestas, verbo animari oportuit: qui signa arbitrio hominum conficta obtrudunt Ecclesiæ, nihil aliud quàm inanes prophani theatri pompas ostentant. Sicuti in Papatu quæ vocantur Sacramenta, mortuæ sunt laruæ, quæ miseras animas à vero Deo abducunt. Notetur itaque mutua hæc relatio, quòd visio præcedit, quæ plus dignitatis verbo conciliet, & verbum quasi visionis anima continuò sequitur. Nec verò dubium est quin ea fuerit visibilis gloriæ Dei species, quæ Iacob suspensum ac vacillãtem non relinqueret, sed exempta dubitatione, solidè eum fulciret, quo securè posset amplecti oraculum.

3 *Iahacob, Iahacob.* Huc spectat repetitio, vt magis attentus reddatur. Nam eum familiariter compellans Deus, se melius insinuat in eius animum: sicuti etiam in Scriptura, comiter nos allicit, vt sibi discipulos præparet. Docilitas etiam sancti viri inde patet, quòd simul ac persuasus est Deum loqui, se præsto esse respondet: nempe vt reuerenter excipiat quicquid dictum fuerit: sequatur quocunque fuerit vocatus, mandatáque omnia capessat. Subiicitur deinde promissio, qua Deus serui sui fidem confirmat & recreat. Quia tristis erat in AEgyptum descensus, bono & alacri animo esse iubet, eo quòd semper futurus sit eius custos: & postquã illic eũ auxerit in gentẽ magnã, iterũ sit reducturus vnde nunc exire cogit. Ac præcipua quidẽ cõsolatio in hoc cardine versatur, quòd non perpetuo vagabitur in diuersis exiliis, sed tandẽ fruetur sperata hæreditate. Nã quia Diuini amoris, bonorũ spiritualiũ, & fœlicitatis æternæ symbolũ erat possessio terræ Chanaã, si ea fraudatus esset sãctus Iacob, nihil, aut minimũ iuuisset diuitiis, omníque honorũ & opũ genere in AEgypto cumulari. Reditus autẽ qui promittitur, nõ debet intelligi de eius persona, sed ad posteros spectat. Sicuti autẽ Iacob promissione fretus, intrepidè descẽdere in AEgyptũ iubetur: ita piorũ omniũ est, illius exẽplo vires ex Dei gratia colligere, vt se ad parendũ eius mãdatis accingãt. Elogiũ quo se Deus insignit, superiora oracula obsignat quæ per man° acceperat

Iacob à Patribus. Cur enim nō ſe potius cæli & terræ opificē nuncupat,quā Deum Iſaac,vel Abrahæ, niſi quia ex primo fœdere dependet dominium terræ Chanaan, quod iteratò nunc promittit? Simul etiam domeſticis exemplis animat ſeruum ſuum, ne in ſua vocatione conſtanter pergere deſinat. Minimè enim decebat,quum patrem ſuum Iſaac vidiſſet,auum quoque audiſſet, quanuis diu per ingentes moleſtias circumacti eſſent, nullis vnquā tentationibus ceſſiſſe, ipſum in eodem ſtadio laſſitudine cōfici:præſertim quum inter moriendum,tradita poſteris ſuis lampade, fidei lucem domi ſuæ ſuperſtitem relinquere ſedulò curaſſent. In ſumma, monetur Iacob, Deum ſibi per obliquos & multiplices circuitus nō eſſe quærendū,quem à pueritia didicit præſidem eſſe domus Abrahæ, modò ne ab eius pietate degeneret. Cæterùm quatenus in hac parte valere debeat Patrum authoritas,alibi diximus. Neque enim Dei conſilium fuit,vel ſe hominibus ſubiicere,vel ſine delectu probare quicquid à maioribus proditū eſſet, vtpote qui toties damnat in Iudæis ſtultam Patrum imitationem:ſed in pura ſui notitia tenere Iacob.

4 *Et Ioſeph ponet manum.* Clauſula hæc addita fuit teſtandæ maioris indulgētiæ cauſa. Quanquam enim,dum optabat Iacob ſibi mortuo claudi oculos manu Ioſeph,huic voto quædam implicita erat carnis infirmitas: non tamen grauatur Deus morem gerere, vt noui exilii dolorem temperet. Porrò ſcimus vetuſtiſſimum fuiſſe ritum claudendi oculos: atque vt quiſque ſanguine,vel amore erat proximus,fuiſſe hoc officio defunctum.

5 *Et ſurrexit Iahacob.* Surgendi verbo, videtur notare Moſes ſumpſiſſe Iacob ex viſione nouum vigorem. Quanquam enim nō exciderant aliæ promiſſiones: valde tamen opportunum fuit recentis memoriæ ſubſidium, vt terram Chanaan in corde ſuo geſtans, æquo animo ferret eius abſentiam. Quum autem dicitur ſecum tuliſſe quæcunque acquiſierat, vel poſſederat in terra Chanaan, probabile eſt vnà cum pecore veniſſe ſeruos & ancillas. Atqui in egreſſu nulla eorum fit mentio:imò paulo pòſt, quum ſingula familiæ capita enumerat Moſes, veniſſe dicit ſeptuaginta tantum animas. Siquis dicat,Iacob inedia coactum ſeruos manumiſiſſe, vel caſu aliquo nobis incognito eos perdidiſſe:frigida erit diuinatio. nihil enim habet coloris,quum induſtrius eſſet paterfamiliâs, & terrenis Dei benedictionibus floreret,nudatum prorſus fuiſſe vt ne ſeruulus quidem ei reſtaret. Magis probabile eſt,quum ad ſeruiles operas tracti ſunt,ſeruis quoque fuiſſe ſpoliatos in AEgypto:ſaltem non relictam illis fuiſſe copiam,cuius fiducia quicquam auderent. Quanquam autem in liberationis hiſtoria de ſeruis ſubticet Moſes, ex aliis tamen locis elicere promptum eſt,non abſque ſeruis egreſſos eſſe.

8 *Hæc ſunt autem nomina.* Recēſet filios & nepotes Iacob,donec ad ſummā numeri perueniat. Quòd autē ſeptuaginta tātùm ponit animas, Stephanus autē, Act.7.b.14,quinque ſuperaddit, librariorum errore factum eſſe non dubito. Infirma enim Auguſtini ſolutio eſt, quòd Stephanus per prolepſin eos annumeret qui poſtea nati ſunt in AEgypto: longe enim maior catalogus texendus fuiſſet. Deinde repugnat hoc Spiritus ſancti cōſilio, quemadmodum paulo pòſt videbimus: quia hîc non agitur, quantam ſobolem Iacob moriens ſuperſtitem reliquerit, ſed quo die deſcēdit in AEgyptū quāta ei fuerit familia. Septuaginta animas à ſe progenitas duxiſſe narratur, vel illic reperiſſe,vt comparatio huius tam exigui numeri cum immenſa illa multitudine, quam Dominus eduxit,mirificam benedictionem magis illuſtret. Quòd autem imputandus ſit error librariis,inde cōſtat,quia apud Græcos interpretes tantum in vnum locum obrepſit:alibi autem cum Hebraica ſupputatione conueniunt. Facilè autem fuit, vbi notis ſignantur numeri, corrumpi locum vnum. Hinc etiam factum fuiſſe ſuſpicor,quia Hebraicæ linguæ ferè ignari erant qui tractabant Scripturam,vt locum in Actis vitiatum eſſe putantes, perperam verum numerum mutarint. Si cui tamen magis placeat, Lucā rudibus,& elemētariis hoc dediſſe,qui Græcæ lectioni aſſueti erant,non contendo. In verbis quidem Moſis nulla eſt ambiguitas,nec eſt cur nos tātula res torqueat,in qua nihil eſt abſurdi:neque enim mirum eſt,literam vnam alterius loco in notulis fuiſſe poſitā. Hoc magis ad rem pertinet,quorſum à Moſe referatur tam exiguus numerus,expendere. Nam quo minus conſentaneū eſt,homines ſeptuaginta non ita longo temporis ſucceſſu in tantum populum creuiſſe:ita inde clarius Dei gratia relucet. Atque hæc quoque ratio eſt cur numerum hunc ſæpius celebret. Fuit enim hæc minimè humana propagandæ Eccleſiæ ratio, quum ſolitarius vixiſſet Abraham vſque ad ſenium, poſt mortem Iſaac reſtaret vnus Iacob, auctus verò mediocri familia in angulū AEgypti concluſus foret, repente ſcaturire incredibilem populū ex fonte arido. Quòd Saul vnus ex filiis Simeonis dicitur natus ex Chananitide,quum aliorum matres non nominet Moſes, non dubito quin conſultò probrum generis notare voluerit. Cauerunt enim ſedulò ſancti Patres,ne ſe connubiis miſcerent cum gente illa,à qua cæleſti decreto diuiſi erāt. Quòd Moſes,perſcriptis nominibus filiorum Leæ,in epilogo dicit fuiſſe triginta tres animas,quū tamen nō plures triginta duābus poſuerit:ita accipio, Iacob primum in ordine debere cēſeri. Nec obſtat quod dicit totidem illi fuiſſe filios,vel filias ex Lea.

Etsi enim propriè de filiis habetur sermo,initiũ tamẽ sumitur à capite. Nam quòd Hebræi Ioche bed Mosis matrem subaudiunt,quia nimis coactũ est,repudio. De filiabus etiam mouetur quæstio,annon plures habuerit, quàm duas.Si tãtum nominaretur Dina,dici posset expressam eius mentionẽ fieri propter singulare facinus quod ei contigerat. Sed quia in progenie Aser alteram fœminam numerat Moses, potius coniicio vel eas adhuc fuisse innuptas,vel solas.Nam de vxoribus nulla hîc fit mentio.

28 Et Iehudah misit ante se ad Ioseph. Quia regio illa delecta fuerat à Ioseph in hospitium patri,& fratribus,ideo nunc rogat Iacob, vt locum paratum adueniens reperiat. hoc enim valet loquutio, qua Moses vtitur. non quòd sibi ædes extrui, & ornari postulet:sed tantum vt sine molestia illic tabernacula figere liceat. Vacuum enim locum illi assignari oportuit, ne tumultuandi ansam incolis daret,illorum pascua,vel agros occupans.In cõgressu verò Iacob cum filio Ioseph, Moses vehementẽ lætitiæ affectũ exprimit: vt sciamus sanctos patres nó fuisse humanis affectibus exutos. Tenendum autem est, licet ex bonis principiis nascantur affectus, semper tamen ex carnis intemperantia aliquid vitii contrahere:maximéque hoc habere vitiosum,quòd modum semper excedunt: vnde sequitur,non tollendos penitus esse,sed temperandos.

31 Et nuntiabo Parhoh. Postquam honoris causa obuiã patri suo prodiit Ioseph,vtilitati quoque eius prospicit.Nã ideo consilium dat,vt se,& omnes suos dicat esse pecuarios,quò locum habitandi àRege impetret in terra Gosen. Quanquam autem hæc continẽtia laude digna est,quòd in priuatis commodis nihil sibi imperii vsurpat,sed perinde acsi vnus esset è media plebe,Regis nutum expectat:videtur tamen callidè prætextum comminisci,quo Regem circunueniat. Videmus quid cupierit. quum fœcunda esset terra Gosen, & opimis pascuis nobilis, ea commoditas illexit eius animum,vt illic patrem locare vellet.Nunc verò terræ pinguedinem dissimulans,alium obtendit colorem,Iacob cum suis filiis reiectitios esse homines, ideóque secessum quærere, in quo seorsum ab AEgyptiis habitent. Sed solutio huius nodi non admodum difficilis est.Regi enim satis supérque nota erat fertilitas terræ Gosen,vt fraudi,vel astutiæ nõ fuerit locus: vt sæpe Reges nimis profusi sunt,multáque stultè dilapidant,quia nesciunt quid largiantur:imò Pharao sponte non petentibus detulerat optimum & electissimum in regno locum. Hæc itaque eius largitio dolosè non fuit elicita:quia liberum ei fuit æstimare quid daret.Et certè Ioseph vt modestè ageret, necesse habuit hoc prætextu habitationem in terra Gosen petere. Absurdum enim fuisset,vel saltem nimis rusticum,homines obscuros,& nouos inquilinos sedem in optimo,& cómodissimo loco sibi petere, quasi iure in ipsos competeret optio. Suo igitur,& patris pudori vt consulat Ioseph,causam aliam adducit,quæ perinde vera erat.Nam quum à pastorum consuetudine abhorreant AEgyptii, Regem admonet commodum illic fore secessum. In eo nulla est simulatio,quia alibi nusquam quietum hospitium patebat.Cæterum tametsi sanctis Patribus durum fuit ita probrosè reiici,& quasi fœtere toti populo,hæc tamen ignominia, qua notati sunt, maximè illis profuit.Nam AEgyptiis permixti,huc illuc dispergi poterant. nunc quia detestabiles sunt,& indigni reputantur communi consuetudine, in hoc diuortio mutuam inter se vnitatem melius fouent,nec dissipatur Ecclesiæ corpus, quod Deus à toto mundo segregauerat. Sic Dominus sæpe nos à mundo contẽni,vel reiici permittit,vt ab eius sordibus liberi & soluti,sanctitatem colamus. Denique non patitur nos illigari terræ vinculis,vt in cælum feramur.

Cap. XLVII.

1 ET venit Ioséph,& nuntiauit Parhóh,& dixit,Pater meus,& fratres mei,& pecudes eorum,& boues eorum,& omnia quæ erant eis,venerunt è terra Chenáan, & ecce sunt in terra Gósen.

2 Et de extremis fratribus suis cepit quinque viros, & statuit eos ante Parhóh.

3 Et dixit Parhóh ad fratres eius, Quæ sunt opera vestra? Et dixerũt ad Parhóh, Pastores ouium sunt serui tui,etiam nos,etiam patres nostri.

4 Et dixerunt ad Parhóh, Vt peregrinaremur in hac terra, venimus, quia nõ est pascuũ pecudibus quæ sunt seruis tuis: grauis enim fames est in terra Chenáan. nunc igitur habitent quæso serui tui in terra Gósen.

5 Et dixit Parhóh ad Ioséph,dicendo, Pater tuus & fratres tui venerunt ad te.

6 Terra AEgypti coram te est, in optimo terræ huius habitare fac patrem tuũ, & fratres tuos: habitent in terra Gósen. Et si cognoueris quòd sint inter eos viri robusti,pones eos præfectos pecorum super ea quæ sunt mihi.

7 Et adduxit Ioſéph ipſum Iahacób patrẽ ſuum, & ſtatuit eum coram Parhóh,
& ſalutauit Iahacób ipſum Parhóh.
8 Et dixit Parhóh ad Iahacób, Quot ſunt dies annorum vitæ tuæ?
9 Et dixit Iahacób ad Parhóh, Dies annorum peregrinationum mearum ſunt
triginta & centum anni, pauci & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ, & non
attigerunt dies annorũ vitæ patrum meorũ in diebus peregrinationũ ſuarum.
10 Et ſalutauit Iahacób ipſum Parhóh, & egreſſus eſt à facie Parhóh.
11 Et habitare fecit Ioſéph patrẽ ſuum, & fratres ſuos, & dedit eis poſſeſſionem
in terra AEgypti in optimo terræ, in terra Rahameſés, quemadmodum præce-
perat Parhóh.
12 Et aluit Ioſéph patrem ſuum, & fratres ſuos, & omnẽ domum patris ſui pa-
ne, vſque ad os paruuli.
13 Et panis non erat in omni terra: grauis enim fames erat valde, & elanguit ter
ra AEgypti & terra Chenáan propter famem.
14 Et collegit Ioſéph omnẽ pecuniã quæ inuẽta eſt in terra AEgypti & in terra
Chenáã, p alimẽto quod ipſi emebãt, & ĩtulit Ioſéph pecuniã in domũ Parhóh.
15 Et conſumpta eſt pecunia è terra AEgypti, & è terra Chenáan. & venit om-
nis AEgyptus ad Ioſéph, dicẽdo, Da nobis panem: & vtquid moriemur coram
te? defecit enim pecunia.
16 Et dixit Ioſéph, Date pecudes veſtras, & dabo vobis pro pecudibus veſtris, ſi
defecit pecunia.
17 Et adduxerunt pecudes ſuas ad Ioſéph, & dedit eis Ioſéph panem pro equis,
& pro grege pecudum, & pro armento boum, & pro aſinis: & ſuſtentauit eos pa
ne pro omnibus gregibus illorum anno ipſo.
18 Et finitus eſt annus ipſe, & venerũt ad eũ anno ſecũdo, & dixerũt ei, Nõ abſcõ
demus à domino meo, quòd integra pecunia, & grex iumẽtorũ apud dominũ
meũ: non remanſit corã domino meo præterquã corpus noſtrũ & terra noſtra.
19 Vt quid moriemur in oculis tuis, etiam nos, etiam terra noſtra? eme nos, &
terram noſtram pro pane, & viuemus nos & terra noſtra ſerui Parhóh: & da ſe-
men, & viuemus, & non moriemur, & terra non deſolabitur.
20 Et emit Ioſéph omnẽ terrã AEgypti pro Parhóh: vẽdiderunt enim AEgyptii
vnuſquiſq; agrũ ſuũ, quia inualuerat ſuper eos fames, & fuit terra ipſi Parhóh.
21 Et populum trãſire fecit ad vrbes ab extremitate termini AEgypti vſque ad
extremitatem eius.
22 Tantummodo terram ſacerdotum non emit, quia pars ſacerdotibus erat à
Parhóh, & comedebant partem ſuam quam dederat eis Parhóh: idcirco non
vendiderunt terram ſuam.
23 Et dixit Ioſéhp ad populum, Ecce emi vos hodie, & terrã veſtrã ipſi Parhóh
ecce vobis ſemen, & ſeretis terram.
24 Et erit, è frugibus dabitis quintam partem ipſi Parhóh, & quatuor partes e-
runt vobis pro ſemine agri, & pro cibo veſtro, & eorum qui ſunt in domibus ve
ſtris, & ad comedendum pro paruulis veſtris.
25 Et dixerunt, Viuificaſti nos, inueniamus gratiam in oculis domini mei, & e-
rimus ſerui Parhóh.
26 Et poſuit illud Ioſéph in ſtatutum vſque ad diem hanc ſuper terram AEgy-
pti ipſi Parhóh pro quinta *parte*: terra tamẽ ſacerdotũ duntaxat nõ fuit Parhóh.
27 Et habitauit Iſraél in terra AEgypti, in terra Góſen: & ſtationem habuerũt in

ea,& creuerunt,& multiplicati sunt valde.

28 Et vixit Iahacób in terra AEgypti septemdecim annos: & fuerunt dies Iahacób anni vitæ eius,septem anni & quadraginta & centum anni.

29 Et appropinquauerunt dies Israél vt moreretur, & vocauit filium suum Iosèph, & dixit ei, Si quæso inueni gratiam in oculis tuis, pone quæso manum tuam sub femore meo,& facies mecum misericordiam & veritatem, Ne quæso sepelias me in AEgypto.

30 Et dormiã cum patribus meis, & tolles me ex AEgypto, & sepelies me in sepulchro eorum. Et dixit, Ego faciam secundum verbum tuum.

31 Et dixit, Iura mihi. & iurauit ei,& incuruauit se Israél ad caput lecti.

1 *Et uenit Ioseph.* Obliquè se insinuat Ioseph, vt habitationẽ fratribus suis à rege obtineat in terra Gosen. Hæc tamen modestia(vt diximus)vafritie caret. Nam & Pharao statim agnoscit quid ille cupiat:& liberaliter ei concedit,præfatus terram Gosen bonitate excellere. Vnde colligimus, iudicio, non ignorantia dedisse quod dabat: nec ignarum fuisse voti Ioseph, quanquam simpliciter petere non auderet quod esset optimum. Quòd subsistere in ea regione patrem iussit cum maiori fratrum parte,facilis est excusatio. Neque enim pecus secum trahere poterant: nec relicto pecore,venire ad regem salutandum,donec attributa illis esset statio, vbi fixis tabernaculis res suas componerent. Fuisset enim parum ciuile, nondum audito Regis permissu,locum velut sibi addictum occupare. Suspensi ergo in regione illa hærent, donec cognita Regis voluntate certius constituant domum suam. Quòd Ioseph *quinque ex fratrum extremitate adduxit*, vulgo ita exponunt,qui minus proceræ staturæ erant,fuisse adductos in conspectum Regis: quia timẽdum erat ne robustiores in militiam traheret. Sed quoniam Hebræis נקצ, vtráque extremitatem sonat,principii scilicet,ac finis:assumptos fuisse arbitror ex primis & vltimis,vt illorum intuitu de omnium ætate iudicium rex faceret.

3 *Pastores ouium.* Fuit hæc confessio parũ honorifica filiis Iacob, ac præsertim ipsi Ioseph: cuius summa & propè regia dignitas,turpi macula notabatur. Erat enim apud AEgyptios,vt diximus,hoc pudendum & infame vitæ genus. Cur ergo Ioseph quod in manu erat cõsilium non cepit, vt fratres suos vel ad agriculturã,vel ad aliam quãuis honestã & liberalem artẽ traduceret? non enim vitæ pastoritiæ sic erant addicti,vt essent agriculturæ prorsus expertes: vel quin possent assuescere ad alias viuendi rationes. Atque vt non statim fecissent quæstum, videmus quàm parata illis fuerit Regis liberalitas. Nec verò difficile erat aulicis muneribus illos ornari. Qui fit ergo vt eos Ioseph sciẽs ac volens ignominiæ subiiciat, cui adiunctum erat priuatum ipsius dedecus: nisi quia non magnopere curat tẽporalem illum contemptũ: Fuisset hoc initio plausibile, splendidè viuere inter AEgyptios: sed affixi fuissent exitiali nido. Nunc sordida & cõtemptibilis viuẽdi ratio interstitiũ est quo separantur ab AEgyptiis: imò Ioseph cõsultò videtur dare operã vt nobilitas,quã sibi acquisierat,momento excidat: ne posteros teneat in AEgypto demersos, sed potius coalescãt in corpus auitæ familiæ. Quòd si nõ venit illis hæc ratio in mẽtẽ, minimè tamẽ dubiũ est quin eorũ linguas gubernauerit Dominus, vt occurreret noxiæ mixturæ, purúmq; & discretũ retineret Ecclesiæ corpus. Hic quoque locus docet quanto satius sit vel extremũ angulũ tenere in atrio Domini, quàm extra Ecclesiã occupare media palatia. Ideo ne molestũ nobis sit mundi contẽptu & probris redimere. sacrã cum filiis Dei vnitatem: sicuti eam Ioseph omnibus AEgypti lautitiis prætulit. Quòd siquis aliter purè Deo seruire non potest,quàm si mũdo se fœtidum reddat, hic omnis facessat ambitio. Hoc erat consiliũ Dei,sub infamia concluso tenere filios Iacob,donec illos in terrã Chanaã restitueret: quo igitur se integros seruẽt ad liberationẽ sibi promissam,se pecuarios esse nõ dissimulant. Cauendũ ergo ne inanis honoris cupiditas nos efferat, vbi Dominus nõ aliũ salutis modũ ostendit q̃ si in ordinẽ cogamur. Quare libenter simus ignobiles ad tẽpus, vt nos olim Angeli in societatem æternæ suæ gloriæ recipiãt. Hoc etiã exẽplo monentur qui educati sunt in vilibus opificiis,nõ esse cur illos suæ sortis pudeat. Satis enim supérque illis esse debet,quòd vitæ ratio quam sequuntur, legitima est ac Deo grata. Pudore etiam non vacabat altera confessio, vbi dicunt *fame coactos ad peregrinandum uenisse*. sed inde emersit non pœnitendus fructus. Nam quòd pauci & fameli descendũt: deinde infamia notati, vt vix quisquam eos alloqui dignetur: ex iis tenebris illustrior deinde refulsit Dei gloria, quum ingentem populum mirabiliter tertio seculo eduxit.

5 *Et dixit Pharao ad Ioseph.* Quòd nõ fuit offensus Pharao quum sibi locum ad peregrinandũ dari peterẽt, Dei gratiæ tribuẽdũ est. Nã scimus nihil Reges indignius ferre quàm beneficia sua

respui. Domiciliũ perpetuũ illis offert Pharao, animum verò potius ad discessum adiiciunt. Si-
quis hoc modestiæ adscribat, quia superbum fuisset petere ius ciuitatis, vt eodem cum indigenis
iure viuerẽt, habet hoc quidẽ nõnihil coloris, sed tamen vanũ est. nã dum se postulãt admitti ho
spites & inquilinos, in tempore sibi cauent ne vinculo seruitutis obstrictos habeat Pharao. No-
tum est illud Sophoclis, ὅστις δὲ πρὸς τύραννον ἐκπορεύεται κοινοῦ'σὶ δοῦλος κ'οὐ ξὺ δ'ἥμισυ μόλις. Operæpretiũ er-
go fuit filiis Iacob, ab ipso limine testari, qua lege habitare cuperent in AEgypto. Ac tãto minus
excusabilis fuit crudelitas, quũ aduersus pactũ fuerunt tam duriter oppressi, nec illis permissus
exitus, quem discrtè stipulati fuerant. Dicit quidem Isaias prætextum aliquem fuisse AEgyptio
Regi in hac parte, quia sponte in eius ditionem se contulerant filii Iacob: sed per cõparationem
loquitur, vt grauius accuset Assyrios, qui posteros Iacob in patria sua quietos armis inuaserant:
atque inde expulerant iniusta violentia. Ergo ius hospitale sceleste violatum fuit, quũ seruiliter
oppressi sunt Israelitæ, & negatus in patriam reditus, de quo tacitè pepigerãt, quum professi fue-
rant se illic fore hospites: nam à Rege fides, & humanitas præstanda erat semel in patrocinium
suum receptis. Itaque sibi coram Deo cauerunt filii Israel, vt de AEgyptiis possent meritò con-
queri. Sed quia secundum carnem nihil illis profuit data à Rege fides, illorum exemplo fideles
se ad patiẽtiam erudiant. Hoc enim solenne est, vt quisquis aulam tyranni ingreditur, necesse ha-
beat libertatem in limine deponere.

5 *Et dixit Pharaoh.* Non tãtum hoc refertur, vt sciamus humaniter exceptam fuisse domum
Iacob, sed etiam nihil datum fuisse à Ioseph nisi Regis mandato. Nam quo maior erat eius pote-
stas, eo restrictior esse debuit, ne liberalis de Regis substantia tam ipsum quàm populum frau-
daret. Atque vtinam valeret apud Proceres mũdi hæc moderatio, vt se in priuatis negotiis non
aliter gererent, quàm si essent plebei: nunc verò nulla illis videtur sua potestas, nisi eam expe-
riantur peccandi licentia. Quanquam autem Ioseph Regis permissu in optimis pascuis suos lo
cat, non tamen in altera parte vtitur Regis beneficio, vt præfectos ordinet Regii pecoris: nõ tan-
tũ quia hæc vtilitas inuidiã illis cõflasset apud multos, sed quia nolebat tali illecebra implicari.

7 *Et adduxit Ioseph ipsum patrem Iahacob.* Tametsi vno contextu narrat Moses adductũ fuis-
se Iacob ad Regem, non tamen dubito quin aliquid temporis interceserit, nempe donec locum
in quo staret adeptus, familiam tutius & magis soluto animo relinqueret: & simul ipse pauliſ-
per refectus foret ex itineris lassitudine. Quum autem dicitur Pharaoni benedixisse, hoc verbo
non vulgaris & profana salutatio notatur à Mose, sed pia sanctáque serui Dei precatio. Salutãt
enim filii huius seculi Reges & principes honoris causa, ad Deum verò minimè assurgunt. Ali-
ter Iacob, qui ciuili reuerẽtiæ adiunxit pium illud studium, vt Regis salutem cõmendaret Deo.
Atque hanc regulam præscribit Iudæis Ieremias, vt pro pace Babylonis orent, quandiu in exi- *Ierem. 29. b. 7*
lio viuendum erit: quia pax illius terræ & imperii, in se contineat illorũ pacem. Si hoc officium
miseris captiuis iniũgitur, quibus per vim extorta fuit libertas, & erepta patria, quanto plus Re *1. Timot. 2. a. 1*
gi tam humano & benefico debuit Iacob? Cæterùm qualescunque sint qui dominantur, iube-
mur publicas pro ipsis preces concipere. Ergo eadem priuatim à singulis subiectio requiritur.

8 *Quot sunt dies annorum.* Hæc familiaris interrogatio confirmat, comiter & absque fastu
exceptum fuisse Iacob: sed responsio longe plus habet momenti, quòd tempus peregrinationis
suæ definit cẽtum & triginta annos. Nam hinc colligit Apostolus ad Hebræos, cap. 11. c. 13. d. 16,
memorabilem illam doctrinam, quòd Deus non erubuerit vocari ipsorum pater, quia se aduc-
nas, & hospites confessi sunt in terra. Vnius quidem hominis duntaxat hîc fit mentio: sed quia
sic imbutus erat à patribus, & eandem filiis disciplinam per manus tradidit, communiter om-
nes insignit Apostolus eodem elogio. Ergo sicuti eos non puduit vagari toto vitæ cursu, & ex-
teros atque inquilinos probrosè vocari quocunque veniſſent: ita Deus incomparabili honore
ipsos dignatus est, vt cæli essent hæredes. Atqui vt prius dictum fuit, nullis vnquam magis pro-
pria & hæreditaria fuit in mundo sedes, quàm sanctis patribus terra Chanaan. Dicitur quidem
Dominus funiculũ iecisse, vt singulis gẽtibus suos terminos attribueret, sed æterna possessio per
continuos ætatum gradus nulli vnquam genti promissa fuit, sicuti posteris Abrahæ. Quo igi-
tur animo nos mundum incolere oportet, in quo nulla nobis certa quies, vel fixa statio promiſ-
sa est? Quin potius hæc communis omnium piorum conditio sub regno Christi describitur à
Paulo, vt ferantur instabiles: non quòd exiliis singuli peræquè iactẽtur, sed quia Dominus om- *1. Corinth. 4. c. 8*
nes suos, ne affixi sint nidis terrenis, quasi tubæ sonitu ad peregrinandum vocat. Ergo siue in pa-
tria quis maneat, siue locũ subinde mutare cogatur, in hac meditatione se probè exerceat, hospi-
tari se ad breue tempus in terra, donec confecto cursu in cælestem patriam migret.

9 *Pauci & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ.* Videtur malignè conqueri Iacob, quòd exiguo
tempore vixerit. Deinde quòd intra exiguum temporis spatium multas & graues ærumnas per-

tulerit: cur non potius ingentes, ac multiplices Dei gratias recenſet, quæ ſatis ad malorum omnegenus compenſationem valebant? Adde quòd de vitæ breuitate indigna eſt eius querimonia: cur enim illi ſeculum vnum, & tertia pars alterius non ſufficit? Verùm ſiquis ritè verba expendat, ſuam potius gratitudinẽ teſtatur, celebrãs Dei bonitatem erga patres ſuos. Neque enim tam deplorat ſuum ſenium, quàm vigorem patribus diuinitus collatum extollit. Certè nouũ & inſolens nõ erat, videre hominem illa ætate fractum, & caducũ, & iam propinquũ ſepulchro. Quare hæc, vt dixi, cõparatio tantum ad laudem Dei ſpectabat, cuius maior erga Abrahã & Iſaac extiterat benedictio. Cæterùm patribus ſe non comparat in miſeriis, quaſi illi indulgentius tractati fuerint, quos ſcimus omnibus tentationum modis ad extremum fuiſſe probatos: ſed negat ſe ad illorum annos accedere. acſi diceret, Ego quidẽ ad eos annos prouectus ſum, quibus matura ſenectus aliis eſſe ſolet: imò iuſtus vitæ terminus completur. atqui patribus meis vitam prorogauit Dominus, vt lõgè exceſſerint. De malis autẽ diebus ideo meminit, ſignificans non tam annis ſe fractum eſſe & confectum, quàm laboribus & moleſtiis. acſi diceret, Poterant adhuc in me vigere integri ſenſus, niſi quòd & continuis laboribus, & triſtiſſimis curis, & grauiſſimis miſeriis exhauſtæ fuerunt vires. Videmus nũc vt nihil minus in animo habuerit ſanctus vir, quàm expoſtulare cum Deo. Videtur tamen abſurdum eſſe, quòd vitam ſuam breuiorem faciat, quàm patrum. Vnde enim diuinat ſibi tantulum adhuc reſtare, vt non pertingat vſque ad illorum annos? Siquis excipiat eum ex debili & ſemimortuo corpore feciſſe coniecturam, parum firma erit ſolutio. Iſaac enim triginta ante mortem ſuam annis obtuſo iam viſu & tremulis membris erat. Sed nihil abſurdi eſt quòd Iacob, acſi ante oculos eſſet ſepulchrum, morti ſe in ſingula momenta deſtinet. Incertũ tamen, quantum temporis arcano Dei conſilio ſibi decretũ foret: quare de vita reſidua ſecurus perinde loquitur, acſi poſtridie moriendum foret.

12 *Et aluit, &c. uſque ad os paruuli.* Quidã os paruuli exponũt, acſi aluiſſet Ioſeph patrem & totam familiam, ſicuti pueris in os cibus ingeritur: ac putãt emphaticam eſſe locutionem, quòd in fame non magis ſolliciti fuerint de comparando victu, quàm pueri, qui ne manum quidem ad cibum extẽdunt. Alii vertunt pubẽ: ſed neſcio quo ſenſu. Alii ſimpliciter accipiunt pro ratione & numero paruulorũ. Mihi genuinus eſſe videtur ſenſus, quòd omnes à maximo vſque ad minimũ pauerit. Nõ defuit ergo panis vniuerſæ domui Iacob, quia cura Ioſeph prouiſum fuit vt ſuppeterẽt alimenta vſque ad paruulos. Hoc modo cõmendat Moſes tam Dei clementiã, quàm pietatem Ioſeph. neque enim vulgare exemplum fuit quòd eſurientibus agricolis ſecurè paſti fuerunt ſuo demenſo, quibus granum tritici non erat.

13 *Elanguit terra* Hoc memorabile fuit Dei iudiciũ, quòd regiones fertiliſſimæ, quæ annonã longinquis & trãſmarinis gẽtibus ſuppeditãt, ad tantã inopiã redactæ fuerint, vt ferè tabeſcerent. Verbũ quidẽ דלה quo vtitur Moſes, duobus modis exponitur. Quidã dicũt præ fame ad inſaniã cõpulſos fuiſſe: alii vſque adeò cibo fuiſſe deſtitutos, vt deficerẽt: ſed vtrouis modo accipere libeat, videmus aliorũ nutritios, tunc prorſus famelicos fuiſſe. Itaque nõ eſt quòd ſuæ abundantiæ cõfidant qui colũt feraces agros, ſed agnoſcãt largũ prouentũ non tam emergere ex terræ viſceribus, quàm arcana Dei benedictione è cælo ſtillari, vel potius defluere. Nulla eſt enim tanta pinguedo, quæ non mox ſterileſcat, vbi ſalem Deus aſperſerit loco pluuiæ. Interea oculos vertere conuenit in iſtud ſingulare Dei beneficium, quòd ſuos aluit in media fame, quemadmodũ habetur Pſal. 37. b. 19. Cæterùm, ſi nos inedia probare velit Deus, ſimul rogãdus eſt vt nos ad tolerandã æquo & mãſueto animo eſuriem formet, ne ſimiles truculentis, imò rabioſis feris tumultuemur. Quanquã autẽ credibile eſt, efferbuiſſe graues motus in diuturna penuria, ſicuti fertur veteri prouerbio, Vẽtrem non habere aures: ſimplicior tamen mihi videtur ſenſus, quòd fami ſuccubuerint AEgyptii & Chananæi, atque ita velut exanimes iacuerint. Porrò hoc etiã conſilio Moſes famis hiſtoriam proſequitur, vt inde pateat euentu fuiſſe probatum vaticinium Ioſeph: & eius ſolertia & induſtria tam bene ac dextrè occurſum fuiſſe maximis periculis, vt meritò AEgyptus, ſalutis ſuæ authorem agnoſcere deberet.

14 *Et collegit.* Primò docet Moſes bene & fœliciter ceſſiſſe Regi AEgyptio, quòd rei frumentariæ procurationẽ arbitrio vnius Ioſeph permiſerit. Deinde ſincerã & fidam adminiſtrationẽ ipſius Ioſeph laudat. Scimus quàm pauci regias pecunias attrectent, qui nõ ſe coinquinẽt peculatu. In tantis verò pecuniæ aceruis nõ minor erat prædandi licentia, quàm difficilis continentia. Moſes verò dicit, quicquid collegerat pecuniæ Ioſeph, attuliſſe in domum Regis. Rara hæc, & incomparabilis fuit integritas, inter tantos aceruos puras ſeruare manus. Nec verò fieri potuit vt ſe adeò temperanter gereret, niſi frænũ illi fuiſſet Dei vocatio. Nam quos ambitio cohibet à furtis & rapacitate, niſi hominum oculos & iudicia timerent, ſtatim manus extenderent ad prædam. Ioſeph autem ſine teſte peccare potuit: vnde ſequitur, purum Dei timorem viguiſſe in eius animo. & tamen nõ deerant plauſibiles, & ſatis bene fucati prætextus ad furti excuſationẽ,

Quum tyranno ſeruias,cur non tibi liceat partẽ aliquam lucri in tuum commodum ſubducere? Quo magis apparet ſolida probitate fuiſſe munitum, quando illecebras omnes repulit, ne ex alieno per fraudem diteſcere cuperet.

15 *Et conſumpta eſt pecunia.* Non intelligit Moſes quicquid fuit nummorum in AEgypto,redactum fuiſſe in fiſcos Regis.Nam multi erant ex aulicis proceribus à fame immunes:ſed ſimplex ſenſus eſt, omnes ferè fuiſſe exhauſtos, vt iam vulgo pecunia non ſufficeret ad emendum frumentum: & tandem extrema neceſſitas ad ſecũdum remedium, de quo paulo pòſt loquetur, AEgyptios compulerit. Porrò tametſi videntur deſperatione accẽſi, procaciter inſurgere contra Ioſeph:contextus tamen oſtẽdit nihil minus fuiſſe illis propoſitum, quàm contumacia ſua terrere cuius miſericordiam ſuppliciter implorãt. Quare hæc interrogatio,*Cur moriemur coram tẽ?* non aliò tendit,quàm ipſos eſſe perditos,niſi ſubueniat eius clementia.Sed quæritur quomodo vitam tolerauerint Chananæi.Certè dubium nõ eſt quin grauis peſtilentia inediæ comes multos abſtulerit, niſi ſubuentum ſit ab aliis regionibus: vel herbis ac radicibus miſere victitarint. Et fortè nõ tanta illic fuit ſterilitas,quin dimidiã vel tertiã victus ſui partẽ ex agris colligerent.

16 *Date pecudes veſtras.* Miſerabile fuit illud ſpectaculum,& quod ferreos animos flectere deberet,videre diuites agricolas, qui prius aliis quoque repoſitã habebãt in ſuis horreis annonam, nunc victũ mendicare.Itaque crudelis videri poſſet Ioſeph, quòd inopibus & exhauſtis panem gratis non erogat,ſed eos etiam ſpoliat omni pecore, ouibus,& aſinis.Sed quia alienũ negotium tractat Ioſeph,eius rigorem crudelitatis damnare non audeo. Si per ſeptem annos fertiles vi extortũ eſſet frumentũ ab inuitis,nunc tyrannicè pecudes & armenta illis eriperet:ſed quia liberum illis fuit in priuatis horreis recondere quod Regi vendebant,nunc iuſtas ſocordiæ ſuæ pœnas luunt.Nec aliud cernebat Ioſeph,quàm diuinitus eos nudari,vt vnus Rex diteſceret omniũ ſpoliis.Adde quòd quũ illi fas eſſet venale frumentũ exponere,mutare cũ pecoribus licuit.Regis certè erat frumentũ: cur ergo pretium ab emptoribus non exigeret? Atqui pauperes erant,ideóque ipſorũ inopiæ ſuccurri æquum fuit.Si valeat hæc regula,illicita erit maior pars emptionum.Nemo enim quod poſſidet,libenter vendit.Quare ſi iuſta fuit pecoris æſtimatio,nondũ video quid in facto Ioſeph reprehenſione dignũ ſit: præſertim quũ rem propriam non ageret, ſed creatus eſſet rei frumentariæ præfectus,ea lege vt Regi,non ſibi,lucrum acquireret.Siquis excipiat,debuiſſe ſaltem hortari Regem, vt vberrimo pecuniæ quæſtu cõtentus foret: reſpondeo,ex multis pauca obiter narrari à Moſe.Cuiuis autem coniicere prõptum eſt,tanti momenti negotium non fuiſſe tranſactum à Ioſeph, inconſulto Rege & inſcio. Quid autem ſi conſiliariis hæc viſa ſit æqua moderatio, vt pro ſuis pecoribus alimenta in totum annũ ſumerent agricolæ? Denique quum ſtemus& cadamus vnius Dei arbitrio, quod Lex eius in medio relinquit,damnare noſtrum non eſt.

18 *Et uenerunt ad eum anno ſecundo.* Annum ſecundum Moſes non à fame ſupputat,ſed ex quo defecerat pecunia. Quia verò finem ſterilitati inſtare ex oraculo ſciebant, non in victum modò frumentum ſibi dari poſtulant,ſed in ſationem quoque. Vnde apparet,nimis ſerò eos ſapere, ac neglexiſſe vtilem Dei admonitionem,quo tempore ſibi in futurum proſpicere debuerant. Porrò non commemorant ſibi deeſſe pecuniam & pecora, vt expoſtulent cum Ioſeph, quaſi iniquè ab eo nudati fuerint : ſed vt admoneant, hoc vnum reſtare vt agris ſuis redimant victum & ſemen,ſéque non aliter fore ſaluos, niſi ad hanc pactionem deſcendat Ioſeph. Impudentiæ enim fuiſſet, nihil pretii vel compenſationis offerre. Præfantur autem nihil ſibi eſſe ad manum,ideóque actum eſſe de ſua vita,niſi agros emere velit Ioſeph.atque vt miſericordiam eliciant,iterum rogant cur ſineret ipſos mori, adeóque agros ipſos. hæc enim eſt mors terræ, quum deſeritur eius cultura,vt in vaſtitatem redacta,nihil amplius proferat.

20 *Et emit Ioſeph omnem terram.* Hîc verò crudelis & inexplebilis auaritiæ cumulum eſſe quiſpiã putaret quòd miſeris agricolis Ioſeph agros etiã eripit, ex quorũ prouentu regnũ aluerant. Sed iam prius oſtendi, niſi damnare libeat quoduis emptionum genus,non eſſe cur factum Ioſeph culpetur. Siquis dicat abuſum eſſe ipſorum inopia, hoc vnum ad excuſationem ſufficit, quòd nullæ eius inſidiæ,nulla circũuentio,nullavis,nullæ minæ ad hanc neceſſitatẽ cõpulerunt AEgyptios. curauit bona fide, paríque induſtria Regis negotiũ:imperio functus eſt ſine violentis edictis. Vrgente fame licuit venale exponere triticũ tam diuitibus,quàm pauperibus:pecora deinde nõ minus emere licuit . nũc ad extremũ cur fas nõ eſſet iuſto pretio agros Regi acquirere:Huc accedit quòd nihil extorquet,ſed ex eorũ poſtulato cum ipſis trãſigit. Fateor quidẽ non promiſcuè ſumẽdũ eſſe quicquid offertur.nam ſi durior premit neceſſitas:qui eã quouis modo cupit effugere,ad iniquas pactiones deſcendet.Ergo quum quis ad ſe fraudandũ nos inuitat,non ideò protinus ſumus excuſabiles: ſed ego Ioſeph nõ hoc tantum colore defendo,quòd vltrò illi ſuos agros detulerint AEgyptii,qui vitã quauis mercede redimere parati fuiſſent:hoc dico,ſimul

debere expendi, seruatam ab eo fuisse æquitatem, quanuis nihil illis residuum fecerit. Durior fuisset conditio, si fuissent adducti in perpetuã seruitutẽ: nũc libera corpora illis cõcedit, ac tantũ de agris paciscitur, quos fortè maior pars populi à pauperibus emerat. Si vestibus nudaret quos frumento pascit, hoc esset obliquè & lente eos iugulare. Quid enim interest, faméne, an frigore hominem mori cogam: Ioseph autem AEgyptiis ita succurrit, vt in posterum liberi sint, & suo labore modiocrem victum comparent. Quanuis enim sedes permutent, omnes tamen creantur Regis villici: neque agros tantum, sed instrumenta, quæ emerat, illis remittit Ioseph. Vnde apparet quam potuit clementiam ipsum adhibuisse ad eos leuandos. Interim caueãt qui nimis ad rem sunt attenti, ne falsò prætexant exemplum Ioseph: quia certum est, vitiosos esse coram Deo contractus omnes, qui ad charitatis regulam non formãtur: & æquitate illa, quæ intus nobis arcano naturæ sensu dictatur, sic agendum esse cum aliis vt nobiscum agi volumus.

21 *Et populum transire fecit ad urbes.* Acerba quidem fuit hæc transportatio: verùm si reputamus quanto satius fuerit aliò migrare, vt liberi coloni essent, quàm glebæ affixos ad seruiles operas mancipari: nemo non fatebitur tolerabile, imò humanum fuisse hoc imperium. Si coluisset quisque agrum suum ex more, grauis visa esset tributi exactio. Mediam ergo rationem excogitat Ioseph, quæ nouum & insolitũ onus mitiget, nouos agros, impositio tributo, assignans. Exponi etiam aliter posset hic locus, quòd Ioseph omnes agricolas transire in ciuitates fecerit, vt illic acciperẽt annonam, & publicas tabulas conficerent. Si placeat hic sensus, quòd olim distincta fuit AEgyptus in prouincias, quæ postea vocatæ sunt νομοὶ, probabile erit hinc ductam fuisse originem. Et certè tam Regi priuatim, quàm communiter toti populo damnosa hæc traductio fuisset, quòd peritiam & vsum in nouas sedes afferre non poterant. Quia tamen res non est magni momenti, & ambigua est verbi significatio, in medio relinquo.

22 *Tantummodo terram sacerdotum.* Excepti à communi lege fuerunt sacerdotes, quòd Rex illis demensum præberet. Dubium quidem est, fuerítne præsentis necessitatis hoc subsidium, an solitus fuerit eos suo sumptu alere. sed quia de eorum agris meminit Moses, in illã coniecturã potius inclino, quòd quum prius essent locupletes, quia sterilitas illis quoque suum reditum abstulerat, priuilegio eos Rex ornauerit. hinc factum est vt immunes eorũ agri manerent. Quãquam de statu illius terræ multa sine iudicio fabulantur veteres historici: quod tamẽ dicunt agricolas exigua mercede cõtentos, Regi & sacerdotibus serere & metere: nescio an ex hac lege Ioseph profectũ sit: sed illis omissis, magis ad rem pertinet notare quod Moses disertè testatum esse voluit: nempe profano Regi singulare fuisse studiũ Diuini cultus, dum sacerdotes gratis aluit, vt eorum agris & facultatibus parceret. Nempe hoc nobis speculũ ponitur ante oculos, in quo cernamus infixum esse hominibus pietatis sensum, quem prorsus delere nequeũt. Quòd tales aluit sacrificos Pharao, qui suis imposturis dementabant populũ, non minus prauæ, quàm stultæ superstitionis fuit: hoc tamen per se cõsilium laude dignum fuit, quòd Dei cultum iacêre passus nõ est: quod breui futurum erat si fame deficerent sacerdotes. Vnde colligimus, quàm sedulò cauendum sit, ne præpostero zelo quidquam tentemus: quia nihil procliuius est in tanta naturæ humanæ corruptela, quàm vt religio in friuolas nugas degeneret. Cæterùm quia ex recto principio manauit inconsiderata hæc deuotio, vt loquuntur: quid nostris principibus agendũ est, qui Christiani censeri volũt? Quum adeò solicitus fuerit Pharao de suis sacrificis, vt in suum & totius regni exitium aleret, ne erga fictitios deos esset impius: quãtum sacrilegium est, ab his negligi legitimos proboſque sacrorum ministros, quorum operam Deo probari, sibíque saluificã esse norunt? Sed quæritur, an fas fuerit sancto Ioseph suscipere hanc prouinciam. sic enim foueẽdis impiis superstitionibus operam suam locabat. Ego verò sicut facile concedo in tam ampla, & ardua, & multiplici functione procliuẽ in varia delicta fuisse lapsum, ita factũ hoc precisè damnare nõ audeo. Neque tamen inficior quin deliquerit vel hoc ipso, quia nõ satis cordatè superstitionibus restiterit. Sed quoniam nulla illi lege iniunctum erat, vt fame conficeret sacerdotes, Regii autem frumenti nõ prorsus ad suum arbitrium dispensator foret, si Rex gratis cibaria dari sacerdotibus volebat, nihilo magis liberum fuit, illis quàm aulicis proceribus negare: itaque tales alumnos non libenter suscepit, sed quum Rex inuito obtruderet, repellere nõ potuit, etsi indignos sciebat qui vel fimo boum vescerentur.

23 *Et dixit Ioseph ad populum.* Hîc à Mose describitur singularis humanitas Ioseph, quæ sicuti tunc compescuit omnes querimonias, ita hodie calumnias meritò discutit ac refellit: homines nudos, & quasi profugos in suas possessiones æquissima lege restituit, vt quintã partem annui reditus Regi soluant. Hoc olim iure passim Reges fuisse vsos notũ est, vt decimas exigerent: belli verò tempore vectigal istud duplicabant. Quid ergo iniuriæ dicemus AEgyptiis factum, quòd Ioseph agros Regi suo emptos quinta reditus parte onerauit, præsertim quum longe vberior sit illa regio, vt minore quàm alibi molestia fructus colonis ad se alendos prouenerit? Siquis exci-

piat,magis ingenuum fuisse, quintam istam partem Regi acquirere: solutio in promptu est,non modò vtile fuisse ad exemplum,sed etiam ad quietem populi,obstrui os morosis. Nec certè aliò spectauit obliqua ratio,qua vectigal quintæ partis insinuauit Ioseph,nisi vt terras suas alacrius ararent AEgyptii, quum persuasi forent clemèter secum agi tali pactione. Atque hoc modo expressa confessio illis fuit,quæ à Mose refertur: primò enim agnoscunt se vitam ei debere: secũdò non recusant esse serui Regis. Vnde colligimus sanctum virum ita se medium gessisse,vt magnopere Regem augeret:neque tamen populum opprimeret tyrannide. Atque vtinam ad hanc moderationem se componerent omnes præfecti, vt duntaxat sine populi iniuria curandis Regum commodis studerent.Celebratur vox Tiberii Cæsaris minime tyrannica, quem tamen & valde sanguinarium, & inexplebilem tyrannum fuisse constat, Pastoris esse tondere pecus, non deglubere. Hodie verò Reges se liberè dominari nõ credũt,nisi subditos prorsus deuorent, nedũ excorient.Nullos verò ferè imperiis ornant, nisi qui iurati prodeunt ad lanienam exercendam. Quo plus laudis meretur clementia Ioseph,qui sic AEgypti statum temperauit,vt cum immenso Regis quæstu coniuncta esset tolerabilis populi conditio.

17 *Et habitauit Israel.* Non intelligit Moses, Iacob & eius filios proprietarios fuisse eius agri,quem illis habitandum concessit Pharao, sicuti reliquæ partes AEgypti incolis in perpetuam ἐμφύτευσιν datæ sunt: sed commodè illic ad tempus egisse, & sic precarios fuisse possessores, vt simul tranquilli essent. Hinc factum est vt tantopere crescerent exiguo temporis spatio. Itaque ad sequentis temporis historiam pertinet quod narratur à Mose:imò nunc redit ad propriũ historiæ suæ contextum, in qua illi propositum fuit docere quomodo Ecclesiam suã Deus protexerit à multis mortibus:neque id modo,sed mirabiliter extulerit arcana sua virtute.

18 *Et uixit Iahacob.* Non vulgaris fuit tentatio sancto seni per tot annos à terra Chanaan exulare.Esto,præsenti fame compulsus illuc se cõtulit:cur tamen quinquennio transacto,reuerti non licet?Neque enim stupidus illic torpebat,sed ideò quiescebat,quòd liber non pateret egressus.Quare hac etiam in parte non leuiter eius patientiam Deus exercuit. Quanlibet enim suaues essent AEgypti deliciæ,priuari tamen eius terræ aspectu, quæ expressa erat cælestis patriæ imago,plusquam miserum fuit.Apud filios quidem seculi præponderant terrena commoda: sed ea fuit sancti viri pietas, vt spiritualis boni iacturam nulla apud eum carnis vtilitas pensaret. Sed altius vulneratur,vbi videt sibi mortem instare:quia non modo priuatur ipse hæreditate sibi promissa,sed filios dubiæ fidei, vel saltem infirmæ, in AEgypto quasi in sepulchro demersos relinquit.Porrò eius exemplum nobis proponitur,ne languescant nobis animi,vel molliscant longæ militiæ tædio:imò quo magiscos in terram deprimere conatur Satan,eo maiore vehemẽtia intendant,ac nitantur in cælum.

19 *Et uocauit filium suum Ioseph.* Hinc non modo colligitur anxietas Iacob, sed inuicta magnanimitas. Quòd nullæ opes, vel lautitiæ AEgypti eum deliniunt, quin suspiret ad terram Chanaan,in qua semper asperam & laboriosam vitam traxerat,magnæ virtutis est.Sed hæc fidei constantia longè excelluit, dum cadauer suum in terram Chanaan referri iubens, filios ad spem liberationis hortatus est. Ita factum est, vt mortuus, quasi tubæ clangore, viuos & superstites animauerit. Quorsum enim tendebat tanta sepulchri cura, nisi vt apud posteros rata esset Dei promissio? Quanuis ergo fluctuata sit eius fides,adeò tamen naufragium passa non est,vt alios in portum deduxerit. Porrò iusiurandum exigit à filio Ioseph, non tam diffidentiæ causa, quàm vt admoneat rem agi maximè seriam. Noluit certè leui iureiurando profanare Dei nomen:sed quo sanctior erat,magisque solennis promissio,debuit omnibus eius filiis in mentẽ venire,magni fuisse momenti referri eius cadauer in patrum sepulchrum.Probabile etiam est,prudenter cogitasse de leuanda filii inuidia. Nam AEgyptiis minimè gratum fore sciebat sepulchri delectum, qui contumeliosus erat toti regno: Scilicet hic alienigena quasi in tam splendida, & nobili terra idoneum locum non reperiat suo cadaueri, sepeliri vult in terra Chanaan. Itaque quo liberius hoc à Rege petere audeat Ioseph,& facilius impetret,sacramento ipsum obstringit. Et certè hoc prætextu postea vtetur Ioseph, vt offensionem declinet. Eadem etiam fuit ei ratio cur sibi dari poscceret à Ioseph, quod omnibus filiis commune erat officium. Nam reliquis hoc vix fuisset permissum:aggredi autem nisi data venia tale facinus ausi non essent.Nulla autem pe nes extraneos & sordidos homines gratia erat, vel authoritas. Adde quòd præ aliis expergefieri necesse habuit Ioseph:ne blanditiis AEgypti captus,paulatim à suo genere desciscceret.Sciẽdum tamen est,consultò interpositam fuisse sacramenti reuerentiam à Iacob, vt doceret se non frustrà nec temerè sepulchrum appetere in ea terra, vbi parũ benignè acceptus, vbi multas ærumnas perpessus fuerat,& ex qua tandem fame expulsus profugerat.Quòd iubet manũ femori supponere,quid sibi voluerit hoc symbolum, diximus capite 24.a.2.

30 Et *dormiam cum patribus.* Patet ex hoc loco, dormiendi verbum quoties ponitur pro mori, non ad animã referri, ſed ad corpus. Quid autem eius interfuit recõdi cum patribus in ſpelunca duplici, niſi vt teſtata fieret eorum ſocietas poſt mortem: Quo autem vinculo ſimul fuerunt coniuncti, niſi quòd effectus fidei ipſorum ne morte quidem extingui potuit? Quaſi ex eodem ſepulchro ſonaret vox iſta, nunc quoque nobis eſt communis hæreditas.

31 Et *maruauit ſe Iſrael ad caput lecti.* Hac voce iterum confirmat Moſes Iacob pro ſingulari bono duxiſſe, ſibi promiſſum fuiſſe à Ioſeph quod petierat de ſepultura. Nam ad gratias Deo agendas, quo poteſt conatu debile corpus incitat, tanquam potitus re maximè optabili. Dicitur enim adoraſſe ad caput lectuli: quia quum planè aſſurgere non poſſet è lecto, in quo iacebat, ſe tamen in formam precantis prono vultu componit. Idem habetur de Dauide, primi Regũ 2.b.10, quum ſupremi voti compos factus, Dei gratiam celebrat. Græci verterũt, ad ſummitatem virgæ: quos Apoſtolus ſequutus eſt ad Hebræos capite 11. d.21. Etſi autem ſimilitudine vocis fuiſſe deceptos apparet, quia apud Hebræos מיטה lectum, מוטה baculum ſignificat: Apoſtolus tamen ſibi permiſit locum citare qualis tunc erat in communi vſu, ne rudes de nihilo offenderet. Porrò qui exponunt Iacob adoraſſe ſceptrum filii, nimis inſulſi ſunt. Aliorum expoſitio ſaltem tolerabilis eſt, quòd baculo innixus, caput incuruauerit. Sed quũ nulla ſit in verbis Moſis ambiguitas, ſufficiat memoria tenere quod dixi, gaudii ſui magnitudinem hac ceremonia palàm feciſſe.

Cap. XLVIII.

1 ET fuit, poſt hæc dixit *quiſpiam* ad Ioſéph, Ecce pater tuus ægrotat, & accepit duos filios ſuos ſecum, Menaſſéh & Ephráim.

2 Et nuntiauit ipſi Iahacób *nuntius* & dixit, Ecce filius tuus Ioſéph venit ad te. & roborauit ſe Iſrael, & ſedit ſuper lectum.

3 Et dixit Iahacób ad Ioſéph, Deus omnipotens viſus eſt mihi in Luz in terra Chenáan, & benedixit mihi:

4 Et dixit ad me, Ecce ego creſcere facio te, & multiplicari faciã te & dabo te in cœtum populorũ, & dabo terrã hanc ſemini tuo poſt te in hæreditatẽ perpetuã.

5 Et nunc duo filii tui, qui nati ſunt tibi in terra AEgypti, antequam veniré ad te in AEgyptum, mei ſunt, Ephráim & Menaſſéh, ſicut Reuben & Simhón erunt mei.

6 Et liberi tui quos generabis poſt eos, tui erunt: ſecundum nomen fratrũ ſuorum vocabuntur in hæreditate ſua.

7 Et me veniẽte de Padán, mortua eſt mihi Rachél in terra Chenáã in via, quũ adhuc eſſet miliare terræ ad veniẽdũ in Ephráth: & ſepeliui eam in via Ephráth, ipſa eſt Beth-lehem.

8 Et vidit Iſraél filios Ioſéph, & dixit, Cuius ſunt iſti?

9 Et dixit Ioſéph patri ſuo, Filii mei ſunt quos dedit mihi Deus hic. Et dixit, Duc eos quæſo ad me, & benedicam eis:

10 (Oculi enim Iſraél graues erant propter ſenectutem, nec poterat videre) & accedere fecit eos ad illum, & oſculatus eſt eos, & amplexatus eſt eos.

11 Et dixit Iſrael ad Ioſéph, Videre faciem tuam non putabam, & ecce videre fecit me Deus etiam ſemen tuum.

12 Et eduxit Ioſéph eos à genibus ſuis, & incuruauit ſe in faciem ſuã ſuper terrã.

13 Et tulit Ioſéph ambos ipſos, Ephráim ad dexteram ſuã à ſiniſtra Iſrael, & Menaſſéh ad ſiniſtram ſuam à dextra Iſraél: accedere inquam fecit ad eum.

14 Et extendit Iſraél dexteram ſuam, & poſuit ſuper caput Ephráim qui erat minor: & ſiniſtram ſuã ſuper caput Menaſſéh: conſulto dirigens manus ſuas, quòd Menaſſéh foret primogenitus.

15 Et benedixit ipſi Ioſéph, & dixit, Deus in cuius cõſpectu ambulauerũt patres mei Abrahám & Iſhác, Deus qui paſcit me ab ætate mea vſque ad diem hanc,

16 Angelus qui redemit me ab omni malo, benedicat pueris, & vocetur in eis nomen meum, & nomen patrum meorum Abrahám & Ifhac, & inſtar piſcium ſint in multitudinem in medio terræ.

17 Et vidit Ioſéph quòd poneret pater ſuus manum dexteram ſuam ſuper caput Ephráim, & diſplicuit in oculis eius, & ſuſtentauit manum patris ſui vt remoueret eam à capite Ephráim, ſuper caput Menaſſéh.

18 Et dixit Ioſéph patri ſuo, Non ſic, pater mi: quia iſte eſt primogenitus, pone dexteram tuam ſuper caput eius.

19 Et renuit pater eius, & dixit, Noui fili mi, noui, etiam ipſe erit in populum, & etiam ipſe creſcet, & tamen frater eius minor creſcet magis quàm ipſe, & ſemen eius erit plenitudo gentium.

20 Et benedixit eis in die ipſa, dicendo, In te benedicet Iſraél, dicendo, Ponat te Deus ſicut Ephráim & Menaſſéh. & poſuit Ephráim ante Menaſſéh.

21 Et dixit Iſraél ad Ioſéph, Ecce ego morior, & erit Deus vobiſcum, & redire faciet vos ad terram patrum veſtrorum.

22 Et ego dedi tibi partem vnam ſuper fratres tuos, quam cepi è manu Emoræi gladio meo & arcu meo.

1 *Poſt hæc dixit.* Tranſit Moſes ad vltimum actum vitæ Iacob, quem videbimus in primis fuiſſe memorabilem. Nam quũ ſciret nõ vulgarẽ ſibi à Domino impoſitã eſſe perſonã, vt patrũ Eccleſiæ pater eſſet, propheticũ munus, quod ſimul iniunctum erat, de futuro Eccleſiæ ſtatu ſub mortem impleuit. Priuati homines teſtamentis res domeſticas conſtituunt: ſed huius ſancti viri longè diuerſa fuit ratio, cum quo Deus fœdus ſuum hac lege pepigerat, vt gratiæ ſucceſſio ad poſteros deflueret. Sed antequam ad hãc rem tractandã penitus ingrediar, notãda ſunt hæc duo, quæ breuiter attingit Moſes: quòd Ioſeph admonitus de morbo patris, ſtatim iter arripuerit: deinde quòd Iacob audito eius aduentu, infirmum ac tremulum corpus attollere conatus ſit honoris cauſa. Certè ideò tam cupidus viſendi patris fuit Ioſeph, & promptus ad reliqua pietatis officia, quòd pluris duceret eſſe filium Iacob, quàm cẽtum regnis præeſſe. Nam quòd filios ſuos adducit, perinde eſt acſi ab ea terra in qua nati erant, eos emanciparet, ac reſtitueret ſuæ origini. Neque enim cenſeri poterant in genere Abrahæ, quin ſe fœtidos redderent AEgyptiis. Atqui Ioſeph quibuſlibet opibus, & gloriis dedecus iſtud præfert, modò in ſacrum Eccleſiæ corpus coaleſcant: pater tamen ei aſſurgens, beneficium manu eius acceptum, quo decet honore proſequitur. Atque interim paret vaticinio, quod filios prius in rabiem accẽderat, nẽ illis graue ſit ac moleſtum, ſi Ephraim & Manaſſe duarum tribuum capita conſtituat.

3 *Et dixit Iacob ad Ioſeph.* Conſilium ſancti viri fuit retrahere filium ſuum ab opulentia & honoribus AEgypti, cúmque deintegro aggregare ad ſanctum genus, à quo pauliſper diuiſus fuerat. Porrò nec generis ſui excellentiam, nec præſentes diuitias, nec potentiam magnificè iactat demulcendi eius cauſa, ſed vnicum Dei fœdus proponit: ſicuti æquum eſt, vt gratia adoptionis, ſimulac nobis offertur, ſenſus omnes noſtros occupans, quicquid in mundo ſplendidum eſt ac pretioſum abſorbeat. Inſignis certè eſt hic locus. Summus eſt dignitatis ſplendor in Ioſeph. futurum videt vt ex nominis ſui memoria ad poſteros tranſeat præclara nobilitas. amplũ illis patrimonium relinquere poteſt: nec difficile eſt prouehere in Regis gratiã, vt inter regni proceres locũ obtineant. Talibus illecebris quàm facilè ſit nõ modo ineſcari, ſed prorſus faſcinari, nimis multa exẽpla oſtẽdunt. Imò maior pars experientia ſua cognoſcit, ſimulac minima ſpes à mũdo affulget, à Domino nos abripi, & alienari à ſtudio cæleſtis vitæ. Si pauculæ guttæ ita inebriãt carnẽ noſtrã, quã periculoſum eſt ex pleno dolio bibere? Atqui omnibus AEgypti diuitiis & honoribus Iacob viſionẽ opponit, in qua ipſum Deus cũ ſuo genere in populũ adoptauerat. Quoties ergo nos mũdi blãditiis irretire tẽtabit Satã, vt è cælo abducat, reuocemus in memoriã quorſum vocati ſimus, vt præ incõparabili vitæ æternæ theſauro, quicquid alioqui carni optabile eſt, ſordeat. Nam ſi tantum honoris olim viſioni obſcuræ habuit ſanctus Ioſeph, vt ſolo eius obiectu AEgypti oblitus, ad contemptum Eccleſiæ gregem cupide tranſierit: quàm pudẽda eſt hodie noſtra amẽtia, quàm fœdus ſtupor, quàm deteſtabilis ingratitudo, ſi nõ peræquè ſaltẽ afficimur, vbi nos cæleſtis Pater, aperta regni ſui ianua pluſquã ſuauiter ad ſe inuitat? Simul tamẽ notãdũ eſt, à ſancto Iacob nõ obtrudi vanas imaginationes, quibus filium lactet: ſed certã Dei promiſſionẽ,

in quam turò recumbat, profenre. Vnde docemur, non alibi quàm in ſolo Dei verbo rite fundari fidem: ſicuti hæc illi fultura ſatis firma eſt, ne vllis machinis concuſſa vnquam labaſcat. Quare diſcamus, quoties ſuis auocamentis huc illuc diducere nos tentat Satan, mentes noſtras ad verbum Dei colligere, & tam ſolidè inniti bonis abſconditis, vt quæ caro videt nunc & palpat, alto ſpiritu ſpernamus. Sibi Deum apparuiſſe dicit in terra Chanaan, vt Ioſeph ad eam aſpirãs, cordis affectu exulet à regno AEgypti. *Et benedixit mihi.* Hoc loco benedicendi verbum non ſonat præſentem effectum, vel exhibitionem fœlicis vitæ, ſicuti plerunque dicitur ſuis benedicere Dominus, dum fauorem, quo ipſos proſequitur, re ipſa declarat, vt palàm fiat ipſos eſſe beatos, quia in eius præſidium recepti ſunt. Sed Iacob ſe benedictum ſentit, quia promiſſam ſibi gratiam amplexus, de effectu non dubitat. Itaque exegeticè accipio quod continuò pòſt ſequitur, *Faciam te creſcere*, &c. Promiſit autem Dominus ſe facturũ, vt cœtus populorum ex ipſo deſcenderet: quia tredecim Tribus, ex quibus vnum gentis corpus conſtabat, quaſi totidem erãt populi: ſed quia nõniſi præludium hoc erat eius amplitudinis, quæ poſtea ſecuta eſt, quum Deus ſparſo per totum orbem ſemine, Eccleſiam ſibi ex cunctis gentibus collegit, ſic benedictionẽ in veteri figura præſtitam agnoſcimus, vt tamen vltrà progredi conueniat. Quum ergo excreuit populus in tantam multitudinem, & ex duodecim Patriarchis fluxerunt tredecim populoſæ Tribus, iam tunc incepit creſcere in cœtum populorũ. Sed ex quo ſpiritualis Iſrael per omnes mundi plagas diffuſus eſt, & variæ gentes in vnã Eccleſiam aggregatæ ſunt, in ſolidũ cõpleri cœpit multiplicatio. Quare nihil mirũ ſi ſanctus Iacob hoc tam præclarum Diuini fauoris ſpecimẽ tãti æſtimet, niſi quòd procul abſconditum erat à carnis ſenſu: ſed quia Dominus eum iam diu ſuſpenſum tenuerat, dixiſſent profani homines ſenile hoc eſſe deliriũ. Et paucos ſimiles Ioſeph inuenire hodie liceret, qui poſthabita bonorũ quæ ad manũ ſunt dulcedine, animos ad nudum oraculum prorſus adiiceret. At verò ſicuti Iacob fiducia inuiſibilis gratiæ fretus, omne tentationũ genus tranſcenderat: ità nunc eius filius, & verus fidei hæres reuerẽter ſentit de oraculis Domini: promiſſionem quam è cælo fluxiſſe perſuaſus eſt, licet inſtar ſomnii foret, potiorẽ habens omnibus AEgypti diuitiis, quibus fruitur. *In hæreditatem perpetuam.* Quid valeat hæc locutio, alibi diximus: nempe quòd futuri eſſent Iſraelitæ perpetui terræ hæredes vſque ad Chriſti aduentũ, quo renouatus fuit mũdus. Vox Hebraica עולם, à quibuſdam pro diuturno ſolum tempore, ab aliis pro æternitate accipitur. ſed quia gratiam olim Patribus adumbratam Chriſtus vſque ad finem mundi continuat, poſſeſſio ſeculi meo iudicio, tantundem valet atque æterna. Nam veteri populo vſque ad renouationem per Chriſtum inductam promiſſa fuit illa terræ portio: nunc ex quo totum orbem Dominus populo ſuo dicauit, plenior nobis conſtat hæreditatis fruitio.

5 *Nunc duo filii tui.* Iacob ſingulari priuilegio filiũ ſuum ornat, vt vnus faciat duo capita: hoc eſt, vt duo eius filii acſi hæredes eſſent in primo gradu, æquo iure cũ patruis ſuccedant. Sed quid hoc eſt, quòd ſenex decrepitus tanquam regale patrimonium nepotibus ſuis aſſignat ſextam eius terræ partem, in qua errauit inquilinus, & ex qua nunc iterum profugus eſt? quis non fabulari ipſum dixiſſet? Vulgare prouerbium eſt, neminem dare quod non habet. Quid ergo profuit ipſi Ioſeph, imaginario titulo conſtitui eius terræ dominum, in qua vix donatori permiſſum fuit aquam magno ſuo labore effoſſam bibere, & ex qua tandem eum fames expulit? Sed hinc apparet quàm ſtabili fide innixi fuerint ſancti Patres verbo Domini, quibus ſatius fuit ex ore eius pendere, quàm fixam habere ſedem in terra. Iacob in AEgypto exul moritur: & interea AEgypti præfectũ ex ſua dignitate in exiliũ euocat, vt bene illi ſit ac fœliciter. Ioſeph, quia patrẽ agnoſcit Dei Prophetã, qui nihil ex capite ſuo fabricat, non minoris æſtimat oblatũ ſibi quod nuſquã apparet dominiũ, quàm ſi iã in manu eſſet. Porrò quòd Iacob alios filios Ioſeph, ſiqui ſint, cẽſeri in familiis duorũ fratrũ iubet, perinde eſt acſi illos in adoptionẽ daret duob⁹, quos ipſe ſibi adoptat.

7 *Et me ueniente de Padam.* Ideo mortem & ſepulturam vxoris ſuæ Rachel cõmemorat, vt maternum nomen ſtimulus ſit ad pungendum animum Ioſeph. Nam quũ oriundi eſſent ex Syria omnes filii Iacob, non parum ad rem interfuit, probè illis cognitam eſſe quam prius habuimus hiſtoriam, nempe quòd pater Dei iuſſu & auſpiciis in terrã Chanaan reuerſus ſecum vxores duxiſſet. Nam ſi fœminis graue non fuit, relictã patria in longinquam terram migrare, illarum exemplum non leue incitamentum filiis eſſe debuit, vt AEgypto valere iuſſa, eodem Deo iubente ad poſſidendam terram Chanaan ſtrenuè ſe accingerent.

8 *Et uidit Iſrael Ioſeph.* Non dubito quin de pueris ſciſcitatus fuerit, priuſquam eos nuncuparet hæredes. Sed in cõtextu Moſis eſt ὕστερον πρότερον. Et in reſpõſione Ioſeph notãdum eſt quod alibi attigimus, fructum ventris non fortuitò naſci, ſed numerari inter eximia Dei Dona. Et hæc quidem cõfeſſio paſſim volitat in omnium linguis: ſed pauci ſunt, qui ex animo ſemẽ à ſe genitu Deo acceptum referant. Vnde fit vt maior pars ſobolis ſubinde magis magíſque degeneret: quia digna eſt mundi ingratitudo quæ fructũ benedictionũ Dei non ſentiat. Nũc breuiter tenendũ eſt

Mosis consilium, nempe solenne interpositum fuisse symbolum, quo rata esset adoptio. Manus nepotibus suis imponit Iacob. quorsum? nempe vt confirmet locum se illis dare inter filios: atque ita vnus Ioseph duo capita efficiat. Non enim votum hoc fuit priuati hominis, quemadmodū posteris suis fausta precari solent aui & patres: sed Diuina suberat authoritas, sicuti euentu comprobatum postea fuit. Ideóque propè sibi adduci iubet, vt nouum illis honorem cōferat tanquam dispensator à Domino creatus: & Ioseph vicissim ab adoratione exordium facit, gratias agens Deo.

11 *Et duxit Ioseph eos.* Latius explicat Moses quod vno verbo perstrinxerat. Ioseph autē filios è gremio suo eductos ad patris genua admouit, nō modò honoris causa, sed vt Dei Prophetæ benedictiōnes offerret: quia certò persuasus erat, nō vulgari hominū more sanctum Iacob appetere nepotum complexū: sed quatenus erat Dei interpres, depositam apud se gratiam ipsis velle conferre. Quanquā autem in diuidenda terra Chanaā æquales illis portiones cum filiis attribuit, altius tamen spectauit manuū impositio: nempe vt duo essent ex Ecclesiæ Patriarchis, & honorificum primatum tenerent in spirituali Dei regno.

14 *Et extendit Israel dexteram suam.* Quum hebetes senio essent oculi, vt aspectu nō discerneret vter natu maior esset, consulto tamen manus suas transuersas posuit. Ideo dicit Moses, quòd *intelligere fecerit manus suas*, quia non temerè eas proiecit, nec palpandi causa huc vel illuc transtulit: sed delectu adhibito sciens ac volens manum dexteram direxit ad Ephraim, qui minor erat natu: sinistram autem primogenito imposuit. Vnde colligimus Spiritū Dei huius actionis fuisse præsidem, qui arcana sua luce sancti viri mentem irradiās, acutius eum videre fecit, quàm qui valde erant perspicaces. De symbolo plura dicere supersedeo, quia ex aliis locis petere licebit.

15 *Deus in cuius conspectu.* Etsi Iacob commissam sibi gratiæ Dei dispensationem esse nouerat, vt cum affectu benediceret nepotes: nihil tamen sibi arrogat, sed supplex ad preces descendit, ne vel minimum quid ex Dei gloria delibet. Nam sicuti ipse legitimus erat benedictionis minister: ita Deum vnum agnosci authorem oportuit. Atque hinc communis sumenda est regula omnibus Ecclesiæ ministris ac pastoribus. Quanuis enim non solum vocentur cælestis gratiæ testes, sed illis donorum spiritualium iniuncta sit dispensatio: vbi tamen ad Dei comparationem ventū est, nihil sunt: quia vnus ille omnia in se continet. quare discant se vltrò in ordinē cogere, ne Dei nomen obscurent. Et certe Dominus minimè ea lege sibi ministros cōstituit, vt sibi quidquam abroget: itaque non sine sacrilegio appetit mortalis homo seorsum aliquid à Deo videri. In verbis hoc primò notandum est, quòd Deū inuocat, in cuius conspectu ambulauerūt patres Abraham & Isaac. nam quia à fœdere cum ipsis percusso benedictio pēdebat, fidem eorū interuenire necesse fuit. Deus illos sibi & posteros elegerat in populum: sed ideo efficax fuit illa promissio, quia fide apprehensa, viuam radicem egit. Atque ita factū est, vt ius successionis ad ipsum Iacob transmiserint. Videmus nunc vt Patrū fidem non frustra, nec intempestiuè in medium proponat, sine qua nō fuisset legitimus gratiæ successor ex Dei fœdere: non quòd Abrahā & Isaac sibi & posteris acquisierint tantum honorem, vel à seipsis excelluerint: sed quia Dominus fide consignata ac sancit quæ nobis promittit beneficia, ne effluant. *Deus qui pascit me.* Iam ad propriū sensum descendit Iacob, quòd scilicet vsque à pueritia Diuinum erga se fauorem variis modis assiduè sit expertus. Nuper benedictionem suam fundauit in Dei notitia ex verbo eius cōcepta, & Patrum fide: nunc alteram cōfirmationem adiungit ab ipsa experientia: acsi diceret, nō inani verborum sonitu se benedictionem effundere, sed cuius fructum tota vita perceperat. Quanuis autem promiscuè solem suum super bonos & malos oriri faciat Deus, & incredulos non minus pascat, quàm fideles: quia tamē his solis peculiarem paterni amoris sui sensum in vsu donorum suorum præbet, meritò Iacob ad fidei suæ confirmationem hac ratione vtitur, quòd semper Dei auxilio protectus fuerit. Pascuntur Dei liberalitate, imò saginantur increduli: sed non secus se ingurgitant ac porci, quibus tametsi ex arboribus decidunt glandes, rostrum tamen habent terræ affixum. Atqui hoc in Dei beneficiis præcipuum est, vt nobis pignora sint, vel tesseræ paterni eius erga nos amoris. Iacob ergo ex pietatis sensu, quo præditi sūt filii Dei, rite ad gratiæ promissæ probationem accommodat quæcunque in eum Deus contulerat bona: acsi diceret se lucu lento exēplo esse, quàm verè & bona fide pepigisset Dominus, se Abrahæ filiis fore in patrē. Nos quoque hinc discamus probè expendere & meditari quæcunque ex Dei manu percipimus beneficia, vt totidem adminicula sint ad confirmandam fidem nostram. Hæc optima est ratio quærēdi Dei, vbi à verbo incipimus: deinde accedit experimentalis, vt ita loquar, cognitio. Quū autem hîc non vulgaris sancti viri gratitudo refulgeat, eius tamen laudē auget hæc circunstantia, quòd inter multiplices ærumnarum, quibus propè oppressus fuerat, cōplexus, assiduam Dei bonitatem celebrat. Quanquam enim rara & mirifica Dei virtute præter vsitatum morem ereptus fuerat ex pluribus periculis, fuit tamē excelsi fortísque animi superare tot ac tam ardua obstacula,

vt ad Dei bonitatem fidei alis volaret, nec malorum cõgerie obrui, quin eandem bonitatem cerneret in densis tenebris. *Angelus qui redemit me.* Sic Angelum adiungit Deo, vt eum parem faciat. Certè Diuinum illi cultum tribuit, eadem ab eo quæ à Deo, petens. Si de Angelo quolibet indifferenter accipias, absurda erit locutio: quin potius Dei nomen, ac personam sustinens in benedicẽdo filio, hac parte Angelis est superior. Quare necesse est Christum intelligi, qui Angeli titulo nõ temere insignitur, eo quòd perpetuus fuerit mediator. Et Paulus prioris ad Corinth. capite 10. a. 4, testatur fuisse Angelũ illum, qui dux & præses itineris fuit veteri populo. Nondũ quidem missus à Patre erat, vt suscepta carne nostra propius ad nos accederet: sed quia semper vinculum fuit coniunctionis hominum cum Deo, nec aliter quàm per ipsum, Deus se olim patefecit, meritò vocatur Angelus. Adde quòd Patrum fides in futuram eius missionem intenta erat. Angelus ergo fuit, quòd iam tũc radios suos funderet, vt ipso mediatore Sancti Deo appropinquarent. Semper enim longius inter Deum & homines dissidium fuit, quàm vt sine mediatore quidquam cõmunicationis esse posset. Cæterùm quãuis in specie Angeli apparuerit Christus, tenendum tamen est quod dicit Apostolus ad Hebræos, 2. d. 16, non induisse naturam Angelicam, vt esset vnus ex Angelis, sicuti factus est verus homo. nam & quum humana corpora induerunt Angeli, nõ tamen ideo facti sunt homines. Quia autem monemur his verbis propriũ Christi munus esse, nos tueri, & eripere à malis omnibus: cauendum est ne impia obliuio hanc gratiam sepeliat. imò quo nunc clarius nobis exhibita est, quàm olim Sanctis sub Lege, ex quo palàm clamat Christus sibi in custodiã esse datos Fideles, nequis eorum pereat, eo plus vigere debet in cordibus nostris, tum vt celebretur magnificè à nobis, qua par est laude, tum vt ad quærendum illud optimi nostri custodis præsidium incitet. Idque nobis plusquam necessariũ est. nã si reputamus quot nos pericula circunstent, nullũ ferè diem præterimus, nisi ex mille mortibus erepti. vnde id, nisi quòd curã nostri gerit filius Dei, qui ex Patris manu nos tuendos suscepit?

Iohan. 17. a. 12.

16 *Et uocetur in eis nomen meum.* Hæc nota est adoptionis, cuius nuper facta est mentio. suum enim illis nomen imponit, vt locum obtineant inter Patriarchas. Neque enim aliud sibi vult phrasis Hebraica, quàm censeri sub nomine. Sic dicitur inuocari nomen mariti super vxorem, Isaiæ 4. a. 1, quia vxor à capite, cui subest, nomẽ mutuatur. Quo magis ridicula est Papistarum insscitia, dum hinc probant mortuos in precibus esse inuocandos: Iacob, inquiunt, post mortem suam inuocari vult à posteris. Quidnam vt rogatus succurrat, ac non potius vt eiusdem nominis societas Ephraim & Manasse Patriarchis accenseat, vt duas tribus efficiãt in sacro populo? Porrò mirum est, quũ hoc prætextu innumeros sibi patronos fabricati sint Papistæ, Abraham tamen, Isaac, & Iacob tanquam indignos fuisse præteritos. Sed Dominus hoc bruto stupore impiam nominis sui prophanationem vltus est. Ad promissionẽ quoque refertur quod addit Iacob proximo membro, *ut crescant in multitudinem.* Summa huc redit, vt Dominus in ipsis cõpleat quod Patriarchis pollicitus est.

17 *Et uidit Ioseph quòd.* Quia complicatis transuersum brachiis manus ita composuerat Iacob, vt sinistram primogeniti capiti imponeret, hunc ordinem quasi præposterum corrigere voluit Ioseph. Putabat autem hebetudine visus ipsum errare. sed arcanum secutus erat ducem Spiritum Dei: vt ius honoris, quod natura primogenito contulerat, in minorem transferret. Nam sicuti temere sibi non sumpsit benedicẽdi partes: ita nihil illi fas fuit proprio arbitrio tentare. Et tandem euentu patuit dictatum illi è cælo fuisse quicquid protulit. Quòd indignè fert Ioseph Manasse, qui iure naturæ prior erat, reiici in secũdum gradum, nascitur hic affectus ex fide, sanctáque Prophetici muneris reuerentia. Patrem enim in pueruli complexu hallucinari facile passus esset, nisi quia agnoscit quatenus Diuinæ gratiæ minister est, non agere ludicram fabulam, sed è terra pronuntiare quod Deus ratum habebit in cælo. Fallitur tamen quòd Dei gratiam consueto naturæ ordini alligat, acsi non Dominus sæpe consultò ius naturæ mutaret: vt sciamus in mero eius arbitrio esse positum quod gratis nobis confert. Si cuique rependeret Deus quod debitum esset, posset meritò eius gratiis certa regula præfigi: sed quum nemini quicquam debeat, iure suo in conferendis donis liber est. Præsertim verò nequis in carne glorietur, eos quibus nulla competebat propria dignitas eligens, gratuitam suam misericordiam data opera illustrat. Quid causæ esse dicemus cur Ephraim supra germanum fratrem, cui vsitata lege cessurus erat, extulerit? Si quis excipiat occultum fuisse aliquod excellentiæ semen: non modo futiliter nugatur, sed impie peruertit Dei consilium. Nam quũ à seipso, & sua liberalitate causam Deus sumpserit, cur ex duobus alterum alteri præferret: minori honorem ideo detulit, vt ostenderet se nullis hominum meritis obstrictũ, liberè, prout visum est, dona sua distribuere. Quanquam autem hæc Dei libertas ad omne bonorum genus extenditur, in prima tamen adoptione clarius eminet, vbi ex perdita colluuie quos visum est, in salutẽ prædestinat. Quare per nos integra maneat Deo sua potestas: & siquando obstrepit sensus carnis nostræ, sciamus nullos hîc me-

lius ſapere,quàm qui in mirabilibus Dei iudiciis cæcutiunt,vt cauſam diſcriminis nõ alibi quærant, quàm in ipſo. Vidimus ſuprà obtuſos & hebetes fuiſſe oculos Iacob: ſed præpoſterè brachia complicãs vt ſe formet ad Dei electionem, magis eſt perſpicax, quàm filius Ioſeph qui pro carnis ſenſu nimis acutè inquirit. Qui ex operum intuitu iudicium factum eſſe delirãt,ſatis hoc vno declarant ſe prima fidei rudimenta nõ tenere. Nam vel communis vtriuſque adoptio,Manaſſe ſcilicet ac Ephraim, gratuitum fuit donum, vel debita merces. De hoc ſecundo membro omnis ambiguitas tollitur multis Scripturæ locis, vbi Dominus ſuam bonitatẽ celebrat,quia populum illum gratis dilexit vt eligeret. Iam nemo tam rudis eſt alphabetarius, qui non inde colligat ex duobus alteri priorem gradum non pro meritis tribui, ſed gratis dari, quoniam ita Domino placuit. Quòd ad geſtum ſpectat,ridicula eſt quorundam argutia, qui diuinant inclusum in eo fuiſſe crucis myſterium. Neque enim aliò reſpexit Dominus, niſi vt cõuerſio dextræ & ſiniſtræ manus vſitatum naturæ ordinem mutaret.

19 *Etiam ipſe erit in populos.* Non diſputat Iacob vter ſit altero dignior,ſed tãtum pronuntiat quid Deus apud ſe de vtroque decreuerit,& quid futurum ſit longo pòſt temporis ſucceſſu. Cauſas ergo non aliunde accerſit,ſed hac vna contentus eſt,quòd multiplicabitur Ephraim præ Manaſſe. Et certè in ſolo Dei conſilio abſcondita eſt noſtra dignitas,donec vocatione ſua palàm faciat quid nobis fieri velit. Interim tollitur praua æmulatio, quum Manaſſe ſua ſorte cõtentum eſſe iubet. Prorſus itaque inſaniunt,qui aridas & perforatas ciſternas effodiunt, vbi cauſas reperiant Diuinæ adoptionis, quum vbique vno verbo definiat Scriptura, vocari in ſalutem quos Deus elegit: primum verò electionis fontem, liberum eius beneplacitũ eſſe. Forma benedictionis quæ paulo pòſt refertur,melius confirmat quod attigi,commendari in vtroque Dei gratiã, vt Manaſſe ſibi plus datum eſſe reputans,quàm fuerit promeritus, fratri ſuo non inuideat. Cæterùm iſtud benedicere in Ephraim & Manaſſe, nõ accipitur vt prius,quum dictum eſt,Benedicentur omnes gentes in ſemine tuo: ſed ſimplex ſenſus eſt,conſpicuã in duobus filiis Ioſeph Dei gratiam fore,vt populus Iſrael exemplar bene precandi inde ſumpturus ſit. Rom.8.f.29.

21 *Et dixit Iſrael ad Ioſeph.* Repetit Iacob quod dixerat. Et certè omnibus eius filiis,præſertim verò ipſi Ioſeph,non vna vel ſimplici confirmatione opus fuit,ne ſtationem ſibi figerent in AEgypto,ſed animis habitarent in terra Chanaã. Mortis ſuæ in hunc finem meminit, vt æternam Dei veritatem minimè ab hominum vita pendere admoneat: acſi dixiſſet, Vita quidem mea vt breuis & caduca fuit,dilabitur: ſed promiſſio Dei,quæ nullum habet finem, me quoque mortuo vigebit. Nulla filiis viſio oſtenſa fuerat,ſed ſanctum ſenem Deus intermedium fœderis ſui ſpõſorem ordinauerat. Sedulò itaque iniunctum ſibi munus exequitur, maturè præcauens ne ſuo interitu vacillet eorum fides. Sic quũ Dominus per homines mortales verbum ſuum mundo tradiderit,quanuis illi peracto vitæ curriculo ſecundum carnem mortui ſint, non tamen ſimul extincta eſt vox Domini,ſed nos hodie viuificat. ideo Petrus ſe daturum operam ſcribit,vt poſt ſuum diſceſſum doctrinæ ſibi commiſſæ Eccleſia ſit memor. *Ad terram patrum ueſtrorum.* Non abs re ſibi & patribus vendicat terræ dominium, in qua ſemper vagati fuerant tanquam exteri. nam quia videri poterat quodammodo intercidiſſe Dei promiſſio, filios erigit in bonam ſpem, & heroico animo pronũtiat terram eſſe ſuam, in qua vix tandem ſepulchrum adeptus eſt,ídque precario. Vnde autem tanta fiducia, niſi vt ad fidem verbo Dei habẽdam ſuo exemplo aſſuefaciat filios? Hæc autem nobis etiam cõmunis eſt doctrina: quia nunquam ſatis ſolidè innitimur Dei verbo,quãdiu ſenſibus noſtris ſumus affixi. Imò donec eouſque emergat fides vt apprehendat quæ procul remota ſunt,neſcimus quid ſit loquenti Deo ſubſcribere. 2.Pet.1.c.15.

22 *Et ego dedi tibi partem.* Hîc Iacob vt plus animi faciat filio Ioſeph,partẽ vnã ei aſſignat extra ſortem. Secus alii exponunt,quòd duplicem ipſum hæredem nuncupans in duobus filiis,ſuprà alios vna portione ornet. Sed minimè dubium eſt quin certam regionẽ notet. Et Iohannes,cap. 4.a.5, controuerſiam dirimit. nam de agro vicino vrbi Sichar, quæ olim Sichima fuerat, loquens,eum eſſe dicit quẽ Iacob donauit filio Ioſeph. Et Ioſuæ vltimo capite g.32, dicitur veniſſe in poſſeſſionem duobus filiis Ioſeph. Cæterùm in voce שכם quæ partem Hebræis ſignificat, alluſio eſt ad nomen proprium loci. Sed hîc exoritur quæſtio, quomodo agrum illum ſibi partum dicat gladio & arcu, quem pecunia emerat, ſicut dictum fuit ſuprà 33.d.19, & iterũ refertur prædicto capite Ioſuæ. Sed quia exigua tantũ agri portio, vbi tabernacula locaret,empta fuerat, non dubito quin hîc lõge amplius ſpatiũ cõplexus fuerit. Nam ex pretio æſtimare promptum eſt quantulus fuerit fundus ille quem ante excidium vrbis poſſederat. Donat ergo nunc filio Ioſeph non modo locum ſui tabernaculi, qui centum nũmis cõſtiterat, ſed agrũ qui publicus fuerat vrbis Sichimæ. At videndum eſt quomodo partum ſuo gladio fuiſſe dicat, quũ incolæ ſceleſtè & crudeliter à Simeone & Leui occiſi fuiſſent. quomodo igitur ab illis iure victoriæ eripi potuit,quibus bellum iniuſtè illatum eſt? vel potius,in quos ſine bello perfidè ſæuitum fuit? Hie-

ronymus ad allegoriam cõfugit,quòd vel pecunia, quæ robur vocatur,vel iuſtitia partus fuerit. Alii prolepſin eſſe exiſtimant,quaſi de futura acquiſitione loquatur Iacob: quod etſi non repudio,videtur tamen nonnihil coactum.Ego huc potius inclino: primum quòd velit teſtari, nihil ſe duobus filiis Simeon & Leui eripere, qui latronum more graſſati,non fuerant legitimi victores,neque vnquam potiti fuiſſent vno agri pede poſt ſtragẽ editam. Adeò enim illis nihil acceſſit,vt patrem fugere coegerint:nec patuiſſet effugium, niſi miraculo fuiſſent erepti. Cæterũ vbi inãni titulo eos exuit Iacob,ius victoriæ ad ſe tranſfert,quaſi diuinitus ſibi cõceſſum. Etſi enim ab eorum ſcelere ſemper abhorruit, & illud proximo capite deteſtabitur: quia tamen armauerant totam eius domum,quaſi ſub eius auſpiciis militarunt. Quod libenter feciſſet, cõſequi non potuit,vt ſalui eſſent ciues Sichimæ.agrum tamẽ,eorum interitu vacuũ & deſertum ideo ſuum facit,quia in eius gratiam homicidis Deus pepercerat.

Cap. XLIX.

1 ET vocauit Iahacób filios ſuos,& dixit,Congregatevos,& annuntiabo vobis quod euenturum eſt vobis in nouiſſimo dierum.

2 Congregate vos,& audite filii Iahacób, audite inquã Iſraél patrem veſtrum.

3 Reubén primogenitus meus tu fortitudo mea, & principium roboris mei, excellentia dignitatis,& excellentia roboris.

4 Velocitas *fuit tibi* inſtar aquæ,nõ excelles: quia aſcendiſti cubile patris tui,tũc polluiſti ſtratum meum,euanuit.

5 Simhón & Leui fratres,arma iniquitatis,in habitationibus eorum.

6 In ſecretum eorum non veniat anima mea,in cœtu eorum nõ vniaris lingua mea:quia in furore ſuo occiderunt virũ,& voluntate ſua eradicauerunt murũ.

7 Maledictus furor eorum,quia robuſtus:& ira eorum, quia dura eſt: diuidam eos in Iahacób,& diſpergam eos in Iſraél.

8 Iehudáh *es* tu, laudabũt te fratres tui: manus tua erit in ceruice inimicorum tuorum,incuruabunt ſe tibi filii patris tui.

9 *vt* catulus leonis Iehudáh è præda fili mi aſcẽdiſti:incuruauit ſe, cubuit ſicut leo,ſicut leo maior,quis ſuſcitabit eum?

10 Non recedet ſceptrum ex Iehudáh, & legiſlator è medio pedum eius,donec veniat Maſiah, & ei erit aggregatio populorum.

11 Ligans ad vitẽ pullum ſuum,& ad ramum filium aſinæ ſuæ:lauit in vino veſtimentum ſuum,& in ſanguine vuarum operimentum ſuum.

12 Rubicundus oculis à vino,& candidus dentibus à lacte.

13 Zebulún in portu marium habitabit, & erit in portum nauium,& terminus eius vſque ad Sidón.

14 Iſſachár *ut* aſinus oſſeus, cubans inter duas ſarcinas.

15 Et vidit requiem,quòd eſſet bonum:& terrã quòd eſſet pulchra, & inclinauit humerum ſuum ad portandum,& fuit tributo ſeruiens.

16 Dan iudicabit populum ſuum ſicut vnus è tribubus Iſraél.

17 Erit Dan *ut* ſerpens iuxta viam, vt ceraſtes iuxta ſemitam, mordẽs calcaneos equi,& cecidit equitans retrorſum.

18 Salutem tuam expectaui Domine.

19 Gad,exercitus ſuccîdet eum,& ipſe ſuccîdet ad extremum.

20 Aſér erit pinguis panis eius, & ipſe dabit delicias Regis.

21 Naphthali *ut* cerua dimiſſa,dans eloquia pulchritudinis.

22 *vt* arbor fructificans Ioſéph, vt ramus creſcens iuxta fontem , rami incedent ſuper murum.

23 Et amaritudine affecerũt eũ, & iaculati ſũt,& odio habuerũt eum ſagittarii.

24 Et manſit in fortitudine arcus eius, & roborauerũt ſe brachia manuum eius à manibus potentis Iahacób, inde paſtor lapidis Iſraél.

25 A Deo patris tui, & adiuuabit te: & ab Omnipotente, & benedicet tibi benedictionibus cæli ſurſum, benedictionibus abyſſi cubantis deorſum, benedictionibus vberum & vuluæ.

26 Benedictiones patris tui fortiores fuerũt benedictionibus genitorum meorum, vſque ad terminum collium perpetuorum erunt ſuper caput Ioſéph, & ſuper verticem Nazarei inter fratres ſuos.

27 Biniamín *ut* lupus rapiet, mane comedet prædam, & veſperi diuidet ſpolia.

28 Omnes iſtæ tribus Iſraél duodecim: & hoc eſt quod loquutus eſt eis pater eorum, & benedixit eis, vnicuique ſecundum benedictionem ſuam, benedixit eis.

29 Et præcepit eis, & dixit ad eos, Ego congregor ad populum meum: ſepelite me cum patribus meis in ſpelunca, quæ eſt in agro Hephrón Hittæi,

30 In ſpelunca, quæ eſt in agro duplici, quæ eſt ante Mamré: in terra Chenáan, quam emit Abrahám cum agro ab Hephrón Hittæo in poſſeſſionẽ ſepulchri.

31 Ibi ſepelierunt Abrahám & Saráh vxorem eius: ibi ſepelierunt Iſhác & Ribcáh vxorem eius, & ibi ſepeliui Leáh.

32 Emptio agri & ſpeluncæ quæ eſt in eo, *fuit* à filiis Heth.

33 Et finem fecit Iahacób præcipiendi filiis ſuis: & collegit pedes ſuos in lecto & obiit, & aggregatus eſt ad populos ſuos.

1 *Et uocauit Iahacob.* Proximo capite narrata fuit benedictio Epraim & Manaſſe, quia antequam Iacob de toto gentis ex ſe oriundæ ſtatu diſſereret, duos illos nepotes in corpus filiorum inſeri oportuit. Nunc quaſi ſupra cælos euectus, non in hominis perſona, ſed ex ore Dei qualis in longum vſque tempus futura ſit omnium conditio, pronuntiat. Atque hoc quidem primò notare conuenit, quum tredecim tunc haberet filios, eum in ſingulis eorum perſonis totidem Gentes vel tribus ſibi proponere. in quo mirus fidei eius ſplendor conſpicitur. Quia enim ſæpius à Domino audierat ſobolem ſuam multiplicandam eſſe in populoſos cœtus, hoc oraculum ſublimis ſpeculæ vice ei eſt, vnde cernat quæ ſenſum humanum procul latebant. Quanquã non ſimplex eſt fidei confeſſio, in qua teſtetur Iacob ſe quicquid à Domino fuit promiſſum ſperare: ſed exurgit ſupra homines, tanquam interpres ac legatus Dei, qui futurum Eccleſiæ ſtatum ordinet. Porrò quia videbant interpretes nobile & magnificum eſſe hoc vaticinium, putarunt nõ ſatis ornari pro ſua dignitate, niſi noua quædam myſteria excuderẽt. Ita factum eſt, dum certatim contendũt profundas allegorias eruere, vt diſceſſerint à genuino verborũ ſenſu, ſuíſque figmentis corruperint quicquid in ſolidam piorum ædificationem hîc proditum erat. Nobis autem ne vileſcat literalis ſenſus, quaſi non ſatis altas ſpeculationes contineat, obſeruãdum eſt Spiritus ſancti conſilium. Primò ante tempus certiores redduntur filii Iacob, qualis ipſos maneat fortuna, vt agnoſcant peculiarem ſui curam eſſe Deo: & quanquam eius prouidentia totus mundus regatur, ſe tamen vt domeſticos aliis gentibus præferri. Videtur in ſpeciem hoc humile, & contemptum, quòd tribui Iuda promittitur vitifera regio, quæ optimi vini copiam producet: item paſcuorum vbertas, quæ lac ſuppeditet. At ſiquis expẽdat illuſtre in hoc ſuæ Electionis teſtimonium Dominũ reddere, quòd tanquam paterfamiliâs ad curam victus deſcendit, & in rebus quoque minutis demõſtrat ſacro fœderis vinculo filiis Abrahæ ſe eſſe deuinctum: altius myſterium non requiret. Secũdò, ſpes hæreditatis promiſſæ deintegro illis renouatur. Atque ideo, quaſi manu eos in poſſeſſionem mitteret Iacob, qualis cuique habitatio contingat, familiariter, nõ ſecus ac in re præſenti, exponit. An rei tam ſeriæ confirmatio ſanis & prudẽtibus lectoribus vileſcet? Hoc tamen præcipuum eſt caput, quòd propius illis deſignat Iacob vnde illis venturus ſit Rex qui plenam fœlicitatem afferet. Atque hoc modo exponit quod de ſemine benedicto obſcurè promiſſum fuerat. His rebus tantum ſubeſt ponderis, vt ſimplex earum tractatio, ſi modò dextri ſimus interpretes, meritò nos in admirationem rapere debeat. Atque vt alia omittam, nõ vulgaris huius prophetiæ vtilitas hoc vno conſtat, quòd impuris & profanis hominibus, qui fidem Moſi libẽter detraherent, os obſtruitur, ne amplius obſtrepere auſint, cæleſti inſtinctu loquutum eſſe. Fingamus Moſen non referre quid olim vaticinatus eſſet Iacob, ſed in ſua perſona loqui:

vnde tamen diuinare potuit quæ multis tandē ſeculis poſtea contigerūnt? quale eſt vaticinium de regno Dauidis. Nec verò dubium eſt quin Deus ſorte iuſſerit diuidi terram, nequa ſubiret ſuſpicio Ioſuæ ex compacto, & ſicuti à magiſtro edoctus erat, partiri inter Tribus. Poſtquam terra poſſeſſa ſunt Iſraelitæ, partitio non fit hominum arbitrio. Vnde fit vt tribui Zabulon obtingat habitatio prope litus maris: tribui verò Aſſer frumētaria planities, & ſortitò aliis eueniat quod hîc habetur: niſi quòd Dominus ſua oracula effectu rata eſſe voluit, palámque oſtēdit nihil tunc cōtingere, quod non pridem teſtatus eſſet futurum? Iam enim redeo ad verba Moſis in quibus inducitur ſanctus Iacob de longinquis rebus diſſerens, quod à Spiritu ſancto didicit. Sed oblatrāt quidam proterui canes, Vnde Moſi notitia ſermonis in obſcuro tugurio ante ducentos annos habiti? Antequam reſpondeam, viciſſim rogo, vnde illi cognitio locorum terræ Chanaan, quæ non ſecus ac peritus dimenſor, in ſingulas Tribus aſſignat? Si hæc cæleſtis fuit ſciētia (quod fateri neceſſe eſt) cur negabunt impii iſti blaterones diuinitus ei fuiſſe reuelata quæ Iacob prædixerat? Adde quòd inter multa alia quæ ſancti Patres per manus tradiderāt, hæc prædictio tunc paſſim nota eſſe potuit. Vnde fit vt populus tyrannicè oppreſſus opem Dei liberatoris inclamet? Vnde fit vt ad ſolum auditum promiſſionis olim datæ, animos in bonam fiduciam erigat, niſi quòd Diuinæ adoptionis quædam adhuc vigebat memoria? Si vulgò celebre fuit Domini fœdus, cuius impudentiæ erit negare quod de hæreditate promiſſa cognoſci operæpretium fuit, à ſelectis Dei ſeruis exactius fuiſſe obſeruatū? Neque enim Dominus oracula ſua protulerat ex ore Iacob, quæ poſt eius mortem ſubita obliuio deleret, quaſi in aerem ſonitus neſcio quos efflaſſet. Quin potius doctrinam multis ætatibus communem prodidit, vt ſcirent poſteri ex quo fonte ſibi manaret tam redēptio, quàm terræ hæreditas. Scimus quàm cunctāter, imò timidè ſuſcipiat Moſes iniunctam ſibi prouinciam, vbi ad ſuos liberandos accerſitur: quia ſciebat cum gente indocili & præfracta ſibi fore negotium. Certis ergo mandatis inſtructum venire neceſſe fuit, quæ fidem vocationis facerent. Ideò has prædictiones, non ſecus ac publicas tabulas, ex ſanctioribus Dei archiuis protulit, ne temerè ipſum prorumpere quis putaret. *Congregate nos.* Initio ſibi attentionem conciliat Iacob. Grauiter enim præfatur, ſibique Prophetæ authoritatem vendicat, vt filios admoneat ſe minimè priuatum teſtamentum de rebus domeſticis condere: ſed oracula apud ipſum depoſita iam verbis aſſerere, donec ſuo tempore ſequatur euentus. Neque enim ſuis votis aurem præbere iubet, ſed in cœtum ipſos cogit ſolēni ritu, vt audiant quæ ſucceſſu temporis ipſis occurrent. Porrò non dubito quin iſtam dierum ſucceſſionem, de qua loquitur, A Egyptiaco exilio opponat, vt ſuſpenſis animis expectēt promiſſum ſibi ſtatum. Iam verò ex ſuperioribus colligere promptum eſt, in hoc vaticinio comprehendi totum tempus ab exitu AEgypti vſque ad Chriſti regnum: non quòd ſingula enumeret Iacob, ſed quia in ſummis rerū, quas breuiter delibat, conſtituit fixum ordinem, ac curſum, donec appareat Chriſtus.

3 *Reuben primogenitus.* Orditur à primogenito, non honoris cauſa, vt ſuum gradum ei aſſerat, ſed quo plus illi inurat pudoris, eúmque iuſtis probris humiliet. Nam primogenitura hîc deiicitur Ruben: quia inceſto coitu cum nouerca paternum cubile polluerat. Senſus autem verborum eſt, Tu quidem natura primogenitus debueras excellere, quum eſſes virtus mea, & principiū virilis fortitudinis: ſed quia defluxiſti inſtar aquæ, non eſt quod amplius tibi quicquam arroges. Nam ab inceſtus tui die abiit & euanuit illa dignitas, quam natali die ex vtero attuleras. Nomen און, quidam pro ſemine, alii pro dolore accipiūt, atque ita vertunt, Tu virtus mea, & principium doloris. vel ſeminis. Quibus placet vox doloris, rationem hanc aſſignant, quia liberi parentibus curam & anxietatem afferāt. Atqui ſi hæc ſignificatio probatur, potius eſſet antitheſis inter virtutem & mœſtitiam. Sed quia vno contextu Iacob dignitatis elogia recenſet, quæ in primogenitum competunt, non dubito quin principium ſuæ virilitatis nominet. Nam quum homines in filiis quodammodo reuigeſcant, meritò vigoris principium dicitur primogenitus. Eodem pertinet quod ſtatim ſequitur, quòd fuerit excellentia dignitatis, & excellentia roboris, antequam vtroque iure ſe priuaſſet. Ponit enim Iacob filio Ruben ante oculos priſtinum honorem, quia ei vtile eſt, probè ſentire vnde exciderit. Sic Paulus dicit ſe Corinthiis obiicere, quibus fœdati ſunt peccata, vt eos pudefaciat. Nam quia nobis in vitiis blandimur, vix aliter ad ſanam mentem retrahitur quiſque noſtrum, poſtquam lapſus eſt, niſi ſuæ turpitudinis ſenſu tāgatur. Porrò ad nos vulnerandos nihil aptius eſt, quàm vbi inter gratias, quibus nos præuenit Dominus, & pœnas culpa noſtra contractas, ſtatuitur comparatio. Poſtquam nudatus eſt Adam bonis omnibus, acriter ei non abſque ſubſannatione Deus exprobrat, Ecce Adam quaſi vnus ex nobis. Quorſum hoc, niſi vt ſecum reputans quantum ab illo homine diſtet, qui nuper cōditus ad imaginem Dei tot præclaris dotibus pollebat, confuſus, & proſtratus deploret præſentem miſeriam? Videmus ergo neceſſarias nobis eſſe exprobrationes, quo nos ad viuum magis afficiat ira Domini. Sic enim fit non tantum vt nobis diſpliceant peccata, quorum iam pœnas ferimus, ſed etiam vt ma-

1. Cor. 6. a. 5

iori curæ sit,quæ in nobis residẽt Dei donã,sedulò tueri,ne sorcordia nostra dispereãt.Qui excellentiam dignitatis,ad sacerdotium:virtutis autem,ad regnum referunt:nimis arguti,meo iudicio sunt interpretes.Ego simplicius accipio,Si in suo gradu stetisset Ruben, primatum omnis excellentiæ futurum fuisse penes eum.

4 *Leuis ut aqua.* Significat non stabilem fuisse honorem, sed euanidum,cui addita non fuit custos bona cõscientia:atq; ita primogenitura abdicat.Causam exprimit,ne queratur se insontem plecti:nã & hoc valde ad rem interest,cõuinci reũ sui sceleris, ne pœna careat profectu.Videmus autẽ Iacob exutũ carnis affectu, strenuè & magno animo exequi Prophetæ munus.Neque enim iracundiæ tribuendũ est hoc iudiciũ,quasi priuatim se pater vlcisci de filio cupiat:sed à Spiritu Dei profectũ est, quia optimè quid sibi impositum sit oneris meminit Iacob.Verbum נהר, in clausula sententiæ significat abire, vel diffl ari, vt fumus ascẽdens discutitur.Ideo sensus est,dilapsam esse,ac extinctã excellentiam Ruben, ex quo polluit lectũ patris. Nam de lecto exponere, quòd desierit lectus esse coniugalis Iacob propter repudium Bilha,nimis frigidum est.

5 *Simeon & Leui.* Duobus filiis Simeon & Leui, stragem vrbis Sichẽ exprobrat,pœnámque iniungit tanti sceleris.Vnde colligimus quantopere exosa sit Deo crudelitas, quia pretiosus est illi hominum sanguis.Perinde enim est acsi duos istos homicidas ad tribunal suum citaret,ac vindictam exposceret,quum se putarent iam elapsos. Quæritur tamen an non illis pridem data esset venia:quòd si iam ignouerat Deus, cur ad supplicium rursus eos reuocat. Respondeo, tum ipsis priuatim fuisse vtile, tum spectasse ad exemplum , non impunitam manere illam cædem, quãuis eius veniam adepti forẽt.vidimus enim prius,quum admoniti essent à patre,procul fuisse ab ea tristitia quæ pœnitentiæ initiũ est:& credibile est magis deinde ac magis bruto quodam torpore obstupuisse in suo maleficio, vel saltem amara displicentia non fuisse seriò tactos. Timendum etiam erat ne posteri ad eandem feritatem assuescerẽt, nisi horror diuinitus fuisset incussus.Ergo Dominus partim vt eos humiliaret,partim vt documentum statueret omnibus seculis, æternæ ignominiæ pœnam illis inflixit. Porrò hoc modo non retinuit pœnam remissa culpa,vt stultè Papistæ somniãt:sed quum verè & insolidũ placatus esset,aptam in futurum tempus correctionem adhibuit.Fingunt Papistæ dimidia tantũ ex parte peccata ab eo remitti:quia noluit gratis absoluere peccatores.At Scriptura longè aliter,non exigi ab eo pœnas quæ delicta cõpensent,sed quæ purgent corda hypocrisi,& blanditiis partim exussis inuitent electos ad pœnitentiã, ad solicitudinẽ cauendi excitent,sub timoris & reuerentiæ fræno contineant. Vnde sequitur nihil magis esse præposterũ, quàm satisfactionib⁹ redimi quas meriti sumus pœnas:acsi Deus humano more sibi solui vellet quod debetur.quin potius optimè inter se conueniunt,gratuita pœnarũ remissio, & castigatoriæ ferulæ,quæ poti⁹ occurrũt futuris vitiis,quàm persequãtur quæ iam admissa sunt. Vt redeam ad Simeon & Leui: quî fit vt Deus post longum tempus pœnam quam distulerat infligens, quasi fugituos reos ad iudicium retrahat: nisi quia impunitas fuisset illis damnosa?& tamen medici potius,quàm iudicis partes suscipit,quia non ideo parcit vt sanet: nec duobus tantum ægrotis medetur, sed antidoto præuenit aliorum morbos,vt sibi à crudelitate caueant.Hoc quoque in primis memoratu dignum est,quòd Moses in vulganda gentis suæ infamia Dei est præco, nec verò commune tantum totius populi dedecus profert, sed specialem Tribui ex qua natus erat,ignominiam inurit: vnde palàm apparet,nihil dedisse carni vel sanguini, nec gratia vel odio fuisse inductum vt quicquam fucaret,vel ab historiæ fide deflecteret:verùm sicuti electus à Domino erat minister ac testis,memorem suæ vocationis fuisse,vt non sincerè modò,sed etiam cordatè, os suum veritati prorsus dicaret. Hic comparatio fit non modò inter filios Iacob,sed etiam inter familias quæ ab ipsis fluxerunt. Hîc certè apprimè opportunum erat tempus, quo gentis suæ nobilitas curæ esset Mosi. Adeò autẽ operam encomiis non impendit, vt ingenuè æterno probro infamet gentis suæ authorem, quod in omnes redundet. Lucianici canes,qui Mosi doctrinam arrodere conantur,vafrum fuisse hominem obtẽdunt, qui sibi apud crassum vulgus acquisierit imperium. Sed si hoc propositũ habuit, cur non etiam prospexit suis:Filios quibus in sublime vehendis operam dare suasisset ambitio,sacerdotii honore abdicans,ad humile & gregarium ministerium ablegat. Quis non videt Diuino potius consilio,quàm humana prudentia occursum fuisse impiis calumniis ? ideóque honore priuatos fuisse summi & singularis viri hæredes. ne qua in eo siniſtra hæreret suspicio? Verùm vt taceã de filiis & nepotibus,quòd in persona Leui totum genus suum traducit, in eo agnoscere licet non hominem,sed Angelum instinctu Spiritus sancti loquentem,& purum omni carnis affectu.Cæterùm priore loco de crimine pronuntiat : deinde pœnam subiicit. Crimen est, quòd arma violentiæ sint in eorum tabernaculis:ideóque testatur se tam lingua,quàm corde adhorrere ab eorum consilio, quia pro sua libidine vrbem vnà cum incolis exciderint. In verbis dissentiunt interpretes. Nam מכרות quidam accipiunt pro gladiis, quasi dixisset Iacob gladios ipsorum scelerate

fuisse pollutos sanguine innoxio. Sed rectius sentiunt qui vertunt habitationes: acsi dixisset, iniustam vim penes eos habitare, quia adeò sanguinarii fuerant. Vocem כבר pro lingua positam esse vt aliis locis, non dubito. atque ita sensus clarus est, quòd Iacob ex animo detestetur patratum à filiis scelus, nec vllum assensum lingua præbeat. Quod ideo facit, vt sibi displicere incipiant, & alii omnes odio habere discant perfidiam cum sæuitia coniunctam. Furor proculdubio peruersum & cæcum iræ impetum significat. Libido autem, moderatæ rationi opponitur: quia nullo iure grassati sunt. In voce quoque שור variant interpretes. Quidam taurum vertunt, ac putant allegoricè notari Sichimitas, qui satis robusti, & validi erant ad tuendam viram, nisi eos Simeon & Leui sua fraude & perfidia eneruassent. Sed diuersa expositio longè est aptior, quòd murũ subuerterint. Nam sceleris atrocitatem inde amplificat Iacob, quòd ne ædificiis quidem pepercerint filii.

7 *Maledictus furor eorum.* Tenendum est memoria quod dixi, diuinitus nos moneri per os sancti Prophetæ, vt ab omnibus improbis consiliis alieni simus. Væ pronũtiat Iacob illorum furori: quorsum hoc, nisi vt frænum sibi alii iniiciant, & sibi caueant à tali sæuitia? Quanquam vt nuper attigi, non satis fuerit puras seruare manus, nisi ab omni societate procul simus remoti. Etsi enim non semper in nobis est, iniustam vim arcere, vitiosa tamen est dissimulatio quæ ad consensus speciem accedit. Valeat hîc consanguinitas, & quæcũque purum iudicium corrumpunt: quando videmus sanctum patrem Dei mandato tam seuere in filios tonare. Iram Simeon & Leui eo magis detestabilem esse pronuntiat, quia & initio violenta, & vsque in finem implacabilis fuerit. *Diuidam eos in Iahacob.* Videri quidem posset absurda hæc ratio, quòd Iacob filios ordinás Ecclesiæ Patriarchas, & Diuini fœderis hæredes nuncupans, maledictionem ipsis denuntiet beatæ sortis loco. Necesse tamen fuit à castigatione eum incipere, quæ locum faceret gratiæ Dei, quemadmodum in fine capitis iterum repetam. Pœnam verò mitigat Deus, dum honorificum illis in Ecclesia nomen, iúsque integrum relinquit: imò incredibilis eius bonitas ex inopinato refulsit, dum pœna Leui in sacerdotii præmium fuit conuersa. Dispersio tribus Leuiticæ à crimine patris habuit originem, ne sibi in peruersa, illicitáque vindicta placeret. Atqui Deus, qui initio produxit lucem è tenebris, causam aliam inuenit cur dispersi essent huc & illuc Leuitæ non tantum absque probro, sed etiam cum magno honore, nequis scilicet terræ angulus probis doctoribus careret. Denique speculatores eos, & præfectos suo nomine in singulis partibus constituit, acsi æternæ salutis semen vbique spargeret, vel emitteret gratiæ suæ ministros. Vnde colligimus quanto illi magis optabile fuerit castigari ad tempus in suum bonum, quàm impunè in peccato suo iacentem putrescere. Nec verò absurdum est, quum distribuitur terra, & Leuitis dãtur vrbes procul inter se dissitæ, hac causa suppressa, diuersam prorsus adduci, quòd Dominus sit ipsorũ hæreditas. Nam hoc vnum esse ex Dei miraculis nuper dixi, lucem ex tenebris proferre. Si damnatus esset Leui in lõginquum exilium, hac pœna erat dignissimus: nunc gradatim Deus illi parcit, dum vitam erraticam in paterna hæreditate assignat. Deinde remissa ignominiæ nota, posteros eius sub præclaræ legationis titulo in diuersas partes amandat. In Simeone durauit quoddam, licet obscurum, maledictionis vestigium: quia filiis eius non contigit sorte, propria regio, sed tribui Iudæ fuerunt permixti, sicuti habetur Iosue 19.a.1. Postea profecti in montem Seir, expulsis inde Amalecitis, eorum ditione potiti sunt, vt scriptum est primi Chronicon, cap. 4.g.40. Hîc etiam perspicimus quàm heroicũ fuerit pectus sancti Iacob, qui decrepitus senex, & exul, in priuato & ignobili lectulo decumbens, tamen quasi ex sublimi magni Regis solio prouincias filiis suis adiudicat. hoc autem iure suo facit, quia sciebat apud se depositum esse Dei fœdus, quo nuncupatus erat terræ hæres, ac dominus: & simul authoritatem sibi vendicat, quatenus personam sustinet Prophetæ Dei. Magnopere enim nostra interest, quum insonat verbum Dei auribus nostris, eius effectum fide apprehendere, acsi eius ministris mãdata esset eorum quæ pro- *Ierem.1.b.10* nuntiant executio. Ideo & Ieremiæ dictum fuit, Ecce constitui te super regna, vt plantes & euellas, ædifices & destruas. Sic passim iubentur Prophetæ obuertere facies suas ad loca quibus minãtur, acsi copioso exercitu instructi impetum facerent.

8 *Iuda es tu, laudabunt te fratres tui.* In verbo laudandi allusio est ad nomen Iudæ. Sic enim à matre vocatus fuerat, quòd materia esset laudandi Dei. Nouam etymologiã affert pater, quòd celebre erit, & splendidum eius nomen inter fratres, vt ab omnibus instar primogeniti colatur. Duplex quidem portio quam nuper attribuit filio Ioseph, ex iure primogenituræ pendebat: sed quia translatum fuit regnum ad tribum Iuda, meritò laudabile fore eius nomen pronuntiat Iacob. Nam dignitas Ioseph temporalis fuit. Hîc autẽ de stabili & diuturno imperio agitur, quod penes filios Iudæ futurum erat. Hinc colligimus quum Deus perfectum regiminis statum instituet in suo populo, monarchiam ab eo electam esse. Quòd autem Regis creatio in Lege, partim hominum libidini, partim cælesti decreto tribuitur, hoc ad regni exordium referri debet: quod

ideo inauſpicatũ fuit,quia antequam veniſſet in maturum tempus, populus Regem ſibi dari tumultuoſè petiit. Itaque fecit illa præpoſtera feſtinatio, vt regnũ in tribu Iuda nõ ſtatim erectum fuerit,ſed prodieritquaſi abortiuuspartus in perſonaSaulis:tandẽ verò,Dei auſpiciis,&legitimo ordine,ſecundũvaticiniũIacob,emerſit principatus tribus Iuda in Dauide. *Manus tua.* His verbis ſignificat,Iudam non fore immunem ab hoſtibus: ſed quanuis multi negotium illi faceſſant,& eum iure ſuo depellere conentur, victoriam ei promittit. non quòd ſemper hoſtibus ſuis præualuerint filii Dauidis (neque enim paſſa eſt eorum ingratitudo vt hæc Dei gratia continuum haberet, ac æquabilem curſum) ſed hac ſaltem in parte ſuperior fuit Iuda, quòd in illa tribu ſtetit regia ſedes quam Deus probabat,& quæ fundata erat in eius verbo.Nam etſi opibus,ac populi multitudine magis floruit regnum Iſrael,quia tamen adulterinum fuit, nõ habetur eius ratio:nec verò fucoſo ſuo ſplendore obruere debuit gloriam Diuinæ electionis tribui Iudæ inſculptam. In Dauide ergo plane enituit vis & effectus huius vaticinii:deinde in Solomone: poſtea quanuis mutilum fuerit regnum, mirabiliter tamen ſeruatum fuit Dei manu:alioqui centies breui tempore concidiſſet.Ita factũ eſt vt iugum ſuis hoſtibus impoſuerint filii Iudæ.Quòd autem decem tribus abripuit defectio,ne genu flecterent filiis Dauidis,hoc quidem modo turbatum fuit legitimum regimen, & illicita cõfuſio inducta: Dei tamendecretum violari nõ potuit quin ius maneret penes tribum Iuda.

9 *Catulus leonis Iuda.* Similitudo hæc proximam ſententiam cõfirmat,Quòd hoſtibus formidabilis futurus ſit Iuda. Videtur tamen alludere Iacob ad imminutionem quæ contigit vbi maior pars populi deſciuit ad Ieroboam. tunc enim Rex Iuda ſimilis eſſe cœpit leoni dormienti:neque enim erectis iubis terrorem ſuum latè effudit, ſed quodammodo accubuit in ſpelunca. Latuit tamen quædam occulta Dei virtus ſub illo ſopore, vt eum turbare auſi non fuerint, qui maximè optaſſent perditum, & qui ad inferendam perniciem viribus pollebant. Ergo poſtquã Iacob imperium detulit vni Iudæ ſuper fratres, vice correctionis nunc ſubiicit etiamſi eius potentiam imminui contingat, fore tamen hoſtibus ſuis terribilem, non ſecus ac leonem dum in ſpelunca ſua iacet.

10 *Non recedet ſceptrum.* Quanquam obſcurus eſt hic locus, non tamen vſqueadeò difficile fuiſſet genuinum ſenſum elicere,niſi Iudæi malignè pro more ſuo,nebulas inducere tentaſſent. Certum eſt Meſſiam hic promitti,qui oriturus erat è tribu Iuda. Quum vltrò deberent ad eum amplexandum occurrere, data opera quæuis effugia captarunt, quibus ſe & alios procul in flexuoſas ambages abducerent.Non mirum ergo ſi amaritudinis & contumaciæ ſpiritus,rixandíque libido ita eos excæcauit,vt in clara luce huc illuc turpiter impegerint.In Chriſtianis tametſi pia fuit illuſtrandæ Chriſti gloriæ ſedulitas, eſt tamẽ in eorum feruore aliquid nimium.Nãdum nimis præciſe vrgent quædam verba, nihil aliud proficiunt,niſi quòd ſubſannandi anſam præbent Iudæis, quos neceſſe eſt firmis ac validis cancellis circundari,vnde elabi nequeãt.Nos ergo talibus exemplis moniti,ſine contentione verum loci ſenſum quæramus. Primò tenendũ eſt Spiritus ſancti conſilium:quod hactenus non ſatis animaduerſum,vel non ſatis diſtinctè expoſitum fuit.Poſtquam tribum Iuda ornauit imperio,ſtatim pronuntiat Deum tuendo ſtatum regni illius,curam populi habiturum,donec ad ſummum cumulum perueniat promiſſa fœlicitas.Nam ſic aſſeritur dignitas Iudæ,vt tamen ſcopus ſit communis populi totius ſalus. Benedictio ſemini Abrahæ promiſſa, vt prius vidimus, niſi ab vno capite flueret, rata eſſe non poterat. Idẽ nunc teſtatur Iacob,vẽturum eſſe Regem ſub quo ſuis numeris conſtabit promiſſa illa fœlicitas.Hoc ne Iudæi quidem negabunt, vbi viguerit mediocris benedictio in tribu Iuda, ſpẽ melioris & excellentioris ſtatus hìc dari. Alterum etiam libenter concedent, plenæ & ſolidæ fœlicitatis & gloriæ vnicum authorem eſſe Meſſiam. Tertium caput quod ne ipſis quidem repugnantibus facere licet,nunc addamus:Regnum quod incepit à Dauide,præludium fuiſſe quoddã ac vmbratile ſpecimen maioris illius gratiæ quæ in aduentum Meſſiæ dilata fuit, ac ſuſpenſa. Nullum quidem ſpiritualis regni guſtum concipiunt: itaque opes potius ſibi fingunt,& potentiã,ſuauéque otiũ,& terrenam amœnitatẽ ſibi proponũt,quàm iuſtitiã, vitæ nouitatem cum gratuita peccatorũ venia. Fatentur nihilominus,quæ ſub Meſſia ſperanda erat fœlicitas, veteri ſuo regno fuiſſe adumbratã. Nunc redeo ad verba Iacob,*Donec ueniat Siloh,* inquit,*reſidebit ſceptrum,* vel dominatio *in Iuda.* Primò videndum eſt quid ſignificet vox שילה. Quia Hieronymus vertit,Qui mittendus eſt:putãt nõnulli fraude corruptũ eſſe locum,ac literã ה ſuppoſitam fuiſſe in locum ה. quod licet firmum non ſit, veri tamen ſimile eſt. Quòd ex Iudæis quidam locũ notari volũt vbi diu repoſita fuerat arca fœderis, quia paulo ante exordiũ regni Dauidis in vaſtitatem redactus eſt,ratione prorſus caret. Neque enim hìc prædicit Iacob quo tẽpore ordinandus ſit Rex Dauid: ſed regnũ fore ſtabile in eius domo,quouſque impleat Deus quod pollicitus eſt de ſingulari benedictione ſeminis Abrahæ.Adde q̃ dura eſſet,ac coacta locutio,Silo venire: pro,venire eius finem.

Lõge rectius & congruentius exponunt alii interpretes, filium eius: ‫בן‬ enim filius Hebræis dicitur: ‫ן‬ verò positum esse dicunt loco ‫ר‬ relatiui. Atque in hunc sensum maior pars descendit. Sed iterum à mente Patriarchæ perperam dissident Iudæi dum hoc referunt ad Dauidem. Nam sicuti nuper attigi, nõ promittitur regni origo in Dauide, sed absoluta perfectio in Messia. Et certe tam crassa absurditas non lõga refutatione indiget. Quid enim hoc sibi vellet, Regnum finem non accipiet in tribu Iuda, donec erectum fuerit? Certè recedere nihil aliud est, quàm desinere. Deinde cõtinuam seriem ponit Iacob, dum scribam recessurum negat expedibus. Nam regem in solio iam locatũ esse oportet, vt scriba sedeat inter eius pedes. Describitur ergo nobis regnũ, quod postquam constitutum fuerit, non desinet quousque succedat perfectior status: vel quod idem valet, futurum Dauidis regnum hoc titulo commendat Iacob: quia tessera, ac pignus esset beatæ illius gloriæ quæ iam olim Abrahæ generi destinata erat. In summa, regnum quod transfert in tribum Iuda, non fore vulgare pronuntiat: quia inde tandem proueniet promissæ benedictionis complementum. Sed hîc procaciter insurgunt Iudæi, quòd euentus nostrum errorem coarguat. Nam regnum ad Christi vsque aduentum nequaquam durasse constat: quin potius ex quo in exilium traductus est populus, sceptrum fuisse confractum. Verùm si fidem habent vaticiniis, antequam illorum obiectionem diluo, velim mihi respondeant, quomodo hîc regnum assignet Iacob filio Iudæ. nam quum vixdum firma esset eius possessio, repente laceratum fuisse scimus, totámque ferè eius potentiam occupatam à tribu Ephraim. An Deus secundum ipsos hîc per os Iacob euanidum aliquod regnum promisit? Si excipiant, non ideo fuisse fractum sceptrum, quanuis magna populi parte spoliatus fuit Roboam: hoc cauillo minimè effugient: quia disertè imperium Iudæ ad tribus omnes extenditur his verbis, Genu curuabunt coram te filii matris tuæ. Nihil ergo contra nos afferunt, quod non protinus in ipsos vicissim retorquere liceat. Nondum tamen soluta est quæstio, fateor: sed hoc præfari libuit, vt Iudæi deposito calumniandi studio, rem ipsam discant placidè nobiscum expendere. Perpetuam gubernationem in tribu Iuda hoc ferè modo contexere solent Christiani. Quum ab exilio reuersus est populus, loco sceptri Regii fuisse dicunt principatum qui vsque ad Machabæos durauit. Deinde successisse tertium regiminis modum: quia summa iudicãdi potestas penes septuaginta fuerit, quos ex genere regio delectos fuisse, ex historiis constat. Adeò autem non conciderat illa Regii generis authoritas, vt Herodes ad causam dicendam citatus, vix capitale supplicium effugerit: quia contumaciter se subduxerat. Concludunt igitur nostri, quanuis non resplenduerit regia maiestas à Dauide vsque ad Christum, stetisse tamen aliquem principatum in tribu Iuda: atque ita impletum fuisse oraculum. Hæc quanquam vera sunt, maior tamen loco probè excutiendo adhibenda est dexteritas. Ac primo tenendum, Tribum Iuda iam nunc constitui principem inter alias, vt dignitate emineat, quanuis nondum adepta sit imperium. Et certè primatum ei fuisse vltrò concessum à reliquis, ex quo redemptus fuit populus, testis est alibi Moses. Secũdo loco tenendũ est, huius dignitatis specimen magis luculentum in regno proponi quod auspicatus est Deus in Dauide. quãquam autẽ paulo pòst sequuta est defectio, vt exigua portio dominationis in tribu Iuda steterit: ius tamen diuinitus ei collatũ minimè potuit eripi: ideo quo tempore summa opulentia refertum erat, altóque fastu turgebat regnũ Israel, dicitur tamen accensa fuisse Hierosolymæ lucerna Domini. Pergamus longius: quũ regni cladẽ prædicit Ezechiel, cap. 21. f. 26, satis demonstrat quomodo sceptrũ à Domino seruandũ fuerit donec in manus Christi veniret. Tolle cidarim, (inquit) aufer coronã: hæc non erit hæc: peruersam, peruersam, peruersam pono eam, donec veniat cuius est. Videri posset primo aspectu vaticinium Iacob excidisse, dum ornatu regio spoliatur tribus Iuda. Sed hinc colligimus non fuisse Deum astrictum, vt visibilem regni gloriam è sublimi semper ostenderet. Alioqui falsæ essent aliæ promissiones, quæ solii diruti, & lacerati restitutionem prædicunt, Ecce dies veniunt, quibus suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & ædificabo rupturas eius, & quæ corruerãt instaurabo. Amos 9. c. 11. Quanquam absurdum esset plures citare locos, quũ passim occurrat hæc doctrina in Prophetis. Vnde colligimus non ita stabilitum fuisse regnum, vt æquabili tenore semper fulgeret: sed quod ad tempus collapsum ac deforme, postea recuperaret amissum splendorem. Videntur quidem Prophetæ eius ruinis finem facere, reditum ab exilio Babylonico: sed quum regni instaurationem non aliter quàm templi & sacerdotii promittant, vt solida veritas nobis cõstet, necesse est totum tempus à liberatione vsque ad Christi aduentũ complecti. Peruersa igitur nõvno tantũ die, neque in vno capite, sed diu, & variis modis corona fuit, donec eam Deus Christo suo Regi legitimo aptaret. Et certe Isaias Christi originem describit longè ab omni regio splendore alienam: Orietur (inquit) virga Esaie 11. a.
è trunco Isai, & surculus è radicibus eius ascendet. Cur Isai potius, quàm Dauidem nominat, nisi quia ex rustico priuati hominis tugurio potius, quàm illustri palatio proditurus erat Mel-

fias:Cur arbore excisa, nihil præter truncum & radices residuũ facit, nisi quia ad Christi vsque manifestationem ferè pedibus calcanda erat regni maiestas? Siquis excipiat,aliter sonare verba Iacob:solutio in promptu est,quicquid vnquã Deus de externo Ecclesiæ statu promisit,ita fuisse restringendum,vt iudicia sua interim exerceret puniẽdis hominum peccatis, fidémque suorum probaret. Fuit quidem hæc non leuis tentatio, quum tribus Iuda in tertio successore, maiore regni parte nudata fuit. Grauior etiam sequuta est,quum Regis filii in patris cõspectu iugulati sunt, ipse oculis effossis Babylonem tractus est, totúmque Regium genus tandem seruituti & exilio addictum. Omnium verò grauissima, quum reuersus in terram populus,minimè cerneret quod sperauerat, sed in tristi dissipatione iaceret. Cæterùm tũc sancti fidei oculis sceptrũ sub terra absconditum contemplantes, non conciderunt, vel fracti fuerunt animis, vt desisterent à suo cursu. Videbor fortè nimis largiri Iudæis,quia realem, vt vocãt,dominationem continuo tenore non statuo in tribu Iuda. Nostri enim, vt euincant stulta adhuc Iudæos Messiæ expectatione teneri suspensos,in hoc insistũt,à tempore Herodis cessasse imperium illud, de quo vaticinatus erat Iacob.quasi verò quingentis antè annis tributarii non fuerint:quasi etiam non extincta fuerit Regii generis dignitas,quandiu grassata est Antiochi tyrannis:quasi denique Asmonæi sibi non vsurpauerint &titulum honoris & potentiã,donec Romanæ ditionis facti sunt Iudæi.Nec verò sufficit quæ obtenditur solutio:disiunctim promitti vel regnũ,vel mediocre aliquod regimen:ex quo autem deletum fuit regnum,superstites mãsisse scribas. Ego enim,notandi inter legitimum regnum & tyrannidem discriminis causa,adiunctos fuisse cõsiliarios agnosco,qui publicum statum rite & ordine administrent.Quòd ergo ex Iudæis quidam exponunt, ius regnãdi datum esse tribui Iuda, quia nefas fuerit alio tranferri, non autem quòd gloriam coronæ semel erectam perpetuari necesse fuerit: aliqua ex parte huic sententiæ subscribere necesse arbitror.dico aliqua ex parte:quia nihil hoc cauillo proficiunt Iudæi,ad figmentũ venturi sui Messiæ trahentes vetustũ regni excidium. Tenendum enim memoria est quod prius admonui, dum Iacob vsque ad Messiæ aduentũ sustinere vult suorũ animos,ne longioris moræ tædio deficiant,specimen in tẽporali regno proponere:acsi dixisset,non esse cur Israelitæ collapso Dauidis regno spes suas huc illuc inclinent:quia non alia succedet mutatio quæ Dei benedictioni respondeat,donec appareat redemptor.Quòd duriter aliquot annos ante Christũ exhibitũ vexatæ gẽs fuit, ac seruiliter oppressa, mirabili Dei consilio factum est, vt continuis stimulis ad optandam redemptionem pungerentur. Interea stare oportuit aliquod gentis corpus, in quo vigeret promissio. Nunc quum patria extorres per quindecim ferè secula dissipati absque politia iaceant: quo prætextu somniant ex vaticinio Iacob venturum sibi redemptorem? Equidem vt eorũ calamitati non libenter insulto:ita nisi ea subacti oculos aperiunt, liberè pronũtio,dignos esse qui millies absque remedio pereant. Fuit autem hæc continendæ fidei valde apposita ratio, quòd Dominus filios Iacob in vnam tribum oculos coniicere voluit,ne alibi salutẽ quærerent: ac nequa eos vaga imaginatio circumageret. Quo etiam fine celebratur huius familiæ electio, dum sæpius in Psalmis confertur cum Ephraim & reliquis, ac præfertur. Nobis etiam ad fidei certitudinem non parum vtile est, dum Christum duobus annorum millibus,antequam prodiret,audimus non modò promissum fuisse,sed designata eius origine,quasi digito ostensum.

Et ei erit aggregatio populorum. Hic verò non vnius tantũ populi Regẽ fore pronuntiat,sed cuius auspiciis colligendæ sint variæ gẽtes,vt simul coalescant.Scio quidẽ variè ab interpretibus vocem exponi:sed qui deducunt à radice נפץ, vt sit debilitatio quod de salutifero Christi principatu dictum erat,perperam & absurdè ad sanguinariam qua crepant superbiam detorquent.Si obedientiæ nomẽ placeat,vt alibi vertũt,idẽ manebit sensus cum illo primo quẽ sequutus sum.Nam hæc colligendi ratio est,dum in obsequiũ cõsentiunt simul,qui prius ferebãtur in diuersa studia. Etsi autem antehac tribus ex se orituras Iacob amplificandi gratia vocauit populos,latius tamẽ extẽditur ista collectio.Nam corpus populi per familias complexus quum de ordinario principatu Iudæ verba faceret,nunc noui Regis fines ampliat,acsi diceret,fore ex tribu Iuda Reges,qui inter fratres emineant,& quos adorent eiusdẽ matris filii: sed tandẽ successurũ qui sibi alios populos subiiciat.hoc autẽ scimus in Christum competere,cui promissa fuit mundi hæreditas,sub cuius iugum redactæ sunt gentes,ad cuius nutum aggregati sunt qui prius fuerant dispersi. Porrò hìc memorabile testimonium habet Gẽtium vocatio, quòd in fœderis societatem inserendæ fuerint,vt sub capite vno fierent vnus populus cum naturalibus Abrahæ filiis.

11 *Ligans ad uitem pullum suum,& ad,&c.* Iam de situ regionis loquitur quæ sorte filiis Iudæ obtigit: significat autem tantam illic fore vitiũ copiam,vt passim obuiæ prosternt non secus atque alibi vepres,vel infrugifera arbusta.Nã quum ad sæpes ligari soleãt asini,vites ad hunc contemptibilẽ vsum deputat.Eodem pertinent quæ sequuntur hyperbolicæ loquendi formæ,quòd Iudas lauabit vestem suam in vino, & oculis erit rubicundis. Tantam enim vini abundantiam

fore intelligit, vt promiſcue ad lotiones, perinde vt aqua, effundi queat ſine magno diſpendio: aſſiduo autem largioréque illius potu rubedinem contracturi ſint oculi. Sed minimè conſentaneum eſſe videtur profuſam intemperiem, vel proiectionem in benedictione cenſeri. Reſpondeo, quanuis laudetur vbertas & affluentia, non tamen abuſum permitti. Si liberalius nobiſcum agit Dominus: ne carnis incontinentiam prouocent ſua dona, regulam alibi præſcribit pure & frugaliter vtendi. Sed hoc loco Iacob quid liceat omittens, copiam celebrat quæ ad luxuriam & exceſſus vitioſos ac peruerſos ſufficeret, niſi vltrò ſibi temperent filij Iuda. Allegoriis quæ nonnullis forent magis plauſibiles, ideo abſtineo, quia in tantis Dei myſteriis ludere non placet, ſicuti initio capitis præfatus ſum. Vilis & abiecta res altis illis ſpeculatoribus viſa eſt, terræ partitio in qua ſe Deus exeruit, vt Moſi ſeruo ſuo fidem aſſereret. atqui niſi ad brutum ſtuporem ingrati ſimus, totos in admirationem rapi decet, quòd Moſes qui regionem Chanaan nunquam viderat, de ſingulis eius partibus perinde diſſerit, acſi de paucis iugeribus manu ſua excultis verba faceret. Iam vt de vitibus fama ad eum perlata eſſet, Iudã non potuit, niſi duce Spiritu, copioſis vindemiis præficere: vt elopimis paſcuis, quũ dentes eius lactis potu cãdidos fore dicit.

13 *Zabulon in portum maris.* Tametſi hæc benedictio nihil rarũ vel eximiũ continet, ſicuti nec aliæ quædam ſequentes: hoc tamen ſatis præclarum nobis eſſe debet, quòd perinde tunc valuit acſi Deus ad filios Iſrael liberandos manum è cælo porrigeret, ac ſingulis diſtribueret ſua domicilia. Antequam ſortis fiat mentio, regio maritima datur tribui Zabulon, quam ſorte poſt annos ducentos adepta eſt. Scimus autem quanti momenti fuerit illa hæreditas, quæ inſtar arrhæ veteri populo ratam eius adoptionem fecit. Ergo hoc vaticinio animari decuit non modò tribum vnam, ſed totũ populum, vt alacriter oblatã gratiã, certóque repoſitam capeſſerent. Portio autẽ Zabulon non ſolum fore maritima dicitur, ſed etiam portuoſa: nam eius terminum coniungit Iacob agro Sidonio: in quo tractu, ſcimus commodos & nobiles fuiſſe portus. Iam non ſolùm hoc vaticinio excitare filios Zabulon voluit Deus, quo magis ſtrenuè ſe accingerent ad terram adeundam: ſed etiam confirmare, ex quo ſperata ſtatione potiti ſunt, ne fortuitò ſibi accidiſſe ſortem putarẽt, ſed Dei arbitrio ſibi diſtinctè proſpectum & ordinatum fuiſſe hoſpitium.

14 *Iſſachar.* Hîc partim mentio fit hæreditatis, partim indicatur qualis futura ſit huius familiæ conditio. Quanquam vocatur aſinus oſſeus ob fortitudinem, qua ferendis laboribus ſufficiet, ac præſertim ruſticis: ſimul tamen notatur pigritia. Nam paulo pòſt additur, ſeruili fore ingenio. Quare ſenſus eſt, filios Iſſachar, licet robore polleãt, quietos tamen magis, quàm cordatos fore, & ferendæ ſeruituti paratos, non ſecus atque latera ſua clitellis & ſarcinis muli accõmodant. Ratio etiam exprimitur, quòd fertili & amœno ſuo agro contenti, modò quiete fruantur, non refugient vicinis ſuis pendere tributum. Quanquam autem hæc tolerantia neque laudi, neque vitio palàm illis datur, probabile tamen eſt ignauiam exprobrari, quòd eos impedit mollities, ne in libertate ſibi diuinitus conceſſa maneant.

16 *Dan iudicabit.* Alluſio eſt ad nomen: nam quum Hebræis, דן iudicare ſignificet, Rachel Deo gratias agens, filio ſibi ex ancilla nato inde nomen impoſuerat, quaſi Deum haberet cauſæ ſuæ iuriſque vindicem. Nunc rationem nominis alio conuertit Iacob, quòd filii Dan partem gubernationis habebunt in populo. Nam inſcitè Iudæi ad Samſonem reſtringunt, quia vnus toti populo præfuerit, quũ de perpetuo magis familiæ ſtatu habeatur ſermo. Intelligit ergo Iacob, licet Dan ex cõcubina ſit natus, vnũ tamen fore ex iudicibus Iſrael: quia penes eius ſobolem in communi politia pars gubernationis & imperii erit, vt tribus iſta caput vnum efficiat. Secũdo loco verſutũ eius ingeniũ deſcribitur. Comparat enim Iacob populum hũc ſerpentibus, qui ex latebris furtim adoriũtur incautos, quibus nocere volũt. Senſus ergo eſt, non fore tã animoſum vt ſtrenuè & ingenuè in apertum certamen deſcendat, ſed aſtu & inſidiis pugnaturum. Interea tamen oſtendit ſuperiorem fore ſuis hoſtibus, quos manibus conſertis aggredi non auderet, vt ſerpentes occulto morſu equum & ſeſſorem deiiciunt. Hoc etiam loco iudiciũ diſertè non interponitur, laudíne, an probro ducẽda ſit aſtutia tribus Dan: huc tamen magis inclinat coniectura, inter vitia referri, vel ſaltem incõmoda, quòd libero congreſſu hoſtibus ſe non opponens, occultis tantum fraudibus pugnabit.

18 *Salutem tuam expectauí Dom.* Quæritur primum quænam occaſio ſanctum virum impulerit, vt abrupto ſermonis ſui contextu, ſubitò erumperet in hanc vocem. nam quum Meſſiæ aduentum nuper promitteret, opportunior fuiſſet ſalutis mentio. Ego quidem eum exiſtimo, quum velut ex alta ſpecula generis ſui ſtatum variis inclinationibus ſubinde obnoxium fore cerneret, imò procellis iactandum quæ à ſubmerſione parum diſtarent, ſolicitudine & metu fuiſſe commotum. neque enim paternum affectum exuerat: vt nullam prorſus ſanguinis ſui curam gereret. Videns igitur multas moleſtias, multa diſcrimina, multos inſultus, multas etiam clades, quæ ſemini ſuo totidem minantur exitia, fieri non poteſt quin condoleat, atque

etiam secundum hominem turbetur. Verũ vt victrice animi constantia contra omne tentationũ genus insurgat, sese ad Dominum transfert, qui pollicitus fuerat se illius populi fore præsidem. Nisi obseruetur hæc circunstantia, non video cur nunc potius quàm principio, vel in fine exclamet Iacob, se in salutem Domini sperare. Quum autem se obiiceret tristis rerum confusio, non modò ad concutiendam eius fidem violenta, sed animum penitus obruendum plus satis onerosa, optimum remedium fuit clypeum hunc opponere. Neque etiam dubito quin filiis suis cõsuluerit, vt eos secum in eandem erigeret fiduciam. Porrò quia sibi ipse author sperãdæ salutis esse non poterat, necesse fuit in Dei promissionem recumbere. Eodem etiam modo nobis Ecclesiæ conseruatio hodie speranda est. Nam etsi videtur iactari in mari turbulẽto, ac penè fluctibus demergi, adeóque grauiores procellæ in posterum timendæ sunt: tamẽ inter multiplices interitus speranda est salus in liberatione quam Dominus promisit. Fieri etiam potest vt Iacob Spiritu præuidẽs, quãta in suis posteris futura esset ingratitudo, perfidia, & malitia, quibus suffocari posset gratia Dei, contra has tentationes luctatus sit. Quanquam autem non sibi priuatim Iacob salutem, sed posteris suis omnibus sperauit: hoc tamen notatu dignum est, quòd in multa secula ostendit salutiferum Dei fœdus, vt se mortuo Deum fore veracem non dubitet. Vnde etiam sequitur, inter vltimos spiritus, & quasi in media morte, vitam æternam apprehendisse. Quòd si ille in obscuris vmbris, redemptione procul ostensa fretus, ad mortem intrepidè perrexit, quid nobis agendum est, quibus clarus illuxit dies? vel quæ excusatio nos manet, si nobis inter similes agitationes labascit animus?

19 *Gad turma.* Alludit etiã Iacob ad nomen Gad. Sic vocatus fuerat quòd ex matre eius Lea numerosam sobolẽ genuisset Iacob. Nunc admonet pater, etiam si nomen adeptus sit à multitudine, fore tamen ei negotiũ cum magno hostium numero, vt ad tempus opprimendus sit. Atque hoc ideò prædicit, ne posteri viribus suis cõfisi superbiant, sed comparent se ad subeũdas ærũnas, quibus eos humiliare volet Dominus, & iam decreuit. Cæterũ vt eos hortatur ad tolerantiã, ita mox addito solatio, erigit & animat, quòd tandem ab oppressione emergent, vt de hostibus suis à quibus victi fuerant ac profligati, triumphum agant, sed id nonnisi in fine. Porrò vaticinium hoc ad totam Ecclesiam accommodari potest: quæ non vno tãtum die impetitur, sed nouis subinde cladibus atteritur, donec ad extremum eam Dominus attollit.

20 *De Asser.* Tantum hæreditas Asser attingitur, quã optimi frumenti & suauissimi feracem pronũtiat fore, vt alieno subsidio nõ indigeat quoad victũ qui domi suppetet. Regias deliciaspro exquisitis posuit. Siquis obiiciat nõ esse magnũ panesapido & delicato vesci: respondeo, considerandum fuisse finem, quòd scilicet inde agnouerint paterna Dei cura se pasci.

21 *Naphthali.* Putant quidam laudari celeritatem in tribu Nephthali: mihi alius sensus magis probatur, quòd se facundia & verborum suauitate magis, quàm armorum violentia tuebitur ac defendet. Est autem non pœnitenda virtus, humano blandóque sermone mulcere feroces animos, placare iram accensam, siqua excitata est offensio, simili artificio eam sedare. Ergo hoc elogio insignit filios Nephthali, quòd humanitati, suauibus verbis, & pacis artibus magis studebunt, quàm vt se armorum præsidio muniãt. Comparat autem eos ceruæ dimissæ, quæ venatione capta non occiditur, sed potius fouetur in deliciis.

22 *Vt arbor fructificans.* Alii vertunt filium decoris: & vtrũque conuenit. sed ideo in priorem sensum magis inclino, quia mihi videtur respicere Iacob ad eius nomẽ quo notatur accessio, vel incrementum. quanquam mihi non displicet similitudinem esse sumptam ab arbore; quæ iuxta fontẽ plãtata, ab irrigua terra humorẽ & succũ haurit quo melius crescat. Sũma est, quòd ad crescendũ sit natus, instar arboris prope fontẽ sitæ, vt sua pulchritudine & procera statura, propinqua obstacula superet. Neque enim interpretor cõcursum fore virginũ super muros, quas illexerit arboris cõspectus: sed cõtinua metaphora, teneros ac minores ramusculos filias vocari existimo. Discurrere autẽ dicũtur super muros, cũ sese altè diffundunt. Porrò nõ simpliciter de tota tribu habetur sermo, nec merũ vaticinium est futuri tẽporis, sed persona Ioseph cũ suis posteris miscetur. Ita quædã ei propriè cõueniunt, alia ad duas tribus, Ephraim & Manasse, pertinent. Sic quũ Ioseph prouocatũ fuisse dicit, peculiariter id referri ad ipsum solet. Quia autẽ arbori eũ cõtulerat, ita hostes tã fratres, quàm Putiphar & eius vxorẽ vocat sagittarios. Postea tamẽ similitudinem mutat, quia Ioseph similẽ facit strenuo iaculatori, cuius arcus nõ languescit, & cuius brachia nõ laxãtur, nec quicquã remittũt ex suo vigore. quibus verbis prædicat inuictã eius fortitudinem: quia nullis quãlibet duris infestísque ictibus succubuit. Simul tamẽ admonet, nõ propria virtute stetisse eius brachia, sed roborata fuisse Dei manu, quẽ insigni elogio nominat fortẽ Iacob: quia suã fortitudinẽ præcipuè in Ecclesia cõspici vult, ac fulgere. Interea declarat auxiliũ quo adiutus fuit Ioseph, inde profectũ esse, quia domũ illam sibi Deus cooptasset. Nam hoc solicitè curarũt sancti Patres, vt sibi & suis in memoriã veniret gratuitũ Dei fœd⁹, quoties aliquod

beneficium ipsis præstitum fuerat. Et certè turpis socordiæ est non inquirere ex quo fonte bibamus aquam. Interea tacitè decem filiis suis exprobrat impium & sacrilegum furorem, quòd necem fratri suo machinando Gigantum more bellum cum Deo gesserint. simul in posterum admonet, vt Dei potius tutela protegi malint, quàm eum sibi infensum sentire, quia pariter omnibus auxiliari velit. Hinc autē cōmuniter ad omnes pios manat valde vtilis consolatio, dū in medio Ecclesiæ residere audiūt Dei virtutē: modò etiā in ipso vno gloriētur, sicuti Psalmᵒ docet, Hi in curribus, illi in equis, nos autē in nomine Domini inuocabimus. Cauēdū ergo est filiis Iacob, ne viribus suis confisi, se præcipitent, sed potenter ac magnifice se gerant in Domino. Quod proximè sequitur, varias expositiones admittit. Quidam vertunt, *Inde pastor lapis Israel*, acsi diceret Iacob, ipsum fuisse nutritium, & rupem vel fulturam domus suæ. Alii legunt, Pastor lapidis in genitiuo casu: quod mihi placet, nisi quòd in sensu, meo iudicio errant, dum lapidem accipiunt pro familia. Ego ad Deum refero, qui pastoris munus seruo suo iniunxit. Vnde autem factum est vt gentem suam aleret, nisi quia Diuinæ beneficentiæ erat minister? Porrò sub hoc typo depicta est nobis imago Christi, qui antequam emergeret victor mortis & author vitæ, positus fuit in scopum contradictionis, in quem certatim omnes iaculati sunt, sicuti nunc quoque eius exemplo Ecclesiam multis iaculis configi oportet, vt admirabili Dei auxilio seruetur. Porrò ne malignè fratres inuideant sancto Ioseph, amabilem eius victoriā ipsis reddidit, Iacob ideò liberatum fuisse docens, vt eorum nutritius fieret vel pastor.

Psal. 20.b.8

25 A Deo patris tui. Iterum plenius confirmat Ioseph nō propria industria, sed Dei gratia ereptum fuisse ex morte, & in tantā dignitatem inuectum. minimè autem dubium est quin omnibus piis commendet meram Dei bonitatem, nequid sibi arrogent, siue elapsi sint ex periculis, siue conscenderint ad aliquem honoris gradum. A Deo patris, hoc titulo Deum insigniens, rursus ex fœdere, & gratuitæ adoptionis fonte deriuat quicquid bonorum percepit Ioseph. acsi dixisset, quòd paternam Dei curam in te iuuando expertus es, volo hoc fœderi quod mecum pepigit, acceptum referas. Interim, vt alibi dictum est, Deum illum quem posteris colendum tradit, ab omnibus fictitiis idolis separat. Postquam autem tam in victu, quàm in sobole, & eius conseruatione modis omnibus Ioseph benedictum fore testatus est, propinquam & ferè præsentaneam vim huius suæ benedictionis asserit, dicens se efficacius ei benedicere, quàm ipse benedictus fuerit à patribus. Quanquam enim ab initio verax fuerat Deus in suis promissis, effectum tamen perinde distulit, acsi verbis tantū Abrahā, Isaac, & Iacob lactaret. Nam quousque in Aegypto multiplicati sunt Patriarchæ? vbi immensum illud semē quod æquaret arenam maris & stellas cæli? Nō abs re igitur Iacob maturū venisse tēpus pronuntiat, quo vis benedictionū emerget, quæ velut in profundo latuerat. Porrò hæc cōparatio nobis hodie lōgè plus alacritatis addere debet. nā plena gratiæ Dei vbertas, quæ in Christo affluxit, quicquid bonorum percipit & sensit Ioseph, cētuplo superat. Quod *de extremitate montium* subiicitur, quidam ad locorū distantiā, alii ad tēporis perpetuitatē referri volūt. Nec malè cōuenit vterque sensus: vel quòd fœlicitas Ioseph se lōgè latēque ad extremos vsque mundi colles diffundet, vel quòd durabit quousque stabunt colles seculi, qui sunt firmissima terræ portio. Dicit autē fore super caput ipsius, ne putetur vota sua in aerem spargere. Nam hac voce notatur subsistentia, vt ita loquar. Tandem vocat Ioseph נזיר inter fratres vel quia sit eorum corona propter communem gloriam quæ ab ipso in omnes redundat: vel quia propter dignitatem qua excellit, ab omnibus sit segregatus. vtroque enim modo sumi potest. Sciendū tamen est excellentiam hanc fuisse temporalem, quia ipsum simul cum aliis in ordinem cogi oportuit, vt sceptro Iudæ se submitteret.

27 *Beniamin ut lupus.* Quidam ex Iudæis damnari putant Beniamitas, qui quum sceleſtas libidines inter se grassari tāquam prædones passi forent, demū ob stupratam Leuitæ vxorē horrenda clade excisi sunt ac ferè deleti. Alii, honorificum esse encomion volūt, quo ornetur Saul, vel Mardochæus, qui ambo fuerunt ex tribu Beniamin. Nostri parū aptè ad Paulum apostolum torquent, qui ex lupo cōuersus est in dispensatorem. Mihi nihil magis videtur probabile, quàm ingenium ac mores totius gentis describi, quòd ex præda victuri sunt. Ideò dicit, *mane rapturos, & vesperi diuisuros spolia*. quibus verbis notatur prædandi assiduitas.

28 *Omnes istæ tribus Israel, duodecim.* His verbis docere voluit Moses non subsistere hæc vaticinia in filiis Iacob, sed patere ad totum eorum genus. Hactenus quidem satis clarè ostendimus non de solis eorum personis verba fieri, sed hoc addendū fuit, quo magis ad cæleste Spiritus maiestatem attenderent lectores. Videt Iacob filios duodecim. Demus tunc centuplum fuisse stirpis numerum vsque ad pronepotes. atqui, quid sexcentis vel mille hominibus futurum sit, nō pronuntiat: sed regiones & populos iudicio suo subiicit: neque se temerè proiicit, quia postea euentu compertum est, Deum illi certò dictasse quod facere apud se decreuerat. Porrò quum fidei oculis intuitus fuerit Iacob quæ non solum procul remota erāt, sed prorsus ab humano sensu absco-

dita,væ noſtræ prauitati, ſi ad ipſum complementum, in quo apparet conſpicua veritas, oculos claudimus. Sed quòd dicitur Iacob poſteris benedixiſſe, rationi conſonum minimè videtur. nã Ruben primogenitura abdicans, nihil lætum vel fauſtum protulit. Simeonem quoque & Leui deteſtatus eſt. Nec verò cauſari licet antiphraſin eſſe in verbo benedicendi: quod ſatis conſtat in bonam nõ ſiniſtram partem poſitum fuiſſe à Moſe. Ego hæc ita inter ſe concilio, quòd pœnæ tẽporales, quibus filios clementer & paternè caſtigauit Iacob, fœdus gratiæ non ſubuerterint, vbi ſita erat benedictio: quin potius deletis maculis, illos reſtituerint in priſtinum honoris gradum, vnde exciderant, ſaltem vt Patriarchæ eſſent in populo Dei. Et hoc quotidie Dominus in ſuis probat, pœnas, quibus eos onerat, licet pudorem & dedecus infligant, adeò non obſtare eorum fœlicitati, vt ſint potius adminicula. Niſi hoc modo purgati forent, timẽdum erat ne magis ac magis obdureſcerent in ſuis vitiis, & pus occultum noxiæ putredinis materia foret, quæ tandem penetraret ad ipſa viſcera. Videmus quàm libenter ſibi indulgeat caro, etiam vbi nos Deus ira fuæ ſignis expergefacit. quid igitur, ſi conniueat ſemper, futurum putamus? Quia autem pœnis moniti reſipiſcimus, hic finis nõ modo maledictionem, quæ initio ſentitur, abſorber, ſed etiam facit vt Dominus puniẽdo magis benedicat, quàm ſi parceret. Hinc fit vt morbi, paupertas, fames, nuditas, mors etiam ipſa, quatenus ſalutem noſtram promouent, quaſi mutata natura benedictiones meritò reputentur: perinde ac ſanguinis miſſio non minus quàm alimenta, ad ſanitatem cõfert. Quum in fine additur, *Iuxta ſuam cuique benedictionem*, iterum cõfirmat Moſes, non tantum filiis bene precatũ eſſe Iacob ex paterno voto, ſed protuliſſe quod Deus in ore eius poſuerat: quia tandem probauit euentus efficaces fuiſſe Prophetias.

19 Et *præcepit eis.* Antehac vidimus Iacob filio Ioſeph peculiariter mandaſſe vt funus ſuũ in terra Chanaan ſepeliendum curaret. Nunc repetit Moſes idem omnibus filiis datum eſſe mãdatum: vt hanc prouinciam vno conſenſu obirent, & mutuò alii alios iuuarent in præſtando officio. Cur autem tanta illi ſepulchri fuerit religio, alibi diximus. quod ſemper tenendum eſt, ne ſancti viri exemplum ſine iudicio ad ſuperſtitionem trahatur. Certè in terram Chanaan deferri non optauit, quaſi illic ſepultus, cælo propior eſſet, ſed vt eius poſſeſſionem mortuus cerneret, quam tota vita nonniſi precariò tenuerat. non quòd priuatim vlla inde ad eum rediret commoditas, qui iam ſuo curſu defunctus erat: ſed quia vtile erat renouari hoc ſymbolo promiſſionis memoriã apud filios ſuperſtites, vt ad eam aſpirarent. Interea colligimus non hæſiſſe eius animum in terra: quia niſi cælum illi fuiſſet hæreditas, nunquam ſperaſſet Deum in gratiã mortui fore erga ſuos tam liberalem. Iam quo plus ponderis habeat mandatum, admonet non ſibi nunc primùm hoc veniſſe in mẽtem, ſed ſe à maioribus ita eſſe edoctum. Abraham, inquit, ſepulchrum illud ſibi & ſuis emit: nos hactenus legem ab ipſo traditam ſanctè coluimus. Violanda igitur à vobis non eſt, vt poſt mortem quoque nota aliqua gratiæ Dei in nobis maneat.

33 Et *collegit pedes.* Non eſt ſuperuacua locutio, nempe qua exprimere voluit Moſes placidam ſancti viri mortem: acſi dixiſſet, ſanctum ſenem tranquillo animi ſtatu membra direxiſſe quò volebat, qualiter ſani & vegeti ſe ad ſomnum componere ſolent. Et certè mirum ei conſtare mentis vigorem, & præſentiam neceſſe fuit, quum mortem in labris ferens, ita præclare executus eſt iniũctum ſibi Prophetæ munus. Nec dubium eſt quin talis ſe efficacia Spiritus in eo protulerit, quæ vaticiniis fidem & reuerentiam acquireret apud eius filios. Simul tamen notare conuenit, hunc eſſe bonæ conſcientiæ fructum, quũ ſine horrore migramus è mundo. Nam quum mors natura ſit formidabilis, mira carnificina impios exagitat, dum ſe ad Dei tribunal citari ſentiunt. Porrò vt nos bona conſcientia pacatos & quietos ad ſepulchrum deducat, Chriſti reſurrectioni eam inniti neceſſe eſt. tunc enim voluntarii ad Deum pergimus, ſi nos melioris vitæ fiducia excipiat: tunc caducum hoc tugurium relinquere graue nõ erit, ſi immortale domicilium nobis occurrat.

Cap. L.

1 ET iactauit ſe Ioſéph ſuper faciem patris ſui, & fleuit ſuper eum, & oſculatus
2 eſt eum.

Et præcepit Ioſéph ſeruis ſuis medicis vt aromatibus condirẽt patrem ſuum: & aromatibus condiuerunt medici ipſum Iſraél.

3 Et completi ſunt ei quadraginta dies: ſic enim complentur dies *eorum qui* condiuntur aromatibus. & fleuerunt eum AEgyptii ſeptuaginta diebus.

4 Et tranſierunt dies luctus eius: & loquutus eſt Ioſeph ad domum Parhóh dicendo, Si, quæſo, inueni gratiam in oculis veſtris, loquimini quæſo in auribus

Parhóh,dicendo,

5 Pater meus adiurauit me,dicẽdo, Ecce ego morior:in ſepulchro meo quod fodi mihi in terra Chenáan,ſepelies me.nunc igitur aſcẽdam obſecro, & ſepeliam patrem meum,& reuertar.

6 Et dixit Parhóh,Aſcende,& ſepeli patrẽ tuum,quemadmodũ iurare fecit te.

7 Et aſcendit Ioſéph vt ſepeliret patrem ſuuma: ſcenderúntq; cum eo omnes ſerui Parhóh ſeniores domus eius, & omnes ſeniores terræ AEgypti:

8 Et omnis domus Ioſéph, & fratres eius, & domus patris eius: tantummodo paruulos ſuos,& pecudes ſuas,& boues ſuos reliquerunt in terra Góſen.

9 Et aſcenderunt cum eo etiam currus,etiã equites,& fuit turma grauis valde.

10 Et venerunt vſque ad aream Atád,quæ eſt trans Iardén: & planxerũt ibi plánctu magno & graui valde:& fecit patri ſuo luctum ſeptem diebus.

11 Et viderunt habitatores terræ Chenaanæi luctum in area Atád, & dixerunt, Luctus grauis eſt iſte AEgyptiis.idcirco vocauit nomẽ eius Abél-Miſráim, *id eſt luctus AEgyptiorum*,qui eſt trans Iardén.

12 Et fecerunt filii eius ei ſic,quemadmodum præceperat eis.

13 Et tulerunt eum filii eius in terram Chenáan,ſepelierúntq; eum in ſpelunca agri duplici quam emit Abrahám cum agro in poſſeſſionem ſepulchri, ab Hephrón Hittæo ante Mamré.

14 Et reuerſus eſt Ioſéph in AEgyptum ipſe,& fratres eius, & omnes qui aſcenderant cum eo,vt ſepelirent patrem eius,poſtquam ſepeliuit patrem ſuum.

15 Videntes autẽ fratres Ioſéph quòd mortuus eſſet pater eorum,dixerunt,Forraſſe odio habebit nos Ioſéph, & reddendo reddet nobis omne malum quo affecimus eum.

16 Propterea mandarũt ad Ioſéph,dicendo,Pater tuus præcepit antequam moreretur,dicendo,

17 Sic dicetis Ioſeph,Obſecro parce nunc præuaricationi fratrum tuorũ,& peccato eorum: quia malum intulerunt tibi. nunc igitur parce quæſo præuaricationi ſeruorum Dei patris tui. Et fleuit Ioſeph,dum illi loquerentur cum eo.

18 Et profecti ſunt etiam fratres eius,& proſtrauerunt ſe coram eo,& dixerunt, Ecce ſumus tibi ſerui.

19 Et dixit ad eos Ioſeph,Ne timeatis:nunquid enim loco Dei ſum?

20 Et vos cogitaſtis aduerſum me malum:Deus *autem* cogitauit illud in bonum, vt faceret ſecundum diem hanc,vt viuificaret populum multum.

21 Nunc itaque ne timeatis,ego alam vos, & paruulos veſtros.& conſolatus eſt eos,& loquutus eſt ad cor eorum.

22 Et habitauit Ioſeph in AEgypto,ipſe & domus patris eius:& vixit Ioſeph cẽtum & decem annos.

23 Et vidit Ioſéph ipſi Ephráim filios tertiæ generationis:etiam filii Machír filii Menaſſéh educati ſunt ſuper genua Ioſéph.

24 Et dixit Ioſéph fratribus ſuis,Ego morior,& Deus viſitando viſitabit vos,& aſcẽdere faciet vos è terra hac,ad terrã quã iurauit Abrahám,Iſhác,& Iahacób.

25 Et adiurauit Ioſéph filios Iſrael,dicendo, Viſitãdo viſitabit Deus vos,& tolletis oſſa mea hinc.

26 Et mortuus eſt Ioſéph filius centum & decem annorum: & aromatibus condierunt eum,& poſitus eſt in arca in AEgypto.

1 *Et iactauit se Ioseph.* Hoc capite breuiter narratur quid contigerit post mortem Iacob. Eam verò Moses duplici luctu celebratam fuisse commemorat, natiuo, vt ita loquar, & ceremoniali. Quòd Ioseph super faciem eius procumbēs, lachrymas effundit: hoc ex vero puróque affectu manat. Quòd eundem lugent AEgyptii septuaginta diebus: quia fit honoris causa, ídque ex consuetudine, plus ostentationis habet ac inanis pompæ, quàm veri doloris. & tamē vt plurimū hoc modo lugeri solēt mortui, vt iusta illis soluātur. Vnde etiā natū est prouerbiū, Hæredis luctū sub larua risum esse. Et quanquam interdū serio dolore punguntur animi, aliquid tamen addit pietatis testandæ affectatio, vt in conspectu hominum lachrymis largius indulgeant qui sine testibus & arbitris parcius flerent. Itaque amici qui sub solatii prætextu conueniunt, sæpe diuersum officium sequuntur, vt fletum vberiorem eliciant. Quanquam autem ritus lugendi mortuos ex bono principio ortus est, vt se in meditanda generis humani maledictione exerceant viui, multis tamen vitiis semper inquinatus fuit: quia neque ad verum suum finem directus est, neque ad iustum modum compositus. Quantum ad genuinum dolorem spectat, quem nobis non accersimus, sed qui ex intimo corde erumpit, non esset per se culpandus, si modum teneret. Neque enim hîc reprehēditur Ioseph, quòd tristitiam fletu declaret: quin potius laudatur eius pietas. Sed fræno & moderatione opus est, ne intemperanter dolendo, cōtra Deū cæco impetu feramur. nam excessus doloris semper ad contumaciam nos præcipitat. Porrò mitigatio præcipuè ex spe futuræ vitæ secundum Pauli doctrinam petenda est. 1. Thess. 4. c. 13

2 *Et præcepit Ioseph seruis suis.* Quanquā olim plus operæ etiam absq; superstitione impēsum fuit sepulturis, quā post specimē resurrectionis in Christo exhibitum: scimus tamen apud AEgyptios plus sumptus & pomparum, quàm apud Iudæos fuisse. imò historici veteres hoc inter res illius gentis principuè memorandas recensent. Dubium quidem non est (vt alibi diximus) quin ritus sepeliendi mortuos à sanctis Patribus fluxerit, vt speculum esset resurrectionis futuræ: sed quēadmodum semper in ceremoniis magis operosi sunt hypocritæ, quàm qui solidam rerum substantiam tenent: factum est, vt qui à vera fide desciuerant, longè plus ostentationis sibi asciuerint, quàm fideles, quibus constabat symboli veritas & rectus vsus. Si conferimus Iudæos nobiscum, vmbratiles illæ ceremoniæ, in quibus eos Dominus occupari voluit, immodicæ hodie forent: quarum tamen præ vicinis gentibus tolerabilis fuit apud eos mediocritas. Quorsum autem tantum laboris susciperent prophani homines, tantúmque profunderēt pecuniæ, nescie-bant. Hinc colligimus, quàm inanis, ac nugatoria res sit, externis tantum signis attendere, vbi nō viget sincera doctrina, quæ germanam originem, legitimúmque finem ostendat. Sepelire mortuos, pietatis exercitium est. Condire aromaticis vnguentis cadauera, olim vitiosum non fuit, nempe vt aliquod futuræ incorruptionis symbolum palàm extaret. Fieri enim non potest quin grauiter nos percellat mortui hominis cōspectus, acsi vnus idémque interitus nos vnà cum brutis pecudibus sine discrimine absorbeat. Hodie nobis Christi resurrectio contra hanc tentationem satis firma est fultura. Veteres autem, quibus nondum illuxerat plenus dies, figuris adiuti fuerunt: sed quibus ad spem melioris vitæ non fuerunt erectæ mentes, nihil aliud quàm nugati sunt, stultéque æmulati sanctos Patres. Denique vbi non spirauit odor fidei, vt cognoscerēt homines aliquid sibi à morte esse residuum, insipidæ fuerunt omnes condituræ. Imò quum mors illis esset æternus corporis interitus, in pretiosam custodiam recōdere quod perierat, impia fuit sacræ & vtilis ceremoniæ prophanatio. Nunc quòd Ioseph AEgyptiis se conformat, quorum superflua curiositas ludibrio nō caruit, metu potius quàm iudicio, vel approbatione feciſſe credibile est. Et fortè perperam æmulatus est AEgyptios, ne deterior esset patris sui, quàm aliorum conditio. Atqui præstabat, se ad frugalem patrum vsum restringere. Cæterùm vt ipse excusabilis fuerit, nobis hodie idem non licet. nisi enim velimus Christi gloriam obruere, colenda est maior sobrietas.

3 *Et completi sunt ei quadraginta dies.* Iam admonuimus Mosen de ceremoniali luctu verba facere: ideóque legem non præscribere, vel exemplum statuere quod sequi nobis liceat. Nam legibus certi quidam dies fuerunt præfixi, vt esset aliquod temperamentum: ambitioni tamen aliquid datum est. Alia autem cohibēdi doloris regula nobis à Domino traditur. Et Ioseph se magis ad peruersos AEgyptiorum mores inflexit, quàm par erat: vt sibi licitum esse fingit mundus quidquid consuetum est: imò quod passim inualuit, non secus ac violenta exundatio, trahit omnes sibi obuios. Septuaginta dies quos Moses præfinit ad solennem luctum, Herodotus libro 2. condituræ assignat. Diodorus verò salituram triginta diebus compleri scribit. Condiendi verò modum vtérque sedulò exequitur. Et quanuis successu temporis solertiam creuisse non negem: disciplinam tamen illam à maioribus fuisse traditam mihi verisimile est. *Et locutus est Ioseph.* Inseritur breuis narratio de impetrato cōmeatu, vt Ioseph cum bona regis pace & venia paternu funus in sepulchrum duplicis speluncæ deferret. Quanquam autem non vulgari gratia polle-

bat,aulicos tamen adhibet ſuffragatores.Cur id,niſi quia res odioſa erat? Nihil enim,vt alibi diximus, AEgyptiis minus fuit tolerabile, quàm eorum terram ſperni, de cuius ſanctitate illi in primis gloriabantur.Itaque Ioſeph, vt offenſam aliò deriuet, neceſſitatem obtendit: acſi diceret non eſſe ſui arbitrii,eligere patris ſepulchrum, quia iuramento interpoſito fidem illi ſuam obligauerit.Quare videmus ſeruili timore fuiſſe oppreſſum,quo minus ſponte & liberè fidem ſuam profiteri auderet, quando alterius perſonam ſuſcipere cogitur, vt in mortuum tranſferat quidquid eſt inuidiæ.Quũ ſimplicior, magíſque integra à filiis Dei requiratur confeſſio, nemo ſe talibus velis occultet: quin potius petere à Domino Spiritum fortitudinis & conſtantiæ diſcamus qui nos ad teſtandam pietatem dirigat. Quòd ſi libera nobis eſt per homines pietatis profeſſio, gratias agamus.Iam quòd Ioſeph niſi Regis permiſſu pedẽ mouere non audet,hinc colligimus ſplẽdida illa fortuna,quaſi aureis compedibus fuiſſe deuinctũ. Et certè talis eſt omniũ conditio, qui honore & gratia in aulis Regum præcellunt, vt ſanis hominibus nihil melius ſit,quàm priuata ſorte contentos eſſe.Alia etiam circunſtantia mitigat Ioſeph quam metuit offenſam, quum dicit,non nuper veniſſe in mentẽ patri ſuo ſepulchrum appetere in terra Chanaan:quia pridem ſibi effoderat.vnde ſequitur,non fuiſſe inductum terræ AEgypti faſtidio.

6 *Et dixit Pharao.* Vidimus vt media via inceſſerit Ioſeph.Neque enim volebat prorſus ab officio deficere: prætextum tamen captans ex patris mandato, non ſatis cordatè ſe gerebat. Hac quidem modeſtia flecti potuit Pharao, vt eius precibus tam facilè annueret : neque tamen ideo probatur mollities, vt ſibi in ea indulgeant filii Dei . quia ſi intrepidè quò vocat officii ratio ſequantur, euentum, qualis optandus eſt, præter ſpem dabit Dominus. Nam etſi humanitus ipſi Ioſeph bene ceſſit blanda ſua ſubmiſſio, certum tamẽ eſt ſuperbum Regis animum à Deo ſubactum eſſe,vt tam benignè concederet quod rogatus fuerat.Notandũ etiam quantopere viguerit iuriſiurandi religio apud cæcos & incredulos.Quanuis enim non iurauerit Pharao,nefas tamen ſibi eſſe ducit,fidem ab altero datam ſuo imperio violari.Hodie autem ſic extincta eſt in mundo Dei reuerẽtia,vt ferè pro mero ioco ducãt homines vltrò citróque ſub Dei nomine fallere. Sed tam effrænis licentia Dei iudicium non impunè effugiet, cuius iudex futurus eſt ipſe Pharao.

7 *Et aſcendit Ioſeph.* Proſequitur Moſes totam ſepulturæ hiſtoriam, vbi quod ſcribit de luctu renouato tam à Ioſeph & fratribus,quàm ab AEgyptiis, minimè apud nos inſtar regulæ valere debet.Scimus enim,quia nunquam ſibi moderatur caro,homines tum dolendo, tum gaudendo ferè peccare. Nec verò excuſari poteſt tumultuoſus ille clamor, quem mirati ſunt loci incolæ. Et quanquam Ioſeph ſeptem continuos lugẽdo dies rectum finem habuerit propoſitum, vitio tamen non caruit exceſſus.Neque tamen abs re voluit Dominus tam honorificè funus hoc celebrari:magnopere enim interfuit quaſi ſublime trophæum erigi,quod memoriam fidei Iacob ad poſteros vſque tranſmitteret. Si clàm & plebeio more fuiſſet ſepultus,protinus extincta eſſet fama: nunc verò,niſi data opera cæcutiant, aſſiduè illis ante oculos verſatur nobile ſpectaculum, quod ſpem hæreditatis promiſſæ foueat:vexillum quaſi erectum cernunt futuræ liberationis, vbi completum fuerit tempus. Quare non tam hîc ſpectandus eſt honor mortui, quàm viuorum vtilitas. Imò AEgyptii ignari quid agant, facem præferunt Iſraelitis ad tenendum vocationis Diuinæ curſum:idem faciunt Chananæi,dum locum nouo nomine illuſtrant. nã hinc factum eſt vt recentior vigeret agnitio fœderis Domini.

14 *Et reuerſus eſt Ioſeph.* Quanquam Ioſeph & reliqui multa pignora in AEgypto reliquerant,vt reuerti neceſſe fuerit, credibile tamen eſt magis Dei oraculo illuc fuiſſe retractos. Neque enim vnquam permiſit Deus ſedem arbitrio ſuo eligere: ſed quẽadmodum prius Abraham, Iſaac,& Iacob circumegerat,ita eorum filios in terra Goſen velut cancellis incluſos tenuit. Nec verò dubiũ eſt quin ſancti Patres oraculum illud,quod cap.15.c.13 habuimus,fideli cuſtodia ſeruatum inſtar pretioſi theſauri filiis reliquerint. Redeunt igitur in AEgyptum,non tantum præſenti neceſſitate coacti,ſed quia iugum Dei manu ceruicibus ſuis impoſitum excutere fas nõ eſt. Quòd ſi non omnes Dominus voluntario obſequio deuinctos ſibi habuit, mentes tamen continuit occultis habenis, ne ſe aliò ſubducerent: neque tamen aliud coniicere licet, quàm eius timore fuiſſe retentos,ne de tyrannica oppreſſione admoniti,quæ inſtabat,eam effugere tentarẽt. Scimus non ita manſueto fuiſſe ingenio,quin ſubinde contra leuiora onera calcitrarent. Quare ſpecialis hac in parte eos religio domuit , vt quieti & ſilentes ad ferendam duriſſimam ſeruitutem ſe pararent.

15 *Et uiderunt fratres Ioſeph.* Hîc narrat Moſes filios Iacob poſt mortem patris anxios fuiſſe,ne Ioſeph vindictam illatæ ſibi iniuriæ repoſceret. Vnde autem hic metus, niſi quia ex ſuo ingenio eum æſtimant? Quòd tam placabilem experti erant,veræ erga Deum pietati non tribuunt, nec reputant ſingulare eſſe Spiritus donum: quin potius diuinant ſolo patris reſpectu hactenus fuiſſe cohibitum,vt tantummodo vltionem differret. Atqui tam peruerſo iudicio magnam in-

iuriam ei faciunt,qui tam liberaliter eos tractando, animum ſuum omni odio & malcuolentia purum teſtatus erat. In Deum etiam redundat pars iniuriæ,cuius rara gratia in moderatione Ioſeph enituerat. Sed hinc colligimus, cæcis pũctionib⁹ turbari malas cõſcientias, vt in clara luce impingãt. Fratres ſuos reatu abſoluerat Ioſeph:ipſi autem ſtimulis peccati exagitãtur, vt ſibi ſpõte infeſti ſint. Neque enim per eos ſtetit quominus pœnã,quæ remiſſa erat,ſibi accerſerent:quia meritò vlcerari potuit animus Ioſeph illorum diffidẽtia. Quid enim hoc ſibi vult,quòd vitam bis & ter eius miſericordiæ debentes, adhuc malignè ſuſpectum habent? Nec tamen dubito quin pridem reſipuiſſent à ſuo ſcelere: ſed quia forte nondum ſatis purgati erãt,tali anxietate & moleſtia torqueri paſſus eſt Dominus,vt aliis exemplo eſſent,malam conſcientiam ſibi eſſe carnificem:deinde vt nouo culpæ ſuæ ſenſu eos humiliaret. nam quum fratri ſe obnoxios ſiſtant, cæleſte Dei tribunal,niſi pluſquam ſtupidi ſint,obliuiſci non licet. Quotidie videmus impleri quod dicit Solomon,vt ſcilicet impius nemine perſequente fugiat: ſed ita Deus ad reddendam rationem fugitiuos cogit. Cuperent ſupino ſuo torpore tam Deo quàm hominibus illudere: & obſtinationis callum, quantum in ſe eſt, cordibus ſuis obducunt: interea,velint nolint, trepidant ad ſtrepitum folii cadentis,ne Dei iudicium aboleat ſecurus carnis torpor. Nihil tranquilla mente optabilius eſt. hoc ſingulari bono, quod ab omnibus expetitur, dum ſceleratos priuat Deus,ad integritatem colendam nos inuitat. Præſertim verò, quum Patriarchæ iam ſui ſceleris pœnitẽtia affecti,poſt longum tamen tempus tam duriter expergefiant, nemo noſtrum ſibi indulgeat, ſed ſe quiſq; diligenter examinet,ne hypocriſis arcana iræ Dei ſpicula intus foueat: ſed cordibus noſtris ad liquidũ defæcatis affulgeat,beata pax,cui locum duplex cor non concedit. Hæc etiam iuſta merces eos omnes manet qui ad Deum ſincerè & ex animo non accedunt, vt ſe ad hominis mortalis iudicium ſiſtere cogãtur. Quare non alia eſt ratio,quæ nos inquietudine eximat,niſi vt cum Deo redeamus in gratiam. Hoc remedium quiſquis contẽnet,inuitus ſibi timebit non tantùm ab homine mortali,ſed ab vmbra quoque,vel flatu.

Proverb.28.a.1

Lenit.26.f.36

16 *Et mandarunt.* Quia pudet ipſos verba facere,pacis interpretes ſubornãt,quibus plus fidei adhibeat Ioſeph. Sed hîc quoque perſpicimus,conſilio & ratione deſtitui, qui ſibi malè cõſcii ſunt. Nam ſi hac de re ſolicitus fuit Iacob,cur non filium,quem habebat tam morigerum,reconciliauit ipſe fratribus? Deinde quorſum nunc attinet per internũtios tentare, quod coràm melius poterant? Pueriliter ergo eos agere patitur Dominus: vt eorum exẽplo edocti,nullum ex friuolis commentis profectum ſperemus. Sed quæritur, vnde filiis Iacob oblati fuerint homines, quibus tale mandatum committere auderent. neq; enim res vulgaris fuit,execrandum illud flagitiũ exteris detegere. apud AEgyptios quidem ſubire hanc infamiam,nimis fuiſſet abſurdum. Itaque nulla magis probabilis coniectura eſt,quàm electos fuiſſe domeſticos teſtes ex ſeruorum numero: quorum etſi mentio facta non eſt à Moſe,quũ narraret Iacob migraſſe in AEgyptum: aliquos tamen abductos fuiſſe certis rationibus colligere promptum eſt.

17 *Obſecro patris quæſo.* Non diſſimulant ſe grauiter peccaſſe,adeóque culpã non extenuãt, vt ſeipſos vltrò grauent multa verborũ congerie. Veniã ergo ſibi dari non poſtulant quaſi leue ſit delictum: ſed atrocitati criminis primùm authoritatẽ patris ſui,deinde ſacrũ Dei nomen opponũt. Laude digna fuiſſet hæc confeſſio, ſi rectà & ſine ambagibus ac figmentis ad placandum fratrem progreſſi eſſent. Iam quum ex pietatis fonte hauſerint,cõſentaneum eſſe remitti peccatum Dei ſeruis: hinc ſumẽda eſt communis exhortatio,ſi ab Eccleſiæ domeſticis læſi fuerimus, ne ſimus ad ignoſcẽdum nimis rigidi ac difficiles. Hæc quidẽ humanitas in genere erga omnes nobis præcipitur: ſed vbi accedit religionis ſocietas,pluſquã ferrea eſt noſtra durities,niſi ad miſericordiam flexibiles propenſique ſimus. Ac notandum eſt,quòd diſertè exprimunt Deum Iacob: quia peculiaris fides & cultus,quibus à reliquis gentibus diſtincti erant,cõiungere ipſos debebant arctiore vinculo: acſi Deus, qui familiam illam adoptauerat,reconciliandæ gratiæ ſponſor in medium prodiret. *Dum illi loquerẽtur.* Non poteſt certò elici ex verbis Moſis,an tũc coràm adfuerint fratres Ioſeph,ac locuti ſint quum fleuit. Diuinãt quidã interpretes actam fuiſſe ex compoſito fabulam,vt tentato per alios animo Ioſeph,paulo pòſt medio ſermoni interuenerint. Ego in diuerſam magis ſententiam inclino: quum ex nuntiis cognoſceret eos cruciari,fruſtráque ſibi ipſis moleſtos eſſe,ſympathia fuiſſe tactum. Deinde ad ſe accitos omni cura & metu liberaſſe. Porrò quòd fratrum mœſtitiæ & anxietati tam amicè illachrymat,inſigni documento nos ad miſericordiã inſtituit. Quòd ſi nobiscum iracũdiæ impetu vel odii pertinacia arduũ eſt certamen,petẽdus à Domino eſt lenitatis Spiritus,cuius vis nõ minus efficaciter hodie ſe exeret in Chriſti membris,quàm olim in Ioſeph.

19 *Nunquid enim loco Dei ſum?* Quidam putant his verbis repudiatum ab eo fuiſſe honorem: acſi diceret, perperã ſibi deferri, quia nonniſi Deo vni debetur: ſed hoc nihil habet coloris,quũ ſæpe aliàs paſſus ſit hoc modo ſe coli,& longè alium fratribus animum eſſe ſciat,quàm Dei cul-

tum in hominem mortalem transferre. Mihi etiam nihilo magis probatur alter sensus, quòd se pœnam sumpturum neget, quia Deus non sit. Neque enim ita sibi temperabat à retaliãda iniuria, vt Deum fore vltorem speraret. Alii tertium sensum afferunt, quòd respondeat Ioseph, consilio Dei non suo, totũ hoc negotiũ gestum esse: quem etsi non planè reiicio, quia ad verum accedit, non tamen pro vero amplector. Duæ sunt particulæ apud Mosen, ex quibus oritur difficultas, כי & תחת, quarum prior sæpius est causalis, interdum autẽ interrogatiua: posterior verò nunc vicem denotat vt latinum Pro, nunc subiectionem. Itaque duobus modis verti potest locus, An ego sum vice Dei? vel, Quia ego sub Deo sum. Si interrogatiuè legere placet, significat meo iudicio, se Deo minimè parẽ esse: vt quod ille in salutẽ disposuit, in perniciem cõuertat. Atqui nõ minõ cõmodè sic vertere licebit: Ne metuatis, quia ego sub Deo sum: vt admoneat Ioseph, quia Dei imperio subest: nõ suũ esse præire, sed sequi. Vtrãuis tamẽ expositioné eligas, quoad rei summã parũ interest. Nã quia Ioseph Diuinæ prouidẽtiæ finẽ expẽdit, quasi iniecto fræno cõpescit suos affectus, ne intẽperanter exultẽt. Erat quidẽ miti humanóq; ingenio: sed nihil est sedãdæ eius iracũdiæ melius vel magis appositũ, quã se Deo regendũ submittere. Itaq; vbi nos vindictæ cupiditas solicitat, huc referẽdi sunt omnes sensus. Porrò, quũ hac ratione fratres trãquillos & securos esse iubeat, quia legitimum Deo tribuens honorẽ, libenter sustineat eius imperio parere: hinc discamus tunc optimè nobiscũ agi, vbi negotium nobis est cum hominibus modestis, qui Deum sibi ducem præficiunt, eiúsque placitis non modò subesse sustinent, sed libenter obsequuntur. Nam siquis impotenter carnis libidine feratur, mille ab eo nobis timẽdæ erunt mortes: nisi furorem eius Dominus violenter frangat. Sicut autem vnum hoc est sedandæ iracundiæ remedium, agnoscere quinam simus, & quid iuris in nos Deo competat: sic rursum vbi penitus insederit hæc cogitatio, nullus est tam furiosus ardor, ad quem mitigandum non sufficiat.

12 *Et uos cogitastis de me.* Probè, vt diximus, Dei prouidentiam considerat Ioseph, vt sibi non modó dandæ veniæ, sed etiam exercendæ beneficentiæ legem ac necessitatem imponat. Tametsi autẽ hac de re satis multa disseruimus capite 45, nonnihil tamen nunc quoque repetere vtile erit. Ac primò quidẽ notãda est sermonis diuersitas. nam quum illic Ioseph fratrum dolorem lenire & metum leuare studens, eorum scelus quo poterat artificio tegeret: nunc paulo apertius & liberius eos castigat: fortè quia eorum astutia offenditur: idem tamẽ retinet principium, quum arcano Dei consilio deductus sit in AEgyptum, vt fratribus vitæ minister esset, sibi incumbẽdum in hoc esse, ne Deo resistat: acsi diceret, Quum vitam vestram Deus apud me deposuerit, ego bellum cum eo gererem, nisi fidelis essem eius gratiæ dispẽsator, quam mihi dedit in manum. Scitè interea inter praua hominum cõsilia, & admirabilem Dei iustitiam distinguit, summam rerum omniũ gubernationẽ Deo ita tribuens, vt nullam ex hominum vitiis maculam cõtrahat. Venditio Ioseph facinus crudelitate & perfidia detestabile fuit: atqui vẽditus non fuit, nisi cælesti decreto. Neque enim solùm quieuit Deus, & ad tempus conniuens, fræna hominum malitiæ laxauit, vt hac occasione posteà vteretur: sed ordinem agendi, quem volebat certum fixúmq; esse, suo arbitrio statuit. ita verè & propriè dicemus scelesta fratrum pactione, & arcana Dei prouidẽtia venditum fuisse Ioseph. Non tamen fecit commune opus, vt quicquam Deus cõiunctum vel affine haberet improbæ eorum cupiditati: quia dum illi machinantur fratri exitium, eorum salutem è sublimi procurat. Vnde etiã colligimus, regendi mundi varias illi esse rationes. Hoc quidem promiscuè statuendum est, nihil nisi eo volente, fieri: quia & hominum consilia moderatur, & voluntates flectit, & conatus vertit huc vel illuc, & euentus tẽperat: verùm siquid rectè & iustè suscipiunt homines, intus eos Spiritu suo agit ac mouet, vt meritò feratur illi acceptũ quicquid boni est. si autem Satan & impii ebulliunt, ineffabili modo per eorum manus ita agit, vt penes ipsos resideat improbitas, & illis culpa imputetur. Neque enim ad peccãdum Spiritus impulsu, sicuti fideles ad rectè agendum feruntur, sed sibi ipsi authores sunt, & Satanam sequũtur ducem. Sic videmus vt in media caligine nostræ iniquitatis refulgeat Dei iustitia. Nam neque Deus vnquam iusta agendi causa destituitur, & homines peruersa sua voluntas reatu constringit. Quum audimus Deum frustrari spes hominũ improbas, & noxias cupiditates: hinc nõ vulgaris redit consolatio. satagant enim vt volent impii, tumultuentur, cælũ denique ac terram misceãt, nihil tamen proficient suo feruore: nec modò irriti concident eorũ impetus, sed in contrarium successum voluentur, vt salutem nostram quanuis inuiti promoueant. Ita quicquid veneni concipit Satan, Deus in medicinam electis suis temperat. Quanquam autem hic Deus *in bonum cogitasse* dicitur, quia prosperum, lætúmq; successum mortiferis principiis ex inopinato attulerat: rectè tamen & iustè cibum reprobis in venenum, lucem in tenebras, mensam in laqueum, vitam denique in mortem conuertit. Si ad tantam altitudinem non perueniant humanæ mẽtes, mysteria quæ non capiũt, suppliciter potius adorent, quã figulina vascula superbiãt cõtra suũ opificẽ.

20 *Vt uiuificaret populum.* Finẽ prouidentiæ Dei ad suũ officiũ accómodat Ioseph. Et hæc sobrietas adhibẽda semper est, vt quisquis Deũ ex alto mũdi gubernacula tenẽtem fide speculatur,

se intra vocationis suæ metas contineat: imò arcanis Dei iudiciis admonitus, in seipsum descendat, séque ad officium hortetur. Quòd si non protinus apparet ratio, cauendum tamen est ne volitemus per confusos, & erraticos circuitus, quemadmodũ fanatici homines solẽt. Quòd dicit Ioseph se diuinitus electum esse, per quem multus populus seruetur, quidam ad AEgyptios extendunt: quod tametsi non improbo, restringere tamen malo ad domum Iacob. nam Dei bonitatem hac circunstantia Ioseph amplificat, quòd sua opera ab interitu ereptum fuerit Ecclesiæ semen. Et certè in paucis hominibus ingens illa multitudo, quam paulo pòst Deus extulit, vitam adepta est, cuius alioqui antequam nasceretur, extinctum esset semen.

21 *Ego alam uos.* Hoc verò solidæ ac non fucatæ reconciliationis signum fuit, non modò abstinere à maleficio & noxa, sed etiam vincere bono malũ, sicuti Paulus præcipit. Et certe qui cessat in officio, quum iuuandi suppetat facultas, & res opem eius flagitet, hoc ipso demõstrat se non oblitum esse iniuriæ. Quod ideo diligenter notandum est, quia vulgò nimis ieiunè maior pars se remittere offensas definit, si non retaliat. quasi verò nõ sit hoc vlcisci, quum manum retrahimus ab auxilio. Iuuares tratrem, si dignum existimares: opem tuam implorat in necessitate, tu deseris, quia de te malè meritus est: quid tibi obstat præter odium? Ergo tunc demũ probabimus, nobis à maleuolentia puros esse animos, si beneficiis prosequemur hostes, à quibus indignè tractati sumus. Dicitur Ioseph *ad cor fratrum loquutus*, quia suauiter & amicè eos compellans, omnem illis scrupulum exemit: quemadmodum prius vidimus Sichem loquutum esse ad cor Dina, quũ blanditiis solari conatus est, vt illati stupri immemor, coniugio animũ adiiceret. Rom. 12. d. 21

22 *Et habitauit Ioseph.* Non sine causa refert Moses quãdiu vixerit Ioseph: quia diuturnitas temporis infractam eius constantiam clarius ostendit. Quanuis enim honore & potentia eminneret inter AEgyptios, cõiungitur tamen cum domo patris sui. Vnde cõiicere promptum est, paulatim vale dixisse aulicis opibus, quia sibi nihil melius esse ducebat quàm vilescere, ne eum terrena dignitas à regno Dei separaret. Spreuerat antè illecebras omnes quæ eius mentem occupare possent in AEgypto: nũc vlterius progredi necesse habet, vt depositio honore ad ignobilem statum descẽdat, filiósque suos à spe successionis ablactet. Scimus quàm anxiè laborent alii, tum ne ipsi minuantur, tum vt integram fortunã posteris relinquant: atqui Ioseph per annos sexaginta huc tantum omnia studia impendit, quomodo se & suos in ordinem cogeret, ne sua eos magnitudo à tenui grege Dominini arceret. Denique serpentes imitatus est, qui exuuias suas abiiciũt, vt vetustate exuti, nouũ vigorem colligant. Vidit abnepotes ex sua stirpe: cur non vnà cum liberis crescit etiam solicitudo vt illis prospiciat? Verùm nulla illi vel nobilitas, vel opulẽtia tanti est, quin malit pastoritiæ vitæ addictos contẽni ab AEgyptiis, ac censeri in familia Israel. Cæterùm in numerosa sobole, viuo adhuc & superstiti Dominus gustũ aliquem suæ benedictionis præbuit, vnde spem liberationis conciperet. Nam inter tot tentationes operæpretium fuit quibusdam subsidiis animari & fulciri, ne succumberet.

24 *Et dixit Ioseph fratribus suis.* Primúsne an vltimus fratrum mortuus fuerit Ioseph, an pars aliqua superuixerit, incertum est. Hîc quidem Moses sub fratrum nomine non solos germanos, sed cognatos alios complectitur. Quosdam verò ex singulis familiis primarios fuisse eius iussu vocatos existimo, à quibus tota gens certior deinde fieret. Quanquam autem alios quoque Patriarchas idem mãdasse credibile est, quia omnium ossa pariter in terram Chanaan delata sunt: specialis tamen vnius Ioseph fit mentio ob duas causas. Nam quum propter summam authoritatem coniecti essent in eum omnium oculi, meritò debuit illis præire, & solicitè cauere ne cui remoram iniiceret dignitatis suæ splendor. Secundò, magnopere ad exemplum interfuit, cognosci à toto populo eum, qui regno AEgypti secundus præerat, posthabito tanto honore, gradu suo fuisse contentum, vt tantum nudæ promissionis hæres foret. *Ego morior.* Perinde valet loquutio, acsi iuberet fratres suos bene sperare se mortuo, quia immortalis sit Dei veritas. nam eos pendere non vult à sua, vel alterius vita, vt Deo vllum terminũ præscribant, sed patienter quiescere, donec opportunum aduenial tẽpus. Vnde autem hæc tanta illi certitudo, vt futuræ redemptionis testis sit, ac sponsor, nisi quòd à patre sic edoctus fuerat? Neque enim Deum ei apparuisse legimus, vel oraculum per Angelos è cælo fuisse allatum: sed quia certò persuasus erat Iacob doctorem & Prophetam diuinitus fuisse creatum, qui fœdus salutis apud se depositum ad filios trãsmitteret, nõ minus securè in eius testimonium recumbit, quàm si oblata fuisset aliqua visio, vel Angelos è cælo delapsos vidisset. Nisi enim verbi auditus ad fidem nobis sufficiat, indigni sumus quibus cum agat Deus, quem fraudamus suo honore. Non quòd fides ab hominibus pendeat, sed quia per os hominum loquentem Deum audit, & externa eorum voce patitur altius se deduci. Deus enim quod per homines pronũtiat, Spiritu suo obsignat in cordibus nostris. Ita neque alibi quàm in ipso fundata est fides: & tamen hominũ prædicationi non deest suum pondus & reuerentia. Ita compescitur proterua eorũ curiositas, qui visionibus inhiãtes, ordinarium

Ecclesiæ ministerium contemnunt: acsi absurdum foret, Deum, qui olim Patribus è cælo se ostendit, vocẽ è terra emittere. Atqui si reputarent quàm magnificè in Filii vnigeniti persona semel ad nos descenderit, non ita improbè appeterent cælum quotidie sibi aperiri. Vt tamen hoc taceam, quũ videant Ioseph, qui patribus hac in re inferior erat, quòd nullius oraculi particeps, pietatis doctrina ab ipsis imbutus fuerat, pari fide cum illis certare, nimis ingrati sunt ac maligni, si huius gratiæ societatem fastidiant.

25 *Visitando visitabit Deus uos.* His verbis innuit quasi obliuione sepultos fore, quandiu manebunt in AEgypto. Et certè perinde fuit illud exilium, acsi Deus tergum illis ad tempus obuerteret. Ioseph tamen in eum mentis oculos intendere nõ desinit, sicuti habetur apud Prophetã, Expectabo Dominũ qui abscõdit faciem suam à domo Iacob. Hic etiã locus clarè docet quorsum spectauerit tam anxia sepulchri electio, nempe vt redemptionis sigillum foret. Postquam enim fidelem esse Deum asseruit, qui præstabit suo tempore quod pollicitus est, continuò pòst fratres suos adiurat, vt ossa sua transferant. Illæ vtiles erãt reliquiæ, quarum aspectus clarè personabat hominum morte minimè extinctum esse æternum Dei fœdus, in quo Ioseph tutò quiescere iubet posteros. Nam iusiurandum Dei adducere satis habet, vt de suo exitu nihil dubitent.

Esa. 8. d. 17

EXCVDEBAT ROBERTVS STEPHANVS
IN SVA OFFICINA ANNO
M. D. LIIII. XIII. CAL.
AVGVS.